Sc. Sup. 20. Pl. 3.

Digitized by Google

EX BIBLIOTHECA
JOSEPHI GARAMPII

G 4 . 29.

Digitized by Google

Digitized by Google

CORUSCATIONES DOGMATICAS,

UNIVERSO ORBI TERRÆ
PRO RECTA
SACRAMENTI PŒNITENTIÆ
Adminiſtratione refulgentes,

IN VARIOS DISTRIBUTAS RADIOS,
quibus noxia praxis detegendi complices
deſtruitur,

ATQUE VARIÆ PROPOSITIONES
TUM MORINI, TUM MURATORII,
tum aliorum
DISSIPANTUR,

SERENISSIMO, ET AUGUSTISSIMO
BRASILIÆ PRINCIPI
D.D. JOSEPHO
S. D. C. O.

D.DIONYSIUS BERNARDES
DE MORAES.

ULYSSIPONE,
Typis MICHAELIS RODRIGUES,
Eminentiſſimi Domini Cardinalis Patriarchæ Typog.

M. DCC. XLVIII.
Cum facultate Superiorum.

Digitized by Google

SERENISSIMO

BRASILIÆ PRINCIPI,

AUGUSTISSIMO, POTENTISSIMO

D. D. JOSEPHO.

D*UBITABIT nemo*, Princeps Auguſtiſſime; *qui Tuam Regiam, egregiamque indolem perſpectam habeat, has Dogmaticas Coruſcationes, ex*

Digitized by Google

quo eas in publicum edere conſtituerim, Tibi peculiari quodam jure deberi, Tuoque auſpicatiſſimo Nomini, & Numini fuiſſe conſecrandas. Congenitum in Luſitanis Principibus, atque cum Regio, Imperatorioque ſanguine inviſceratum Religionis amorem à Maioribus tuis, & præcipuè ab Auguſtiſſimo, magnificentiſſimo, religioſiſſimo patre Tuo hæreditarium Te accepiſſe, & acceptum, (ſi fieri poteſt) eodem Tui auſpicatiſſimi Nominis Augmento *perfeciſſe, amplioraque indies incrementa repromittere, qui novimus, profitemur. In Te, quaſi quodam naturæ impetu, ſeu occultâ divinæ Providentiæ inſpiratione, tuendæ veritatis ſtudium, ac erga literatos omnes benevolentiam, non, ineſſe modò, ſed inter ſe quodammodo certare proculdubio experimur.*

Ad hæc, quanta ſit Tua in Fidei Tribunal beneficentia, quantus amor, quantumque cordi Tuo infixa hæreat ejus defenſionis cauſa, agnoſcimus omnes, fatetur ſancta Inquiſitio, ac adverſarii ipſi non

fruſtra

fruſtra verentur. In jus ergo peccaret quicumque hujus cauſæ, inſimulque Religionis defenſionem ſuſciperet, & alii quàm Tuo Nomini, alii quàm tanto Mecœnati zelum, & laborem ſuum nuncupatum vellet; juſtiſſimeque Celſitudo Tua ei ſuccenſeret, ſi alii præter Te patrono opus ſuum inſcribere meditaretur. Neque ea admittenda excuſatio fuiſſet, quòd rem omnino Eccleſiaſticam, & Dogmaticam complectatur. Namque ipſa materia, in maximum Luſitanorum Principum præconium, id propriiſſime exigebat. Videbuntur cæteris Fidei, & Religionis dogmata à ſæcularibus aulis aut penè aliena, aut ſaltem impropria: aſt Luſitani Principis Aula (cujus primum politices elementum Religio eſt, in qua omnis Imperiorum felicitas, & ſecuritas reponi debet) ſic materiam iſtam propriam, & peculiarem agnoſcit, & piiſſimè ambit, ut ei injuriam inferre videretur, qui aliud expoſceret patrocinium, aliamve ſolicitare tutelam viſus eſſet.

Iſthæc

Iſthæc profectò mihi cum omnibus aliis Luſitaniæ ſcriptoribus ex æquo ſunt communia. Alia tamen mihi ſunt ſtrictiora incitamenta, quæ me pronum quidem ac volentem, ſed quâdam neceſſitate adductum, ad opus iſtud Tuo clariſſimo nomini inſcribendum perpulerunt. In primis namque ex Tua erga me circa hanc ipſam rem benevolentia, quædam voluntatis Tuæ indicia ſuſpicatus fueram, quæ occultâ, ſuaviſſimâ tamen ſignificatione hoc officium præſtare præcipiebant. Id non incongruè conjectabam, quòd aliquando à me ſcicitari dignatus fueris, quale nam circa Muratorii opellam meum eſſet judicium? Tunc illud uno verbo aperui; hoc tamen ſat eſſe non duxi: Tuæ ſiquidem interrogationi ſcripto danda reſponſio dedebatur. Scio Tibi prudentiſſimo rerum Æſtimatori eam opellam quàm maximè diſplicuiſſe; multoque magis aliam, in qua Auctor ipſe ſub alio nomine, inter cætera, quibus Pontificiæ infabilitatis ſententiam ſub larva explodere

re

re auſus eſt, etiam contra piiſſimum de tuenda immaculata Deiparæ ſanctiſſimæ Conceptione juramentum, aut votum impiiſſimè debacchatur. In quo ſanè deliramento Aulam Tuam, Tuas Ditiones, Academiasque Tuas, & quod non modo ex devotione, ſed ex obligatione à feliciſſimæ recordationis Proavo Tuo D. D. Joanne IV. *acceperant, expreſſiſſimè, & veluti digito demonſtrans, offendere viſus eſt. Ea igitur, quibus inſana argumenta ejus diſpelluntur, Tibi non poterunt non placere, Tibi jure proprio obligantur inſcribenda.*

Tuum deinde nomen expetit titulus non per faſtum, ſed ex cauſa huic operi inditus. Te meminiſſe reor, aliosque multos non latêre credo, me in Tua amabiliſſima præſentia conſtitutum, divino certè afflante numine, fortiter declamaſſe, quanto periculo ſacramenti Pœnitentiæ religio, Portugalliæque fides obnoxiæ fierent, ſi interrogandi complices noxia praxis omnino non ſupprimeretur, Tuoque, & verè Tuo

Fidei

Digitized by Google

Fidei Tribunali ſua non ſervaretur incolumis juriſdictio, ſuus non defenderetur contemptus honos. Concaluit tunc cor meum intra me, & exardeſcens zeli ignis ſic illud liqueſcere fecit, ut ad pedes Tuos in lacrymas profuſum prodigeretur. Ignis iſte (veluti ſacrificii ignis) dum meus erat, & in corde reconditus aſſervabatur, in aquam degeneraverat; aſt ad pedes Tuos, veluti in ſacra ara repoſitus, ad tanti Solis conſpectum, quòd iterum accenderetur opus erat. Humiles vapores fuerant lacrymæ illæ; ſed à Regio luminari quodammodò attractæ, atque ad tantam altitudinem aſcendentes, factum fuit, quòd neceſſariò igneſcerent, & coruſcationibus rutilarent. Tuæ ergo ſunt, non meæ, Coruſcationes iſtæ, Tuoque indeficienti ſplendori incontroverſo jure adoptandæ.

Præterea primum iſtud opus eſt, quod meo nomine non ſine prudenti aliorum conſilio, evulgare decreverim; quippe eâ modeſtiâ, aut mei ipſius diſplicentiâ ſemper

uſus

uſus fui, ut ex iis quæ frequenter ſcribebam, alia proſcinderem, alia cremarem, alia reconderem; alia verò, aut meo ſuppreſſo nomine, aut ſub alieno, & ferè ſemper me reluctante, in publicum prodirent. Nunc verò, quod ſuperiora juſſa capeſſere fas erat, velare faciem, aut abſcondere manum ipſa operis ſtructura non ſinebat, ne viderer aut veritatis defenſionem erubeſcere, aut exterum Scriptorem audacter inſultantem formidare. Non me latet, quot averſas adulantium mentes expertus ſim, quantamque in me, eo quòd pro ſacramento Pœnitentiæ rectè adminiſtrando, ac noxia praxi profliganda imperterritus ſteterim, invidiam, aut forte ſimulatas in corde inimicitas concitaverim. Qua propter neceſſarium duxi, non tam mihi, qui nihil timeo, nihil ſpero, nihil ambio, nihil veritati, & religioni antepono, quàm operi, & cauſæ, quam defendo, potentiſſimum exquirere Patrocinium. Quod autem prudentius, ſecurius, & felicius quàm Tuum

cooptarem? Principis nempe, quem ſuaviſſimi exornant mores, cui altiſſima ineſt mens, in quo æquitas, & juſtitia, fides, & religio ſibi invicem æmulantur, & amicabili nexu conjunguntur: qui detractoribus frænos imponere in uſu ſemper habuit, nec quemquam in præſentia ſua maledicere quandoque ſivit. Te igitur Auguſtiſſimum Principem convenio ampliſſimæ ſapientiæ æque ac Imperii capacem, ut ſub Tuo patrocinio ſuſcipias opus iſtud, in quo ad diſpellendam introductam praxim, atque in blandientes eidem noxias opiniones cenſura geritur, Pontificia auctoritas, ac in definitionibus ſuis infallibilitas propugnatur, Immaculata Deiparæ ſanctiſſimæ Conceptio adſtruitur, & Tui, fideique Tribunalis jura ſervantur. In Te ad totius Regni, immo & totius orbis dilicias, & felicitatem mirabiliter reſplendent animi probitas, ingenii acies, prudentiæ judicium, veritatis amor, religionis cultus, fidei zelus, atque virtutes omnes, quæ perfectum,

Digitized by Google

ctum, optimumque Principem conſtituere conſueverunt. Tuam ergo Altitudinem decebat operis mei, licet tenuis, licet exigui, beneficentiſſima Tutela. Mens mea fuit veritatem à mendacio, jus ab injuria vindicare. Id conſequar ſecuriſſime, ſi pro nimia indulgentia Tua, hujus humillimi, ac obſequentiſſimi Clientuli munuſculum non reſpuens, argumentorum Judex, diſceptationis Arbitrer, juſtitiæ Propugnator, veritatis Vindex, juris Aſſertor, operis Mæcenas fieri non dedigneris His optatis, ut ſpero, quæ Tua Humanitas eſt, facile annues, & temeritati meæ veniam dabis, indulgentiam etenim (*cum Cypriano loquor*) meretur humilitas, quæ, quo poteſt acceſſu ſublimitati Tuæ manibus ſe porrigit attrectandam, non gloriam mendicans, ſed gratiam. *Non vanitati, aut adulationi, ſed debito inſerviens obſequio hunc ſtudii mei laborem, ceu gratiſſimi, ac devotiſſimi animi ſymbolum Tuis manibus repræſento: atque Nyſeni*

Digitized by Google

verba uſurpans: Adfero ad Te munus, non lllud quidem Te dignum, mea tamen facultate prope maius. *Si ex gratia ſuſceperis, ut de genu precor, atque in Tuum admiſeris præſidium, error amplius non gliſcet, Ariſtarchi ſilebunt, adverſarii verebuntur, & Auctorem, Tibi jam pridem tot ex titulis vectigalem, efficies ter quaterque beatum. Vale Princeps Auguſtiſſime: & hæc mea vota ſemper erunt, ut vivas diutiſſimè Tibi, Catholicæ Eccleſiæ, fidei, religioni, atque Imperio Tuo in totius ferme univerſi orbis plagas extenſo fruaris feliciſſimè.*

D. Dionyſius Bernardes de Moraes.

FACUL-

FACULTAS.

SANCTI OFFICII.

CENSURA R. P. M. PAULI MAURI ſancti Officii Qualificatoris &c.

EMINENTISSIME DOMINE.

QUAM libenter Eminentiæ Tuæ dicto audierim, & Dogmaticas Coruſcationes evolverim, is plane neſciat, qui vota mea, & tanti operis, quod ſubodoratus fueram, expectationem ignoraverit. Dolebam profecto optimam cauſam, quaſi domeſtici non ſuppeterent ab externo hoſte non modo longe à nobis ſeppoſito, ſed noſtrarum rerum prorſus ignaro, fucatis, immo adulterinis coloribus imbutos, vehementer concuti: dolebam ubique Venerabilem Purpuratorum Patrum dignitatem, ſapientiam, prudentiam, & ardentiſſimum tuendæ religionis zelum mordaci calamo audacter impeti: dolebam integerrimum Fidei Tribunal tot, tantiſque viris ſapientiſſimis refertum, cujus beneficio ab errorum colluvie immunem ſe merito jactat Luſitania, temeritatis, arrogatæ poteſtatis, & in Chriſti Fideles crudelitatis per ſummam injuriam reum dici; neque alia de cauſa, niſi quod fucos ab Eccleſiæ alvearibus prohibere, turbidas, immo & lutulentas aquas ab orthodoxæ religionis viridario avertere, ac demum ſacramento Pœnitentiæ admotos jam arietes propulſare pro viribus, ac munere ſuo contenderit: dolorem tamen, qui meum, ac bonorum omnium animos obnubilarat, tandem depulere cœlitus immiſſæ Coruſcationes, de quibus illud Davidicum uſurpare non abs re eſt: *Illuxerunt Coruſcationes tuæ orbi terræ.* (Pſalm. 79. 19.) Dei profecto Coruſcationes appellandæ, quæ errorum tenebras profligant, deterſa mendaciorum caligine veritatem produnt, & Rigoriſtarum latebras, quibus, ut licentius graſſentur, tantopere latere amant, adeo ſplendenti luce profundunt, ut illorum dolos is duntaxat non perſpiciat, qui in meridiano ſole cæcutire ſtudeat.

Id in cauſa eſt, Eminentiſſime Domine, cur pace Tua non Cenſorem ex munere, ſed ex dignitate rei Encomiaſten agere mallem: hoc præſtantiſſimi Auctoris doctrina, hoc, qua de agitur, rei dignitas,

Digitized by Google

tas, hoc Eminentiæ Tuæ, Senatusque Tui integerrimi præſtantia, quæ vindicanda ſuſcipitur, hoc demum æquitas ipſa ſuo jure expoſcunt.

Quia vero prima operis commendatio ab Auctore proficiſcitur, is eſt Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus Dominus Dionyſius Bernardes, quem Conimbricenſes Athenæ Juris Pontificii Doctorem ſuum egregium, Veſperarium Interpretem, & tot inter ſapientiſſimos Magiſtros facile Principem quo glorioſius jactant, eò acerbius ſibi præreptum dolent; cujus ingenii acumen, Juriſprudentiæ profunditatem, in extricandis difficultatum nodis difficillimis dexteritatem, in docendo perſpicuitatem, ſcientiarumque encyclopediam adeò admirata eſt Academia, ut non tam communem Præceptorem, quam Oraculum ſuſpexerit, ac devenerata ſit: Is eſt, quem moribus incorruptum, zelo flagrantem, doctrinâque eximium ſuis in cauſis Fidei Tribunal Judicem ambierit, & cooptarit: Is eſt, quem, præſtantiſſimorum hominum habito delectu pro decorando Patriarchalis Eccleſiæ Prælatorum Ordine, Auguſtiſſimus Joannes V. quia ſuo ſapientiſſimo conſilio inter primos nulli ſecundum elegerit; neque enim Aquilinam Regiæ mentis aciem is effugeret, cujus merita vel invitum, nedum optantem, ad ſui evectionem laceſſunt: Is eſt, quem prudentiſſimum, ac ſapientiſſimum à Regiis Conciliis renuntiaverit: Is demum eſt, qui ampliſſimas dignitates promereri malit, quam ambire, & obtinere, cum hoc fortunæ, *illud* geſtorum claritudini adſcribatur; quique illud, ſi quæratur, diſertiſſimi Catonis reſponſum poſſit reponere. Malo ſciciteris, quare ſtatua indonatus Cato, quam quare donatus?

Pultarch. de Viris illuſtrib.

Tanti viri præſtantia quidni opus ederet præſtantiſſimum? Veritatis amans, facti ſpeciem iis depingit coloribus, qui nudam veritatem decent forſan diſplicituram; at *his*, quibus cum rubori ſit à nuda veritate redargui, illam mendaciorum pallio aut obvolvere, aut devenuſtare ſatagunt. Mox ut primam mali labem, feracemque turbarum ſegetem radicitus convellat, (quidquid vel contra Pontificium Oraculum negata praxi hi obſtrepant, quos id fateri pudeat, quod admiſſum excuſare nequeant in peſſima cauſa peiores patroni) contra Novatorum errorem invehitur; at quo rationum pondere, qua nervoſa argumentorum ſubtilitate, quibus, quantiſque primi ſubſellii Doctorum teſtimoniis! Ut non jam in Mutinenſem Bibliothecarium, ſed in orthodoxam, & refertiſſimam Bibliothecam incidiſſe videar. Severiores, quas tenet, pro tuendo ſacramenti ſigillo opiniones is duntaxat inficiabitur, qui neſciat in re tanti momenti vel tenuiſſimam rimulam luctuoſiſſimæ ſacramenti Pœnitentiæ everſioni proludere, pro qua tantopere deſudat hæreticorum pravitas: neque ſatis naufragium præcavere, qui vel leviter hiantem phaſellum lino, piceque non obſtruat.

Multus

Multus igneuſque in retundendo Morino fortaſſe videbitur; at prudentiſſimo conſilio factum cenſeo: adverſariorum quippe Achilles, etſi Stygio liquore perfuſus multiplici talo laborans non niſi multiplici vulnere conficiendus; neque de facili in multis errans paucis refellitur: doctrinæ clava non abſcindi modo hydræ capita, ſed, ne repullularent, igne exuſtulari debuerant.

Tandem ad Muratorium, qui Pontificio Diplomate conſopitum ignem exſuflarat, quantus, qualiſque convertitur! at ea æquitate, ut dilaudata, qua pollet verborum concinnitate, libratis ad ſanctuarii pondus rationum momentis, in multis claudicantem corripiat, à veritate aberrantibus documentis inſtructum apertiſſime convincat, cavillos detegat, detractaque pacis, ac pietatis larva, qua Luſitanorum Religioni adblandiri ſtuduit, ſi non Antiſigilliſtarum erroris patronum, vel benevolum, vel gratum excuſatorem prodat; tandemque contra Eminentiſſimorum Patrum, ſacrique Areopagi authoritatem æquo licentius blaterantem graviſſimo jurium, Doctorum, ac rationum pondere retundat, enervet, & comminuat. Quod ſi aliquando aceſcente calamo, id ipſi Muratorio vertendum, non Authori, qui aptiſſimè illud Apoſtoli in conquerentem retorquere valeat: *Factus ſum inſipiens, vos me coegiſtis.* Cujus enim ſtomachum non 2. ad Corinth. 12. 11.
moveat externum hominem, nulla provocatum injuria, non modo non perpenſis, ſed nec fortaſſe lectis doctiſſimis de facto, ac jure editis diſſertationibus, vel precibus, vel fœdiori illicio abreptum in clariſſima totius Luſitaniæ lumina debacchari? Dolebit profecto, niſi ſenſus expers, Muratorius; at ei minime condolendum, qui cauſam ſuo dolori dederit: nullus quippe conquerendi locus aggreſſori eſt, ſi è pugna victus recedat, & ſaucius.

Qui ergo fieret, Eminentiſſime Domine, ut aliquid fidei, boniſve moribus adverſans hoc in opere egregio proderet Author Illuſtriſſimus, qui in ſuſtinenda Fidei Tribunalis venerabili auctoritate, ac poteſtate, in repellenda æmulorum invidia, in propugnandis omnium ordinum graviſſimorum hominum doctrina, zelo, & integritate, in ſtabiliendoque, quod nutare acerbè dolebamus, ſacramento Pœnitentiæ totus deſudat, ac feliciſſime conficit? Quare non tam prælo, quam cedro, ac Cœlo dignum opus autumo. Olyſſipone è Domo Profeſſa D. Rochi Societatis JESU 23. Aprilis anno Domini 1748.

Paulus Maurus.

CENSURA

CENSURA R. P. M. D. CAIETANI de Govea Cler. Reg. Conſultoris ſancti Officii, Trium Ordinum Militarum Examinatoris, Regiæ Academiæ Socii &c.

EMINENTISSIME, ET REV. DOMINE.

OPUS inſcriptum *Coruſcationes Dogmaticas* compoſitum ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Dionyſio Bernardes de Moraes, ſacroſanctæ Eccleſiæ Lisbonenſis Prælato, in Academia Conimbricenſi Veſperario Anteceſſore examinavi, ut mihi dediſti in mandatis. Meum de illo judicium ut breviter exponam, ſatis erit dicere, quod proculdubio omnium votis ſatisfaciet, qui jam pridem deſiderabant ab injuriis, & cavillis vindicatam videre tuam Eminentiſſimam dignitatem, prudentiam, æquitatem, & ſanctæ Inquiſitionis Tribunalis, cui digniſſimè præes, in jure dicendo ſummam integritatem: hoc Illuſtriſſimus, & literatiſſimus Author clare, copioſe, & cumulatiſſime præſtat. In arenam deſcendit cum Ludovico Antonio Muratorio, viro, licet de literarum Republica, & numero, & præſtantia lucubrationnm, quas in lucem edidit optime merito; tamen in opella, cui eſt titulus, *Luſitanæ Eccleſiæ Religio*, ſi forte ille eſt Author, veritatis non parum Deſertore. Invehitur in ſacrum Inquiſitionis Senatum, ut ſolent vel non multum orthodoxi, vel Acatholici; illum de nimio rigore inſimulat, & ipſimet Luſitanæ genti infenſum conatur oſtendere. Errorem à te juremerito profligatum, purum figmentum ab hominibus nullius fidei excogitatum judicat, quod non erubeſcit affirmare, oppoſitum aſſerente ſupremo Eccleſiæ Judice, qui eumdem errorem condemnavit, *non levi, incertoque rumore*, ſed, ut ipſemet teſtatur in ſua Decretali, Ubi primum, *ita gravibus ſolidisque fundamentis innixus, ut prudentem omnino fidem de periculi cum veritate, tum magnitudine facerent.* Hoc memorandum auſum, nemo non videt, quantum ſapiat Janſeniſmum. Sed quas Muratorius, ſeu quiſquis eſt Nebulo, tenebras offundit, ut veritatis lucem obnubilet; ſapientiſſimus Dogmaticarum Coruſcationum Author, calamum coruſcans, non ſolum diſſipat, ſed ad nihilum redigit. Qua propter præclariſſimum opus approbo, & commendo: Eccleſiæ Luſitanæque Religioni perutile, & luce publica, immo & immortalitate digniſſimum cenſeo. Dabam Olyſſipone in Ædibus Clericorum Regularium tertio Idus Maii anno 1748.

D. Caietanus de Govea, Cler. Reg.

Viſtas

V Iſtas as informaçoens, póde imprimirſe o livro, de que ſe trata, e depois de impreſſo tornará para ſe conferir, e dar licença, que corra, ſem a qual naõ correrá. Lisboa 14. de Mayo de 1748.

Fr. R. Alencaſtre. Abreu. Amaral. Almeida. Trigozo.

ORDINARII.

CENSURA R. P. M. Fr. JOSEPHI CAIETANI de Souſa in ſacra Theologia Doctoris, Ordinis Beatiſſimæ Virginis Mariæ de monte Carmeli antiquæ obſervantiæ, &c.

EXCELLENT. ET REV. DOMINE.

QUOD mihi jamdudum in votis erat, quod in ſtudiorum meorum lucrum maximè vertebatur, id præcepto tuo feliciter accepi; mihi namque vaſtiſſimam ſacræ Inquiſitionis juriſdictionem propugnanti quid commodius, jucundiusve incumbi poterat, quam *Coruſcationes Dogmaticæ*, quæ dicendi ardorem incunctanter efflagitant, ut eam, quam hucusque ſedulo navavi operam, hac utiliſſima lectione perficiam. Titulum perlegere ſat arbitror, ut totius Operis naturam præcognoſcam; à Coruſcatione lucem ſaluto; ab inſcriptione librum metior, ut à fronte; quid ergo reperiri fas eſt niſi luce dignum, ubi & convenit nomen, & à Coruſcatione exorditur? Operis Auctor ille eſt, qui meæ univerſalis Academiæ deſiderium, decusque extat æternum, immortale, qui Veſperarius ſacrorum Canonum Profeſſor, incorrupti Tribunalis Fidei integerrimus Judex, Lisbonenſis Eccleſiæ Prælatus aſſumptus patriæ, ſibique gloriam comparat interminabilem Illuſtriſſimus, Reverendiſſimus (ut omnia uno dicam verbo) Dominus Dionyſius Bernardes de Moraes; ille eſt, qui ſuopte commendatur ingenio, qui omnium laudum materiam ſuperat, cui encomia addere, decerpere eſt. Iſte ergo vir ſæculi Coruſcationes inſtituit Dogmaticas, ut contra Muratorium, aliumve hoc adumbratum nomine, integerrimos fidei Judices, queis Chriſtiana ſtabilitur reſpublica, propugnet; ut proiatæ veritatis argumenta, quibus pernicioſa revelandi ſigillum introducta probabatur conſuetudo, apertiſſimè oſtenderet, ut denique votum, juramentumque de propugnanda gratia originali Deiparam præſervante,

te, quo Academiæ utriusque Hiſpaniæ, Luſitanumque Regnum ob ſtringuntur, pium, prudensque demonſtraret. Extraneum Antiſigilliſtarum patronum pretio, precibusve coemptum adeò convincit, ut Muratorio vertatur in gloriam, quod Achillem hunc fortiſſimum Luſitanum ſibi meruerit inveniſſe victorem: ſatis inter noſtrates occulto Marte dimicatum fuerat, armis arma vel invita ceſſerant; ut quid ergo, forſan concordes animos extraneus hoſtis ſtimulat ad certamen? Qui, ut reſcinderent pœnitentiæ nodum, bellum indixerant, nec in publicum prodierant, nec bello nomen dederant, quinimmo indecoro pulvere ſordidi potius terga dare, quam facie ad faciem certare maluerunt: apparuit equidem lapis ille contradictionis, ſed abſciſum ſine manibus incedentium protivere pedes: jam decoctum fuerat quod Muratorius de novo ruminat, eructat, evomet: nos, qui tranquilla fruebamur pace, pugnæ immemores, iterum præco iſte ad certamen provocat: ubi primum Romanæ Eccleſiæ Caput, quod Deus ſervet incolume, diſſidentia membra compoſuit, omnis jurgii ratio ſedata eſt: ut quid ergo inimicus homo ſuperſeminat zizania, dum eradicatis ſentibus frumentum feliciter creverat, quando nec de abuſus origine, nec de illius vero, legitimoque judice ulla graſſabatur dubitatio? Verumtamen Muratorii inane ſtudium, infructuoſumque laborem reddidit Illuſtriſſimus Coruſcationum Auctor; *in ſimilitudinem fulguris coruſcantis* inimicum terruit, unico Coruſcationis fulgore, ſeu fulmine confuſam ſuperbiæ machinam ſolo æquavit. Muratorius aliàs de ſapientia benemeritus, dum ſibi è prælio nomen adaugere adoritur, inglorius evaſit: Mutinenſis Bibliothecæ ſtudiis deditus, fruſtra ad maiora ſe ipſo animum evexit; dum in Luſitaniam proram admovit, incidit in Carybdim; ſibi ſit gloria vinci, truncatam doleat manum, quam alienis negotiis incaſſum immiſcuit. At quia forſan ſigilli hoſtes hoc ultimo præſidio plurimum confiderant, ſemel, iterumque profligari neceſſe erat, ut multiplici victoria fracti, amplius ſuperbire deſiſtant. Hoc ſane erat ultimum hydræ caput jugulandum, ut inanime erroris cadaver putreſceret, redigeretur in nihilum. Quapropter vir iſte Illuſtriſſimus omni memorandus ævo *Coruſcationes* accelerat judicii ſui, queis, ſiquid hucusque fuerat incerto Marti relictum, nunc penitus debellaret. Sic feliciter aſſequitur, ut nihil ultra expectationi deſiderandum reſtet, quod Illuſtriſſimus Auctor non compleat, exponat, demonſtret. Ut ergo Excellentiæ Tuæ præcepto audiens, quid de opere ſentiam, aperiam, cenſeo nihil in illo reperiri Fidei, moribusve diſſonum, nihil quod Epiſcopalis dignitatis vel fimbriam prædicat, nihil non veritati conſonum, nihil non redolens dicendi elegantiam, eloquentiam, venuſtatem, nihil denique à ſuo Auctore alienum. In Lisbonenſi Carmelo ſexto Kalendas Junii anno 1748.

Doctor Fr. Joſephus Caietanus de Souſa.

Viſte

Viſta a informaçaõ, pódeſe imprimir o livro, de que trata a petiçaõ, e depois de impreſſo torne conferido para ſe dar licença para correr. Lisboa 31. de Mayo de 1748.

D. J. A. L.

PALATINI SENATUS.

CENSURA REVER. P. D. JOANNIS Euangeliſtæ, Canonici Regularis Sancti Auguſtini, in ſacra Theologia Doctoris, ac Magiſtri emeriti, ſancti Officii Conſultoris, &c.

D O M I N E.

SI aliquando nec in minimam quidem ſuſpicionem veniebam, Te mihi hanc cenſoriam traditurum virgulam; nunc profecto erat: quippe poſt emanatam Conſtitutionem *Ubi primum* Sanctiſſimi Patris Benedicti XIV. feliciter regnantis, actum jam eſſe arbitrabar de fucato æque ac fæcato opinamento circa extorſionem notitiæ complicis in Foro piaculari; ac proinde noſtratum animos pacatos hac ſuper re credebam, nec inter illos diſſidium ullum eſſe, quinimmo maximam Pontificio Diplomati reverentiam, ac ſummiſſionem judicabam.

Sed ecce, proh Deum immortalem! infelici mehercle omine, homo exterus, ergaque res noſtras cimmeriis, ut aiunt, tenebris involutus, Ludovicus Antonius Muratorius, Mutinenſis Bibliothecæ Præfectus, neſcio quo actus ſpiritu, *impoſitum cinerem, & ſopitos excitat ignes*, dum quaſi ſibi jus dicat, publici juris facit opuſculum certè comptum (dicamne coemptum?) in quo, ac ſi è tam diſſita regione in anteactæ controverſiæ teſtem ſimul legeretur, & judicem, (utinam potiùs ageret veritatis vindicem!) cum probatiſſima acta neget, miſerrimè acta agit. Et, quod maximam cordi meo cauſam doloris attulit, Luſitanæ Eccleſiæ religionem ab illata ſibi (meliùs dicerem, delatâ ab eo) injuria ſimulans defendere, ejuſdem duos nunquam ſatis laudibus extollendos Eminentiſſimos Patres, ac Purpuratos S. R. E. Principes, ſacrumque Fidei Areopagum, zelo, rectitudine, integritate pollentes, ſciens ſe aliter adoriri non poſſe, cavillis, verſutiis, ſugillationibus ſaltem impetit, aggreditur, inſectatur: *Ac veluti pleno lupus inſidiatus ovili, Sævit in abſentes.*

Virgil. Æneid. lib 8. verſ. 410

Idem lib. 9. verſ. 59. & 63.

Diſſimulandanè foret à noſtratibus Luſitanis, ritè, rectèque ſentientibus, ac juſtiſſimè mœrentibus, iſtius hominis temeritas, audacia, arrogantia? Minimè; immo potiùs deprimenda. Sed quiſnam David adverſus hunc ſuperbientem Goliath deſcenderet in arenam, exprobratumque ab eo agmen Dei Iſrael feliciter vindicaret? Quiſnam, ceu *miles coruſci ſideris*, à Muratorio denigratas, ſive obnubulatas ſacras Purpuras, prætextasque Togas, quaſi *igni coruſco nubila dividens*, ad priſtinum revocaret nitorem, ac ſplendorem? Quiſnam? niſi primus de numero Prælatorum ſacroſanctæ Lisbonenſis Eccleſiæ, Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus, pariterque Sapientiſſimus Dionyſius Bernardes de Moraes hiſce ſuis *Coruſcationibus Dogmaticis*, quas Tu meæ tenui, exilique Minervæ committis, ut earum, licet immeritus, fiam Ariſtarchus.

Boet. de Conſ. lib. 4. Metr. 1. verſ. 12.

Horat. Carmin. lib. 1. Od. 34. v. 6.

Igitur Decreto Maieſtatis Tuæ obtemperans, cenſoriamque, ac idcirco duram jam capiens provinciam, hunc librum nocturna certe verſandum manu, verſandum diurna, & manu, & mente evolvo ſimul, atque contemplor; ut illum revocans ad trutinam de eo ſenſa mea exponam. Sed, ne Tibi Laconicè præcipienti Atticè reſcribam, Chilonium dicendi modum amplector, verboque proprium judicium abſolvo.

Hoc Opus, quod quidem meritiſſimè appellari debet cœlitùs, immiſſum *jubar radiis inſigne coruſcis*, digniſſimum ſanè eſt, ut luce publica donetur; quippe quod nec per umbram in Regnum, Regnive leges peccat. Peccavit profectò Muratorius in duo Tui Luſitani Imperii, forſan Empyrei, Magna Luminaria: ſed id propter maximè commendandus eſt Illuſtriſſimus Auctor, qui Jovem imitatus, in hunc audacem Phaetontem has ſuas *Dogmaticas Coruſcationes* emittit, ſeu potiùs hæc ſua *coruſca fulmina molitur dextra*; ipſique in proximum ſibi Eridanum jam quaſi præcipiti, ſed adhuc *cunctanti telum fatale coruſcat*, *Sortitus fortunam oculis*, & quidem non ſibi ſoli ridentem, ſed Tuis etiam univerſis Dominiis; ab illis enim dehinc prorſus, ac procul aberrabit error, qui pedetentim incipiebat ſerpere, quemque Sapientiſſimus Auctor ita perficit vehementer carpere, ut jam ad ejus triumphalem coronam lauros carpere cuncti debeamus.

Ovid. Met. lib. 1. fab. 14. v. 45.

Virg. Georg. lib. 1. verſ. 328.

Idem Æneid. lib. 12. v. 919. & 920.

Age ergo, & jube, Domine, abſque ulla cunctatione huic Operi quam primum evulgando prælum maturari, ſi Tuis exoptas, quam Tibi ex animo devoveo felicitatem. Et hoc quod à me conſilium ſciſcitaris. Lisbonæ vii. Kalendas Julias, anno M. DCC. XLVIII.

D. Joannes Euangeliſta, Can. Reg.

QUe ſe poſſa imprimir, viſtas as licenças do ſanto Officio, e Ordinario, e depois de impreſſo tornará a eſta Meſa para ſe conferir, e taixar, e dar licença, e ſem eſta naõ correrá. Lisboa 26. de Junho de 1748. *Almeida. Carvalho. Mouraõ.*

Digitized by Google

ELENCHUS
MATERIARUM, QUÆ in hoc opere continentur.

CORUSCATIO PRIMA

Rationem operis oſtendit, pag. 1.

CORUSCATIO SECUNDA

Totius facti ſeriem in lucem prodit, pag. 7.

CORUSCATIO TERTIA

In varia fulmina dividitur.

FULMEN PRIMUM

Pro neceſſitate ſacramenti Pœnitentiæ reſulget, pag. 33.

FULMEN SECUNDUM

PRO arctiſſima ſacri ſigilli obligatione irradiat, pag. 37.
Quid conſtituerit Concilium Tridentinum, num. 1.
Quid Lateranenſe, num. 2.
Quid Nicænum 1. *quid Duſiacenſe*, *quid Rotomagenſe*, num. 3.
Referuntur auctoritates Clementis I. & Leonis I. num. 4.
Refertur auctoritas Gregorii VII. & Concilii Colonienſis, num. 5.
Refertur Concilium Carthaginenſe VII. num. 6.
Referuntur variæ Synodi, num. 8.
Referuntur SS. PP. auctoritates, à num. 9.
Cur de neceſſitate ſigilli apud priores Patres tantum ſilentium, num. 12.
Adducuntur rationes ad probandum ſigilli neceſſitatem, num. 18.
Variæ illationes ad varios caſus deductæ ex prædicto principio, n. 23.
Caven-

Digitized by Google

Cavendum ab opinionibus Auctorum in materia ſigilli liberius opinantium, num. 38.
Exploditur uſus notitiæ ſacramentalis cum aliquo gravamine pœnitentis, num. 40.

FULMEN TERTIUM

Doctrinam aſſerentem in veteri Eccleſia fuiſſe morem, quo peccata confeſſa ad Epiſcopum referebantur, ut ipſe publicas pœnitentias pro peccatis occultis indiceret, omnino deprimit, pag. 63.

Eccleſia in adminiſtrando ſacramento Pœnitentiæ nunquam errare potuit, num. 1.
Explicatur Pater Suarius Luſitanus, num. 2.
Memorantur AA. qui eam ſententiam propugnaſſe dicuntur, num. 5.
Canones Pœnitentiales forum externum frequenter reſpiciebant, n. 8.
Hic forus adhuc hodie viget, num. 9. & 10.
Explicantur Græci Scriptores Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, num. 11.
Refutantur Morinus, & alii illum antiquæ Eccleſiæ morem aſſerentes, num. 19.
Defenditur eximius Suarius à Morini impoſtura, num. 28.

FULMEN QUARTUM

Sententiam aſſerentem in Eccleſia veteri morem fuiſſe pro occultis delictis in foro ſacramentali publicas imponere pœnitentias omnino confundit, pag. 83.

Referuntur S. Auguſtini, & aliorum Patrum auctoritates, num. 2.
Expenduntur, & examinantur Canones Apoſtolorum, Petri Alexandrini, Gregorii Thaumaturgi, Magni Baſilii, & Gregorii Niſſeni, num. 17.
Expenduntur antiquiorum Pontificum Epiſtolæ circa eamdem materiam, num. 53.
Examinantur priorum quinque ſæculorum Concilia, & Synodi circa eamdem materiam, num. 72.
Reprehenduntur Morinus, & alii, qui hunc morem probare adnituntur, n. 101.
Prædictus uſus naturæ ſacramenti repugnat, n. 114.

Demon-

Demonſtrantur varii errores Morini circa adminiſtrationem ſacramenti Pœnitentiæ, num. 118.
Aliæ doctrinæ ejuſdem Auctoris, & ejus rationes exploduntur, num. 125.
Explicatur D. Auguſtinus ab eodem peſſime detortus, num. 131.
Explicantur alii Patres ab eodem male adducti, num. 138.
Stabilitur Coruſcatio noſtra multis DD. auctoritatibus, num. 154.

CORUSCATIO QUARTA

Contra abuſum inquirendi nomina, habitationemve complicum, & alias ſimiles circumſtantias.

RADIUS PRIMUS

Pœnitenti non licet perſonam complicis, aut alicujus jus tertii peccatum manifeſtare.

Referuntur Synodi id prohibentes, num. 1. *& Auctores*, num. 2.
Peccat pœnitens, ſi abſque juſta cauſa complicem prodat, num. 7.
Refelluntur Morinus, & omnes alii contrarium ſentientes, num. 8.
Quantum diſtet denuntiatio judicialis, ſive Euangelica à delatione complicum in confeſſione, num. 41.
Notatur propoſitio Morini, ſcilicet, pœnitentiam publicam neceſſariam eſſe ad vitam æternam conſequendam, num. 61.

RADIUS SECUNDUS

Limitationes, & opiniones varias circa materiam vel illuſtrat, vel diſſipat.

Reſpuuntur utilitates, quas Morinus conſiderat in denuntiatione complicum, à num. 1.
Quæſtio eſt anceps, an Confeſſaſſarius de licentia pœnitentis uti poſſit notitia in confeſſione habita, num. 5.
Licentia pœnitentis debet eſſe libera, & ſpontanea, & ex juſta, neceſſariaque cauſa, nec Confeſſarius uti debet data licentia, niſi urgeat maxima neceſſitas, num. 6.
Refellitur doctrina Morini, & explidantur DD. ab eo adducti, à num. 7.
Afferuntur DD. aſſerentes non licere Confeſſariis uti prædicta licentia, à num. 10.

Utrum, & quando teneatur pœnitens declarare complicem, ſi ea declaratio neceſſaria ſit ad integritatem confeſſionis, à num. 24.
Quoties complicis, aut tertii fama periclitatur, ipſe non eſt revelandus in confeſſione, à num. 30.
Licet aliquando pœnitentibus licitum eſſe poſſit declarare complices; attamen per viam regulæ id non licet, & multo minus ad finem correctionis, à num. 35.

RADIUS TERTIUS.

Aliquas doctrinas P. Pauli Antonii Gabrielis, & cujuſdam ejus defenſoris omnino deſtruit.

Pœnitens non tenetur præſtare licentiam ad uſum notitiæ confeſſionis neque ad id cogi poteſt, num. 2.
Examinatur generalitas propoſitionis dicti P. Pauli Gabrielis, à n. 3.
Talis propoſitio quodammodo eſt contraria Conſtitutioni S. D. N. Benedicti XIV. num. 9.
Refellitur Muratorius in ſuo cap. 3. §. Immo, num. 11.
Exploduntur aſſerentes peccata imprudenter in confeſſione declarata ſub ſigillo non cadere, num. 12.
Maiorem deformitatem continet inquirere peccata tertii, quam complicis, num. 15.
Refellitur Theologus quidam aſſerens Conſtitutiones S. D. N. odioſas eſſe, à num. 16.
Retunditur alia propoſitio ejuſdem P. Pauli Gabrielis, à num. 23.
Oſtenditur eam propoſitionem Conſtitutionibus Suprema, *&* Ubi primum *quodammodo adverſari*, à num. 35.
Confeſſarius regulariter non tenetur in ſe ſuſcipere onus correctionis fraternæ à pœnitente faciendæ, à num. 74.

RADIUS QUARTUS

Praxim introductam interrogandi complices omnino comminuit, conterit, ac incendio conſumit.

CORUSCATIO QUINTA

Sanctæ Inquiſitionis Luſitanæ fundatam juriſdictionem ad prohibendam prædictam erroneam praxim, puniendoſque ejus aſſertores clariſſima luce perfundit.

RADIUS

RADIUS PRIMUS.

Aliquas doctrinas Muratorii, de quibus in ſuo libro de *Moderatione Ingeniorum in Fidei negotio*, omnino deſtruit.

Reprehenditur ejus in ſanctum Officium dicendi libera facultas, à n. 1.
Refellitur dum aſſerit ad fidem nullatenus attinere hanc propoſitionem: Hic, aut ille Romanus Pontifex eſt verus Romanus Pontifex, num. 5.
Probatur iſtius propoſitionis veritas, num. 7.
Retunditur Muratorius aſſerens non eſſe de fide omnem Pontificem rite electum eſſe verum Romanum Pontificem, à num. 16.
An S. P. ſit infallibilis in canonizatione Sanctorum contra Muratorium id negantem, à num. 25.
S. P. ut Doctor univerſalis non poteſt in Fide errare, nec unquam erravit, à num. 29.
Electio Summorum Pontificum eſt modus in Scripturis expreſſus, & per traditionem acceptus, à num. 37.
Oſtenditur contra Muratorium, judicium Eccleſiæ non eſſe fallibile, circa mentem, animumque illius, qui aut ſanam, aut noxiam edocet doctrinam, à num. 45.
Quid de Origene dicendum, à num. 54.
Quid de Theodoreto, Abailardo, Gotheſcalco, & Abbate Joachimo, à num. 57.
Quid de Summo Pontifice Honorio I. à num. 61.
Eccleſia in rebus fidei definiendis nunquam verbis ambiguis uſa fuit, à num. 69.
Quanta differentia ſit inter hanc theſim: Unus de Trinitate paſſus eſt, *& aliam*: Unus de Trinitate in carne paſſus eſt, num. 70.
De voce Houmoſion, à num. 72.
Defenditur à calumnia Muratorii S. P. Zozimus, num. 77.
Exploduntur quæ Muratorius congerit circa propoſitiones, & ſenſum Janſenii, à num. 78.
Refellitur cum ait Eccleſiam infallibili judicio non fulciri, cum alicujus Doctoris catholicum ſenſum declarat, num. 84.
Iterum refellitur dum aſſerit ad Fidei dogma non attinere, quod Arius, Lutherus, Calvinus, & alii ſimiles hæretici fuerint, n. 85.
Iterum refellitur circa ea, quæ de Janſenio ſcribit, num. 86.
Iterum refellitur dum oſtendere nititur fallibilitatem Eccleſiæ in damnandis privatorum librorum ſenſibus, num. 87.
Oſtenditur ſperari non poſſe, ut aliqua propoſitio ſemel ab Eccleſia damnata poſtea definiatur ut vera, vel è contra, num. 88.

**** *Quid*

Quid dicendum de Ibæ epiſtola, & Theodoreti capitibus, ac Concilio Chalcedonenſi, à num. 89.

Quid ſentiendum de obſequioſo ſilentio, quod Muratorius proteſtatur, à num. 93.

Examinantur, quæ ſcribit circa venerationem Sanctorum, & ſacrarum imaginum, & reliquiarum, ac Dei cultu externo, n. 102.

Ad examen revocantur regulæ, quas ipſe ad dirigendos Cenſores Eccleſiaſticos conſtituit, à num. 104.

Defenditur immaculata Virginis Deiparæ Conceptio, votumque de ea ſemper defendenda, à num. 130.

RADIUS SECUNDUS

Comminuit quæ Muratorius falſiſſime inſtructus in ſuo cap. 4 aſſerere non dubitavit.

Muratorius de veritate ſuſpectus, quia nihil ſcire potuit, niſi quod à ſuis conductoribus acceperit, num. 1.

Negat facti certitudinem, atque in S. P. audet, num. 2.

Querelæ ad S. P. delatæ fuerunt poſt ſuam Conſtitutionem Suprema, num. 3.

Muratorius clientes ſuos, dum pro eis ſcribit, in maius famæ periculum adducit, num. 4.

Quæ diligentiæ ab ipſis factæ ſint, num. 5.

Quid dicendum de origine excitati turbinis, *quam Muratorius ex alieno ore confingit*, num. 6.

Reſpuitur dum aſſerit fidem datam fuiſſe accuſatoribus non fide dignis, num. 8.

Oſtenduntur mendacia, quæ interſerit, à num. 9.

Refelluntur querelæ ad S. P. delatæ, à num. 12.

Alia revincuntur mendacia, à num. 15.

Quomodo in Luſitania ſuſcepta fuerit Pontificia Decretalis Suprema, à num. 17.

RADIUS TERTIUS

Circa onus denuntiandi Confeſſarios lucem emittit.

Poſt Conſtitutionem Ubi primum *liberi ſunt pœnitentes ab onere denuntiandi*, à num. 1.

Quid ante illas poſſent ſuperiores circa prædictum onus, & quid ſentiendum de jure naturali late, à num. 4.

Obligatio

Digitized by Google

Obligatio denuntiationis multoties datur etiam cum gravi incommodo denuntiantis, à num. 14.

Superiores poſſunt ſubditos præcepto adſtringere ad id ipſum, ad quod quiſque aliquo jure obligatur, à num. 21

Diſſolvuntur auctoritates à Muratorio adductæ, num. 24.

Mulieres ſolicitatæ, etiamſi conſentiant, ad denuntiationem tenentur, num. 25.

Confeſſarius ſolicitans, ſi ei confiteatur ſolicitata, tenetur eam monere de obligatione denuntiationis, à num. 26.

Impedimentum matrimonii debet detegi etiam ab eo, qui impedimento in cauſa fuit, num. 27.

Reprehenditur Muratorius circa multa, quæ congeſſit audacter in ſuo cap. 8. à num. 28.

In crimine interrogandi complicum nomina eodem modo procedendum eſt, ac in crimine ſolicitationis, ac juxta formam, de qua in Conſtitutione Ubi primum, num. 40.

Nulla legitima excuſatio à Confeſſariis prætendi poteſt ad colorandam complicum inquiſitionem, num. 45.

Iterum reprehenditur Muratorii in ſanctum Officium audacia, à num. 47.

RACIUS QUARTUS

Plus Eminentiſſimorum Cardinalium fidei adhibendum eſſe, quam cæteris atteſtationibus demonſtrat, deſtruitque caput 5. Muratorii.

Pontifex Maximus plus detulit atteſtationibus Cardinalium, quam cæteris, num. 1.

Referuntur aliquæ Sanctiſſimi epiſtolæ ad Eminentiſſimum Inquiſitorem Generalem, à num. 2.

Exploduntur futilitates, & mendacia Muratorii circa hanc materiam, à num. 6.

RADIUS QUINTUS

Praxim interrogandi complices, & cogendi pœnitentes ad eos detegendos illicitam ſemper fuiſſe, clariſſime demonſtrat.

Id conſtat ex Pontificiis Conſtitutionibus, num. 1.

Propoſitio, ſeu doctrina aliqua à Pontifice damnata ſemper, &

Digitized by Google

omni tempore illicita fuit, nec ideo mala, quia prohibita, ſed prohibita, quia mala, num. 2.
Pontifex Maximus reprobando dictam erroneam praxim nihil novum conſtituit, ſed quod jam apud DD. commune erat, ſua Conſtitutione certum reddidit, num. 3.
Ad Fidei Tribunal ejus criminis cognitio ſpectat, d. n. 3.
Referuntur Auctores, à num. 4.

RADIUS SEXTUS

Injuſtas Epiſcoporum querelas, & Muratorium earum patronum diſſipat, & confundit.

Quid antecedenti ſæculo fecerint Epiſcopi, ut Fidei Tribunal defenderent, num. 1.
Quid Belgio acciderit ex contradictione Epiſcoporum, ibidem.
Ordinarii judices in Fidei Tribunal nihil auctoritatis, aut juriſdictionis habent, à num. 3.
Quomodo intelligendum ſit, quod Epiſcopi Apoſtolis ſucceſſerunt, à num. 4.
Epiſcopi non tam attentarunt in Fidei Tribunal, quam in Pontificem Maximum, à num. 7.
Non ſunt ſequendi ſuperiores, ſi quandoque contingat errare, n. 9.
Quid Inquiſitores poſſint in Hiſpaniis, à num. 10.
Quomodo Epiſcopus in ſua Diœceſi ſit ordinarius Inquiſitor, n. 15.
Expenduntur Decreta Urbani IV. Bonifacii VIII. & Clementis VIII. num. 17.
Expenditur Decretum Clementis V. & referuntur DD. à num. 18.
Rejicitur Muratorius, à num. 20.

RADIUS SEPTIMUS

Muratorium ferit, & oſtendit Fidei Tribunal ſuo jure poſſe damnare propoſitiones, & teneri fideles ſuo præcepto obedire, dum aliud à ſancta Sede non decernitur.

Plus erravit Muratorius, quam Beguardi, num. 1.
Quæ, & quanta ſit Inquiſitorum auctoritas, ac delegata juriſdictio, à num. 2.
Referuntur multa Pontificum indulta, ibidem.
Fidei Tribunal conſuetudine juriſdictionem acquirere valet, num. 3.
Repre-

Reprehenditur textuum allegatio à Muratorio non rite facta, ibid.

Omnes cauſæ ad Tribunal Fidei ſpectantes à ſupremo Inquiſitionis Concilio ſunt definiendæ, quin ad ſanctam Sedem recurſus admittatur, num. 4. *ubi ſpecialia ad id indulta referuntur.*

Sanctum Officium non ſolum poteſt circa jam damnatas propoſitiones juriſdictionem exercere, ſed etiam alias erroneas, temerarias, &c. prohibere, à num. 5.

Nihil novi conſtituit Fidei Tribunal, quod antea à Theologis non inveniretur ſtabilitum, à num. 22.

RADIUS ULTIMUS.

Reprehenditur Muratorii temeraria detractio, num. 1.

Refertur ſancti Officii edictum, & redarguitur Muratorius, num. 2.

Refertur Conſtitutio Ubi primum, *edicto conformis*, num. 3.

Irridentur ineptiæ Muratorii circa idem, à num. 4.

Quæ ſint maiores cauſæ S. Pontifici reſervatæ, & circa hoc exploditur Muratorius, à num. 16.

Retorquetur in eum reſolutio Clem. Multorum de Hæretic. n. 23.

Exploditur caput 10. *Muratorii, & ſummatim refertur omne factum*, num. 24.

Quo tempore ad ſanctam Sedem recurſus factus fuerit, num. 25.

Refutantur varia Muratorii aſſerta minus vera, à num. 28.

Conferuntur S. P. Conſtitutiones, ſancti Officii edicta, & Antiſtitum Paſtorales, à num. 29.

Irritum, & inane eſt quidquid contra ſancti Officii attentatur, etiam per recurſum ad Sedem Apoſtolicam, num. 33.

Revincuntur multa futilia, artificioſa, & mendoſa Muratorii aſſerta, à num. 35. *uſque ad finem.*

FIDES

Digitized by Google

FIDES ERRATORUM.

OPtaveram ſane opus hoc ſine aliquo mendo in publicum edere, ſed partim ob mei ipſius in ſcribendo celeritatem, partim ob Correctoris inadvertentiam, partim ob Typographi incuriam, vel demum ob brevitatem, qua, iſtas Coruſcationes publici juris factas permulti concupierant, id aſſequi è ſuperis datum non fuit. Aliis curis diſtentus correctioni invigilare non potuit. Cum autem poſt editum librum, eum reviderem, dolui profecto grammaticalibus erroribus conſpurcatum, quos emendare curavi. Neque tamen dubito alios prætetiiſſe, quippe libri Auctor nequaquam accuratiſſimus expurgator ſolet eſſe: quos tamen correctionem effugiſſe conſtiterit, benignus lector condonabit.

Pag. 12. *lin.* 11. inipugne - impune, *pag.* 13. *lin.* 25. abolirl - aboleri, *pag.* 14. *lin.* 25. pura - puri, *pag.* 24. *lin.* 10. attendilibe - attendibile, *pag* 26. *lin.* 11. definere - definire, *pag.* 29. *lin.* 17. legendam - legendum. *Ibidem lin.* 30. conſoni - conſonos, *pag.* 31. *lin.* 34. prætio - pretio, *pag.* 33. *lin.* 7. ejus neceſſitatem - de ejus neceſſitate, *pag.* 34. *lin.* 2. anathemam dixit negantem - anathema dixit neganti, *pag.* 36. *lin.* 23. involueris - involucris. *Ibidem lin.* 30. Hur - Hus, *pag.* 38. *lin.* 9. anathemamque dicit eſſe - anathemaque dicit ei. *Ibidem lin.* 18. decernit - decernitur, *pag.* 45. *lin.* 14. Daminus - Damianus. *Ibidem lin.* 15. X. - XI. *Ibid. lin.* 16. Alexander XI. - Alexander II. *pag.* 46. *lin. pen.* tulliſſe - tuliſſe, *pag.* 48. *lin.* 6. multaque - multa quæ, *pag.* 51. *lin.* 29. viſo - viro, *pag.* 57. *lin.* 4. cavillabatur - cavillabantur, *pag.* 63. *lin.* 4. didiſcerunt - didicerunt, *pag.* 67. *lin.* 3. intelligamur - intelligamus, *pag.* 72. *lin.* 30. conſendus - cenſendus, *pag.* 77. *lin.* 27. cum - eum. *Ibid. lin.* 38. ob - ab, *pag.* 79. *lin.* 9. nunc diſputo - nunc non diſputo, *pag.* 84. *lin* 25. elaboret - elaborent, *pag.* 92. *lin.* 33. addiſcebat - addicebat, *pag.* 94. *lin.* 32. illum - illud. *Ibid. lin.* 35. excluſa - excluſam, *pag.* 99. *lin.* 20. ſtatuentas - ſtatuentes, *pag.* 102. *lin. ult.* Crederemos ſanctiſſimus - Crederemus ſanctiſſimos, *pag.* 103. *lin.* 28. noverea - noverca, *pag.* 104. *lin.* 38. praterquam - præterquam. *Ibid. lin.* 43. currandum - curandum, *pag.* 107. *lin.* 29. epiſtoia - epiſtola. *Ibid. lin. ult.* indulgenti - indigenti, *pag.* 108. *lin.* 11. loculentius - luculentius, *pag.* 110. *lin.* 30. concervant - coacervant, *pag.* 116. *lin.* 39. ſit - ſic, *pag.* 119. *lin.* 32. ctedo - credo. *pag.* 122. *lin.* 12. vigintiduo - viginti duobus. *Ibid. lin. ſeq.* converſi & recogniti - converſis & recognitis, *pag.* 132. *lin.* 34. deducit - deducere, *pag.* 134. *lin.* 24. Fernando - Ferrando, *pag.* 135. *lin.* 24. qua - quo, *pag.* 136. *lin.* 34. poſiti videmus - poſiti non videmus, *pag.* 139. *lin.* 15. genia - ingenia. *Ibid. lin.* 32. rimavit - rimatus eſt, *pag.* 146. præceptam - præcetum, *pag.* 147. *lin.* 29. pœnitentiam - pœnitentem, *pag.* 148. *lin.* 31. nullæ - nulli, *pag.* 151. *lin.* 9. etnicum - ethnicum, *pag.* 152. *lin.* 10. remotos - remotas, *pag.* 154. *lin.* 6. damnatus - damnatas, *pag.* 155. præſtringamur - præſtringamus, *pag.* 157. *lin.* 23. Fringingenti - Frigingenſi. *Ibid. lin.* 26. per - par, *pag.* 159. *lin.* 17. ſi - ſibi. *Ibid. lin.* 24. injungerat - injunxerat. *Ibid. lin.* 40. curandas - curandos, *pag.* 160. *lin.* 2. legantur - leguntur. *Ibid. lin.* 29. ineſcrutabili - inſcrutabili. *Ibid. lin.* 30. ex aure fundatum - ex aere formatum. *Ibid. lin.* 33. crimine - crimina. *Ibid. lin.* 34. auditiona - auditione. *Ibid. lin. pen.* quæ - quas. *Ibid. lin. ult.* quæ hæretici, quæ infideles - quas hæretici, quas infideles, *pag.* 164. *lin.* 36. præſepe - perſæſe, *pag.* 170. *lin.* 6. poterant - poterat, *pag.* 194. *lin.* 26. tenetur - tenentur, *pag.* 105. *lin.*

lin. 34. degendus - detegendus, *pag.* 200. *lin.* 5. quod Epiſcopus - quod ab Epiſcopis. *Ibidem lin.* 6. ut delicta - ne delicta, *pag.* 207. *lin.* 21. etiam ſe - etiamſi. *Ibid. lin.* 34. aliquibus - aliquos, *pag.* 209. *lin. pen.* contracto - contractum, *pag.* 210. *lin.* 29. ſolæ - ſoli, *pag.* 219. *lin.* 27. detegerunt - detexerunt, *pag.* 234 *lin.* 19. commendatiis - commendatitiis, *pag.* 237. *lin.* 34. aperiendus - declaraturas, *pag.* 244. *lin.* 22. aureque - aureeque. *Ibidem lin.* 26. ſua - ſuus, *pag.* 250. *lin.* 34. ſcribentis - ſcribens, *pag.* 258. *lin.* 25. ſe - ſibi, *pag.* 300. *lin.* 11. ſolæ - ſoli, *pag.* 301. *lin.* 33. famæ periclitentur - fama periclitetur, *pag.* 302. *lin.* 1. reddet - reddat, *pag.* 304. *lin.* 29. ultimo - ultimum, *pag.* 305. *lin.* 27. & quod ſi - etii, *pag.* 316. *lin.* 26. qui - quem, *pag.* 351. *lin.* 13. Hæc - Hac, *pag.* 358. *lin.* 4. ſederit - ſederat, *pag.* 374. *lin.* 23. Ariani - Ariano, *pag.* 386. *lin.* 37. damnandi dictas quinque propoſitiones - damnandis dictis quinque propoſitionibus, *pag.* 400. *lin.* 33. aliis - alia, *pag.* 404. *lin.* 36. continat - continet, *pag.* 426. *lin.* 31. incertum - incertam, *pag.* 445. *lin.* 16. aſpernabant - aſpernabantur, *pag.* 462. *lin.* 3. advocarunt - advocatum, *pag.* 473 *lin.* 7. quæ - qui, *pag.* 475. *lin.* 29. hæc - hæ, *pag.* 488. *lin.* 3. Diœceſi - Diœceſibus, *pag.* 489. *in titulo* pœnitentis - pœnitentes. *Ibid. lin.* 8. deſiderari - deſiderare, *pag.* 490. *lin.* 26. utile - utilem, *pag.* 495. *lin.* 37 ſcientiæ - ſcientia, *pag.* 496. *ad marginem in fine*, Perg. - Pouget, *pag.* 498. *lin.* 15. potuit - poſuit. *Ibid. lin.* 16. ſolem - ſolum, *pag.* 512. *lin.* 12. cenſura in novis - cenſuram novis, *pag.* 518. *lin.* 1. lib. - L. *pag.* 519. *lin.* 4. ſi nos - ſi eos, *pag.* 537. §. 4. *lin.* 6. habere - haberi.

CORUS-

CORUSCATIONES DOGMATICÆ,

QUIBUS ANTISIGILLISTARUM SECTA exploditur, ejuſque Patroni confunduntur.

CORUSCATIO PRODOMA.

Rationem operis oſtendit.

APPARUIT tandem poſt anni curriculum expectata diu, atque ab Antiſigilliſtis anxiè conquiſita angariati hominis, ſeu conducti Ariſtarchi Mutinenſis opella, quam Heraclitus ploraret, Democritus rideret, aut irrideret Hippoclides. Potiùs diceres redditibus eccleſiaſticis coemptam ſatyram, ſive libellum infamatorium mendaciis plenum, convitiis ſcatens, atque vel falſis, vel detortis doctrinis ſub laconiſmo ſparſis abundanter refertum. Quid tamen aliud poſſet exterus ſcriptor de lucro captando agens, enixe rogatus, & ſiniſtris, doloſiſque informationibus inſtructus, niſi blaterare, effutire, atque id, quod neque vidit, neque ab aliis, quam ab ipſis errorum conſciis didicit, veluti ex tripode decernere? Mira profectò hominis audacia! Quippe qui à Luſitania noſtra longe diſſitus, quid actum in ea ſit, veluti ſi oculatus teſtis adeſſet, in totius orbis theatrum evulgare non reformidat. Conſultius ſe haberet, ſi bibliothecæ præfecturæ totus incumberet, & potius Bibliotaphum ſe gereret, quam rei ignarus bible-

A ret,

ret. Oh, ſi ipſe Portugalliæ Provincias, & Algarbiorum regnum excurreret, ſi ultramarinas ditiones viſitaret, quanta ſuismet oculis conſpiceret, quanta (vellet, nollet) audiret, quibus permotus palinodiam libentiſſime caneret, & evidenter convictus ſe ipſum falſiſſimi criminis reum profiteretur! Levitati igitur, ſeu effrænatæ licentiæ tribuendum erit, quod effervéſcente æmulationis æſtu, atque lenocinante, ſive hallucinante ambitu in ſanctæ Fidei prudentiſſimum Tribunal, in ejus reverendum, colendumque maximè Generalem Inquiſitorem, S. R. E. Cardinalem, ejusque doctiſſimos, incorruptiſſimosque Conſultores atram bilem, quam ex inquinatis fontibus biberat, audentius evomat atque optimorum virorum, qui fidei, religionis, ac ſacramenti cauſam defendendam ſuſceperunt, præſtantiſſimas elucubrationes diris confixionibus inſectetur, ac veritate, communi bono, ſacrisque legibus deſpectis, & propria conculcata conſcientia Theonino pluſquam dente corrodat.

Id prima libelli fronte (ut ſub bracteis aureis Sinonis fraus virulentior delitéſcat) legendum offert, Luſitanam ſcilicet religionem in adminiſtrando Pœnitentiæ ſacramento, ac ſuper hac re ſanctiſſimi Patris Domini noſtri Benedicti XIV. Pontificis Decretalem propugnatam. Pro utraque parte ſupervacaneus fuit labor ſuus; æquo tamen animo ſuſtinendus, ſi mens non læva fuiſſet. Quis credet, ſi non hebeſcat, eum ſic Luſitanæ gentis, Luſitanæ religionis, Luſitanæ virtutis amore inardeſcere, ut ejus cauſam, nulla alia impellente ſuggeſtione, ſibi ſumpſerit protegendam? Portugalliæ fides, religio, in Eccleſiæ ſacramenta devotio Mutinenſi non egent defenſore. Ipſa firma, ſtabilis, ac veluti immota rupes, etſi tot agitentur vortices, inconcuſſa reſiſtit, omnesque irrequieti fluctus, quos moverat imprudens Eurus, franguntur inanes. Luſiadum gloria hæc eſt nullo unquam tempore interitura, ut fidem, pietatemque inconvulſas retineat indefectibili ſummæ veritatis verbo, ac ſacratiſſimis Redemptionis ſignis oppignoratas. Optimos habet Luſitania orthodoxos Atletas pro incorrupta ſacramenti adminiſtratione uſque ad ſanguinis effuſionem dimicaturos; redundat Muratorius.

Hoc nimium doluerunt, adhucque dolent pernicioſiſſimæ praxis, quæ ſerperat, introductores: hincque, cum detegi reformidarent, omnem lapidem moverunt, ut res omnis in obſcuro reponeretur; & adhuc innocentiæ larvam aſſumere, ac ſe veri dogmatis aſſeclas nituntur perſuadere, atque extraneum ſuarum virtutum advocare prædicatorem. Invenerunt ſuæ indoli aptum, nimiumque credulum; qui dum huic muneri, ſeu oneri ſuppoſuit humeros, deteriori pondere cecidit oppreſſus; ut enim, quos minime novit, innocentes inducat, Fidei Areopagum polluit, ejus Conſultores coinquinat, pro vera doctrina

ſcribentes

ſcribentes deprimit, Eminentiſſimos Cardinales laceſſit, atque domeſticas diſſenſiones, ut plurimum ad Romanam ſedem invectas, ſcriptionibus ſuis per univerſum terrarum orbem ad injuriam vigilantiſſimi, prudentiſſimique Tribunalis ſpargit inconſulte, immoderateque nimis, & veluti ſi dixiſſet Socrates, aut Delius reſponderet, rem, cujus teſtis eſſe non poteſt, ſuo ſolum judicio præſumit definire. Verum enim vero qui potiori jure accuſandi, reprehendendive ſunt? An Purpurati Principes, qui pro munere, vigilantiaque ſua, teſtante id prima Sede, eradicando damnoſo abuſui invigilarunt; an eorum æmuli, qui reſtiterunt? An ii, qui pro vero dogmate, pro recta ſacramenti adminiſtratione pugnant, religionem incontaminatam ſervare ſtudent, & erroris fautores, quotquot, qualeſque ſint, arguere non reformidant; an vero iſte eos protegens, quos Fidei Tribunal rectiſſime condemnat, univerſi regni ordines incuſant, integræ religiones doctiſſimis viris refertæ inſimulant, & ingeniorum feraciſſima Conimbricenſis Academia non probat? Id prudentes rerum arbitratores æſtimabunt. Identidem ſanctiſſimi Domini noſtri Decretales conſtitutiones Mutinenſi propugnatore non indigent. Nullus eſt noſtrum, qui veritatem tuemur, quibus Decretales illæ non placeant, nullus, qui oppugnet, nullus, qui ad ejus explicationem tergiverſationibus indulgeat. Reveremur omnes, amplectimur cuncti, atque flexo poplite deoſculamur. Illi potius contemptui habuere, ac ſiniſtre interpretati ſunt, quorum ſcriptor iſte inexpiabile crimen diluere molitur, ac pro modulo ſuo imitatur.

Illud quoque non diſſimulandum puto, quod adulterinos Antiſigilliſtarum fœtus in ſuos adoptaret, atque Ixion alter eamdem jam ſæpius agitatam verſare rotam non erubeſceret: ſi etenim hanc fabellam ſuam cum altera anonyma (quam Diſſertatio, cui titulus patrio idiomate *Criſol Critico* comminuerat) comparemus, inveniemus profecto omnia ibi inſulſe, erroneeque ſcripta ad unguem tranſcripſiſſe; ſolumque ex propria penu methodum quidem claram, ſtylumque plane comptum inſumpſiſſe. Cum tamen poſt varias circa præſentem quæſtionem elaboratas elucubrationes in publicum prodierit, eaſque verbo tenus laceraverit, boni Pancatriſtæ ratio poſtulaverat, ut oppoſita fundamenta diſſolveret; non vero jam tritas, & protritas crambes recoqueret ad nauſeam, atque ad id jam pene extinctas inſufflaret prunas, incendiumque foveret.

Si tamen condonandus non eſt mercenarius inſcriptor, quia munere, iteratiſque precibus invitatus, quia falſis informationibus inſtructus; an indulgendi ſunt, qui invitarunt, qui minus veris informationibus inſtruxerunt? *Sed ſi reus, qui fecit*, (inquit ad aliud intentum Auguſtinus) *licet invitus, illi innocentes, qui coegerunt, ut faceret? Nullo modo.* Regula notiſſima juris eſt, actum potius tribui

 mandanti,

mandanti, quam exequenti. Gravioris igitur criminis rei poſtulari debent, qui ſimilia in lucem publicam edere cogitaverunt, & conſequuti ſunt. Quo animi vitio laborent iſti, quicumque illi ſint, ipſummet factum abunde declarat; ſecundum enim juris principia, extrinſecus actus intrinſecum animum probat, ejusque qualitas, quæ ſit intentio, demonſtrat. Maxima quidem cæcitate ducuntur homines iſti: quo enim magis his edendis ſcriptionibus inſudant, eo plus, atque plus irrequietos, turgentesque animos ſuos oſtendunt apertiſſime. Auſi non fuerant contra fortiſſimos dimicatores dogmata ſua ſub inſidiis ſparſa aperta fronte defendere, neque viribus æquis id poterant, neque in Regno invenerunt, licet exquirerent, qui contra apertam veritatem tam arduum moliretur opus. Stimulabat tamen propriæ, quam læſam judicabant, exiſtimationis amor: vindictæ ſtimulus pungebat: in Fidei Tribunal conceptum ſemel odium, cujus adhuc multæ emicant externæ ſcintillæ, acriter incitabat ad prælium. Quid ergo? Nos non decet (fortaſſe meditabantur) apertum indicere bellum, ſtatim enim tota machina ruet: inter noſtros nullus eſt, qui gladium metiri valeat, quin negati criminis prodatur reus. Quæramus igitur exterum defenſorem, qui apud cæteras nationes ſuſpectus non habeatur: ſuggeramus illi noſtrorum virtutes, zelum, charitatem, ſtabilitamque opinionem, ut ipſe noſtram juſtitiam deprædicet, noſtram cauſam tueatur, noſtram rectam in adminiſtrando ſacramento Pœnitentiæ Doctorum ſententiis conſonam rationem evulget, ſatyras (ut vocant) in nos ſcriptas condemnet, atque ſancti Officii juriſdictionem impugnet, interimque nos, ut iſtius rei ignari, & veluti innocentes, noſtras lavare manus jure poſſimus.

Sed ad quid hæc nova machinatio? Hujus fraudulenti ſtudii qui finis, qui ſcopus? Fidei Tribunal graviter offenſus non acquieverat? Non ſilebamus omnes? Non jam res omnis fuerat definita? Non cuique datum, quod ſuum erat, nunquamque fuerat ademptum? Certe ſanctiſſimus Pater triplici conſtitutione ſua, veluti validiſſimo tridente æquora commota jam ſedaverat, cunctusque procellæ ceciderat fragor: redierat ſerena dies, nec ultra irrequietus contentionum turbo progrediebatur: ſacramenti perturbata ſecuritas iterum reſtituta inenarrabili lætitia omnium fidelium animos perfundebat. Cur ergo iterum novus excitatur Aquilo? Cur nos iterum ad certamen provocant? Cur jam deciſis quæſtionibus iterum latiſſimus aditus aperitur? Cur? Quia diſcolis animis pacis tranquillitas non placet: quia adhuc illatæ injuriæ concepta opinio conquieſcere non ſinit: quia adhuc fluctuat ira, & neſcia vinci exæſtuat intus: quia manet alta mente repoſita ſugillatæ, ut putant, opinionis vindicta; & ut ſibi, ſuæque famæ per fas, & nefas proſpiciant, incorruptum, rectum, ac venerabile

rabile Luſitanum Fidei Tribunal (licet id hæreticis malo exemplo ſit) ambitionis, injuſtitiæ, iniquitatis, & pravæ intentionis reum accuſent, & quibus poſſint artibus, quibus valeant improperiis ſugillent, dedecorent, & apud exteras nationes opprobrio afficiant.

En hercle, ſi rem profundius rimemur, quo tendit opella illa ſ. ſpecioſo titulo colorata. Quippe quæ nulla facunda, aut fœcunda, ſed exili, tenuique, nulla pacatrice, ſed pugnaci inſpirante Minerva, non nova aliqua ad ædificium fundamina jacit, ſed vetera congerit cæmenta, & corroſos jam lapides coarcervat. Nihil, quod ad doctrinam ſpectet, attingit, quod in editis elucubrationibus abunde ſcriptum non inveniatur. Nihil,quod contraria argumenta diſſolvat, tetigiſſe dicendus eſt. Brevitati conſulens aliquas prius propoſuit regulas in quocumque Moralis doctrinæ libro paſſim obvias, eaſque ad intelligentiam eorum, quæ dicturus erat, ſummatim præmittere conſtituit; quod quidem nullatenus reprehendimus, ſed laudamus. Ipſæ tamen regulæ, quibus ſparſis præludit ad pugnam, ſuoſmet efficacius redarguunt clientes; quibus non eos ad unguem ſervare canones mos erat, ſed emendicatis emendandorum complicum prætextibus in contrarias abire ſententias, ut in pernicioſos erumperent abuſus. His præjactis, totus in eo eſt, ut rei ſtatum minus fideliter referat, introductam praxim neget, Antiſtitum Regni juſtitiam defendat, ſanctum Fidei Tribunal redarguat, atteſtationes ab Eminentiſſimis Cardinalibus ad Romanam Sedem miſſas, falſas, ac metu reverentiali extortas dicat; contrarias vero ut omni fide dignas approbet: Eminentiſſimum Cardinalem da Cunha decrepitum, & à Conſultoribus ſuis deceptum affirmare non reformidet; ejuſdem Tribunalis, ſeu potius ſacri ſigilli defenſores, odio virtutis inquinatos aſſerat, atque, quod perverſitatis ſummum genus eſt, eorum exiſtimationi non parcat, quaſi alienæ diſpendium ſuorum clientum lucrum reputet.

Hæc eſt à capite quarto uſque ad finem totius ſcriptionis materies. Quam vero hæc omnia inania, quam futilia, quam falſa ipſa facti ſpecies abunde demonſtrat. Etſi vero ad refellenda, ac enervanda, quæ refricantur argumenta, ſcriptæ pro defenſione ſacramenti diſſertationes ſatis, ſuperque rationum momenta ſuppeditent; attamen, ne aliqua minus tuta opinio umbratilibus ſubnixa fundamentis adhuc aliquorum mentibus infixa profundiores radices agat, & incautis vera exiſtimetur, operæ pretium erit, latentes inſidias pandere, dementatas vires infringere, falſas aſſertiones redarguere, & rem omnem non ex indicibus, ſed ex fontibus, optimiſque Doctoribus exhaurire, ut ad omnes ad quos calumnia devenerit,etiam veritas propalata reſplendeat.

Quia tamen omnia, quæ ſcripta ſunt, neceſſario repetere oporteat, & aliàs ultra imprudentiſſimam complicum interrogationem, multa

Digitized by Google

multa noxia in ſacramenti Pœnitentiæ perniciem, ac ſacri ſigilli contemptum introducebantur, licet eam ſolum complicum inquiſitionem, fortaſſe occultiſſimis, & prudentiſſimis ex cauſis ſancti Officii edictum comprehenderet, eum laborem aggredi cogitavi, ut potiora quæ ſunt elucidarem, ad eum ſaltem finem, ut ea, quæ à ſuſpectis ſcriptoribus non admodum ſecuræ doctrinæ ſparguntur, omnino amoliantur. Plurimæ ſane (ſi veræ ſunt multorum querimoniæ) invaluerant circa tam proficui, & neceſſarii ſacramenti adminiſtrationem maximi nocumenti corruptelæ. Primo enim praxis erat, etſi ſecretiſſime obſervata, ut ordinandorum culpæ ſub ſigno aliquo aperirentur, ut qui digni, vel indigni eſſent, notum fieret. Multos audivimus in ſpecie caſus, ex quibus is uſus probatur. Similiter uti notitia in confeſſionibus acquiſita ad externam gubernationem jam frequens erat. Identidem ſubditorum peccata vel directe, vel indirecte ſuperioribus inſinuabantur, ut minus idonei ab officiis arcerentur. Deinde pœnitentiæ publicæ alicubi in uſu eſſe cœperant. Præterea pœnitentes de complicibus frequenter, & frequentiſſime interrogabantur, non ut ſecreto corriperentur, ſed ut nullo ſervato juris ordine ex ſola pœnitentis accuſatione punirentur. Hoc ultimum, utpote jam ſatis notum, prohibere, & condemnare pro munere ſuo adimplendo neceſſarium eſſe omnino duxerunt Eminentiſſimi Domini Cardinales. Qui hunc zelum damnant, qui impugnant, qui contradicunt, in ipſa meridiana luce cæcutiunt.

Supponamus tamen, ut intendit Muratorius, & perſuadere cupiunt ejus inſtructores, nihil eorum, quæ commemorata ſunt, in praxi fuiſſe, neque pro certa doctrina reputari. Neque inde aliquem offendere viſus ero, ſi hæc omnia pro vera doctrina tuenda conſtituam labefactare. Igitur ante omnia totius facti feriem oculatus teſtis veraciter exponam. Deinde per diſtinctas coruſcationes prædictos errores oppugnabo. Et primo pro eſſentiali totius rei fundamento ſacramenti Pœnitentiæ neceſſitatem breviſſime expediam: poſtea ſacri ſigilli ſtrictiſſimam obligationem edocebo. Deinde nunquam in Eccleſia viguiſſe, licuiſſeve morem detegendi ſuperioribus peccata confeſſa nervoſe oſtendam. Præterea nunquam licitum fuiſſe pro occultis peccatis publicas injungere pœnitentias, ex quibus aliqua peccati cognitio reſultaret, contra aliquos diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſcriptores id in damnum veræ doctrinæ aſſerentes, qua poſſim revincam efficacia. Tandem injuſtiſſimas, atque ad ſolas diſſenſiones, quas ploramus, aptas, Antiſtitum querelas, proindeque ſancti Officii juriſdictionem ad id prohibendum, ſuorumque edictorum rationem inconcuſſe ſtabiliam. Obiter, ubi occaſio ſeſe offerat, Mutinenſis ſcriptoris quidquid aut laude, aut cenſura dignum adinvenero, ratione ſuffragante, ac ſervato,

vato, quoad fieri poſſit, Themidis moderamine adnotabo. Jam vides quantum opus aggrediar, viribus meis certe impar; ſed ducente obedientia, Deoque adjuvante, ſpero, ut conſequar. Oh utinam id ſine alicujus ſaltem ſpeciali offendiculo aſſequi valeam! Illud ſolum à benevolis lectoribus expoſco, ut ſtylum, aut parum comptam dicendi facultatem, immo & non caſtigatum Latinum ſermonem non mordeant, & aut benigne corripiant, aut prudenter diſſimulent. Omnem mentis aciem ad rei ſubſtantiam, non ad corticem dirigo, nec in eo laborem, aut curam impendo, ut verba ſeligam, aut periodos componam: quod primo dicendi calore occurrit, id ſcribo, neque in expungendo, delendo, aut obliterando immoror. Qui ſcriptorem norunt, ſine cunctatione id credent. Cæteros mordaces zoilos, quos æmulationis ſtimulus pungat, nec vereor, nec flocci pendo. Faxit Deus, ut cujus cauſam defendendam ſuſcipio, feliciter compleam.

CORUSCATIO SECUNDA.

Totius facti ſeriem in lucem prodit.

PErbelle quidem doctiſſimus Iſidorus inter alia ſpiritualis doctrinæ documenta illam certiſſimam protulit ſententiam: *Diabolum* (nempe) *quando decipere quemquam quærit, prius naturam uniuſcujusque intendere, & inde applicare, unde aptum hominem ad peccandum inſpexerit.* Id profecto, ſi retroacta ſæcula in memoriam revocemus, in more ſemper habuit fraudulentus hoſtis; ac hiſce noſtris calamitoſis temporibus lamentabili experientia compertum habemus. Callidiſſimus namque ſerpens, qui cauda ſua tertiam ſecum ſtellarum partem in orcum traxerat, univerſumque etiam humanum genus in tartara pellere machinabatur, illud lethali morſu in Protoparente, veluti in radice, miſerrime infecit. Quod ut aſſequeretur, naturam primi hominis rimatus, eumque contemplans naturali lumine ſignatum, & ad imaginem Dei confectum, divinitatis ſimilitudine, dotibusque ſcientiæ allectum, & illectum, totamque in eo propaginem ſuam infeliciſſime decepit.

Lib. 1. de Sum. Bon.

Eo uſque odii, & aſtutiæ, ſeu potius dementiæ prorupit, ut etiam noſtræ collapſæ naturæ Reparatorem, quem univerſalem Dominum, ac hominem Deum ſuſpicatus fuerat, totius orbis dominatione, miraculorum poteſtate, ac Angelico famulatu (ſic ad exemplum noſtrum permittente Deo) ſemel, atque iterum tentare auſus eſſet. Quod cum neque aſſequeretur, nec aſſequi poſſet, conſpiceretque eumdem noſtræ ſalutis Auctorem mortem noſtram moriendo deſtruxiſſe,

xiſſe, chirographique Decretum cruci affixum ſacratiſſimo ſanguine ſuo deleviſſe, atque ſuam dilectiſſimam ſponſam Matrem noſtram Catholicam Eccleſiam tot dotibus cumulaſſe, quot ſacramentis, per quæ filiis ſuis fidelibus latiſſimus aditus, ad illa uſque tempora interclufus, ad cœleſtem patriam pateret, incredibile qua veſania, quibus artibus, quanta calliditate, quot dolis, quantis perſecutionum generibus, quam variis hæreſibus, ac erroribus ab initio naſcentis Eccleſiæ eam, ejusque ſacramenta, & præcipue Pœnitentiæ ſalutare refugium inſectatus ſit. Tot monſtra, quot avernus per varia tempora evomuit, tot Regna à vero dogmate deviantia, tot Provinciæ à fidei gremio miſerrime ſegregatæ, tot millia millium Satanæ miniſtrantium hominum, tot innumeræ animæ in æternum ſupplicium damnatæ id teſtentur; dicant annales, experientia dicat: nec enim omnia recenſere valeo, ne infinitus fiam; atque animus meminiſſe horret, luctuque refugit. Lupus vorax, canis rabidus, rugiens leo Aſiam invaſit, Africam impetiit, Americam laceſſivit, in maximamque irruit Europæ partem; atque furibunda, inexplebilique fame ubique Chriſti oves diſcerpſit, mactavit, deglutivit. Nec ſatis adhuc: reſiduum puſillum gregem incolumem non patitur, incorruptum dolet, atque ut devoret, quibus poteſt, latentibus, hoſtilibusque inſidiis adoritur.

Hujus reſidui gregis non ignobilior, immo innocentior, atque incorruptior pars erat, ſemperque manebit noſtrum Portugalliæ Regnum; quippe quod à tempore ſuſceptæ prædicationis Euangelicæ ad hanc uſque ætatem ſacrum ovile nullatenus dereliquerit, neque à ſuo vero Paſtore, etiam inter ſchiſmata, ſe aliquando ſegregaverit; quinimmo poſt primum Alphonſum, veluti fide purum, ac pietate dilectum, ſacratiſſimoque Redemptionis pretio coemptum, aut oppignoratum ita exarſerit, ut à regni limitibus Mauros omnino pepulerit, ac poſtea indefeſſo labore per tot vaſtas ſyrtes, per tot præruptos montes, per tot impervias ſylvas, per tot incognita maria Chriſti vexillum ad remotiſſimas gentes, barbaros populos, ac indomitas nationes non modo invexerit, ſed proprio etiam ſanguine fundaverit.

Cerberus triceps, qui tria guttura pandens, tres orbis partes corripuerat, tantam prædam è faucibus ereptam infremuit, odioque hians vindictæ ſpem alta mente repoſuit, nec deſtitit unquam. Quia tamen inſatiabili furori ſuo non ſat erat ſeminare vitia, aut corrumpere mores, ni etiam incorruptæ religioni horribile bellum indiceret, idque tum ob Pœnitentiæ frequentiam, cum etiam ob ſacri Tribunalis vigilantiam fruſtrari omnino experiretur, in id conſilii evaſit, ut ſi poſſet, aut fidei propugnaculum concuteret, aut Pœnitentiæ ſacramentum (prout jam fecerat in Armenia) à finibus Portugalliæ relegaret,

garet,

garet, vel ſaltem magna ex parte odioſum redderet; iis namque ſublatis, rem omnem factam eſſe arbitrabatur. Ut aſſequi poſſet non aperta acie, ſed ſubdolis fraudibus, & ſub virtutis ſpecie tantæ molis ſtragem eſt aggreſſus: atque aliquorum Confeſſariorum, quos ſpirituales dicunt, animos, conditionem, tenacitatemque perſcrutans, eos *falſa zeli imagine* ſeduxit, ac induxit, ut ſub excogitato vitandi peccata pernicioſiſſimo prætextu pœnitentes ad revelandos ſuorum peccatorum complices, & præſtandam licentiam ad uſum notitiæ in confeſſione acquiſitæ, atque ad finem eos corripiendi per fas, & nefas frequenter inducerent, ac compellerent; quod ſi renuerent, eis ſacramentalem abſolutionem denegarent. Si vero ſic adacti conſcios panderent, horum culpas in pœnitentiali foro detectas ad ſuperiores deferrent, ut eos emendarent, vel verius, punirent. Pernicioſiſſimum ſane, diabolicumque inventum! Nullum profecto, id definiente ſupremo Eccleſiæ Oraculo, aptius contra proximorum famam, nullum contra fidelitatem ſacramenti omni jure præceptam, nullum ad illaqueandas conſcientias, ad pœnitentiæ faſtidium generandum, ad avertendos fideles ab ejus frequentia opportunius conſiderari poterat. Idque Muratorius vero dogmati laudabiliter inhærens non diffitetur.

Quis primus auctor, quis primus hujus incredibilis abuſus introductor, ſeu potius quis primus hujus diabolicæ fraudis miniſter fuerit, hucuſque ignoratur, & cautela maxima intercluditur, nec ſuſpicari licet. Crederes non hominem fuiſſe doctum, non vera ſapientem, ſed ſatanam ipſum perſonatum, vel aliquorum imaginativæ apprehenſioni illapſum adeo noxium dogma in praxim deduxiſſe. Omnes ſiquidem, quibus ille abuſus ad vitanda peccata, ut veræ virtutis indoles quam maxime placebat, eum hucuſque irrepſiſſe tenaciter negant, & quibus valent induſtriis, recondunt. Adeo enim deteſtabilis, adeo nocivus, adeo ſcandaloſus hic error eſt, ut nullus ejus auctor dici, ejus aſſecla fateri non abhorreat. Utut ſit; illud certum, certiſſimumque eſt (quidquid Mutinenſis garriat ſcriptor) prædictam nempe praxim prius latenter, maximaque verſutia gliſcere incepiſſe; poſtea maioribus viribus, & minori verecundia ſerpſiſſe. Crevit abuſus, crevit & rumor, creverunt publicæ peccatorum ſub ſecreto latentium, nulla ſervata judicii forma, punitiones: creverunt & pœnitentium, & complicum querelæ. Narrabantur varii caſus, aut certi, aut dubii, aut in ore vulgi adaucti, neque enim omnibus integra fides danda erat. Vires aſſumpſit & prudentum, & puſillorum ſcandalum: urgebat, arctabatque fidelium, præcipue fœminarum, animos timor non vanus confitendi peccata cum complice commiſſa. Inquirebat una, ubinam Confeſſarii curioſe interrogarent: tacebat alia, ne inquireretur: altera vindictæ occaſionem inde capiebat: altera ne

nocentem non proderet, innocentem nominabat: altera, ne matri, aut pediſſequis ſuſpicionem ingereret, ad ſacræ Euchariſtiæ menſam inabſoluta, & peccatis innodata accedebat. Multiplicabantur ſacrilegia, & qui ad fontem ſalutis advolaverant, ut mundi exirent, & laudantes Deum in ſuis miſerationibus gloriarentur, immundi, ac nova peccatorum ſarcina depreſſi revertebantur. Quis talia fando temperet à lacrymis! Natatoria Siloe in piſcinam verſa fuerant: Fons irriguus Paradiſi in draconis fontem mutatus omnino videbatur. Angeli in cœlo, qui lætantes gaudent ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, proculdubio hæc horribilia videntes amarè flerent, in luctumque citharæ ſuæ verterentur. Et hæc non horruerant ſpirituales viri! Hæc non meditabantur, non præcavebant docti Confeſſores, qui animarum lucra captare, qui peccata corrigere, qui morum reformationi conſulere affectabant, qui honorem Dei augere profitebantur! Neſcio quæ faſcinatio eos deluſit, ut cæci fierent, & cæcorum duces; neque præviderent, quod imprudentiſſimo zelo ſuo (ne aliud nomen indam) *perniciem tam ſuis, quam pœnitentium animabus* (ait in ſua Bulla *Suprema* ſupremus Paſtor) *conſciscerent, ac ſeſe præterea plurium gravium damnorum, quæ inde facile conſecutura fore, prævidere debuerant, reos coram Deo æterno judice conſtituerent*. Id forte apertis jam oculis, vel inviti, agnoſcunt, aut agnoſcere fingunt hodiernæ myſticæ Doctores, &, ne opinione ſua cadant, tegere cupiunt; ideo inficiantur, & negativas proferunt ſuorum atteſtationes, quibus in jure nulla fides: ipſis tamen nimium confidit Muratorius, nos verum, qui præſentes agnoſcimus, nullam eis fidem adhibemus, nullibique dandam eſſe proclamamus.

Sic res omnis, cauſaque religionis, ac ſacramenti Pœnitentiæ in magno diſcrimine verſabatur: quouſque tandem fidelium clamor, omniumque rumor, licet obturatas aures non pertingeret, ad eos tamen, qui habent aures audiendi, pervenit, ad duos ſcilicet Eminentiſſimos Cardinales da Cunha, pro univerſis Portugalliæ dominiis Inquiſitorem Generalem, & de Almeida Liſbonenſis Eccleſiæ Patriarcham, qui ut duo olivæ plantatæ in domo Domini, ſuæ doctrinæ oleo tanto vulneri mederi, ut duo candelabra aurea lucentia ante Dominum, micanti luce pellere diffuſas tenebras, ut duo viri miſericordiæ ſubditorum ſuorum infirmitatibus compatientes, tantum malum avertere cogitarunt. Iſti ſunt viri ſancti amici Dei, qui pro tuendo Pœnitentiæ ſacramento furiis averni ſanctiſſimum indicentes bellum, contra ejus adverſarios, ſic è latebris ſuis inſidiantes unanimiter, fortiterque dimicare conſtituerunt. Ut id ſecurius aſſequerentur, præcedentibus prius exactiſſima erroris indagine, maturo Theologorum conſilio, certiſſimiſque prudentum Confeſſorum informationibus (licet Mutinenſis

Digitized by Google

nenſis ſcriptor à longe poſitus levitati, & deceptoriis conſiliis audacter nimis id attribuat) *pro munere, vigilantiaque ſua*, ut eos laudat ſupremus Pontifex, Paſtorales præceptivas literas ediderunt ſuas, in quibus ſub pœnis, & cenſuris, prout negotii neceſſitas exigebat, errorem damnarunt, ac ejus praxim prohibuerunt. Et quia non ſatis erat abuſum vetare, ni delinquentes ad debitas pœnas dandas detegerentur, addidit in Edicto ſuo Eminentiſſimus Inquiſitor Generalis, quod Confeſſarii ſic perperam interrogantes, ac abſolutionem ob id quod pœnitentes renuant declarare complices, denegantes, à quocumque prædictæ erroneæ doctrinæ, aut perniciosæ praxis ſcientiam habente ſanti Officii Inquiſitioni denuntiarentur. Id improbat Muratorius, & juriſdictioni ſancti Officii aperte contradicit, ſed quantum à veritate diſtet, ſuo loco demonſtrabimus.

Incredibile quanta lætitia, quantaque exultatione (licet contrarium prædicti abuſus fautores coram S. P. falſiſſime aſſerere non vererentur, & Mutinenſis eamdem excutiens quercum, & eorum ore locutus idem nunc adfirmet) præfata Edicta à fidelibus ſuſcepta fuiſſent. Reſpirare, novumque ſpiritum ducere Chriſtianus populus viſus eſt. Animos attollere, atque depreſſa corda erigere pœnitentes inceperunt. Nova ſecuritate, majoreque frequentia ſalutaria ſacramenta exquirebantur. Receſſerat timor, ſecreti ſacramentalis fiducia, fidesque pene extincta revivixerat. E contra illius pravi abuſus, introductique erroris ſectatores demiſſa fronte, mœrenti vultu, anxia mente, aut ira vexati, aut timore dejecti, aut falſa charitatis ſpecie abducti prædictam damnationem, ac obligationem, fortaſſe ne publicas pœnas luere cogerentur, ægre nimis ferebant. Non defuerunt (ſi vera eſt fama) conventicula aliqua, ſive conciliabula, ut eminenti periculo, quod metuebant, aliquo opportuno remedio provideretur. Unuſquiſque in ſuam ferebatur ſententiam, ſed nulla placebat. Non defuit, qui deliberaret (oh maximam fatuitatem!) interponendum eſſe recurſum pro facta violentia ad Regium Coronæ tribunal: aſt conſilium hoc ut inutile, ac ineptum, & forte riſu dignum omnino diſplicuit. Alius, quem ſcimus, in virtutis tyrocinio adhuc poſitus, ac Theologiam primis labris attingens, in eam temeritatem lapſus eſt, ut ſub nomine cujuſdam monialis perſonatus epiſtolam (melius ſatyram diceres) ad Eminentiſſimos Dominos Cardinales audacter ſcriberet, in qua eos errore ductos increparet, ac argumentis oſtenderet licitam, & utilem quandoque fieri prædictam praxim, aliaque multa ſane erronea intermiſceret. Hanc ſi legeret Muratorius, didiciſſet quidem ſuam retractare ſententiam, agnoſceretque non chimæram eſſe à perverſis, & caſtigatis hominibus inventam, neque ſolam curioſitatem, ut ait, ſed praxim, doctrinamque iſtorum mentibus infixam.

Alius ſic publice loqui auſus eſt: *Poſitis bis edictis jam amplius in audiendis confeſſionibus occupabimur, ſi interrogare prohibemur, quod primæ claſſis Doctores interrogare præcipiunt.* Huic aſſerto clariſſime favet prima Eborenſis Paſtoralis, & calculos addit Muratorius, veluti ſi ſancti Officii edicta prohiberent, quod ſani Doctores docent, nec prædictas doctrinas incolumes reſervarent. Muratorius Luſitanum idioma non agnoſcit, ideo quæ in Edicto illo habentur, non intelligit. Alius plus adhuc inſanivit; ſiquidem in illud prodiit deliramentum, ut coram aliquibus aſſereret, duo illa edicta *duo eſſe* (ut vulgo dicitur) *aſſecurationis chartas*, ut homines liberius peccarent, & qui occaſione proxima illaqueati erant, eam impugne conſervarent, nec cogerentur dimittere. Hincque liquet ad quem finem, vel circa quas culpas tot frequentarentur interrogationes, ut Muratorius notum habeat has interrogationes non caſus rariſſimos, quos ipſe commemorat, ſed attinuiſſe, fragilitatis culpas, quæ cum frequentiſſimæ ſint, etiam frequentiſſimi erant interrogandi actus. Tandem alii, non ut errori adſtipularentur, ſed ut adulationi inſervirent, quibus Muratorius accenſendus eſt, in omnibuſque ſcientiis ſe inſtructos eſſe oſtenderent præfata edicta injuſta, nullaque aſſerebant, eo quod optimorum Doctorum ſententias ab omnibus ut veras communiter admiſſas prohiberent, ac veluti erroneas condemnarent.

Sic deſipiebant quidam, alteri ſic garriebant, quæſtioque jam fiebat tam docti, quam indocti vulgi fabella. Verum enim vero illius erroris aſſertores, ac patroni nihil patens audebant. Suppreſſerant ora; & tamen multa, quæ poſtea demonſtrabuntur, per inſidias, ut ſeſe rectiſſimo Tribunali opponerent, machinabantur, nec ulli impenſæ parcebant. Interea vigilantiſſimus religionis cuſtos Eminentiſſimus Dominus Cardinalis Patriarcha, eo, quo pollet virtutis, & veræ erga ſubditos charitatis ardore, ea, qua fulget maxima Eccleſiaſtici juris, & dogmatis ſapientia, abſolutiſſimam ſcripſit pro veritate diſſertationem, in qua omnia ad rem ſpectantia, ad ſatietatem uſque, ſed citra faſtidium, eleganti methodo comprehendit; adeo ut nihil amplius deſiderari poſſet, cæteræque in lucem editæ diſceptationes ab ipſa quoad ſubſtantiam excerptæ viderentur; ſemper tamen valde utiles, (ſecundum Magni Auguſtini ſententiam) ut demonſtrarent propalatam veritatem multos ſuarum partium aſſertores, & defenſores peperiſſe. Atque ut omnem errori aditum intercluderet, erronumque ora vel penitus ſupprimeret, vel obtenebratas mentes indeficiente luce illuſtraret, ac tanti ponderis negotium ſtabile, inconcuſſumque remaneret, ſupremum Eccleſiæ caput, fideique, ac morum indefectibilem regulam Sanctiſſimum Dominum noſtrum Benedictum Papam XIV. per epiſtolas ſuas aureæ, & ſapienter exaratas introducti

erroris

erroris certum fecit, & ab eo popoſcit, ut vivæ vocis oraculo prædictam erroneam praxim, gliſcentemque abuſum compeſceret, coerceret, damnaret. Si tantus Præſul, cui nullus aut ſapientia, aut vigilantia, aut zelo æquatur, ſic teſtatus eſt, dicat Muratorius cur huic affirmanti credendum non ſit, aliis vero negantibus, &, ut plurimi ſuſpicantur, protegentibus omnis credulitas debeatur? Aliqua per conjecturas explicat, ſed ſi concludenter dicat, erit mihi magnus Apollo.

Res pro voto accidit. Ut enim S. D. N. de periculi *tum magnitudine, tum veritate* certus factus fuit, protinus, *prout ſuprema omnium Eccleſiarum cura ſibi commiſſa urgebat*, per ſuas in forma Brevis literas prædictam praxim prohibuit, ac eam, utpote *ſcandaloſam, & pernicioſam, & tam famæ proximorum, quam ipſi etiam ſacramento injurioſam, tendentemque ad ſacroſancti ſigilli ſacramentalis violationem, atque ab ejuſdem Pœnitentiæ ſacramenti tantopere proficuo, & neceſſario uſu fideles abalienantem penitus improbandam eſſe* declaravit. Qui quidem ſupremus Paſtor ut noſtri Regni Antiſtites ſuæ in præſenti materia ſententiæ certiores faceret, ac apertiſſima ſignificatione ſua intenſius acueret, & excitaret, eos commonuit, & adhortatus eſt, ut omnes, & quilibet eorum pro ſuis Diœceſibus opportunis juris remediis *noxiam novitatem* inſectarentur, ac pene naſcentem opprimerent, & ſuffocarent.

Quis non crederet rem omnem ſedatam eſſe, ac penitus ſopitam? Quis ſibi ratum non habuiſſet Pontificia cenſura, Pontificia lege omnia conquieſcere, ac quæſtionem omnino aboliri? Quis non arbitraretur Orthodoxos, ſapientes, virtuoſoſque Præſules ſic commonefactos omnem curam, omnem vigilantiam, omnem charitatis ardorem impenſuros, ut Apoſtolicas literas executioni mandarent, eas in publicum proferrent, ſubditiſque ſuis obſervandas proponerent? Sic inſinuare viſus eſt Muratorius alibi apertiſſime convincendus. Verumtamen (proh tempora infelicia!) nihil horum actum eſt: quinimmo ſupremi Paſtoris ſaluberrimæ adhortationes contrarios propemodum effectus produxerunt. Frequentes cætus accerſebantur: huc atque huc celeres mittebantur, & remittebantur nuntii, ut quid facere oporteret, ac ſugillatæ, ut fingebant, opinioni ſuccurſum irent, decerneretur. Quis videret à Lisbona in Eboram, in Conimbricam, in Lamecum, in Pharum, aliaſque Diœceſanas Civitates epiſtolas, curſoreſque verſari, atque ſibi perſuaſum non haberet conſultari, & deliberari de convenientibus mediis, quibus gliſcenti damno providentius occurreretur? Non de hoc tamen agitatio erat. Ea ſolum anxia ſolicitudo animos, menteſque ſpiritualium virorum tantopere vexabat, ut in id ſtudii evaſiſſent, ſi poſſent, quod Pontificia

tificia conſtitutio immutaretur, & ſancti Officii Edictum, quod omnino ſuppreſſum magnopere adhuc exoptant, viribus omnino deſtitueretur.

Ut id ſecurius ſuis deſideriis reſponderet, in ſuas partes adducere Orthodoxos Epiſcopos cogitarunt; eiſque res pro voto accidit. Fraudulentus ſiquidem humani generis hoſtis (ut in exordio propoſueram) eorum indolem, animum, conditionem, & inclinationem optime calens, vitandorum peccatorum zelum, juriſdictionis ordinariæ, ut fingunt, ſibi uſurpatæ defenſionem, ſuæ exiſtimationis jacturam, ſpiritualium Confeſſorum ſugillatam famam eorum mentibus vehementiſſime influxit, inſtigavitque, ut pro omnibus his tuendis acerrime pugnarent; apprehendentes fortiter ſuum munus id expoſcere, ad idque in foro conſcientiæ (prout in quadam ſcripta anonyma farragine expreſſiſſime aſſerunt) procul dubio teneri. Fucata ſane, & inſidioſa religionis pietas! Cognovit aſtutus dæmon non facile eos dimiſſuros quod ſemel aſſumpſiſſent, & eventus probavit quod præviderat: his quippe ſtimulis pungentibus, aliunde ſub virtutis ſpecie vehementer ſuggeſtis, velut agmine facto Sanctiſſimum Dominum noſtrum, vel ejus in hoc Regno Legatum per ſuas privatas epiſtolas adierunt, exponentes (an recte, an veraciter, an bona fide, an æqua mente, an Spiritu Sancto ducente, ipſi viderint, non enim intentionem accuſo, ſed notiſſima facta refero) exponentes, inquam, in ſuis Diœceſibus nullam talem extitiſſe praxim, neque ejus in ſuis viſitationibus veſtigium aliquod inveniſſe: ſe maxima ſolicitudine de ſeligendis, examinandis, deputandiſque Confeſſariis cogitaſſe: eorum famam, immo & totius Regni ſemper fide pura, ac pietate dilecti magnopere offendi: prudentiores Confeſſarios, eo quod in confeſſionibus inquirenda inquirere timore denuntiationum perhorreſcerent, à confeſſionariis magna ex parte arceri: præceptum denuntiandi à ſancto Officio impoſitum, utpote juri naturali ex diametro contrarium, nullum, irritumque declarari oportere: pœnitentes, utpote adactos ad detegendam propriam turpitudinem, multis ſacrilegiis expoſitos reddi, peccata cum complice commiſſa celantes, ne de eis interrogati poſtea denuntiare tenerentur: ſuam ordinariam juriſdictionem quam maxime perturbari, ac lædi, ad ipſam enim, (etiam dato, quod tales complicum interrogationes illicite quandoque fierent) non vero ad Inquiſitionis officium ejus criminis cognitio ſpectabat. Hæc omnia jam abunde refricata iterum recalcat Muratorius, ut planum fiat, eum contraria fundamenta non vidiſſe, neque ex aliis quam ex ipſis, quæ ſcribere libuerat, didiciſſe. Quam vero falſa, quam inania, quam fucata ſint hæc omnia, prudentes, æqui, atque ab omni odii, vel amoris pathemate liberi homines, non vero Muratorius deceptus,

ceptus, judicabunt.

His vanis, apparentibuſque depictis coloribus (veluti ſi corylis, & apinis Æthiopem rudem, aut puerulum innocentem deludere cogitarent) ut tempeſtatem denuntiarent, data manu, inito fœdere, & mutuo conſilio querimonias ſuas ad Sanctiſſimum detulerunt. Verumtamen caute, latenterque nimis id agebant, ut ſecretiori machinatione rem omnem ſine contradictore contra fidei Tribunal molirentur. Hæc in Romana Curia extrui reſcivit Eminentiſſimus Generalis Inquiſitor; ſprevit tamen, & tacuit, ut cum regio Vate hæc dicere poſſet: *Adverſus fratrem tuum loquebaris, & adverſus filium* Pſalm. 49.
matris tuæ ponebas ſcandalum: hæc feciſti, & tacui. Exiſtimaſti inique, quod ero tui ſimilis . . . . ſacrificium laudis honorificabit me: & illic iter, quo oſtendam illi ſalutare Dei. Eminentiſſimus vero Dominus Cardinalis Patriarcha aliam carpſit viam, & Magni Baſilii ſic dicentis: *Damnabilis eſt taciturnitas, ubi periclitatur veritas, &* Epiſt. 80. ad
juſtitia in aperto verſatur diſcrimine; haberetur enim hujuſmodi ſi- Euſtat. Ma-
lentium proditio quædam ipſius veritatis & juſtitiæ, ſententiam ſe- dic.
cutus, ut pro fide, ejuſque Tribunali veracius dimicaret, atteſtationes complurimas, (quas non videns Muratorius leviter, & detractorie nimis falſas dicere non eſt veritus) in quibus Parochi multi, religioſique viri virtute, ſcientia, ac bonis moribus pollentes de veritate facti, ac multis in individuo certis caſibus jurati deponebant, ad ſanctam Sedem remiſit. Hæc facta eſſe, ut ad eorum aures pervenit, doluerunt nimis; omnemque ſuam ſolicitudinem adhibuerunt, ut etiam varias ſuorum atteſtationes negativas glomerarent, in quibus nullius rumoris circa prædictum abuſum conſcios eſſe autumabant. Dolenda profecto auditorii nervi obſtructio! Poſſumus dicere cum Propheta auditum ſuum fuiſſe *ſicut ſerpentis obturantis aures ſuas, & venefici incantantis ſapienter.* Has igitur ſic compoſitas atteſtationes ad Sedem Apoſtolicam direxerunt. Quam probationem, quam fidem facere ſoleant hæ depoſitiones negativæ facti contra multiplicatas affirmativas, dicent juris profeſſores. Eas ex atteſtantium nominibus plurimum fecit Muratorius, nos vero, quia eorum fuiſſe ſcimus, apud quos praxis illa placebat, nihili pendimus. Illud ſecuti ſunt axioma: Nihil probatum, quod plene negatum. Quomodo autem citra falſitatis periculum, ni forte ſub verborum involucris, aut ſub aliqua reſtrictione mentali veritas lateret, hæc adfirmari, & juramento corroborari potuiſſent, profecto non capio. Ut autem Muratorius ſuis inſtructoribus aſſentiens temeritatis arguatur, nullo alio argumento opus eſt, niſi quod Sanctiſſimus Pater expreſſiſſime conſtituat certo ſibi de prædicto errore conſtitiſſe. Poſtea declamatorem iſtum ſuiſmet verbis redarguam, & revincam.

Hæc

Hæc dum agerentur, Quadrageſimale tempus advenit, in quo ſanctum illud fidei Tribunal annuum Edictum ſuum publicare conſuevit, per quod fideles monet circa obligationem denuntiandi quos à fide, veraque religione in aliquo devios cognoverint. Cum autem novus damnatus error peculiari admonitione indigeret; & alias jam à Sancta Sede prædicta praxis, *ut ſcandaloſa, ac ſacramento Pœnitentiæ injurioſa* definita fuiſſet, ac ſancti Officii, & Eminentiſſimi Inquiſitoris Generalis munus à S. P. laudatum, & approbatum inveniretur, Edicto ſuo addidit clauſulam illam, nempe, ſi ſcirent aliquem, vel aliquos Confeſſores in actu audiendæ confeſſionis pœnitentem interrogare de nomine, & agnomine, ac habitationis loco, vel aliis circumſtantiis impropriis, & de hac cauſa abſolutionem ſacramentalem denegare. Hoc Edicti additamentum ſane innocuum totius accenſi belli cauſa fuit, animoſque dictorum Antiſtitum, ac delinquentium Confeſſorum animos exarcebavit. Ignis latens, ſed fumans, neſcio quibus flatibus exagitatus in voraces flāmas erupit. Putaverant fortaſſe iſti ſanctæ fidei Tribunal tot potentiſſimorum contradictorum timore compreſſum ſuæ vigilantiæ, ſuoque muneri non amplius ſatisfacturum eſſe. Exoptaverant Edictum illud, ut nullum, & irritum, à Sancta Sede ſupprimendum, immo illud omnino ſuppreſſum inepte nimis Muratorius contendit. Sibi conſtituerant doctrinam, praximque ſuam ut utilem, & ardenti charitate fundatam conſervare. Cumque experirentur ſpem ſuam omnino fruſtrari, rectiſſimumque Tribunal in ſuo officio explendo non conquieſcere, denuntiationes timuerunt valde, veritique ſunt, quod, multiplicatis iis, prædicti erroris aſſeclæ, patronique paulatim detegerentur. Imminens jam periculum nullas patiebatur moras, cui ut occurrerent, infandum, inauditumque, attentatum, (hoc nomen Paſtorali Eborenſi indidit S. P.) habitis prius arcanis votis, currentibuſque hinc inde epiſtolis, meditati ſunt. Excellentiſſimos Archiepiſcopos (tacere voluiſſem, ſed ipſa notorietas totius vel leviſſimi criminis me reddit expertem) Eborenſem ſcilicet, & Algarbienſem impellere potuerunt, ut prætextu ſuæ uſurpatæ juriſdictionis Paſtoralibus ſuis literis egregio Tribunali certamen indicerent, in eumque aperto Marte arma cierent. Primus (ut rem ſub breviloquo comprehendam) totus fuit in ſuis paſtoralibus curis, egregiiſque confeſſariis, quos delegerat, extollendis: in ſua maxima patientia, paciſque amore commendandis: (quæ poſtea acta ſunt, hunc amorem ſecurius celebrant) in recurſu ad Sanctam Sedem à ſe facto, quod latuerat, aperiendo: in aliiſque ſimilibus aſſertis, ſane ſuperfluis. Deinde expreſſe negavit introductam, reprobatamque praxim. Aſſeruit, quod ſi aliquis mendax rumor prædicti abuſus irrepſerat (en qua ex parte dolor excruciet

cruciet, inadvertenter indicat) hunc ſolummodo aliquorum delinquentium delictorum ſuorum pœnas dantium querimoniis tribuendum eſſe. Onus denunciandi Confeſſores pœnitentibus impoſitum intolerabile fieri. (An tolerabilius erat eos adigere ad detegendos complices?) Sanctum Officium attentatum commiſiſſe, juriſdictionemque Ordinariam uſurpaſſe; ad quam, non verò ad ſanctum Officium prædicti criminis, caſu quo daretur, cognitio attinebat. Præterea ſubditos ſuos (quo jure, quavè poteſtate non invenio, neque unquam me legiſſe memini) ab obligatione, qua rectiſſimum Tribunal fideles adſtrinxerat, abſolvit, juſſitque quod Confeſſarii *paſſim* complicum nomina (cæteris circunſtantiis cauteloſo ſilentio obvolutis) interrogantes, ſibi non verò Inquiſitoribus denunciarentur. Quod quidem eſt directe contrarium Conſtitutioni *Ubi primum*, quam Muratorius parum calere ſtuduit, dum hanc ſancti Officii juriſdictionem præceps nimis irriſit, contempſit, conculcavit. Tandem frequentiam interrogandi, nulla adjecta pœna, ſolummodo prohibuit. Brevis *Suprema*, nulla ratione habita, ac ſi in rerum natura non extitiſſet, Confeſſarios ſibi ſubditos monuit, non ut interrogandi praxi omnino abſtinerent, ſed ut in adminiſtrando ſacramento Pœnitentiæ meliorum Doctorum ſententias (quas jam Sanctiſſimus Dominus noſter aut falſas, aut erroneas, aut male applicatas definierat) ſequerentur, idque penitus eorum arbitrio reliquit. Hæc illius Paſtoralis ſumma: quam apta ſit vitando errori æſtimabunt prudentes, qui ſano judicio rem medullitus ſciant introſpicere. Eo vel maxime ſi profunde rimentur hanc Paſtoralem emanaſſe poſt ſancti Officii ſecundum Edictum, in quo nulla jam pœnitentibus impoſita obligatio conſpiciebatur. Hanc tamen promptiſſimam obedientiam, hunc ſincerum pacis amorem, hanc ſanctionem totius erroris expertem laudat Muratorius. O felix obedientia, ò mira in eradicando errore ſedulitas, quæ diſpendio ſuo tantum, talemque meruit habere laudatorem!

Algarbienſis Antiſtes, licet Metropolitæ ſui veſtigia premens, non omnino ſancti Officii juriſdictionem negare auſus fuerat: ſed ſub ancipiti, ſtudioſaque verborum larva, ejus ambitum, crudelitatemque accuſans, nunc ex vi ſuæ juriſdictionis delegatæ errorem illum damnare potuiſſe fatebatur; ſtatimque inficias ibat, juriſdictionem privativam cum cumulativa intermiſcebat, ut qui ejus ſenſus, quod ejus certum eſſet judicium capi non poſſet. Praxim introductam erroneam, noxiamque eſſe non diffitebatur, ſed, qua dexteritate poterat, abnuebat. Illico tamen ejus criminis ſimpliciter conſiderati (de quo nulla quæſtio erat) cognitionem ad prædictum Tribunal non ſpectare ſine contradictore autumabat. A ſanctiſſimo Patre Epiſcopis ſolis in ſuo Brevi *Suprema* commiſſam ejuſdem criminis, caſu

Digitized by Google

quo daretur, punitionem aſſerebat. Atteſtationes introductæ praxis fidem facientes, quibus ſane S. P. multum detulerat, falſas, calumnioſas, ac perjuras eſſe ſcribere non dubitabat; huncque ducem ſequi Muratorio placuit. His, ad detrahendum Tribunali aptiſſimis, ſed ad Paſtoralis finem debitum parum, aut nihil conducentibus, ſic ad calumniam prajactis, quid tanto verborum, & allegationum ſtrepitu concludat, ad riſum certe provocat. Non praxim reprobat; non Confeſſarios monet; non Breve *Suprema* exequitur; non compeſcendo damnato errori invigilat; non fideles ſibi ſubditos, ad detegendos complices nullatenus adſtringi poſſe, inſtruit; non cenſurarum fulmine, vel aliis pœnis delinquentes aut coercet, aut minitatur; ſed ſibi maxime plaudens, quod neceſſariam negotio adhibeat providentiam, pro ſuo jure tuendo declarat, vel (ut Juriſconſultorum verbo loquar) proteſtatur. Atque non modo pœnitentes ab omni denunciandi onere liberat; ſed etiam interim omnes alios ſibi ſubditos ab obligatione, non ſolum ſancto Officio, ſed etiam ſibi denunciandi Confeſſarios complicum nomina extorquentes abſolute eximit. Et qui eccleſiaſticum enſem hucuſque reconditum habuerat in vagina ne delictum, aut delinquentes vel leviſſime feriret, nunc gladium ſtrictum diripuit, & quaſi aerem verberans, Paſtoralem ſuam pluribus clavis in Eccleſiarum januis confixam, ne avelleretur, maiori excommunicatione ipſo facto incurrenda, aliiſque pœnis contra quemcumque vel auferentem, vel moleſtantem cominatis, eam firmavit, ac munivit. Quid hæc ſignificent, qui legerit, intelligat.

Nunc à Mutinenſi Declamatore quærerem an viderit, necne quæ ſuper his Paſtoralibus ſcripta inveniuntur? Si vidit, cur ibi adducta ad omnem fraudem detegendam, ſua maxima non refutat ſapientia? Si non vidit, cur blaterat, cur declamat? Quam facilis aleæ labor ſit ex libris regulas aliquas generales excerpere, ad objecta nihil rependere, & adverſarios atro dente mordere nemo non viderit. Iterum inquirerem in quo Auctore probato invenerit juriſdictionem à S. P. ampliſſime delegatam, Ordinariæ Epiſcoporum eſſe inferiorem? Delegatus totam ſuam dignitatem, & auctoritatem à Delegante mutuatur. Unde quanto excellentior eſt Pontificia, quàm Epiſcopalis poteſtas, tanto excellentior redditur ſuorum juriſdictio Delegatorum: contra hanc nihil Ordinarii poſſunt, alioquin omnis rectus juris ordo perturbaretur. Si ſanctum Officium ſuæ juriſdictionis metas prætergrederetur, debuerant Epiſcopi ad ſanctam Sedem recurrere, & interim ſuperſedere; non verò offenſivis, incomptiſque Paſtoralibus illius Tribunalis miniſterium perturbare, atque pœnas à jure ſtatutas promereri. O ſi Tribunal poteſtate ſibi conceſſa, & tot Apoſtolicis Conſtitutionibus indulta gladio ad bellum, non oliva ad pacem

pacem uteretur, quanta contentionis ſeges parabatur. Si Epiſcopi id agnoſcerent, ſi cæco impetu non abrumperentur, agnoſcerent profectò non ſatyras conducere, ſed grates rependere debuiſſe. Sed redeamus ad facti hiſtoriam.

Elvenſis Præſul, qui variis fuerat occultis, (ut aiunt) ſuggeſtionibus exquiſitus, ut duobus Archiepiſcopis adhæreret, eorumque mutua conſilia ſequeretur, diu anceps fuerat, nec adduci potuit, ut Paſtorales literas evulgaret. Potuit tamen perſuaderi, quod pro juriſdictione ſua Ordinaria tuenda acriter non dimicare, ac ovibus ſuis duriſſimum impoſitum jugum non imminuere ſuam dedecebat dignitatem. His igitur ſtimulis impulſus, ac timoratæ conſcientiæ pungentibus aculeis exagitatus, ſecretiorem elegit viam: atque ad Eminentiſſimum Dominum Cardinalem Inquiſitorem Generalem non ſatis comptam, nec ſua maxima modeſtia, & ingenuitate dignam ſcripſit epiſtolam, in qua ejus rectiſſimum Tribunal, cujus Miniſter fuerat, & quod magnopere venerabatur, tot juſtiſſimis contradictionibus ſuamet culpa expoſitum dolebat: ejus juriſdictionis carentiam circa illud crimen accuſabat: onus graviſſimum contra juris naturalis regulas pœnitentibus impoſitum convincere ſatagebat. Confeſſariorum prudentum, immo & totius regni famam maxime apud exteros læſam deplorabat. Sanctum Officium ſuum ſecundum Edictum non ad inſtruendos fideles, ſed in Epiſcoporum contemptum evulgaſſe, ante oculos ipſiusmet Domini Cardinalis apponere non erubuit. Eminentiſſimum Dominum Cardinalem Patriarcham ſua latiſſima Diœceſi non contentum alienis ovibus, alieniſque Diœceſibus leges præſcribere meditari, ſcribere non exhorruit. Hæc ipſe. Cæteri vero regni Antiſtites, licet ad S. P. vel ad Excellentiſſimum ejus Nuncium ſcriberent, maturiori tamen, prudentiorique conſilio ſiluerunt. Qui circa hanc epiſtolam, & prædictas Paſtorales plura deſideret, adeat diſſertationes Luſitano idiomate ſcriptas, ſcilicet: *Reflexoens apologeticas*, *Carta cenſoria*, *Reconvençaõ apologetica*, ubi omnia diſcuſſa, & abunde probata invenire poterit.

Incredibile profectò quot ſcandala, quot offenſiones, quot murmura, quot oblocutiones hæ Paſtorales literæ parturirent. Muratorius hæc omnia ſancti Officii Edicto attribuit, ſed ex ore eorum, qui eum fefellerunt, mentitur ille. Viſo Tribunalis Edicto, omnes lætati ſunt: viſis Paſtoralibus, nullus erat, qui non loqueretur; nullus, qui non obmurmuraret, nullus, qui judicium ſuum interponere non auderet; nullus, qui conculcatam ſancti Officii auctoritatem non abominaretur. Omnes fere tam infimæ plebis homines, ac mulieres, quàm Regni Juriſperiti, Proceres, Magnates, Principes, atque Religionum prudentiores, ſapientioreſque Theologi

Digitized by Google

…CA NAZ. … ROMA … TTORIO EM…

& interdum contra ſe conſcientia repugnante, publice lacerant. An minus venerandæ ſunt Purpuræ, quam Infulæ, ut ipſe Purpuras laceret, Infulas ſervet? Quis eum judicem conſtituit? Noſtras domeſticas ſineret diſputationes, nec falcem mitteret in ſegetem alienam: ſed conductionis lex fuerat maledicere. O' conducentium innocentiſſima conſcientia! En Illuminatorum dictamen: quod bona mente fit, licet malum ſit, malum non eſſe.

Cum vero in hunc perſonatum ſcriptorem inciderimus, ut nihil hiſtoriæ facti deſit, & ejus, ſuorumque indoles agnoſcatur, quantumque Muratorius eum imitatus fuerit, pateſcat, opere pretium erit ejus larvas aperire, & quas erroneas conſarcinaverit doctrinas per ſumma capita recenſere. Prius tamen advertere opportet, eum poſt Bullam *Suprema*, & in ea damnatam doctrinam ſuam diſſertationem compoſuiſſe, ac ſeminaſſe.

In his igitur præcipue laborat, nempe: Prædictam erroneam praxim, prout à ſancto Officio proponitur, ad ejus juriſdictionem non pertinere; ac pro inde Confeſſarios ſic delinquentes punire non poſſe. Prædictum Tribunal ſolum poſſe cognoſcere de crimine, vel hæretico, vel de hæreſi ſuſpecto, & his exceptis, ſolum de aliquibus ad quorum cognitionem aliquo ſpeciali privilegio ſit munitum. In prædicto crimine nullam aliam malitiam deprehendi poſſe, quàm ut plurimum detecti ſacramentalis ſigilli; ad quam culpam coercendam ſanctum Officium omni juriſdictione carere contendit; quin diſtinguat inter illam culpam non qualificatam, vel qualificatam, & cum aliquo errore connexam. Inquirere in quocumque caſu nomen complicis, pœnitenteſque perſuadere, quod detegere teneantur, aliàs indiſpoſitos eſſe, & abſolutionis incapaces, non eſſe abſolute erroneum, & ſcandaloſum, ita ut ex hoc principio in eo crimine puniendo fidei Tribunal ſe ingerere valeat. Actus inquirendi complices, cogendi pœnitentes ad eos detegendos, & denegandi abſolutionem, ſi detegere renuant, neque eſſe hæreticos, neque de hæreſi vel leviſſime ſuſpectos. Prædictam ſancti Officii juriſdictionem prætextari non poſſe, neque fundari in abuſu ſacramenti; dato enim quod in tali caſu aliquis interveniret, nec ideo ejus intentum recte ſe haberet; ſiquidem non poſſe cognoſcere de abuſu ſacramentorum, etiam ad fines malos, & illicitos (quin inter fines, & fines, abuſus, & abuſus aliquam agnoſcat differentiam) generaliter, & abſolute conſtituit. In prædicta praxi nullam poſſe conſiderari hæretici erroris ſuſpicionem, eo quod tendat ad vitanda peccata, atque ad correctionem proximorum, ſicque ad opus charitatis exercendæ, cum qua hæreſis nullatenus compatitur. Præfatum Inquiſitionis Tribunal contra juris naturalis regulas pœnitentes cogere ad denunciandos Confeſſarios

ſic

Digitized by Google

ſic perperam interrogantes nullatenus valuiſſe : id ſiquidem ſolum poterat in caſu formalis hæreſis, non vero in aliis criminibus, in quibus ſola vertitur hæreſis ſuſpicio. Nullum in damnato errore commune bonum conſiderari poſſe, quod id ſuaderet. Illud bonum commune tunc ſolum attendibile fieri, quando hæreſis talis eſt, ejuſque falſa dogmata ſic diffunduntur, ut animæ fidelium ſpiritualis ruinæ periculo ſubjaceant. Quod quidem ſolum conſiderat circa doctrinas expreſſe fidei contrarias, quas natura humana corrupta, & libertatis amans, atque ad naturale vitium prona facilius amplexabitur, quaſi ſentiat in aliis hæreſibus attendilibe damnum non timeri. Hoc periculum in memorata praxi in conſiderationem aliquam non venire, nullumque in ea verſari contagium; quippe quia non omnes Confeſſarii proximorum correctioni ſic invigilant, nec charitatis ardore ſic igneſcunt, ut tale onus, ac grave incommodum velint in ſe ſuſcipere: proptereaque, nec Confeſſarios in aliquo erroris cum periculo animarum contagio periclitari, nec Pœnitentiæ ſacramentum in diſcrimen aliquod adduci, aut attendibili offenſa jactari. Has pœnitentium denunciationes vel inutiles prorſus fieri, vel contra omnes leges maximis injuſtitiis viam pandere, eo quod Confeſſarii indefenſi condemnabuntur; quippe qui innocentiam ſuam purificare non poterunt, quin confeſſionis ſigillum adaperiant, quod eis nequaquam licitum erit; atque ita ex ſola ſimplici accuſatione punirentur: quod quam maxime iniquum, quam maxime ſit inexpiabile nemo non viderit, nullus non agnoverit. Licitum, immo & utile aliquoties fieri pœnitentes de complicum nominibus interrogare, & etiam eis renuentibus denegare abſolutionem; hancque D. Thomæ, ejuſque ſcholæ, immo & Scotiſticæ, & quæ inter Doctores tamquam certa habetur, doctrinam eſſe, nullatenuſque damnabilem; ſolumque ejus magnam frequentiam, & opinionem aſſerentem, eam in omni caſu, & de lege ordinaria licitam eſſe à ſanctiſſimo Domino prohiberi: ac proinde ſancti Officii Edicta eſſe directe contraria Angelici Præceptoris ſententiæ, ac certis inter Doctores opinionibus; indeque notoria injuſtitia, ac nullitate laborare, & attentati vitio ſubjacere; immo ſanctiſſimi Patris menti contraveniſſe, quæ ſolum fuerat prohibere, & damnare, quod *paſſim*, & in omni caſu inquirirentur complicum nomina, non vero quod inquirirentur in caſibus, quos moralis explicat Theologia. Et ne calumniæ, aut mendacii convincamur, huic falſiſſimæ interpretationi idem Excellentiſſimus Eborenſis in ſuis publicis Paſtoralibus calculos addidit apertiſſime; nec multum diſſentit Muratorius, licet in bonam partem accipiendus. Sanctiſſimum Patrem non Tribunali, ſed Ordinariis commiſiſſe punitionem delinquentium circa obſervantiam prædictæ

prædictæ reprobatæ praxis; ideoque, etiam ea data, in cognoſcendo de tali delicto ſe ingerere non poſſe; quod Excellentiſſimus Algarbienſis in ſua Paſtorali etiam aſſeruit. Nullam fuiſſe neceſſitatem ad ea Edicta evulganda, quia nulla dari poterat prædictæ damnatæ praxis probabilis certitudo: quod quidem eſt expreſſe contrarium Conſtitutioni *Ubi primum*, cui etiam aperte contradixit Muratorius, cum eamdem omnino protulit propoſitionem. Illam praxim, ſi forte irrepſerat, fuiſſe paucorum; atque proinde pro delicto aliquorum gravandos non eſſe omnes illa generali lege, quia crimen unius, vel alterius Confeſſoris non debebat ad omnes extendi cum adeo gravi ſuæ exiſtimationis diſpendio. Quod quidem futiliſſimum argumentum plurimi fecit Excellentiſſimus quidam Antiſtes, & adhuc Muratorius ineptiſſime recenſet, quin videat innocentes Confeſſarios ex illo generali Edicto non ſugillari, neque pro aliorum nocentium delicto puniendos eſſe; atque generales leges non probro aliquo innocuos afficere, ſed tantummodo contra delinquentes evulgari. Depoſitiones pœnitentium, vel complicum dubiæ, & inſufficientis credulitatis judicandas eſſe, cui propoſitioni etiam adſtipulatur Muratorius. Nunquam hucusque viſum fuiſſe, quod aliquis concionator licitam eſſe prædictam praxim (veluti ſi peius non eſſet latenter eam in confeſſionariis introducere) publice doceret: quæ ineptia plurimum Muratorio arriſit. Standum eſſe aſſertionibus Epiſcoporum affirmantium, apud Confeſſarios ſuarum Diœceſeon talem abuſum nullatenus obtinere; quod etiam Mutinenſis ſcriptor adnititur perſuadere; veluti ipſi ſcire poſſent, quod ibi occultiſſime agebatur, aut Epiſcoporum negativæ ad probationem faciendam aliquo privilegio ſint munitæ; aut conjecturis, quibus inſtructus Muratorius in aciem proſiliit, contra affirmativas atteſtationes deferendum ſit. De nulla fama, nullove talis criminis rumore attendibili conſtare. Caſu, quo aliquis eſſet, contemnendum fuiſſe, quia illius cauſa fuerat indignatio aliquorum, qui odio virtutis, & eam ſequentium, ab arcta perfectionis via deflectentes, prædictum errorem eis attribuere, & hæc effingere, ut ſuam bonam opinionem deſtruerent, injuſtiſſime machinabantur. Sancti Officii Tribunal in ea Edicta prorupiſſe non ad vitandum errorem, quod non exiſtebat in rerum natura, ſed ad hanc Epiſcopis injuriam inferendam, ſuisque privatis animi pathematibus, vel vindictæ ſtimulis inſerviendum; quod quidem aſſertum non religioſi viri, ſed maledici hominis deliramentum à prudentibus omnibus proculdubio judicabitur. Tandem Dominos Epiſcopos Tribunali contradicere, ac ſuam tueri juriſdictionem ſub gravis culpæ adſtringi reatu. Hæc omnia ſi rite perpendantur, in trutinamque revocentur, non alia diverſa, ſed ipſiſſima ſunt, quæ Muratorius, licet comptiori methodo, ſuoque declamatorio uſus ſtylo con-

 geſſiſſe

geſſiſſe videmus, non tamen probaſſe experimur. Quapropter ridendi ſunt aliqui Tertulli, ſemidoctique aſſentatores, qui ut plurimum ſcicere curant, & cum has materias à limine tantum inſpexerint, nihil tamen non audent, & falſa eruditionis opinione intumeſcunt, atque, ut ſuis plaudant, Muratorium maxime extollunt, quaſi ipſe ſolus rem omnem attigerit, compleveritque; cum tamen ipſe nihil de novo adduxerit, nihil probaverit, nihil, niſi convitia, ad ſcripta rependerit, quibus ea aut deſtrueret, aut ſaltem impugnare videretur. Oh quantum eſt in rebus inane! Quam ſoliti ſunt Tertulli iſti ex verborum apparatu, atque terminorum ſtridore judicare, ac magiſtraliter, ut ſibi fingunt, definere, alioſque, ut ſuum judicium ſequantur, perſuadere!

Multa alia prædictis ſimilia, variis intermiſtis male ſonantibus propoſitionibus, effutire viſus eſt Anonymus ille ſuæ farraginis conſarcinator. Cui ſtatim, ne mala herba citò creſceret, & radices ageret, ſeſe oppoſuit alius, licet ſuppreſſo nomine, non ignotus ſcriptor, qui diſceptationem inter duos Confeſſarios introducens, prædictæ diſſertationis, quæ in fideliſſima veritatis ſtatera inventa fuit minus habens, errores aperuit, doctrinas impugnavit, falſitates detexit, argumenta revicit, cavillationes deluſit, larvas denudavit, & quantas Anonymus ille deturpaverit Doctorum ſententias, apertiſſime demonſtravit. Optaremus profecto, ut Aſſentatores iſti nobis eodem ære, ac ſolidis argumentis, non vero garrulitatibus, ac inanibus confabulationibus ſolvendo eſſent; nam recalcare trita, & ad fundamenta contraria non reſpondere, ſtolidiſſimæ tenacitatis argumentum erit. Aſt, *Terra feret ſtellas, Cælum ſcindetur aratro*, ſiquid tale contra inconcuſſam veritatem quandoque aſſequantur. Hanc pro ea, & ſacramenti Pœnitentiæ, ejuſque inviolabilis ſigilli, ac rectæ adminiſtrationis defenſionem non defuit qui impedire cogitaverit: & cum aſſequi non poſſet, è manu typographi, antequam in lucem prodiret, habere contenderet, ut prompriſſima reſponſio elaboraretur. Et cum neque id conſequeretur, ſtatim quod ipſa evulgari cœpit, quod revinceretur, exoptaverat nimis, & fortaſſe præceperat. Reſponſum expectabamus, ſed nullus auſus eſt cum ſcriptore illo conſerere manus. Exterum quæſiere auxilium, quod tandem anno tranſacto poſt bellum acceſſit, ut hanc novam excitaret pugnam. An felicibus auſpiciis id tentaret, & victoriam canere poſſit, ex poſtea dicendis patefiet; in eo ſiquidem animo ſumus, ne lapidem ſuper lapidem relinquamus.

Hæc dum ita agerentur, & altercarentur, rectiſſimum fidei Tribunal ſic impetitum, ſic offenſum, ſic exagitatum, ſed nullatenus commotum; immo ſemper placido, ac pacifico ſpiritu, nihil agere, quod vindictam ſaperet, quod ſcandalum produceret, quod diſſidia foveret,

foveret, quod ſchiſmata generaret, prudentiſſime conſtituerat. Potuerat profecto ex vi ſuorum ſpecialium indultorum in quoſcumque (cujuſcumque dignitatis) ſuæ juriſdictionis perturbatores pœnis ſtatutis animadvertere, paſtorales literas annullare, ſuum rectum miniſterium perturbantes punire, typographos caſtigare, publicantes coercere, ſed nihil horum, ne exopatam tranquillitatem læderet, feciſſe juvavit. Totam ſuam ſpem in Deo, ac juſtitiæ, & fidei cauſa repoſuit; nec vana fides. Id tantummodo conſtituit, ut ad ſanctam Sedem Apoſtolicam Nuntium remittere illatæ ſibi injuriæ ſatisfactionem petiturum (habita prius ab Auguſtiſſimo Rege noſtro debita licentia) talem, qualem ſuam decebat auctoritatem, deſtinaverit. Is in votis fuerat vir certe omni laude maior, inter primos Regni Proceres æqualis, moribus, virtutibus, ac ſapientia nulli ſecundus, in ſupremo Inquiſitionis Areopago Conſiliarius prudentiſſimus, cujus nomen pro laudis cumulo ſatis eſt, Dominus Nonius Silvius Telleſius, qui ætate provectus, ac aliquibus moleſtiis præpeditus pro cauſa fidei, quam ſuſcipiebat, arduum iter arripere, ac legationem agere libentiſſime amplexus fuerat. Quod tamen munus exequi, neſcio quibus ex cauſis, ei datum non eſt; fortaſſe, quia aliqua interveniente mora, poſtea minus neceſſaria ea legatio viſa fuit, aut quia ipſe Summus Pontifex ad Eminentiſſimum Dominum Cardinalem da Cunha manu propria reſcripſerat, ad ejus notitiam perveniſſe prædictum deſtinari Nuntium, ſed neceſſarium non eſſe; ille quippe etſi multis, variiſque ſupplicationibus preſſus, pro ſancto Officio ſtabat, ſuam juriſdictionem ſemper illæſam ſervaturus.

Interea in Curia Romana Antiſigilliſtarum Patroni inſidias ſtruebant, mendacia ſeminabant, querellas diffundebant, ac per Procuratores ſuos nulli curæ, nulli ſtudio, nulli impenſæ, nulli ſuggeſtioni indulgebant, ut res pro voto eis accideret, ut enixius exoptabant. Sanctiſſimus vero Pater, omnes ex utraque parte productas atteſtationes, omne negotium, omnia fundamenta, omnes rationes, conſequentias omnes, religionis periculum imminens, ſacramenti Pœnitentiæ rectam adminiſtrationem, utriuſque partis jura, ut rem omnem, prout neceſſitas, & impendens ſchiſma exigebat, componeret, ac decerneret, profunde rimabatur. Quouſque ſuam ſanctiſſimam, prudentiſſimamque edidit Conſtitutionem *Ubi primum*, in qua, quid tenendum, quid obſervandum eſſet, infallibili ſanctæ Sedis judicio definivit. Per hanc igitur ſuam novam Conſtitutionem Bullam *Suprema* in omnibus, & per omnia confirmat. Aſſerit de prædicta erronea praxi, ejuſque periculo ſibi certo conſtare. (Videat Muratorius cui aſſertioni, cum praxim negat, audacius contradixerit.) Eamdem praxim ut ſcandaloſam, ad ſacri ſigilli revelationem ex ſe aptam, proximorum famæ, ipſique ſacramento injurioſam iterum damnat. Complicum, & omnium circumſtan-

cumſtantiarum, ex quibus ad eorum cognitionem deveniri poſſit, interrogationem *penitus* prohibet, ac reprobat. Declarat ejus praxis, atque Confeſſorum eam docentium, aut defendentium, aut utentium cognitionem, & punitionem ad ſanctum Officium attinuiſſe, ac attinere: ad quod, quatenus opus ſit, juriſdictionem omnimodam de novo concedit, ut idem Tribunal procedat contra delinquentes eodem modo, quo contra hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos procedere ſolet. Similiter, & eodem modo procedendum eſſe conſtituit contra omnes, & quoſcumque ſuam Conſtitutionem perverſe, aut ſiniſtre interpretantes; quam *interpretationem* ſub anathemate ſibi, ſuiſque ſucceſſoribus reſervato omnino interdicit. Neſcio an Muratorius, an garruli quidam in hanc cenſuram incidiſſe dicendi ſint. Ipſi viderint. Declarat tamen, quod ſi actus interrogandi, quamvis imprudens, & malus, ſimplex tamen, & nudus fuerit, id eſt iis circumſtantiis non veſtitus, quæ Confeſſarium ſic interrogantem de adhæſione ad doctrinam, aut praxim, aut de prava credulitate ſuſpectum reddant, tunc ejus criminis cognitio, & caſtigatio ad Ordinarios ſpectet. Identidem pœnitentes ab obligatione denuntiandi certis ex cauſis, quas non explicat, quoad ea ſcilicet peccata cum complice commiſſa, de quibus confeſſi fuerint, non vero quoad alia, quorum rei non fuerint, immunes reddit; non tamen prohibet, quod, ſi velint, denuntiare poſſint. Quæcumque Edicta, ſeu quaslibet paſtorales literas (quod Muratorius doloſe reticuit) ſuis Conſtitutionibus contrarias viribus deſtituit, ac omnino annullat. Decernit tandem, quod Breve *Suprema*, Conſtitutioque *Ubi primum* nullo unquam tempore aliquo obreptionis, vel ſubreptionis vitio, vel intentionis, aut conſenſus illorum, quorum intereſſe potuiſſet, defectu notari valeant; neque propter non verificatas, aut non juſtificatas Conſtitutionis cauſas aliquando in dubium revocentur, ſemperque ſuæ literæ, prædictis non obſtantibus, ſuos plenarios effectus ſortiantur.

Pervenit hæc prudentiſſima Conſtitutio ad noſtrum Portugalliæ regnum, illicoque ejus praxis ſectatores, eorumque patroni magna, ſed fortaſſe exteriori tantum lætitia perfuſi ſunt. Sibi mutuo, etſi aliud in corde ſentirent, hilariter plaudebant, ſibi invicem congratulabantur, quod viciſſent; ea quippe Conſtitutio, ut fingebant, tota in ſui, ſuæque opinionis, ac paſtoralium literarum favorem lata fuerat. Id aſſerere prædicti Excellentiſſimi Antiſtites videbantur. Invitus refero; mihi tamen in culpam verti jure non poteſt, quod ea dicam, quæ ex ipſis publicis Paſtoralibus omnibus innoteſcunt. Nam Algarbienſis in ſua ſecunda Paſtorali in publicum edita expreſſe ſcripſit, Pontificiam Conſtitutionem ſuæ antecedenti *interinæ*, ut ait, Paſtorali conformem eſſe. Ridiculum ſane, ſubdolumque aſſertum, in conſpectum totius orbis

orbis eructatum! S. Pontifex damnat praxim, quam ille nec damnaverat, nec prohibuerat. S. Pontifex errorem illum revera extitiſſe affirmat, ille vero negaverat. S. Pontifex conſtituit ejus criminis, prout damnatur, cognitionem ad ſancti Officii juriſdictionem pertinere; ille vero id renuerat; & tamen ſuam *interinam* Paſtoralem Pontificiæ Conſtitutioni in omnibus, & per omnia dicit conformem. Quis hanc conformitatem non mirabitur? Si tamen ita res ſe habebat, cur primam juſſit aboleri? Cur hanc ſecundam non in die feſto, ſed feriato, in quo nullus populi concurſus, publicari fecit; cum tamen primam, ut moris eſt, die Dominico publicam facere non prætermitteret? Cur primam clavis confixam, ac cenſuris munitam edidit; ſecundam vero nullo præcepto, nullave firmavit cenſura? Quid hoc ſibi velit, plene demonſtravit diſſertatio, cui titulus *Parallelo evidente*; nos vero prudentum judicio relinquamus. Excellentiſſimus Eborenſis in ſua ſecunda Paſtorali, conſervata prima, neque ex Eccleſiarum januis avulſa, quaſi nihil contra Pontificiam Conſtitutionem contineret, omnibus legendam præbuit, ſanctiſſimum Patrem dignatum fuiſſe controverſiam juriſdictionalem (cum tamen nulla revera daretur) dirimere, conſervareque Ordinariis eam, quæ eis de jure competebat, (quam ſancti Officii Tribunal nec in minimo perturbaverat) & declarare, quæ ad ſanctum Officium attineret, (hæc autem nulla alia erat, quam ab ipſo Tribunali ſuo jure exerci a, & ab Ordinariis temere perturbata.) Solumque prohibuiſſe complicum interrogationes, quæ *paſſim* fierent: quaſi ſic inſinuare viſus ſit adhuc in ea perſiſtere opinione, prædictam reprobatam praxim multis in caſibus licitam eſſe, ſolamque magnam frequentiam, & doctrinam, id licere *de lege ordinaria*, ſummovendam decreviſſe. Quam doctrinam etiam nunc omnis adulantium chorus celebrat, quidam Theologus patrocinatur, & Mutinenſis Advocatus amplectitur. An Pontificiæ Conſtitutionis ea mens ſit, an ipſi, qui ita ſentiunt, conſoni ſe exhibeant, an vero reprobatæ praxi ſub præfato cavillo adhæreant? An prout ſupremus Legiſlator deliberavit, ita eorum ferat corde voluntas, datamque legem capeſſere ſit animus, an vero antiqua opinio adhuc fixa, immotaque ſedeat? Id tot terrarum ſpatiis à nobis ſejunctus dicet Muratorius, atque adepto in Mutinenſi bibliotheca magiſterio interpretabitur. Excellentiſſimus vero Conimbricenſis, qui ad ea uſque tempora nihil in publicum produxerat, ſuam etiam (interim omnibus Eccleſiæ campanis feſtive ſonantibus) legere fecit Paſtoralem, in qua paucis verbis aſſerebat, nihil tale, quod damnabatur, in ſua, vel Leirienſi Diœceſi, cujus tunc Gubernator erat, in uſu fuiſſe. Pontificiam vero Conſtitutionem verbis Latinis, ſicut jacuerat, ſuæ Paſtorali interſeruit, fortaſſe, ut ovibus ſuis illius idiomatis ignaris, quæ in ea decernabantur, maiori ex parte ignota remanerent. An poſtea

in

in vernaculum ſermonem verſa, & veraciter explicata fuerint, conſcius non ſum. Quid alii fecerint, quomodove Conſtitutionem illam executioni mandarent, nihil ſcio, neque fama retulit: ſcit tamen omnium familiariſſimus teſtis Muratorius. Mihi perſuaſum habeo eos ſiluiſſe; cum enim non adeo obtuſa geſtaſſent pectora, non eos latere potuit, Pontificiam Decretalem ſancti Officii juriſdictionem quoad reprobatam praxim, perſpicuis ſane verbis obfirmaſſe. Eminentiſſimus vero Lisbonenſis Patriarcha (quidquid Mutinenſis Lucilius convitiando detrectet) eam in publicum edere, eo quod nec in apice ſuæ Paſtorali contrairet, ſupervacaneum eſſe duxit; ad id enim ii ſoli adſtricti erant, qui contrariam tenuerant ſententiam.

An prædicta Conſtitutio omnem prorſus contentionem ſedaret, & à prædictæ praxis ſectatorum mentibus conceptam ſemel opinionem omnino evelleret, incertum eſt; ſed ex aliquibus incidentibus colligendum ſupereſt. Multa profecto fama refert, atque in ore aliquorum veluti indubia habentur, quæ ſaltem concepti in ſanctum Officium odii apertiſſima argumenta eſſe poſſent. His tamen factis recenſendis modeſte abſtineo, tum quia certa fuiſſe, etſi alii affirment, mihi perſuadere non valeo; tum quia quidquid aliquam in individuo perſonam attingeret, niſi extrema defenſionis neceſſitas urgeret, ſilentio obvolvere ab exordio propoſuerim: præcipue circa colendiſſimos admodum Antiſtites, quorum nullam omnino mentionem habuiſſem, nec etiam circa ea, quæ ex ſuis Paſtoralibus ſunt notiſſima, ſi ab imprudenti contradictore non provocarer. Merito igitur iis factis referendis, licet non eis omnis fides deneganda ſit, atque judicio ferendo ſuperſedeo. Id ſolum addo, quod vel vera ſunt, vel falſa: ſi vera, infelix certe ſæculum noſtrum, in quo hæc, multaque alia ſilentio obvoluta ſub virtutis ſpecie, ac juriſdictionis tuendæ larva fieri contingit. Sin vero falſa, iterum infelix, quia his dicteriis, his oblocutionibus, his ſcandalis ampliſſima à virtuoſiſſimis, atque à Muratorio adeo laudatis Confeſſoribus occaſio data ſit.

Interea ſanctiſſimus Dominus noſter maxima paſtorali ſolicitudine invigilans, ne pernicioſus ille abuſus amplius ſerperet, forſanque ad compeſcendam aliquam minus ſanam opinionem, aut ſubdolam excuſationem, qua dicebatur, rem ex cathedra non definiiſſe, tertiam Conſtitutionem *Ad eradicandam* pro univerſo edidit orbe, per quam iterum prædictam erroneam praxim interrogandi complicum nomina omnino damnavit, confirmavitque ſuum Breve *Suprema*, ut ubique terrarum pro certo dogmate haberetur, prædictum abuſum ſcandaloſum eſſe, *ac tam famæ proximorum, quam ipſi etiam ſacramento injurioſum.* His expreſſiſſimis editis Conſtitutionibus omnia conquieſcere videbantur. Non quievit tamen Eborenſis Præſul; cum enim adveniente Quadrageſima,

geſima, ſancti Officii Tribunal ſuum ſolitum ederet edictum, in quo prædictæ praxis, & reprobatæ doctrinæ ſectatores, ſecundum modum, & formam in Pontificia Conſtitutione ſtatutam, denuntiari juſſiſſet, prædictus Antiſtes (quod inſolitum erat) ſuam etiam tertiam Paſtoralem primæ, & ſecundæ per omnia ſimilem evulgare fecit, in qua ſuum ſemel aſſumptum *paſſim* ad ſuam certam mentem aperiendam ex conſulto repetiit. Cui judicio & ſupradictus Anonymus cautam dedit, & tum quidam Theologus, tum Muratorius calculos addiderunt. An jure diſſertationes editæ ſat aperuerunt, & hæc noſtra iterum, atque iterum ſuo loco demonſtrabit. Non quievit, inquam, nec quieverunt cæteri: ſiquidem ægre nimis ferebant, quod evulgatæ pro ſigilli ſacramentalis ſtrictiſſima obligatione, & ſancti Officii jure diſſertationes ſine contradictore currerent, omneſque ſuppreſſas exoptabant: idque in Romana Curia agere non deſiſtebant, inſtantiſſime depoſcentes, quod ut Epiſcopis injurioſæ prohiberentur. Errabant certe, & ſibimet ipſis maiorem injuriam irrogabant; etenim erroris illius aut auctores, aut patroni conſtituebantur, dum contra eumdem ſcribentes ſibi injurioſos fuiſſe contendebant. Errabantque iterum, dum veri dogmatis defenſores, eo quod acrioribus verbis, prout criſis expoſcit, uterentur, damnatos, ſeu prohibitos deſiderabant. Quis videret hos tractatus, certe orthodoxos, à ſancta Sede ſupprimi, & non ſibi ratum habuiſſet eos aliquo errore conſpurcari? Interim introducta praxis liberius gliſceret, nec contradictores habere potuiſſet. Flexo igitur poplite, & dimiſſiſſime ad ejus pedes provoluti Pontifici Maximo gratulamur, quod hæc prudentiſſime prævideret, prædictiſque inſtantiſſimis votis non annueret.

Sed quid poſt hæc? An quieverunt? Minime. Etiam ſuos ſcriptores, & defenſores habere voluerunt. Non ſibi ſatis eſſe manuſcriptas farragines, certe publicæ lucis penitus indignas, judicaverant. Aliquam, quæ typis mandata ſine eorum præjudicio evulgari poſſet, concupierunt. Et quia vel exiguas vires ſuas agnoverant, vel apertam aciem inſtruere verebantur, non quia timerent ſatyras, ut Muratorius excuſare intendit; ſed quia nihil ſcribere poterant, quod eos introducti abuſus non detegeret patronos, extraneam, auxiliaremque militiam prætio conductam exquiſierunt, in ſubſidiumque vocarunt. Inexpiabile ſane dedecus tot literatorum virorum, ut exteram opem efflagitarent! Sed quid inconſultus ego literatos vocavi? An neſcio hos homines virtuti deditos eſſe, & cum ſapientia virtutem non compati? Non mea hæc propoſitio eſt, ſed eorum: quippe qui illam theſim certam habent, religiones, ſcilicet, non literis, ſed virtutibus ornatas eſſe oportere, nec ſapientes, ſed virtuoſos religioni eſſe proficuos. Oh, ſi horum apophthegmatum rationem haberemus, quanta dicendi leges ſupererat!

Sed

Sed contrahamur. Si igitur univerſalis Eccleſiæ Doctor jam quæſtionem abſolvit: ſi pro, & contra, quæ juris, & rationis erant, infallibiliter decrevit, ad quid novis diſſertationibus opus erat, ut nos jam ſilentes provocarent? Irrequieti animi ſignum, ac ſpiritus non pacem, concordiam, & humilitatem amantis argumentum eſt hæc externæ militiæ advocatio. Non amicabile fœdus deſiderat qui poſt rem compoſitam adhuc arma ciere non addubitat. Si tamen aliquid, quod ſuo juri faveat, ſupereſſe arbitrantur, cur adhuc armatam ſtipem colligunt, & aliena ſubſidia ſuppetias vocant? Cur ex propriis armamentariis Theologicæ, Moralis, & Dogmaticæ ſcientiæ armamenta, ſeu potius armilia, non depromunt, quibus patrios commilitones inſtruant, qui ad prælium accincti rationum, & argumentorum pondere fundamenta noſtra deprimant, ac in ima projiciant? Si ſibi ipſis jam non fidunt, & vires ſuas omnino confractas experiuntur, victoriam fateantur, neque ad remotiſſima auxilia ſe convertant. An adeo ſcientia deſtituti inveniuntur, ut alienum, & in facto aut non rite, aut doloſe inſtructum ſcriptorem adeant, & auxiliarium implorent? Jacere fatentur qui ab alio expetunt, ut manum porrigat. In ultimo certaminis agone conſtitutos ſe eſſe fatentur qui alios expoſcunt ſubventuros. Victorum non eſt externum militem rogare, qui eis ſubſidio eſſe poſſit. Rogarunt tamen, & inſtantiſſime rogarunt, immo & coemerunt. Sed quid ipſe poteſt? Praxim defendere? Jam à ſancta Sede reprobata conſpicitur. Negare facta? Quid tamen poterit Mutinenſis ſcriptor circa facta tam longo terrarum intervallo contingentia? Juriſdictionem Epiſcoporum defendere? Inutilis ſanè labor! Jam Legiſlator ſupremus, totiuſque juriſdictionis eccleſiaſticæ fons irriguus, quæ Epiſcoporum, quæ vero ſanctæ Inquiſitionis ſit, prudentiſſime decrevit. Jam doctrinis ſuis arefactas mentes irrigavit; ſat prata biberunt. Intelligimus optime quæ ipſe decrevit; Muratorio interprete non indigemus. Si tamen indigent ipſi, ſi adhuc ex cauſa morbi hydropes turgent, nec ſitim expellunt, nos, quin exteros vocemus medicos, ipſis Pontificii fontis ſalutiferis aquis, *ſi plus non docta valeat arte malum*, ſuis ſiccatis occulta febre medullis, nunc medebimur. En habes, quiſquis legas, totam Antiſigilliſtarum hiſtoriam omnibus ſemper ætatibus deplorandam. En totam facti ſeriem. Nunc ad Theologiæ, ſeu Juris quæſtiones accingamur.

CO-

CORUSCATIO TERTIA.

VARIA IMMITENS FULMINA

Circa ſacramenti Pœnitentiæ neceſſitatem, & ſacri ſigilli ſtrictiſſimam obligationem.

NOn inutilis aleæ opus erit, ſi priuſquam de aliis diſceptemus pro indefectibili fundamento maximam, indiſputabilemque ſacri ſigilli neceſſitatem ſtabiliamus; demonſtremuſque omni jure proculdubio præceptam eſſe. Et licet id apud noſtros adeo certum, inconcuſſeque tenendum ſit, ut nullus orthodoxus dubitet unquam; immo nec etiam hæretici illi, qui Pœnitentiæ ſacramentum agnoſcunt, ejus neceſſitatem ambigere videantur. Quia tamen aliqui fuerunt, qui illud non juri divino, ſed Eccleſiaſtico tribuerent; alii verò, qui aſſerant, eam ſtrictiſſimam obligationem ſigilli non ita rigoroſe primis Eccleſiæ ſæculis, ut eam nunc ſcholaſtici Theologi exagerant, viguiſſe, & alias ſanctiſſimus Dominus Noſter praxim interrogandi complices, & compellendi pœnitentes ad ipſos conſcios detegendos, ut tendentem ad ſacri ſigilli revelationem jure merito improbet, opere pretium facturus videor, ſi qua poſſim luce, & Pœnitentiæ, & ejus ſigilli præceptum infallibile demonſtrem.

FULMEN PRIMUM

Pro neceſſitate ſacramenti Pœnitentiæ refulget.

JEſum Chriſtum Dominum Noſtrum omnium, quæ in Eccleſia veneramur ſacramenta, Auctorem fuiſſe, & propterea etiam ſacramentum Pœnitentiæ inſtituiſſe, nullus erit, niſi hæreticis adnumerari cupiat, qui renuat confiteri. Id evidenter patet ex verbis ejuſdem Domini Noſtri Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur, & quorum retinueritis retenta ſunt.* Ex quibus verbis Pœnitentiæ ſacramentum à Chriſto Domino inſtitutum fuiſſe definit ſacrum Concilium Tridentinum *Seſſ.* 14. *cap.* 1. his verbis: *Quo tam inſigni facto, & verbis tam perſpicuis, poteſtatem remittendi, & retinendi peccata ad reconciliandos fideles poſt Baptiſmum lapſos Apoſtolis, &*

eorum ſucceſſoribus fuiſſe communicatam univerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit. Ideoque idem Concilium anathemam dixit negantem Pœnitentiam verum, & proprium eſſe ſacramentum: *Si quis dixerit in Eccleſia Catholica Pœnitentiam non eſſe vere, & proprie ſacramentum, pro fidelibus, quoties poſt Baptiſma in peccata labuntur, ipſis Deo reconciliandis, à Chriſto Domino inſtitutum, anathema ſit.*

2 Similiter, idem ſalutare Pœnitentiæ ſacramentum ad reconciliandos Deo peccatores, & ad eos ſalvandos eſſe omnino neceſſarium vel in re, vel in voto, eſt inter omnes fideles, inter Patres, Theologos, & Canoniſtas proculdubio certum, ita ut nullus neſciat, nullus ambigat, nullus reluctet. Id probatur ex auctoritate Chriſti Domini Lucæ *cap.* 13. in illis verbis: *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis.* Qua auctoritate Patres Concilii Tridentini *dict. cap.* 1. uſi ſunt ad oſtendendam ejus neceſſitatem. *Quoniam*, ſic aiunt, *autem Deus dives in miſericordia, cognovit figmentum noſtrum; illis etiam vitæ remedium contulit, qui ſeſe poſtea in peccati ſervitutem, & dæmonis poteſtatem tradidiſſent, ſacramentum videlicet Pœnitentiæ, quo lapſis poſt Baptiſmum beneficium mortis Chriſti applicatur.* Et poſtea *cap.* 2. clarius in his verbis: *Eſt autem hoc ſacramentum Pœnitentiæ lapſis poſt Baptiſmum ad ſalutem neceſſarium, ut nondum regeneratis ipſe Baptiſmus.* Quod quidem jam ante docuerant *Seſſ. 6. de juſtificat. cap.* 4. in his verbis. *Hic enim juſtificationis modus eſt lapſis reparatio: quam ſecundam poſt naufragium deperditæ gratiæ tabulam ſancti Patres apte nuncuparunt. Etenim pro iis, qui poſt Baptiſmum in peccata labuntur, Chriſtus Jeſus ſacramentum inſtituit Pœnitentiæ, cum dixit: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. Unde dicendum eſt Chriſtiani hominis pœnitentiam poſt lapſum, multo aliam eſſe à baptiſmali, eaque contineri non modo ceſſationem à peccatis, & eorum deteſtationem, aut cor contritum, & humiliatum, verum etiam eorumdem ſacramentalem confeſſionem, ſaltem in voto, & ſuo tempore faciendam, & ſacerdotalem abſolutionem.* Et *cap.* 5. in hunc modum. *Ex inſtitutione ſacramenti Pœnitentiæ jam explicata, univerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutam eſſe à Domino integram peccatorum confeſſionem, & omnibus poſt Baptiſmum lapſis, jure divino neceſſariam exiſtere.* Et *Can.* 1. per hæc verba: *Si quis dixerit in Catholica Eccleſia Pœnitentiam non eſſe vere, & proprie ſacramentum pro fidelibus, quoties poſt Baptiſmum in peccata labuntur, ipſi Deo reconciliandis, à Chriſto Domino noſtro inſtitutum; anathema ſit.* Et *can.* 6. in hunc modum. *Si quis negaverit Confeſſionem ſacramen-*

cramentalem vel inſtitutam, vel ad ſalutem neceſſariam eſſe jure divino; aut dixerit modum ſecrete confitendi ſoli Sacerdoti, quem Eccleſia Catholica ab initio ſemper obſervavit, & obſervat, alienum eſſe ab inſtitutione, & mandato Chriſti & inventum eſſe humanum: anathema ſit. Stabilitum hinc maneat confeſſionem ſecretam ſoli Sacerdoti faciendam ab Eccleſia ſemper obſervatam fuiſſe tamquam à Chriſto Domino noſtro inſtitutam, quod adnotare oportet ad ea, quæ poſtea dicturi ſumus. Idem Concilium *Can.* 7. ſic decernit: *Si quis dixerit in ſacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe jure divino confiteri omnia, & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ ſunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumſtantias, quæ peccati ſpeciem mutant; ſed eam confeſſionem tantum eſſe utilem ad erudiendum, & conſolandum pœnitentem, & olim obſervatam fuiſſe tantum ad ſatisfactionem canonicam imponendam; aut dixerit eos, qui omnia peccata confiteri ſtudent nihil relinquere velle divinæ miſericordiæ ignoſcendum; aut demum non licere confiteri peccata venialia: anathema ſit.*

3 Id ipſum jam antea difinierat in Concilio Conſtantienſi S. P. Martinus V. contra Joannem Wiclef, Joannem Hus, & Hieronymum de Praga, per hæc verba. *Unum credat, quod Chriſtianus, ultra contritionem cordis, habita copia Sacerdotis idonei, ſoli Sacerdoti de neceſſitate ſalutis confiteri teneatur.* Id ipſum conſtitutum, & declaratum fuit à S. P. Xiſto IV. in Extravagante, quæ incipit: *Licet ea*, contra Petrum Oxonienſem, in qua damnantur ejus Petri prima, ſecunda, & tertia propoſitio. Prima ſic habebat: *Peccata mortalia deleri per ſolam cordis contritionem, ſine ordine ad claves.* Secunda ſic proponebatur: *Confeſſio de peccatis in ſpecie fuit ex aliquo ſtatuto univerſalis Eccleſiæ, non de jure divino.* Tertia ſic aſſerebat: *Pravæ cogitationes confiteri non debent, ſed ſola diſplicentia delentur ſine ordine ad claves.* Has igitur propoſitiones damnavit Xiſtus, & per conſequens probavit confeſſionem ſacramentalem à Chriſto Domino inſtitutam, & omnino neceſſariam. In idem eſt Concilium Florentinum, quod de ſacramentis agens ſic conſtituit: *Novæ legis ſeptem ſunt ſacramenta: videlicet Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema unctio, Ordo, & Matrimonium..... Quod ſi per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per Pœnitentiam ſpiritualiter ſanamur.* Sacramenta autem à Chriſto Domino, non ab Eccleſia inſtituta fuiſſe nemo ambigit. Si autem ſpiritualiter per Pœnitentiæ ſacramentum ſanamur: ergo neceſſarium eſt ad ſalutem. Poſtea proſequitur Concilium: *Quintum*

Digitized by Google

tum ſacramentum eſt Pœnitentia, cujus quaſi materia ſunt actus Pœnitentis, qui in tres diſtinguuntur partes. Quarum prima eſt cordis contritio, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero. Secunda eſt oris confeſſio, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, ſuo Sacerdoti confiteatur. Tertia eſt ſatisfactio pro peccato ſecundum arbitrium Sacerdotis; quæ quidem præcipue fit per orationem, jejunium, & eleemoſinam. Forma hujus ſacramenti ſunt verba abſolutionis, quæ Sacerdos profert, cum dicit: Ego te abſolvo &c. Miniſter hujus ſacramenti eſt Sacerdos, habens auctoritatem abſolvendi, vel ordinariam, vel ex commiſſione ſuperioris. Effectus hujus ſacramenti eſt abſolutio à peccatis. Ex qua Concilii definitione clarè liquet, confeſſionem ſacramentalem Sacerdoti neceſſario faciendam, à Chriſto Domino ſacramentorum inſtitutore promanaſſe.

4 Non utor variis veteris Teſtamenti figuris, & ſacræ paginæ auctoritatibus, in quibus Pœnitentiæ ſacramentum adumbratur: quas quidem multas adducit Belarminus infra citandus, ex iis compluríma deducens argumenta, quæ tetigit Cardinalis Petra ad Conſtitutionem primam Martini V. quia, ut ipſe recte ait cum Vega *lib.* 13. *cap.* 26. ante Chriſtum Dominum nulla unquam hominibus ligandi, aut ſolvendi poteſtas data fuerat: ac ita, ſolum iis utebantur Patres tamquam teſtimoniis, *ut amabilem Deo confeſſionem peccatorum oſtendant, quam tanto ante tempore tam multis involuerit, & delineamentis nobis ille commendavit.* Similiter non immoror in referendis ſanctorum Patrum auctoritatibus, quarum poſtea, prout res popoſcerit, mentionem habebimus: nobis namque orthodoxis ſatis, ſuperabundeque eſt quod ſacroſanctæ generales Synodi in Sancto Spiritu congregatæ ſic definierint; nec amplius inquirendum. Oblatrent quantum libeat Maſſiliani, Jacobitæ, Wicleſiſtæ, Lutherani, Calviniſtæ: oblatrent Joannes Hur, Hieronymus Pragenſis, Eraſmus, Rhenanus, Oecolampadius, Melanchton, Kemnitius, & alii plures; latrare enim, ut is, quem ſequuntur, poterunt, mordere non poterunt. Qui plura deſideret, ne ſemper ſimplicis Moralis ſcientiæ Profeſſoribus, ſive (ut alii per contemptum vocant) meris caſuiſtis vacent, legat Belarminum *lib.* 3. *de Pœnitent.* Natalem Alexandrum *ſect.* 14. *diſſert.* 14. Cardinalem Petra ad *dict. Conſtit. Martini V.* Eſtium *in* 4. *diſt.* 17. §. 7. *ad* 5. & doctiſſimum Jeſuitam Balthaſſarem Francolinum in ſua Theologia Dogmatica in libris *de Pœnit. ſacram. & ſacram. pœnit. diſcipl.* in quibus veras, incorruptaſque doctrinas, ſine vel leviſſimo dogmatis præjudicio ad ſatietatem uſque haurire poterit. Non prætermittat Franciſcum Amatum Pouget Inſtitut. Catholicæ tom. 2. cap. 5. & doctiſſimum Jodocum Coccium in

in Theſauro Catholico lib. 7. art. 3. ubi Hæreticos impugnantes, ſcripturas, Patres Græcos, & Latinos neceſſitatem Pœnitentiæ probantes abundantiſſime ſine labore aliquo inveniet. Legat etiam, ſed caute legat, ſi ei liceat, alios recentiores Diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſcriptores; multoties enim ſub melle venena latent. Hi ſiquidem ſic multa ad eruditionem utilia congerunt, ut quandoque aliqua periculoſa intermiſceant: & plus hiſtoriæ Auctoribus, quam Scholaſticis Theologis, quos in perniciem veri dogmatis ſpernunt, ut indoctiorum mentibus malam fidem ingerant, aperta fronte contemnunt, deferentes, ſtatim quod aliquid in ipſis hiſtoriis antiquis factum fuiſſe invenerunt, Diſciplinæ Eccleſiaſticæ antiquæ id attribuunt, quam ſuſcitatam ambiunt, & ad quam tuendam Patrum ſententiis non rite perceptis abutuntur. Id lectores moneo, ut quoties videant Theologos Scholaſticos ab aliquo Auctore parvi pendi, ſtatim ſuſpicionem concipiat, in eo aliquid noxium proculdubio latere, & caute ſe habeat, ne decipiatur. Id certum, quod hæretici Theologiam Scholaſticam odio habent, quia ab ea errores ſui evidentiſſime convincuntur. Hos ſequuntur, qui certa ſcientiæ principia non calent, & in Criticorum libris verſati, ut omnibus docti videantur, velut Pſittaci loquuntur, oreque pleno Theologos, Canoniſtaſque deſpiciunt.

FULMEN SECUNDUM

Pro arctiſſima ſacri ſigilli obligatione irradiat.

CUM ſacrum Concilium Tridentinum expreſſe definiat, ſecretam confeſſionem ab Eccleſia ſemper retentam, & ab initio obſervatam mandato Chriſti Domini conformem eſſe, neque inventum fuiſſe humanum: conſequens eſt, ut Pœnitentiæ ſacramentum ex vi ipſius inſtitutionis, & intrinſecæ exigentiæ ſit omnino ſecretum, & inviolabili ſilentio ſi-
gillatum. Adeo, ut doctiſſimus Francolinus rectè ſic aſſerat: *Nul-* Lib. 1. diſp. 18.
lus enim hæreticus, qui confeſſionem admiſerit ipſum ſeveriſſime cuſ-
todiendum negavit. Et licet Cardinalis de Lugo aſſerat Concilium Diſp. 23. de pœnit. Sect.
Tridentinum nihil circa ſacrum ſigillum docuiſſe: attamen id mi- 1 n. 1.
hi videtur ex ipſo Concilio optime probari in illis verbis: *Unde* Dict. ſeſſ. 14.
cum à ſapientiſſimis, & antiquiſſimis Patribus, magno, unanimique cap. 5.
conſenſu ſecreta confeſſio ſacramentalis, quà ab initio Eccleſia ſancta uſa eſt, & modo etiam utitur, fuerit ſemper commendata. En habes expreſſam Concilii doctrinam declarantis, ſecretam (quod idem

idem valet, ac ſigillo munitam) confeſſionem ab initio Eccleſiæ eo modo, quo nunc ea utitur, ſemper commendatam, in moreque
Dict. Canon. 6. fuiſſe. Et iterum ſic: *Aut dixerit modum ſecrete confitendi ſoli Sacerdoti, quem Eccleſia Catholica ab initio ſemper obſervavit, & obſervat, alienum ab inſtitutione, & mandato Chriſti, & inventum eſſe humanum: anathema ſit.* Ex quibus verbis aperte conſtat modum ſecrete confitendi ſoli Sacerdoti; ideſt ipſi, & non aliis, non ab homine, ſed à Chriſto inſtituente initium ſumpſiſſe: anathemamque dicit eſſe, qui aliter ſenſerit. Credo nihil clarius conſ-
Dict. cap. 5. tare potuiſſe. Idem probatur ex eodem Concilio in hunc modum: *Neque enim per Lateranenſe Concilium Eccleſia ſtatuit, ut Chriſti fideles confiterentur, quod jure divino neceſſarium, & inſtitutum eſſe intellexerat.* Ex quibus verbis patet Concilium intellexiſſe confeſſionem ſecretam, de qua antea egerat, & de qua expreſſe loquitur Lateranenſe, de jure divino fuiſſe inſtitutam. Quo poſito tamquam certo.

Cap. 21. quod refertur in cap. Omnis Chriſtian. de Pœnit. & remiſ.

2 In prædicto Lateranenſi Concilio ſub Innocentio III. ſic decernit: *Caveat autem omnino, ne verbo, aut ſigno, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem: ſed ſi prudentiori Concilio indiguerit, illud abſque expreſſione perſonæ caute requirat; quoniam, qui peccatum in pœnitentiali judicio ſibi detectum præſumpſerit revelare, non ſolum à ſacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arcto monaſterio detrudendum.*

3 Ne autem hanc Confeſſionis ſecretæ, ſigillique neceſſitatem cum Petro de Oſma, aliiſque ejuſdem erroris ſectatoribus Innocentio III. in prædicto Lateranenſi Concilio, contra expreſſam Tridentini declarationem tribuatur, alia anteriora Concilia referre opus erit. Nicænum primum *cap. 25. Canon. Arabicor.* ſic ait: *Filii Eccleſiæ Dei, ſi quis veſtrum in peccatum lapſus fuerit, ne illud coram hominibus divulget.... Nihilominus, qui in peccatum incidit, ne deſperet, aut de Dei diffidat miſericordia, & ſpem omnem abjiciat, ſed revertatur ad Deum, & pœnitentiam agat, Sacerdoti medico ſuum aperiat peccatum, & puro defleat corde, quia per eum Deus ſolus condonat nobis peccata, & crimina.* Concilium Duſiacenſe hæc habet: *Cæterum omnes tam Clerici, quam laici, vel fœminæ confitentes ſecreta confeſſione Sacerdotibus peccata ſua, & ea dignæ pœnitentiæ ſatisfactione deflentes, nequaquam ſunt prodendi: & peccata eorum nulli à Sacerdote quacumque ſignificatione ſunt manifeſtanda.* Concilium Rotomagenſe *cap. 8.* ſic conſtituit: *Sic tamen, ut jure confeſſionis peccantis perſona nulli detegatur.* En expreſſe habetur ſigilli obligationem confeſſionis jure debitam eſſe.

Ex

4 Ex his meridiana luce clarius pateſcit, etiam ante Lateranenſe Concilium, & tempore primi Nicæni confeſſionis ſigillum cognitum, præceptumque fuiſſe, ac Eccleſiæ uſu inconcuſſe acceptum, & obſervatum. Id ipſum aliquorum Pontificum ſententiis fulcitur. Et primo S. Clementis I. *in Epiſt. 1. ad Jacobum* ſic habet auctoritas: *Quod ſi in alicujus cor, vel livor, vel infidelitas, vel aliud malum latenter irrepſerit, non erubeſcat hæc confiteri ei, qui præeſt, ut ab ipſo per verbum Dei, & conſilium ſalubre curetur.* S. Leo I. in Epiſtola ad Epiſcopos per Campaniam, Samnium, & Picenum damnat novam, & improbabilem conſuetudinem detegendi peccata confeſſa, tamquam illicitam uſurpationem, & præſumptionem contra Apoſtolicæ regulæ, ſic ſcribit: *Illam etiam contra Apoſtolicam regulam, quam nuper agnovimus, à quibuſdam illicita uſurpatione committi, modis omnibus conſtituo ſubmoveri.... Sufficit enim illa confeſſio, quæ primum Deo offertur, tunc etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator, accedit: tunc enim demum plures ad pœnitentiam poterunt provocari, ſi populi auribus non publicetur conſcientia confitentis.* Ex quibus verbis eleganter Francolinus (1) ſic infert: *Fuit igitur res nova, reprobata, ac ſtatim extincta. Rurſus eam vocat improbabilem conſuetudinem, illicitam uſurpationem, præſumptionem contrariam regulæ Apoſtolicæ; non igitur ea fuit Eccleſiæ conſuetudo, ſed aliquorum deflectentium à regulis Apoſtolorum* (quam bene hæc noſtro tempori convenit cenſura!) *qui hujus ſacri ſigilli leges à Chriſto ſancitas Eccleſiam docuerunt: unde ibidem bene colligit idem Pontifex, ſufficere confeſſionem ſecretam; non enim ea ſemper ſufficeret, ſi unquam Confeſſario liceret ſuo jure confitentis ſcelera revelare. Igitur ab ipſo tempore Apoſtolorum uſque ad Leonem, inviolatum fuit in Eccleſia confeſſionis ſacramentalis ſigillum: ergo etiam poſtea, tum quia numquam Eccleſia receſſit à regulis Apoſtolorum; tum quia, ſi quod habet argumentum veſtra ſententia, à prioribus ſæculis petitur.*

(1) Theolog. dogmat. lib. 1. diſp. 12. n. 12.

5 Magnus Gregorius ſæculi VII. initio, anno ſcilicet ſexcenteſimo, (quidquid Morinus, ut hanc illudat antiquitatem, Gregorio VII. ſeu alii cuicumque moderniori ſine fundamento attribuat, cum inter Epiſtolas Gregorii VII. nihil tale inveniatur) ſic ſtatuit prout refertur à Gratiano in cap. Sacerdos 2. de Pœnit. diſt. 6. *Sacerdos ante omnia caveat, ne de his, qui ei confitentur, peccata alicui recitet, non propinquis, non extraneis, neque, quod abſit, pro aliquo ſcandalo. Nam ſi hoc fecerit, deponatur, & omnibus diebus vitæ ſuæ ignominioſus peregrinando pergat.* Hac de cauſa in Concilio Colonienſi I. commendatur, quod ad audiendas confeſſiones deputetur Sacerdos, qui *ſit integer, eruditus, ac ſilentii tenax*, & quod

quod, ſi ſit *ſecreti minime tenax*, *diſſipandis magis*, *quam paſcendis ovibus videbitur idoneus.* Quam regulam forte deſſumpſit ex antiquis Patribus, & perpetuo Eccleſiæ uſu, ſecundum quem Epiſcopi Pœnitentiarios deputabant ſecretorum tenaces, ut refert Sozomenus (2) per hæc verba: *Cum prorſus non peccare naturæ ſit humanæ divinioris; Pœnitentibus autem, quamvis frequenter deliquiſſent, veniam dare Deus juſſerit, & ad impetrandam denique veniam, confiteri peccata neceſſarium ſit, odioſum, ut credibile eſt, Sacerdotibus ab initio viſum fuit, tamquam in theatro, audiente Eccleſiæ multitudine delicta pronuntiare. Preſbiterum itaque aliquem vitæ integritate quam maxime ſpectabilem, ſecretorum etiam tenacem, ac ſapientem huic officio præfecerunt, eum accedentes, qui peccarant, acta vitæ ſuæ confitebantur.*

(2) Hiſtor. lib. 8. cap. 16.

6 In hanc rem optime facit Concilium Carthaginenſe VII. cap. 5. ſive Africanum cap. 99. & 100. ſive Trullenſe, ut aiunt Zonaras, & Balſamon, quod habetur in cap. Placuit 2. 6. quæſt. 2. ibid. *Placuit, ut ſi quando Epiſcopus dicit aliquem ſibi proprium crimen fuiſſe confeſſum, atque ille neget, non putet ad injuriam ſuam Epiſcopus pertinere, quod illi ſoli non creditur Et ſi ſcrupulo propriæ conſcientiæ ſe dicit neganti nolle communicare, quamdiu excommunicato non communicaverit ſuus Epiſcopus, eidem Epiſcopo ab aliis non communicetur Epiſcopis, ut magis caveat Epiſcopus, ne dicat in quemquam, quod aliis documentis convincere non poteſt.* Oh ſi hanc pœnam ſubirent, qui notitia non aliunde habita, quam ex confeſſione pœnitentes puniunt, extorres faciunt, ab ordinibus arcent, ac ab officiis removent, quam juſtiſſima animadverſione ferirentur! Prædictum Canonem de confeſſione ſecreta accipiunt Canonum Collectores tam Latini, quam Græci, quam Africani. Ex primis Gratianus, Burchardus, & Ivo, qui ultimus, non tantum in Decreto, ſed etiam in Epiſtola 97. per hunc Canonem confeſſionis ſigillum ex profeſſo demonſtrat. Ex ſecundis Zonaras, & Balſamon, qui præter ſententiæ ſuæ ſignificationem Lucæ Patriarchæ C. P. ſententiam ſic refert: *Nota ergo præſentem Canonem propter Epiſcopos, & Monachos, qui peccatorum hominum confeſſiones audiunt, & teſtimonium ferunt adverſus eos, qui dicuntur feciſſe apud eos confeſſionem criminis. Quod autem ſit injuſtum unius teſtimonium, lege etiam 75. Canonem Sanctorum Apoſtolorum. Sanctiſſimus quidem certe Patriarcha Dominus Lucas excommunicationis pœnæ ſubjecit Monaſterii Gerotrophi Præfectum, qui fuerat Archiepiſcopus Heracliæ, quod tale teſtimonium tuliſſet adverſus ſuum ſpiritualem filium.* Ex ultimis Ferrandus Diaconus ex eodem Canone ſic tit. 2. cap. 73. deducit ſummarium: *Ut Epiſcopus à communione*

nione non ſuſpendat eum, quem aſſerit de peccato aliquo ſibi ſoli fuiſſe confeſſum. Hæc refert, faterurque Morinus, (1) alibi non adeo ſigilli defenſor, qui tenet, quod *non agitur illo Canone de aliquo crimine in particulari, ſed de crimine in genere à Sacerdote revelato, cum ſcilicet Sacerdos ait, ille mihi crimen confeſſus eſt, quod ſegregatione damnatur; itaque illum à communione ſegrego.* Et poſtea ex prædicto Canone ſic infert: *Si Sacerdos crimen ſola confeſſione cognitum in genere divulgans tam ſeverè punitur, quid in ſpecie, ſi divulgaſſet, dixiſſetque, Titius adulterium, homicidium commiſiſſe mihi confeſſus eſt? Interrogabit forſan aliquis, qua ratione in animum ſuum inducere potuit Epiſcopus publicam criminis ſecreto confeſſi revelationem, cum hoc à jure omnium gentium videatur alienum? Fruſtra fit hæc objectio quum perverſam illam quorundam temeritatem arguant, & condemnent multi Canones jam citati. Qua propter nonnullos eo temeritatis deveniſſe neceſſe eſt: Nec iſta accuſatio tantopere abhorret ab horrore communionis cum impiis, cujus ſæpe meminimus.* Hæc is Auctor meminiſſe debuerat, ne poſtea lib. 5. probaret Pœnitentiarii Præsbiteri uſum, quem Nectarius ſubſtulit, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ illius temporis attribuit. Perverſam temeritatem vocat, eam Epiſcoporum ſic in genere detegentem peccata confeſſa; cujus erroris cauſam judicat horrorem illum, quo communicationem cum impiis deteſtabantur. Hæc erat virtutis ſpecies: ſed quorum? Eorum, qui Novatiana hæreſi infecti, ut peccatores odio proſequerentur, ſigilli neceſſitatem non admittebant, ut auctor eſt Sozomenus. En quantum damnum ſigillo attulit virtutis fictus amor, atque vitandi, & caſtigandi peccata falſus zelus.

(1) De adminiſtr. ſacram. Pœnit. lib. 2. cap. 19. n. 14.

7 Ut ut ſit: ſic Concilii Carthaginenſis Patres in Epiſcopum peccata ſibi confeſſa in genere revelantem, acriter ſtatuerunt, ut ſi is à communione ſui peccantem removeret, ipſum alii Epiſcopi per communicationis ſuæ privationem ſeveriſſime punirent. Quid nunc ſtatui opporteret, cum ſuperiores ſint, qui non modo notitia confeſſionis illicitè acquiſita ad pœnas externas utuntur; ſed etiam Confeſſarios ſuos ad id inducant, vel ſaltem libenter ſuſtineant, diſſimulent, foveant, & nullatenus caſtigent? Iſtis profecto applicari poteſt illud Cæleſtini Papæ in decretis ad Galliæ Epiſcopos, eos reprehendentis, eo quod novas introducere doctrinas non prohiberent: *Quid illic ſpei eſt, ubi Magiſtris tacentibus hi loquuntur: qui, ſi ita eſt, eorum diſcipuli non fuerunt? Timeo, ne conivere ſit hoc tacere. Timeo ne magis ipſi loquantur, qui permittunt illis talia loqui. In talibus cauſis non caret ſuſpicione taciturnitas; quia occurreret veritas, ſi falſitas diſpliceret. Merito namque*

cauſa non reſpicit, ſi ſilentio faveamus errori. Ergo corripiantur hujuſmodi. Non ſit eis liberum habere pro voluntate ſermonem. Deſinat, ſi ita res ſunt, inceſſere novitas vetuſtatem, deſinat Eccleſiarum quietem inquietudo turbare. Conantur ſæpe naufragio mergere, quos intra portum ſtantes ſtatio fecit fida ſecuros.

8 Antiquiores Synodos, ſequutæ ſunt poſteriores, quarum aliquas referam. Concilium Dalmaticum cap. 4. *Diſtrictius inhibemus ne aliquis Sacerdos filii ſui, vel filiæ ſpiritualis, privatam confeſſionem alicui revelare præſumat. Quod ſi facere convictus fuerit, officio, & beneficio Eccleſiaſtico perpetuo ſpolietur.* Alexander III. alias Eugenius, Norivicenſi Epiſcopo reſcribens, prout refertur in appendice ad Concilium Lateranenſe III. ſic habet: *Si Sacerdos ſciat pro certo aliquem eſſe reum alicujus criminis; vel ſi confeſſus fuerit, & emendare noluerit: niſi ordine judiciario quis probare poſſit, non debet eum nominatim redarguere, ſed indeterminate, ſicut Chriſtus dixit: unus veſtrum me traditurus eſt. Si vero cui damnum illatum eſt, petierit juſtitiam, poteſt excommunicare auctorem damni, licet ei confeſſus ſit, ſed tamen non poteſt eum nominatim removere à communione, licet ſciat eum eſſe reum, quia non ut Judex ſcit, ſed ut Deus. Sed eum debet admonere, ne ſe ingerat* (intellige in confeſſione, non extra) *quia nec Chriſtus Judam à communione removit.* Conſtitutiones Epiſcopi *ſarum* cap. 29. ibi: *Nullus ira, vel odio, vel metu Eccleſiæ, & metu mortis in aliquo audeat revelare confeſſionem, ſigno, vel verbo, generaliter, vel ſpecialiter; ut dicendo, ego ſcio quales eſtis: ſub periculo beneficii, & ordinis. Et ſi convictus fuerit, abſque miſericordia degradabitur.* Synodus Claramontenſis cap. 7. ibi: *Item caveant Sacerdotes omnes, ne verbo, aut ſigno, aut alio quovis modo prodant aliquatenus, aut detegant confeſſionem, vel generali, vel ſpeciali; dicendo, ego ſcio quales vos eſtis. Sed ſi prudentiori conſilio indigeant, illud abſque ulla expreſſione perſonæ caute requirant: quoniam qui peccantem in pœnitentiali judicio ſibi detectum præſumpſerit revelare, non ſolum eſt à Sacerdotali officio deponendus, verum ad agendam pœnitentiam in arcto monaſterio detrudendus.* Synodus Colonienſis cap. 8. ibi: *Item nullus ira, odio, vel etiam metu corporis confeſſionem confitentis audeat revelare verbo, vel ſigno, generaliter, vel ſpecialiter, dicendo: Ego ſcio te talem qualis es. Et ſi revelaverit aliquo modo, de hoc convictus debet abſque miſericordia degradari. Si tamen indigeat conſilio, illud, ut dictum eſt, ſine expreſſione perſonæ caute requirat.* Synodus Nemauſenſis de Pœnitent. ibi: *Caveat autem omnino Sacerdos, ne verbo, aut ſigno, aut alio quolibet modo prodat, ſeu revelet*

Digitized by Google

revelet aliquatenus peccatorem: ſed ſi prudentiori conſilio indiguerit, illud abſque ulla expreſſione perſonæ caute requirat: quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio ſibi detectum, vel dictum præſumpſerit revelare, non ſolum deponetur, verum etiam in arctum monaſterium detrudetur ad perpetuam pœnitentiam peragendam. Synodus Exonienſis cap. 5. de Pœnitentia ibi: *Nullus omnino Sacerdos crimina ſibi confeſſata revelet, vel verbo, vel ſigno, vel alio quovis modo, ſpecialiter, vel generaliter. Sed ſi in dubiis prudentiori conſilio indiguerit, illud abſque ulla expreſſione perſonæ caute requirat: quoniam ſic detegentes deponendos eſſe, & in perpetuum monaſterium detrudendos, ad perpetuam pœnitentiam peragendam Apoſtolica decrevit auctoritas.* Concilium apud Pegnam fidelem cap. 5. ibi: *Item quia juxta verbum Jacobi, qui ait: Confitemini alterutrum peccata veſtra, quilibet Chriſtianus tenetur confiteri proprio Sacerdoti, quæ confeſſio lapſis poſt baptiſmum tamquam ſecunda tabula conceditur in ſubſidium animarum; & nonnulli Sacerdotes ſuæ ſalutis immemores, & ſuſcepti officii ignari, peccata ... non ut hominibus, ſed ut locum Dei tenentibus, confeſſa, quæ juxta verbum Auguſtini dicentis: Nihil in hoc mundo minus ſcio, quam id, quod in confeſſione ſcio, tamquam ſcita; cum vere juxta Domini verbum debent dici non ſcita, propalent, & revelant: ne exceſſus tanti criminis maneat impunitus, ſtatuimus, & mandamus, quod ſiqui tanti criminis rei inventi fuerint, tamquam deportati, & in metallum damnati perpetuo carceri mancipentur, pane, & aqua pro vitæ ſuſtentatione ſolummodo reſervatis.* Concilium Lamethenſe cap. 3. ibi: *Item nullus Sacerdos ira, odio, vel metu, etiam mortis, audeat in aliquo detegere alicujus confeſſionem, ſigno, vel verbo, ſpecialiter, nec generaliter. Et ſi ſuper hoc convictus fuerit, ſine ſpe reconciliationis non immerito debet degradari: cum ſæpe contingat, quod Rectores Eccleſiarum, ac etiam nonnulli Sacerdotes, & in ſacris ordinibus conſtitutos, eo quod nonnulli, ut eis videtur, quoad forum pœnitentiale ſunt ſubjecti, vel omnino non confitentur, vel ad quoſdam accedunt, qui nullam illos ligandi, vel abſolvendi habeant poteſtatem.* Synodi Valentinæ Conſtitutiones ſic habent: *Et nullus Sacerdos ira, odio, vel metu mortis in aliquo audeat revelare confeſſionem generaliter: quod ſi fecerit, deponatur.* Concilium Moguntinum cap. 29. ibi: *Caveant etiam ne confitentis peccatum ſermone, vel ſigno, vel aliqua ulla ratione prodant. Sed ſi conſilio ſuper aliqua re, in confeſſione ſibi manifeſtata indiguerint, rem ipſam ſine ulla auctoris mentione, ad peritiorem referant. Quod ſi Sacerdos alicujus crimen per confeſſionem ſibi compertum, vel aperto indicio, vel ſaltem conditionis, aut vicinia,*

 ciniæ,

ciniæ, aut cujuſcumque circunſtantiæ ſignificatione, revelaverit, à beneficio Eccleſiaſtico remotus ad arctum monaſterium ad agendam pœnitentiam retrudatur. Concilium Cameracenſe tit. 8. cap. 6. ibi: *Confeſſionis ſigillum, quod ſub graviſſima depoſitionis pœna ſacri Canones inviolatum eſſe voluerunt, ſiquis Confeſſariorum violare præſumpſerit, ab audiendis confeſſionibus in perpetuum ſuſpendatur, & prout juris eſt, graviter puniatur.* Concilium Bituricenſe Decreto 10. ſic decernit: *Statuit etiam, ne pœnitentes injunctam ſibi Pœnitentiam à Sacerdote revelent: Neve Sacerdotes ipſi revelent pœnitentias etiam injunctas, aut aliquid in confeſſione detectum.* Concilium Mechlinienſe tit. 5. cap. 6. ibi: *Meminerit unuſquiſque confeſſionis ſigillum ſtrictiſſime ſervandum eſſe, etiam ſub pœna depoſitionis à Sacerdotali officio, & detruſionis in arctum monaſterium ad agendam ibidem perpetuam pœnitentiam. Hoc porrò ſigillum ad ea ſe quoque extendit, quæ ſubinde occaſione eorum, quæ in confeſſione detecta ſunt, poſt datam abſolutionem à Confeſſariis interrogati pœnitentes, vel repetunt, vel diffuſius enarrant; quæ proinde ut ea, quæ in ipſa dicta ſunt confeſſione, ſecreta ſunt habenda.*

9 Nunc referamus aliquot ſanctorum Patrum auctoritates. Magnus Baſilius in ſuis regulis brevioribus, interrog. 229. ſic ait: *Omnino in peccatorum confeſſione eadem ratio eſt; quæ etiam in apertione vitiorum corporis. Ut igitur vitia corporis nequaquam quibuſvis temere homines aperiunt, ſed iis tantummodo, qui rationem, qua ea curanda ſunt, teneant. Eodem modo etiam peccatorum confeſſio fieri debet: apud eos videlicet qui poſſint ea curare.* Ex qua auctoritate citatus Morinus (1) ſic infert: *Idem evidenter adhibita ſimilitudo demonſtrat, à Medicis enim ſecretum natura duce quàm maxime requiritur. Ergo valentiori ratione à Presbyteris requirendum eſt, cum jure divino animarum Medici conſtituti ſint.* Idem Auctor ad eundem finem aliquas ſanctorum Patrum auctoritates adducit, quæ ſolum per argumentum probant, ſed aſſumptum evidenter non concludere mihi viſum eſt. Quæ ad rem expreſſius faciunt ſunt ſequentia. D. Auguſtinus ſupra citatus ibi: *Nihil minus ſcio, quam quod ſub confeſſione ſcio.* Idem S. Doctor, ſive Auctor libri de ſalutaribus documentis, qui operibus ejuſdem S. Doctoris conjungitur (2) ſic ait: *Si tranſgredimur in aliquo peccato poſt baptiſmum, nos abluere pœnitentiæ lachrymis curemus, quia pius Deus dedit ſecundum baptiſmum, ideſt fontem lachrymarum, & ordinavit nobis pœnitentiam propter fragilitatem noſtram. Ideo debemus noſtras confeſſiones veraciter confiteri, & fructus dignos pœnitentiæ facere, id eſt præterita, ne reiteremus ſecundum juſſionem Domini, & conſilium Sacerdotis Deum timentis. Qui Sacerdos, ut ſapiens, & perfectus Medicus*

(1) Lib. 2. cap. 19. n. 8.

(2) Cap. 52.

Digitized by Google

Medicus primum ſciat curare peccata ſua, & poſtea aliena vulnera detergere, & ſanare, & non publicare. Paulinus Presbyter in vita Sancti Ambroſii, cujus diſcipulus fuerat, ſigillum maxime laudat, & commendat his verbis: *Quotieſcumque illi aliquis ob percipiendam pœnitentiam lapſus ſuos confeſſus eſſet, ita flebat, ut & illum flere compelleret. Videbatur ſibi etiam cum jacente jacere. Cauſas autem criminum, quas illi confitebantur, nulli, niſi Domino ſoli, apud quem intercedebat, loquebatur: bonum relinquens exemplum poſteris Sacerdotibus, ut interceſſores apud Deum magis ſint, quam accuſatores apud homines. Nam & ſecundum Apoſtolum circa hujuſmodi hominem confirmanda eſt charitas, quia ipſe ſui accuſator eſt, nec expectat accuſatorem, ſed prævenit, ut confitendo ſuum allevet ipſe delictum, nec habeat, quod adverſarius criminetur.*

10 S. Petrus Daminus vir doctiſſimus, qui ante Concilium Lateranenſe floruit, ſæculo ſcilicet X. & quem ſic laudat S. P. Alexander XI. Epiſt. 21. ad Archiepiſcopos Galliæ: *Talem vobis virum deſtinare curavimus, quo nimirum poſt nos maior in Romana Eccleſia auctoritas non habetur, Petrum videlicet Damianum Oſtienſem Epiſcopum, qui nimirum & noſter eſt oculus, & Apoſtolicæ Sedis immobile firmamentum.* Is igitur tantus vir in Sermone de Sancto Andræa loquens de Sacerdote Confeſſario ſic ait: *Videat ne unquam de his, quæ ſub ſignaculo confeſſionis accepit, aliquam faciat mentionem.* Sanctus Joannes Chriſoſtomus hom. 3. ad populum ad illud Eccleſ. 19. 10. *Audiſti verbum adverſus proximum tuum.* Sic ait: *Quid eſt commoriatur in te? Extingue ipſum, ne exire permittas, oblivioni trade... ut his, qui non audiunt, ſimilis fias.* Innocentius III. Serm. 1. in conſecrat. Pontific. ſic ſcribit: *Caveat Sacerdos, cui confitetur peccator, non ut homini, ſed ut Deo, ne poſt confeſſionem auditam recordetur peccati: hoc eſt, ne verbo, vel ſigno innuat ſe ſcire delictum.*

11 Ivo Carnutenſis Epiſt. 97. ut refert citatus Morinus n. 16. duplici quæſtioni de vitandis excommunicatis, & non aperienda confeſſione, & quomodo utraque ſimul ſervari poſſit? Ad primam reſpondet: *Quorum facinora, aut ita nota ſunt, ut probatione non egeant, aut quæ Confeſſione evidenti manifeſta ſunt, aut judiciario ordine publicata, aut ſufficientibus teſtimoniis probata.* Ad ſecundam, *ſic ait. Peccantem, peccata ſua ſecreto confitentem, non debemus à noſtra communione corporaliter ſeparare, nec contactu cordis ejus pravitati communicare. Hoc tenore utramque ſententiam ſervabimus, & illam, qua præcipimur excommunicatis non communicare, & illam, qua jubemur confitentium crimina non propalare.* Superſedeo aliis recenſendis auctoritatibus (quarum aliquæ in diſcurſu adducentur) eo quod ſolum per argumentum probent, nec efficaciter concludant ſtrictiſſimam

ctiſſimam ſigilli obligationem, quam adſtruimus cum Chriſti Domini inſtitutione initium habuiſſe.

12 Si tamen ea erat neceſſaria ſacri ſigilli lex ſic à Chriſto Domino inſtituta, ſic divino jure ſtabilita, cur, inquies, de hoc Redemptoris noſtri præcepto, cur de hac inviolabilis ſigilli lege neque in ſacra Scriptura, neque in vetuſtioribus Conciliis, neque in antiquioribus Patribus aliqua habetur expreſſa mentio? Cur de hac re primis Eccleſiæ ſæculis tam altum ſilentium? Cur tot facta deferendi ad Epiſcopos peccata confeſſa, de quibus tot hiſtoriæ teſtantur? Cur tot publicæ pœnitentiæ pro peccatis occultis impoſitæ, quarum tot teſtimonia à viris eruditiſſimis in medium proferuntur? Quod attinet ad morem deferendi ad Epiſcopos peccata confeſſa, & ad publicas pro peccatis occultis impoſitas in veteri Eccleſia pœnitentias peculiaribus fulminibus ſuo loco diſſipabimus. Quod vero attinet ad ſilentium, quod nobis obtrudunt, facile reſpondeo. Neceſſe non fuiſſe primis Eccleſiæ ſæculis id exprimere. Sic à patribus in filios tranſmiſſum; ſic inconcuſſe traditum; numquam à ſanctis antiquis Patribus id dubitatum, aut controverſum fuiſſe, quidquid Novatiani garrirent, quidquid hodie blaterent Novatores. Multa tamquam de Fide certa poſterioribus ſæculis ab Eccleſia ſunt definita, quæ prioribus neque ſcripta, neque cognita, neque diſputata inveniuntur. Ideo optime citatus Morinus (licet quoad publicas pœnitentias aliter ſenſiſſe videatur) dicto *cap.* 19. aſſerit, lectoris ſcire intereſſe, *nihil nunc ab Eccleſia de iſto ſigillo doceri, quod ab antiqua traditione non acceperit.*

13 Hoc idem aſſeritur à doctiſſimo Didaco Nugno Cabezudo tom. 2. in addit. ad 3. p. D. Thom. q. 11. art. 1. Cum D. Thoma S. Leone, S. Baſilio, S. Auguſtuſtino, S. Bonaventura, S. Gregorio I. Scoto, Ricardo, Alenſi, Durando, Paludano, Maiori, Capreolo, Gabriele, Adriano, Silveſtro, Soto, P. Suario, & aliis per hæc verba: *Fides eſt, ut oppoſitum ſit hæreſis manifeſta, quod non licet revelare peccata cognita in confeſſione . . . Probatur ex communi conſenſu omnium fidelium; præcipitur enim ab omnibus Doctoribus Scholaſticis . . . quia ſine dubio eſt traditio Apoſtolica; ſemper enim fuit in Eccleſia cognita, non tantum à Doctoribus, Sanctis, & Scholaſticis, ſed etiam ab omnibus fidelibus.* Similiter Caſtro Palaus (1) per hæc verba: *Etenim, ut ex perpetuo uſu, & traditione Eccleſiæ conſtat, Chriſtus Dominus hoc ſacramentum inſtituens, præcepit ne ob ullam cauſam ibi cognita manifeſtentur.* Salmanticenſes etiam (2) ſic aſſerunt: *Quia tale vinculum ab initio naſcentis Eccleſiæ, ſicut & confeſſionis, ſufficienter ſervatum eſt, conſtat Chriſtum Dominum inſtituendo hoc ſacramentum hanc legem ſecreti tulliſſe, ne ob ullam cauſam ibi cognita manifeſtentur.*

(1) Tract. 23. diſp. un. p. 29. n. 3.

(2) Tract. 6. diſp. 14. punct. 1.

14 Certum

14 Certum eſt, expreſſe conſtare de ſacramenti Pœnitentiæ inſtitutione, ut ſupra dictum fuit, quod ſat erat, ut de obligatione ſigilli neceſſario conſtaret: *Quamquam*, inquit citatus Morinus, *jure divino ejuſdem ſigilli tenacitate adſtringantur, cum confeſſio imperari non poſſit, quin eodem imperio ſigillum contineatur.* Et optima cum ratione: ſicut enim naturali jure tenetur quiſque conſervare ſecretum ſibi commiſſum; ita etiam tenetur confeſſor ſecretum ſacramentale ſibi traditum inviolabiliter ſervare, cum non ſibi, ſed Deo, cujus vices gerit, peccata pœnitentium ſint confeſſa. Unde, ſicut tritum, notumque eſt, ſub lege contineri quidquid ſub ejus intrinſeca ratione continetur; ita ſub eodem confeſſionis præcepto includitur, quidquid ſub ejus cadit intrinſeca ratione. Inſtituit Chriſtus Dominus tamquam omnino neceſſarium ad peccatorum remedium Pœnitentiæ ſacramentum: Igitur, *ex eo*, inquit Francolinus, (1) *quoque, quod eſt omnibus neceſſarium, exoſum reddi non debet.* Exoſum autem maximè redderetur, ſi peccata confeſſa quandoque aperire, etiam ex graviſſimis cauſis datum eſſet; immo penitus rueret; atque Catholica Religio, quod hæretici maxime exoptant, miſerrime periret, totumque genus humanum in perpetuam gehennam damnaretur.

(1) Dict. lib. 1. diſp. 12. n. 14.

15 Dato tamen, ſed non conceſſo, hoc ſacræ Scripturæ, ſanctorumque Patrum ſilentio, non inde concluditur ſigilli neceſſitatem, & præceptum latuiſſe Patres, latuiſſe Concilia, Eccleſiam latuiſſe; quod certe falſum eſt; ſiquidem fuit Patribus non ignota illa ſigilli lex, immo debita ſeveritate cuſtodita. Sed, inquam, eo dato, ſufficit, quod Eccleſia id poſtea declararet, & obſervare præciperet. Neque enim dilectiſſima Chriſti Sponſa ſine macula, aut ruga aliqua, Eccleſia nempe Catholica, errare potuit; aut contraria dogmata retinere: aliàs citra Orthodoxæ fidei periculum diceremus, aliam olim fuiſſe, aliam hodie eſſe ſigilli diſciplinam; ac per conſequens, vel tunc erraſſe, vel nunc errare Eccleſiam dicendum eſſet: quod quam abſonum à veritate ſit, nemo non videt. Id ſolum hæreticis relinquendum eſt, qui ſimilibus *argumentis* (nunc utor verbis doctiſſimi Francolini ubi ſupra n. 7.) *Legem ſacri ſigilli non eſſe Innocentio III. antiquiorem, probare nituntur, neque eſſe eodem antiquiorem confeſſionem auricularem, vel ejus uſurpandæ præceptum. Nec ſane unum ab altero disjungi facile poſſit. Unde miror, prædicta argumenta à te proponi, tamquam nihil dubites de veritate ſententiæ. Sed hæc eſt communis rigidorum Doctorum, Novatorumque perſuaſio, id ſolum ad religionem à Chriſto inſtitutam pertinere, quod in veterum ſcriptis, monumentiſque reperitur dilucide, expreſſe, diſertiſſimeque traditum: perinde nulla ſit in Eccleſia à patribus per filios tranſmiſſa doctrina, quam verbum traditum appellamus; nec Deus Ec-*

cleſiæ

clesiæ suæ clavem scientiæ dederit, qua sacras Scripturas, ipſorumque veterum Patrum ſcripta, pro temporum opportunitate reſeraret, & reconditos inde veritatum, legumque theſauros depromeret. Latuit olim, diuque latuit ipſos Hebræos ſacræ Paginæ cuſtodes, doctoreſque Miſterium Trinitatis, quamvis in ipſis Scripturis contentum; multaque continentur in Evangelio, latuere Chriſti Diſcipulos ante diem Pentecoſtes, quo facti ſunt Scripturarum interpretes, & legis novæ Doctores. Incerta fuere tot alia præteritis ſæculis, quæ poſterioribus Conciliis definita, tamquam certiſſima credimus, & profitemur. Potuit ergo aliquid ad ſacramenti inſtitutionem vere pertinens, diu latere, quamvis in Scripturis contentum, quod poſtea fuit traditum, & explicatum. Hujuſmodi tamen non eſt lex ſacri ſigilli. Fuit illa Patribus non ignota, & qua decuit ſeveritate cuſtodita.

16 Verum quidem eſt apud veteres Patres, ac Theologos non adeo expreſſe, ut hodie, de hac ſigilli neceſſitate actum fuiſſe, quia de ea agere non fuit opus, utpote omnibus explorata, omnibus per traditionem accepta, ab omnibus admiſſa, & inviolabiliter obſervata. Verumtamen quia poſtea ſequentibus infelicibus ſæculis cœperunt Novatores circa ſacramentum Pœnitentiæ in abſurdiſſimas abire opiniones, neceſſe fuit, quod poſt ea tempora tam ſæpe Concilia, & Pontifices monuerint Confeſſarios, ut ſacrum ſigillum inviolabiliter cuſtodirent; & Theologi, apud quos claves ſcientiæ repoſitas confiteri debemus, de ea accuratius ſcriberent, eamque obligationem jure divino conſtitutam edocerent.

17 Hinc unanimiter Theologi omnes, Orthodoxi ſcilicet, nullo contradicente, nullo diſcrepante (quod quidem certitudinem omnimodam inducit) docent hanc ſigilli ſtrictiſſimam obligationem, non modò naturali, aut Eccleſiaſtico, ſed etiam divino jure conſtitutam eſſe. Catalogum ſanè faſtidioſum, longiſſimumque conficerem, ſi AA. recenſere, aut tranſcribere cogitarem. Nullus omnino eſt de primo uſque ad ultimum, qui de Pœnitentiæ ſacramento ſermonem inſtituat, eamque obligationem divino juri non attribuat. Immo P. Vaſques, Coninch, & alii expreſſe aſſerunt de facto à Chriſto Domino illud ſigilli poſitivum præceptum latum fuiſſe. Unde licet alias de hoc præcepto non conſtaret, ſufficeret unanimis Eccleſiæ, & Doctorum conſenſus, ut de ea divini juris obligatione dubitare nefas, & piaculum eſſet.

18 Ex ſuperabundanti verò ratione probatur. Primo; quia Chriſtus Dominus hoc ſacramentum inſtituit, quadam quodammodo juris naturalis ſimilitudine, & indigentia. Unde ſicut naturali jure dictante fidelitatis præceptum, ſeu juſtitiæ regula exigit ne aliena vitia prodantur,

prodantur, poſtulatque, ut ſecretum alicui commiſſum alteri non reveletur; ita etiam eadem ratio, ſeu idem præceptum ad rationem ſacramenti elevatum ſummam fidelitatem, ſummamque juſtitiam circa peccatum pœnitentis ſub eadem obligatione, & conditione traditum evidenter expoſcit, ut optime plerique Theologorum ratiocinantur, inter quos P. Suarius Granatenſis, Coninch, Fagundes, & Bonacinas, quos adducit Palaus *tr.* 23. *diſp. un. punct.* 19. *n.* 2. *Curſ. Salmant. tract.* 6. *cap.* 14. *punct.*1. *n.* 3. & multi alii.

19 Secundo, quia quando pœnitens ſua confitetur peccata, id facit Deo, mediante Sacerdote, qui ipſius Dei vices gerit tamquam ejus Miniſter: quapropter Theologi omnes optime docent, quod Sacerdos ſcit peccata confeſſa, non ut homo, ſed ut Deus; proindeque ſicut alius quicumque Delegatus, Procurator, aut Miniſter alterius vices gerens, in nihilo poteſt excedere vires commiſſionis ſuæ; ita Sacerdos revelare non poterit quæ Deo, eo mediante, confeſſa ſunt, abſque eo, quod ad id aliquam habere dicatur facultatem. Hæc autem poteſtas nullibi conceſſa reperitur nec expreſſe, nec interpretative; quia ſolum habet poteſtatem remittendi, aut retinendi peccata confeſſa: & ſimiliter cum hac facultate exponitur à ſuperioribus ſuis, ut hoc ſacro Confeſſoris miniſterio utatur, ſcilicet ad audiendas, non vero ad revelandas confeſſiones, propterea͂ audita in confeſſione nullatenus prodere valet.

20 Tertiò; quia miſerator, & miſericors Dominus noſtris infirmitatibus compatiens Pœnitentiæ ſacramentum inſtituit, ut eo mediante peccata noſtra nobis condonaret, ejusque gratiam, amicitiamque deperditam iterum aſſequeremur, ut beatitudinem æternam ut filii, & hæredes poſt hujus vitæ curſum obtinere poſſemus. Hac de cauſa ſacrum Concilium Tridentinum definiit hoc ſacramentum eſſe ad ſalutem neceſſarium, ut ſupra diximus, & conſtat ex ſacra Pagina *Luc.* 13. *Joan.*20. *Matth.* 16. *Actor.* 20. idque infallibiliter retinuit ſemper Eccleſia, quæ errare non potuit. Cum autem naturali pudori difficile admodum viſum fuerit, quod homo alteri homini peccata ſua manifeſtaret, oportuit, quòd peccata confeſſa ita ſub inviolabili ſecreto recluſa manerent, ut nullo in caſu, nullave ex cauſa, etſi graviſſima, peccatorem, ejusve culpas prodere licitum eſſet. Ideoque ſupremus Pontifex, Sacerdosque in æternum, cujus natura bonitas, dives admodum in miſericordia, cujusque jugum ſuave eſt, & onus leve, ſic illud ſacramentum inſtituit, ut omnibus ſuave fieret, nullatenusque odioſum. Et ſi adeo plures ſunt ſacrilegæ confeſſiones, quæ pudoris cauſa fiunt, non obſtante infallibili certitudine ſervandi ſecreti, innumera procul dubio fuiſſent ſacrilegia, ſublata illa certitudine, & Pœnitentiæ ſacramentum (quod intendit vaferrimus Satanas) in deſuetudinem abiret.

21 Hinc *ſufficienter conſtat Chriſtum Dominum inſtituendo hoc ſacramentum, hanc legem ſecreti tuliſſe, ne ob ullam cauſam ibi cognita manifeſtentur, ut hac ratione ſacramentum neque odioſum, neque oneroſum redderetur* inquiunt Salmanticenſes. (1) *Certum eſt talem obligationem nihil revelandi de peccatis in confeſſione auditis de facto extare: quæ quidem obligatio tanta eſt, tamque graviter ſigillum confeſſionis obligat, ut communiter Theologi aſſerunt, non licere Confeſſario ex quacumque cauſa, etiam graviſſima, utputa ob periculum vitæ ſuæ, immo nec ob periculum totius Reipublicæ, confeſſionem revelare, aut peccatum in eadem auditum manifeſtare. Ratio hujus ſtrictiſſimæ obligationis eſt; quia alioquin fieret injuria ſacramento Pœnitentiæ, ſimulque confeſſio redderetur odioſa, & meritò retraherentur ab ea fideles, ſi ſcirent in aliquo caſu poſſe peccata confeſſa revelari in eorum præjudicium.* Docuit Anacletus Reifenſtuel. (2) *Nam contra eſt, quia uſus talis ſcientiæ non ſolum propterea ſit interdictus, ne extranei deveniant in notitiam confeſſi, ejusque peccati, verùm etiam ne ſacramentum ullo modo reddatur odioſum pœnitentibus; prout tamen fieret, ſi ſcientia confeſſionis in gravamen pœnitentis uti liceret*: ait Maſſeus Keslingerus. (3) *Etenim ut ex perpetuo uſu, & traditione Eccleſiæ conſtat quòd Chriſtus Dominus hoc ſacramentum inſtituens præcepit, ne ob ullam cauſam ibi cognita manifeſtentur, ut hac ratione ſacramentum neque odioſum, neque oneroſum redderetur*: ſcripſit Caſtr. Pal. (4) Et poſtea rationem reddit in hunc modum: *Nam eſto obligatio ſigilli in gratiam pœnitentium ſtatuta ſit, cedit tamen maxime in ipſius ſacramenti bonum, ſi ſciant omnes in nullo caſu abſque pœnitentis licentia revelari poſſe; quippe ejus uſus facilior, & ſuavior redditur.*

(1) Dict. tr. 6. cap. 14. ſ. 1. n. 2.

(2) In oper. moral. tract. 14. dict. 9. q. 3. n. 2.

(3) In ſupplem ad Reifenſt. d. q. 3. poſt n. 33.

(4) Tract. 23. diſp. un. p. 39. n. 3.

22 Hæc eſt intrinſeca ſacramentalis ſigilli ratio, nulloque unquam tempore mutabile fundamentum, quod Theologi omnes agnoſcunt, unoque ore profitentur, nullum evenire caſum poſſe, etſi maximæ utilitatis publicæ, immo & boni communis totius Eccleſiæ, cui ſigilli obligatio non prævaleat, quippe quod nullam limitationem, aut reſtrictionem admittit, neque epichiam, aut Summi Pontificis diſpenſationem quandoque patitur. D. Thom. q. 11. art. 1. Wigant. in Exam. confeſſ. exam. 7. q. 2. n. 4. Francol. Theolog. dogmat. lib. 1. diſp. 6. n. 21. & alii innumeri. Hinc ex generali religionis orthodoxæ dogmate, abſolutiſſimaque ſigilli regula per neceſſarias, & evidentes concluſiones ad varios caſus deſcendunt, quos omnes recenſere faſtidioſum eſſet; longa enim nobis reſtat via, ſatque erit in memoriam referre quos ad noſtrum inſtitutum attinere viſum fuerit.

23 Inferunt igitur primo ex expreſſa juris divini diſpoſitione, ita neceſſariò, ſtrictiſſimèque ſigillum ſervandum eſſe, ut nec directè va-

leat

Digitized by Google

leat aliquo modo aperiri, aut verbo, aut ſigno, (5) aut ſeveriori vultu, (6) adeo ut etiam illius fractionis ſuſpicio vitanda ſit. *Sed ſuſpicionem alienam cuique obviam de violato ſacramentali ſigillo: hanc enim ingerere ſuſpicionem nunquam ex ulla cauſa licet... Eliminanda igitur omnis occaſio de ſuſpicione culpæ in confeſſione auditæ*; ait cum P. Vaſquio, & P. Moya P. Caſnedi. (7) *Vetuit Chriſtus Dominus, ne peccata revelentur aliis etiam indirectè, ſeu faciendo aliquid, ex quo alii ſuſpicari poſſent, quod id fiat ob confeſſionem ſacramentalem*, ſcripſit doctiſſimus P. Viva. (8)

24 Inferunt ſecundo. Peccare mortaliter contra fidelitatem, contra juſtitiam, & contra religionem, qui ſigillum aliquo modo revelaverint, etiamſi ſolum aliquod revelent peccatum veniale. Ita cum P. Suar. Granat. Coninch, Fagund. & Bonacin. Salmanticenſ. ubi ſup. *n.* 3. & cum iiſdem, atque Navarro, & Henriques Caſtr. Pal. ubi ſupra n. 12. P. Suar. Luſit. multos referens *tr. 6. de Miniſtr. ſacram. Pœnit. diſp.5. ſect.1. n.*431. P. Mendo in Statera. *diſ.*10. *n.*146. La Croix *lib. 6. p. 2. num.* 1937. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 76. Gobat *tract.* 7. *Theolog. experiment. n.* 878. P. Viva ubi ſupra ibi: *Certum eſt, quod non detur materiæ parvitas excuſans a mortali, dum agitur de revelatione confeſſionis, ſi videlicet aliquod veniale detegatur... Et ratio eſt, quia per quamcumque ſigilli revelationem gravis irrogatur injuria ſacramento per hoc, quòd homines valde à confeſſione retardarentur, ſi ſcirent poſſe etiam veniale citra gravem culpam Confeſſarii detegi.* Idque ſuadent graviſſimæ pœnæ revelantibus ſigillum a jure impoſitæ in dicto cap. Omnis, & in dicto cap. Sacerdos, atque in Synodis ſupra relatis.

25 Et augetur prædicta illatio; quia ſecundum graviſſimam Doctorum opinionem graviter peccat qui peccatum occultum proximi revelat etiam viro prudenti, & ſilentii cuſtodi. Molina *de Juſt. & Jur. tract.* 4. *diſp.* 29. *n.* 7. P. Suarius *tom.* 4. *in* 3. *part. ſect.* 1. *n.* 2. Leſſius *de Juſt. & Jur. lib.*2. *cap.*11. *dub.* 11. *num.* 70. Salon. Bañes, Bonacina, Maldero, Vega, Azor, quos citat, & ſequitur Diana 2. *p. tract.* 3. *Miſcel reſol.* 22. Filiucius, Layman, Valentia, & alii cum Mendo *in Stater. differt.*10. *q.* 5. *n.*11. Moya *in Select. tom.*2. *tr.*3. *diſp.* 3. *q.*1. §. 1. *n.*15. Ergo multò fortiùs peccabit qui peccatum occultum, & ſacra-

(5) Concil. Provinc. Mechilin. lib. 5. cap. 5. Synod. Claram. cap. 7. Decret. Congreg. Epiſcop. Belgii an. 1667. Cap. Omnis de pœnit. & remiſ. cap. Sacerdos de pœnit. diſt. 6. Caſtr. Pal. ub. ſup. Gigas, Decian. Carrocius, quos citat, & ſequitur Gonzal in cap. 2. de Offic. Ord. n. 5.

(6) Graffius, Bonacin. Cardin. de Lugo, quos refert, & ſequitur Curſ. Salmanticenſ. ubi ſup. n. 37.

(7) Diſp. 12. ſect. 4. a n. 125.

(8) De uſu ſcient. in confeſſion. acquiſ. §. 7.

ſacramentali confeſſione ſigillatum adaperiat, cum in hoc religio offendatur, nec materia parvitatem aliquam admittat, ut diximus, & cum aliis docet La Croix *ubi ſupr.n.*1937.

26 Inferunt tertio. Hæreticum eſſe, vel ſaltem de hæreſi ſuſpectum, qui teneat, aut ſentiat licitam eſſe in aliquo caſu ſacri ſigilli fractionem, & peccati confeſſi revelationem, vel hoc præceptum in aliquo caſu non obligare. Delbene *de Offic. ſanct. Inquiſ. p.* 2. *dub.* 195. *Carena de Offic. ſanct. Inquiſ. p.* 2. *tit.* 17. §. 23. *n.* 93. Curſus Salmanticenſis *tom.* 5. *tr.* 21. *cap.*3. *punct.* 2. *n.*9. Molfeſius *in Sum. triplic. jur. tom.* 1. *tr.* 7. *cap.* 23. *n.* 68. Diana 4. *p.Reſol. moral. tr.*8. *reſol.*95.

27 Inferunt quarto. Ad ſigillum teneri omnes, ad quos notitia confeſſionis quoquo modo devenit. Reifenſt. ubi ſupra n. 34. ib. *Præter Confeſſarium, ad quem ſigillum confeſſionis principaliter ſpectat, obligantur quoque ad tacendum aliæ perſonæ, ad quas ſacramentalis confeſſio immediatè, vel mediate pervenit.* P. Suar. Luſit. tract.6. diſp. 5. a n. 433. qui ad rem n. 440. agit de Prælato, qui notitiam peccati habuit, etiam ad finem abſolutionis a reſervato, & citat ad hoc Coninch. Bonacin. Navarr. Reginald. Fauſtum Præpoſit. Granad. Villalob. Pitigian. Henriq. Malder. Megal. Dian. Onuphr. Fagund. Granatenſ. Leandrum, & de Lugo. Eſt expreſſus in materia cum D. Thoma, Scoto, Adriano, Silveſtro, Medina, Suario, & Vaſquio Caſtro Palao *tr.* 23. *diſp. un. punct.* 19. §. 4. *num.* 1. per hæc verba: *Regula certiſſima eſt, omnes illos, qui ex confeſſione ſacramentali peccata neceſſariò juſtè, vel injuſte agnoverunt, teneri obligatione ſigilli: aliàs Chriſtus Dominus non ſatis pœnitentibus conſuluiſſet, ſi obligationem ſigilli non imponeret confeſſioni utcumque exceptæ, reddereturque confeſſio odioſa, & facile homines ab illius uſu averterentur.* Et congruentiùs ad intentum noſtrum, ac gliſcentem abuſum reprobandum num. 6. in hunc modum: *Quintò adſtringit communis ſententia ſigilli obligatione eum, cui Sacerdos confeſſionem injuſte manifeſtavit; quia ea manifeſtatio eſt odioſa tum ſacramento tum pœnitenti. Non igitur ex illa comparari jus revelationis poteſt. Præterea ſi ſigilli obligatione prædictus non adſtringeretur, ſed ſolum naturali ſecreto, poſſet, & ſæpe deberet peccatum ſic cognitum Magiſtratibus denuntiare, ipſique poſſent delinquentes punire: quod in graviſſimum ſacramenti, & pœnitentium detrimentum cederet... ſed dicendum eſt, ſufficere ad hanc obligationem, quod ſaltem mediate ex confeſſione ea notitia excepta ſit abſque ullo alio medio legitimo; quippe ea revelatio, utpote contra ordinem juris facta, reputari debet, ac ſi facta non eſſet, ac proinde cenſeri debet moraliter ea notitia ex confeſſione ſacramentali procedere, præcipue cum pœnitens ea conditione Confeſſario ſua peccata manifeſtaverit, ut ſigillo perpetuò contineatur, ſub*

qua

qua conditione ad tertium, cui pœnitente invito ſunt revelata, tranſire cenſenda ſit, ne ſacramentum odioſum reddatur. Idem, & iiſdem ferme verbis docent Salmanticenſes ubi ſupra n. 64. Diſcant, & ſuum errorem fateantur rigidiſſimi Novatores.

28 Inferunt quintò. Sub eadem ſigilli obligatione comprehendi complicis peccatum cum pœnitente cõmiſſum, vel aliud quodcumque ratione confeſſionis detectum. Eſt clara, & expreſſa conſtitutio Concilii Colonienſis cap. 8. ibi: *Item diligenter in confeſſione caveant Sacerdotes, ut ſi pœnitentes peccata aliquorum revelaverint, ea ſecretò teneant, ſicut peccatum pœnitentis.* Synodus Sinol. & Synodus Pariſ. quos refert Gibert. corpor. jur. canon. tom. 3. tract. de Sacram. tit. 7. n. 42. per hæc verba: *Si confitens indicaverit, arguat eum Confeſſor, & ſecretum illud teneat, ſicut confitentis peccatum.* Decretum Congreg. Epiſcop. in Belgio 22. April. an. 1667. *Neque denique faciat quidquam, unde vel pœnitens, vel complex aliquod gravamen accipiat: cum ipſum peccatum, & nomen complicis, ſi per inadvertentiam pœnitens expreſſerit, cadat ſub ſigillo cum peccato pœnitentis.* Hanc certiſſimam ſententiam tenent communiſſime DD. P. Suar. Luſitanus dicto tr. 6. diſp. 5. ſect. 3. n. 469. Cum Granat. Vaſq. Malder. Sylv. Villalob. Pitigian. Fabr. Dian. & Leandr. ſic habet: *An complex ſit materia ſigilli. Et non eſt dubium eſſe, quando ejus declaratio fuit, aut ſaltem putata eſt neceſſaria ad integritatem Confeſſionis; quia tunc illa notitia habetur dependenter a confeſſione, quæ certè per revelationem complicis redderetur valde odioſa.* Idemque aſſerit in caſu magis dubio, quando complex manifeſtatur inadvertenter, & non in ordine ad confeſſionem: *Nihilominus adhuc ſic eſſe materiam ſigilli defendunt cum communi... Et meritò: primò, quia ea, quæ dicuntur ad manifeſtationem peccati, licet non ſint neceſſaria, immo nec fortè utilia, cadunt ſub ſigillo. Secundò, quia peccatum complicis fere ſemper eſt manifeſtativum peccati pœnitentis. Tertiò, quia aliter redditur confeſſio odioſa.* Reiffenſt. ub. ſupr. n. 25. *Sub ſigillo confeſſionis non tantum cadunt peccata confitentis, ſed etiam peccata complicis... Ratio eſt, quia per horum, ac aliorum ſimilium revelationem confitenti fieret præjudicium, & ſic confeſſio fieret odioſa.* Wigan. tract. 13. exam. 7. n. 128. *Directè ſub ſigillo cadit quidquid eſt materia confeſſionis, nimirum mortalia in genere, & in ſpecie; venialia vero in ſpecie. Indirectè peccatum complicis eodem ſigillo tegitur... Quia Doctores communiter dicunt ſub ſigillo cadere quidquid confeſſionem reddit odioſam, vel oneroſam.* Caſtr. Pal. ubi ſup. 5. 2. n. 5. *Dubium ergo eſt, an complicis peccatum, aliique naturales defectus ita ſub ſigillo debeant contineri, ut ob nullam cauſam manifeſtari poſſint. Et quidem contineri ſub ſecreto naturali ſtrictius obligante, quam ſi extra confeſſionem*

cognita

Digitized by Google

cognita eſſent ob reverentiam ſacramenti, omnes Doctores firmant: ſicuti etiam aſſerunt, ſi ex eorum manifeſtatione aliqua etſi levis ſuſpicio audientibus daretur, omnino ſub ſigillo inviolabile celanda eſſe. At ſecluſo hoc periculo negat Ledeſma... Sed placet communem ſententiam ſequi, nempe, ea omnia, quæ ad peccati confeſſi explicationem aliquo modo conduxerunt, quæque perſonam infamant, ſeu dehoneſtant, ſub ſigillo contineri... Ratio eſt; quia licet prædicta non ſunt materia confeſſionis, conducunt tamen, ſaltem ex opinione pœnitentis, ad materiæ explicationem. Debent ergo ſub ſacro ſigillo ſervari, alias odioſa redderetur confeſſio, ſi ſcirent pœnitentes, prædicta evulgari in aliquo caſu poſſe. Innumeros poſſem tranſcribere Auctores, ſed ſuperſedeo.

29 Inferunt ſexto. Eum, qui ſigillo ligatus eſt, nullatenus uti poſſe ſciētia ex confeſſione acquiſita. Non illationis ſtatum inſtituo in uſu notitiæ ſine aliqua directa, vel indirecta ſigilli revelatione, & abſque ullo gravamine pœnitentis; circa hoc enim ſua cuique ſententia relinquenda eſt. Neque etiam verſatur illatio circa uſum notitiæ cum aliqua ſigilli revelatione; hanc enim illicitam ſemper fuiſſe, nullus hucuſque dubitavit, neque in controverſiam adduci poteſt. Tota igitur vertitur quæſtio, quando uſus notitiæ ſecum affert aliquod pœnitentis gravamen. Quæſtio inquam valde agitata ab antiquioribus; ſed poſt Decretum Clementis VIII. pro Regularibus nulla meo judicio, & graviſſimorum Doctorum dubitatio eſſe poteſt. Sic conſtituit ſanctiſſimus Pater: *Tam ſuperiores pro tempore exiſtentes, quam Confeſſarii, qui poſtea ad ſuperioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentiſſime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confeſſione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.* Quod quidem Decretum poſtea a Paulo V. Gregorio XV. & Urbano VIII. invenitur confirmatum. Unde poſt prædictum Decretum (quidquid antiquiores aſſererent, & ut maximè probabile defenderent) melioris notæ Doctores jure merito ſequuntur illicitum eſſe prædictum uſum, licet ſit de actionibus externis, quas Prælati jure ſuo antehabitam notitiam pro libito facere poterant, quoties aliquod ſequatur gravamen pœnitentis, aut ei aliquis rubor, ſive moleſtia, aut ſuſpicio propter notitiam in confeſſione habitam inferatur. Videantur P. Sanches, P. DelRio, Laiman, & Bonacina, quos citat, & ſequitur Caſtr. Pal. ubi ſupra §. 3. Gabriel a S. Vincent. Anton. a Sp. S. Franciſc. Bonæ Spei. Dicaſtill. Averſa, Coninch. Dian. de Lugo, Granad. Fagundes, quos ſequitur Curſus Salmantic. cap. 14. p. 3. a n. 46. Et poſt alios noviſſimè, & ex profeſſo eleganter, ut ſolet, P. Viva tom. 1. theſi de uſu ſcientiæ in confeſſione acquiſitæ.

30 Non defuerunt tamen, qui etiam poſt prædictum Clementis Decretum defendere ſatagerent ſententiam in eo prohibitam, aſſerentes illud

illud Decretum reſpexiſſe ſolum Regulares,non vero Epiſcopos, & alios Prælatos ſæculares. Sed perperam id conantur; advertere ſiquidem potuiſſent illud certum juris axioma, nempe: Ubi datur eadem ratio, debet dari eadem juris diſpoſitio. (9) Ratio autem illius prohibitionis ea eſt, ſcilicet ne ex prædicto uſu pœnitentibus afferatur aliquod incommodum, aliquave erubeſcentia, quæ ſacramentum odioſum quoquo modo reddere poſſit. Redderetur autem confeſſio odioſa, ſi pœnitentes ſcirent ob peccata confeſſa ab ordinibus, ab officiis, & beneficiis arcendos eſſe, ut ponderant ſupra citati omnes. Hæc intrinſeca, inſeparabiliſque a ſacramento ratio tam regulares, quam ſæculares æque adſtringit, & obligat, neque diſparitas aliqua aſſignari poterit. Hinc meritò Lugus, & Dicaſtillus apud Salmanticenſes rectè dicunt, *neſcire ſe quomodo poſt Decretum Clementis poſſit oppoſita ſententia ſuſtineri.*

31 Licet autem ſententia Suarii (10) aſſerentis uſum ſcientiæ ſacramentalis ex natura rei, ſeu ſola ratione ſpectatum improbari non poſſe; eſtò potuerit ob periculum mali a Pontifice prohiberi, vera eſſet; id ſufficeret ſolum ad concludendum, prædictam prohibitionem etiam Prælatos ſæculares æqualiter adſtringere: nam illud periculum mali, quod Pontifex prohibet, vitareque intendit, æque viget in uſu ſcientiæ ſacramentalis a ſæcularibus Prælatis exercitæ: deinde ſi in prædicto uſu datur illud mali periculum, conſequens eſt, quòd prædicta ſententia propter prædictum periculum, quod ſemper timetur, non ſit amplius practice probabilis, licet ſpecultative defendi poſſit. Ut autem penitus eliminanda ſit, ſufficit, quod prædicta opinio non ſit practice probabilis. (11) Præterquam quod illa intrinſeca ratio non faciendi confeſſionem aliquo modo odioſam ita fortiter premit intellectum, adeoque tranſcendentaliter ſe habet, ut prædictam ſententiam neque ſpeculative probabilem relinquat.

32 Sic meliùs viribus deſtituitur præfata antiquorum opinio, quam fundamento, quo utitur prædictus Cardinalis de Lugo, exemplo ſcilicet damnatæ propoſitionis aſſerentis licitam eſſe confeſſionem, & abſolutionem in abſentia factam per epiſtolam in caſu neceſſitatis. Statim ſiquidem occurrit illud maximum diſcrimen, quod illa propoſitio fuit expreſſe damnata, ut falſa, temeraria, & ſcandaloſa; at verò uſus ſcientiæ ſacramentalis ſolum fuit prohibitus, ut optime ratiocinatur dictus P. Viva. Unde illa priori ſententia nunquam uti poterant Confeſſarii, quia Pontifex loquens ex cathedra illam declaravit ut erroneam; at vero iſta poterunt uti Confeſſarii, quia S. P. ſolum illam prohibuit, quia facile Præ-

(9) Barb. in loc. commun. lit. R. n. 14. ubi textus refert.
(10) Diſp. 33. de Pœnit. ſect, 7. n. 4.
(11) Vid. Filgueir. in Lucerna. pag. 51. & 52. Caſued. tom. 1. diſp. 1. ſect. 5. n. 56.

Digitized by Google

Prælati regulares ea communi apud antiquos opinione abutebantur, ac proinde ſi concurrat cum lege naturali, v. g. non conferendi ordines indigno, hæc prævalebit; ſiquidem illa lex eccleſiaſtica jure naturali præponderare non debet.

33 Verum enim vero, ſi rem ſerio perpendamus, illa ratiocinatio ſi vigeret quoad Prælatos ſæculares, etiam ſibi locum vindicaret erga regulares; non enim alterum eſt jus naturale, quod regulares, alterum quod ſæculares arctat. Unde concurrente dicto præcepto naturali cum illa prohibitione eccleſiaſtica, illud prævaleret, & e converſo, ſi non prævaleat quoad regulares, neque etiam attendendum eſt quoad ſæculares: ergo eadem prohibitio, quæ regulares adſtringit, in eiſdem circumſtantiis etiam ſæculares arctare dicenda eſt. Si autem in prædictis caſibus, in quibus præceptum naturalis juris conſideratur, licitus poteſt fieri uſus ſcientiæ ſacramentalis, iiſdem ex principiis licitus erit regularibus. Illuderetur igitur abſoluta Decreti illius prohibitio, ac in manu tam regularium, quam ſæcularium Prælatorum, & Confeſſorum poſitum eſſet illa prohibita ſententia uti, vel abuti, prout unuſquiſque libere opinaretur, illeque uſus adeo periculoſus pro libito cujuſpiam contra Pontificium Decretum iterum gliſceret in injuriam ſacramenti, in damnumque pœnitentium vergeret frequentiſſime.

34 Quapropter, ut luxuriantium ingeniorum libido omnino cohibeatur, hæque periculoſiſſimæ opiniones uno ictu abſcindantur, dicendum eſt cum prædicto P. Viva, S. P. Clementem illo ſuo Decreto non induxiſſe *novam obligationem, ſed antiquam præcepti naturalis, & divini ad exterminandas opiniones, quæ uſum licitum notitiæ confeſſionis pœnitentibus moleſtum concedebant; atque adeo ex hoc Decreto pro ſolis regularibus ſuperioribus lato infertur, præceptum naturale & divinum de ſigillo cuſtodiendo ſe extendere ad prohibendum hujuſmodi uſum, & idcirco omnibus omnino Confeſſariis id vetari.* Ob id autem concludit hic doctiſſimus Pater, Clementem novam obligationem non induxiſſe in ſua prohibitione, quia motivum talis Decreti fuit, *ne ex uſu ſcientiæ habitæ in confeſſione redderetur odioſa, & formidabilis confeſſio*: quod quidem *motivum ipſum eſt præcepti naturalis, & divini de ſigillo cuſtodiendo.* Unde recte infert, *talem uſum eſſe antecedenter ad Pontificiam prohibitionem illicitum; atque adeo eſſe prohibitum quia malum, non vero malum quia prohibitum.* Ne tranſcribere videar, conſulatur idem Pater; ibi enim invenientur ſolidiſſimæ rationes, quibus nititur, & ſolutiones ad fundamenta contraria.

35 Omnibus tamen his diſputationibus, & opinionibus aditum intercluſit ſanctiſſimus Pontifex Innocentius XI. in generali Congregatione S. Romanæ, & univerſalis Inquiſitionis, habita in Conventu S. Mariæ ſuper Minervam coram Eminentiſ. DD.S.R.E. Cardinalibus

in

Digitized by Google

in tota Republica Chriſtiana contra hæreticam pravitatem generalibus Inquiſitoribus, a Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis, in qua prohibita omnino fuit quorumdam Doctorum propoſitio, per quam Decretum Clementis proculdubio cavillabatur; aſſerebat enim, quòd *ſcientia ex confeſſione acquiſita uti licet, modò fiat ſine directa, aut indirecta revelatione, & gravamine pœnitentis, niſi aliud multò maius ex non uſu ſequatur, in cujus comparatione prius meritò contemnatur.* Hanc propoſitionem ſic explicabant, aut reſtringebant, ut eſſet *intelligenda de uſu ſcientiæ ex confeſſione acquiſitæ cum gravamine pœnitentis, ſecluſa quacumque revelatione, atque in caſu, quo multò maius gravamen ejuſdem pœnitentis ex non uſu ſequeretur.* Habita igitur matura conſultatione, & diſcuſſione prædictæ propoſitionis, Eminentiſſimi Domini *ſtatuerunt dictam propoſitionem, quatenus admittit uſum dictæ ſcientiæ cum gravamine pœnitentis, omnino prohibendam eſſe, etiam cum dicta explicatione, ſive limitatione. Et præſenti Decreto prohibent, nequis ultra audeat talem doctrinam publice, aut privatim docere, aut defendere, ſub pœnis arbitrio ſacræ Congregationis infligendis. Mandantes etiam univerſis ſacramenti Pœnitentiæ Miniſtris, ut ab ea in praxim deducenda prorſus abſtineat.*

36 Concludentiſſimam hujus rei rationem, & falſitatem illius propoſitionis idem doctiſſimus P. Viva ſic demonſtrat: *Oſtenditur omnis falſitas hujus theſis, & doctrinæ; quia ſi hæc via aperiretur ad utendum notitia confeſſionis cum gravamine pœnitentis, dicendo quod deſerviat ad impediendum illi maius damnum, & gravamen, eo ipſo confeſſio redderetur odioſa per hoc, quod facile paſſim ſuperior, & Confeſſarius perſuaderet ſibi gravamen pœnitentis hic, & nunc eſſe leviſſimum, & contemnendum in comparatione gravaminis, quod ex non uſu talis ſcientiæ reportaret: ergo debuit eſſe illicitus pro quocumque caſu uſus notitiæ confeſſionis cum gravamine pœnitentis... In caſu noſtro ſi licitum eſſet uti notitia confeſſionis cum aliquali pœnitentis gravamine, quando hoc deſervit ad impediendum gravamen maius, facile ſuperiores præ zelo obſervantiæ perſuaderent ſibi eſſe hic, & nunc licitum talem uſum; & idcirco debuit de jure naturali, & divino talis uſus pro quolibet caſu interdici; quia ſi hæc via aperiretur, ingens damnum bono publico eveniret, & magna ſacramento Pœnitentiæ irreverentia.*

37 Adverſantium ſophiſtica argumenta nervoſe diluit idem ſapientiſſimus Theologus. Ego tamen, ne in his immorer, breviorem, & ſecuriorem carpo viam. Fingant, arguant, ingenia acuant, atque quot libeat fundamenta, è theſauris ſuæ ſapientiæ depromant. Ut omnia deſtruantur, ſat, ſuperque eſt, quòd Summus Pontifex, qui eſt regula morum, in generali Congregatione, omnibus rationibus prævia diſcuſ-

ſione mature perpenſis,prædictum uſum prohiberet, & ſententiam contrariam nullatenus in praxim deducendam eſſe conſtitueret, ut ea non ſit amplius practice probabilis, & nullatenus ſequenda. Ideo recte recentiores omnes inferunt cum Caſtro Palao, Salmanticenſibus, Cardinali de Lugo, Dicaſtillo, Mendo, Stoz, & aliis, uſum ſcientiæ in confeſſione acquiſitæ illicitum eſſe, neque prædictam opinionem practice probabilem eſſe. Sufficiat referre doctiſſimum P. LaCroix *lib.6. p.2. n.* 1951. Sic ait: *Hæc ſententia non videtur practice probabilis... Itaque nunc eſt certum illicitum eſſe uti ſcientia confeſſionis, cum aliquo gravamine pœnitentis, quamvis abſit omnis ſigilli revelatio, & quamvis multo maius gravamen pœnitentis ex non uſu ſequeretur... Quorum ſententia non eſt amplius probabilis.*

38 Unde cavendum eſt ab opinionibus antiquorum, licet doctiſſimorum, Auctorum, qui ante prædicta Decreta ſcripſerunt; eorum ſiquidem ſententia probabilitate practica omnino caret. Idcirco etiam maxime cavendum ab Excellentiſſimi Archiepiſcopi Eborenſis Paſtorali, quatenus poſt Breve *Suprema* adhuc Confeſſarios ſibi ſubditos monet, ut ſequantur opiniones meliorum Doctorum ſcribentium in materia, quaſi neſciret Magiſter ſapientiſſimus Pontificiæ Conſtitutioni Doctorum, etſi graviſſimorum, ſententias prævalere non poſſe. Iterumque cavendum ab eo dum inſiſtit in aſſerendo ſanctiſſimum Dominum noſtrum Benedictum XIV. ſolum prohibuiſſe frequentiam, eo quod in ſuis repetitis Conſtitutionibus utatur in Proæmio adverbio *paſſim*; quin advertat, ideo abſolute, & omnino prohibuiſſe per adverbium *penitus* omnis caſûs excluſivum, ne in præjudicium ſacramenti, & fidelium Confeſſarii iiſdem opinionibus abuterentur. Ad quod rite percipiendum neceſſe erit in memoriam revocare quod ſupra retulimus ex P. Viva: *Eo ipſo confeſſio redderetur odioſa per hoc, quod facile paſſim ſuperior, & Confeſſarius perſuaderet ſibi gravamen pœnitentis hic, & nunc licitum eſſe: ergo debuit eſſe illicitus pro quocumque caſu..... Facile ſuperiores præ zelo obſervantiæ perſuaderent ſibi, eſſe hic & nunc licitum talem uſum: & idcirco debuit jure naturali, & divino talis uſus pro quolibet caſu interdici; quia ſi hæc via aperiretur, ingens damnum bono publico eveniret, & magna ſacramento Pœnitentiæ irreverentia.* Prohibitus abſolute fuit non ſolum eccleſiaſtico, ſed etiam naturali, & divino jure uſus ſcientiæ ſacramentalis, ita ut in nullo caſu licitus ſit, quia ſi aliqui exceptuarentur caſus, *paſſim* ſuperiores in injuriam ſacramenti uterentur prædicta ſcientia. Damnavit Sanctiſſimus *penitus*, & abſolute interrogationes complicum, quia Confeſſarii *paſſim* abutebantur opinionibus in aliquo rariſſimo caſu id permittentibus: itaque neceſſe omnino fuit omnem viam intercludere propter damnum boni publici, & magnam ſacramenti irreverentiam.

Digitized by Google

39 Ex prædicta prohibitione deducunt DD. ſupra citati illicitum, & graviter peccaminoſum eſſe prædictum uſum. Et quidem proculdubio ita centendus eſt, cum ſit contra præceptum Eccleſiaſticum in materia graviſſima, qualis eſt adminiſtratio ſacramenti Pœnitentiæ, uſuque ſigilli, in quo materiæ parvitas conſiderari non debet (licet revera aliquando dari poſſit) propter periculum, & propter facilem hallucinationem circa gravitatem, aut levitatem materiæ, ex quo homines valde a confeſſione retraherentur. Quod quidem expreſſe probat, optimeque ponderat prælatus P. Viva §. Equidem, & ſeq. Hæc ſunt ejus verba: *Equidem tamen cenſeo peccare primò graviter contra hanc legem eccleſiaſticam; quia communiter DD. docent cum Suar., Soto, Vaſques p. 2. diſp. 158. cap. 2. & aliis apud Bonacin. t. 2. diſp. 1. q. 3. p. 7. §. 4. legem eccleſiaſticam obligare ſub gravi, ſi materia ſit gravis, & feratur tantum imperativo modo, quamvis nullam clauſulam contineat, quæ explicet obligationem gravem, & quamvis nullam imponat pœnam tranſgreſſoribus... Quare cum in noſtro caſu materia ſit graviſſima, nequit dici, quod lex illa eccleſiaſtica ſolum obligat ſub levi. Cenſeo deinde hujus legis tranſgreſſores peccare etiam adverſus legem naturalem, & divinam ſigilli, cum oſtenderimus, graviter ſigillum offendi per uſum notitiæ confeſſionis cum gravamine pœnitentis. Quamvis autem ſententia oppoſita fuerit olim probabilis, diximus tamen ex Lugo, Dicaſtillo, & aliis recentioribus non apparere, quomodo poſt Decretum illud Clementis VIII. latum pro ſolis Prælatis regularibus poſſit amplius ſuſtineri, & a fortiori poſt univerſalem hujus theſis prohibitionem. Si enim theſis illa ſolidam haberet ex natura ſua probabilitatem, non poſſet ab Eccleſia uſus notitiæ ex confeſſione acquiſitæ cum aliquo gravamine pœnitentis pro quolibet caſu prohiberi, ut oſtendimus in prima illatione.* Cætera in ipſo Auctore videnda ſunt; materiam enim uſque ad ultimum diſcurit apicem, optimeque omne tulit punctum. Videri etiam poterunt Maſſeus Keslingerus in appendic. ad Reitenſt. p. 161. ad n. 33. Felix Poteſtas in append. variarum propoſit. LaCroix de Præcep. confeſſ. lib. 6. p. 2. n. 1977. Francolinus in Theolog. dogmat. tract. Francol. vindic. cap. 4. n. 2.

40 Hæc cum ita ſe habeant repectu uſus notitiæ ſacramentalis ſine revelatione ſigilli, cum aliquo tamen gravamine pœnitentis, quid ſentiendum erit reſpectu ipſius uſus cum gravamine pœnitentis, & complicis, & cum expreſſa ſigilli revelatione? In hoc caſu nullus Auctor neque recentior, neque antiquior eſt, qui a graviſſimo contra juſtitiam, & contra religionem peccato audeat excuſare, immo qui auſus eſſet a vero dogmate infallibiliter deviaret. Hincque evidenter liquet, quam inſipienter nimis a falſo ſpiritu abducti, & aliorum vitandi peccata imprudentiſſimo lenocinio illecti aliqui Confeſſarii propriæ culpæ

rei multoties fierent, cum in eum corruptiſſimum, & intolerabilem abuſum evaſiſſent, ut ad ſuperiores ſeu verbo, ſeu per epiſtolam, aut alia ſigna, ſaltem in genere pœnitentium peccata deferrent, ut ipſi noſcerent, qui ad Ordines ſuſcipiendos, ad aſſequenda beneficia, ad aliaque munia ſubeunda digni, vel minus digni cenſendi eſſent. Quam lata innumeris ſacrilegiis ſternebatur via! Quam arctus fiebat Pœnitentiæ aditus! Quantis ſcandalis, falſis accuſationibus, fictis virtutibus, maximiſque proximorum damnis latiſſima porta referebatur! An putabant ſuum falſiſſimum zelum a peccato eos liberare, & proximorum bonum ſpirituale, quod prætendebant, licitam feciſſe prædictam praxim? Mihi videtur hanc ſuam doctrinam maximam affinitatem habere cum illa alia, quam Innocentius XI. damnaverat. Ea erat inter damnatas ſexageſima tertia propoſitio: *Licitum eſt quærere directe occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali, vel temporali noſtro, vel proximi.* Quid aliud in re erat illa corruptiſſima praxis? Quærebant ipſi in confeſſionariis occaſionem frequentem peccandi in revelatione ſacri ſigilli; ſed opinabantur id ſibi licitum eſſe vel propter bonum temporale, quod ex gratia Prælatorum ſperabatur, vel ob bonum ſpirituale proximorum, quatenus vel ſic à peccatis retrahebantur, vel officia, aut beneficia, aut Ordines, quorum indigni erant, non ſuſcipiebant. Oh maximam, altiſque vocibus vituperandam fatuitatem! A quo Theologo, à quo ſancto Patre hanc peſſimam doctrinam hauſiſſe dicentur? Quis ſanæ Theologiæ principiis vel mediocriter inſtructus erit, & hos Confeſſarios vel ab errore, vel à culpa, à qua ignorantia adeo craſſa non liberat, excuſabit? Et quis eos doctos, ſpiritualeſque viros, morali ſcientia præditos, atque ad animarum directionem apprime aptos commendabit, cum videat, an potius defleat, hunc abſurdiſſimum morem, hoc Orthodoxæ fidei contrarium dogma, tamquam veteri Eccleſiæ diſciplinæ conforme, ad reformandoſque corruptos mores nimis utile aſſeri, & probari?

41 Magis autem mirandum, deplorandumque illud erat, quòd Orthodoxi, atque ſpirituales ſuperiores, quos Magiſtros, Doctoreſque veneramur, & tamquam fulgentiſſima lumina in candelabro Eccleſiæ nitentia reveremur, id bono animo tuliſſent, id foverent, id diſſimularent. Incredibile dictu id forte fieret, ni frequentiſſimæ querellæ, ſparſuſque rumor non probaret propter illas abſurdiſſimas Confeſſariorum delationes, ſive accuſationes ad denegationes Ordinum, beneficiorum, Eccleſiarum, immo & ad reprehenſiones, ad accuſationes inſtituendas, cum nulla alia cauſa ſuppetat, frequentiſſime procedi. Quid contra ſacrum ſigillum apertius, quam quod ſuperior quidam audiendis confeſſionibus invigilans, (ut Sacerdos quidam fide dignus mihi certum fecit) aliorum peccata diligentiſſime inquirebat; poſtea

poſtea peccatorem in publico judicio denuntiare faciebat, in teſteſque vocabat pœnitentes ipſos, à quibus ea occulta ediſcerat peccata? Pro hujus rei veritate nec ſponſor ero, nec fidejuſſorem me conſtituam: relatum refero. Neque mihi perſuadere poſſum id inter Orthodoxos, ſapientes, virtuoſoſque viros admitti valuiſſe. Neminem accuſo, neminem condemno, de nemine in individuo aliquid aut profero, aut ſuſpicor. Sed publicus rumor ſic habet: ſi falſus eſt, nihil obſtat quod errorem redarguam; ſin verus, cur tacebo? Quomodo verò errorem redarguam quin errantes feriam? Ecquis vero erit, qui prædictum intolerabilem abuſum non reprehendat, non abominetur? Ecquis erit, qui prædictam praxim contra ſacramenti inſtitutionem, & in ejus perniciem introductam non agnoſcat, non fateatur? Ubinam iſti ſacri ſigilli deturpatores, quicumque illi ſint, hanc infandam corruptelam percipere potuerunt? Quos libros aperiunt peſſimarum novitatum ſectarii, in quibus hanc falſam doctrinam legant? Quos fontes adeunt, ut hæc venenata ebibant adminiſtrandæ ſacræ Pœnitentiæ documenta? Illud inter Moralis, & Canonicæ ſcientiæ profeſſores inconcuſſum retinetur, nempe, ſigilli obligatione non ſolum ſtrictiſſime arctari Confeſſarios ipſos, ſed eos omnes, ad quos notitia ex confeſſione habita aliquo modo vel juſte, vel injuſte pervenit. Ita cum D. Thoma, Scoto, Ricardo, Silveſtro, Navarro, Maldero, Fagundes, Toleto, Pitigiano, Ochogavia, Diana, Marchantio, Mæratio, Turriano, Valboa, Hurtado, Bonacina, Laymano, & Suario Granatenſi *P. Suar. Luſit. tr. 6. de Miniſtr. ſacram. Pœnit. diſp. 5. ſect. 2. num. 442. Vaſq. quæſt. 93. art. 4. dub. 2. n. 10. Conincb. de Pœnit. diſp. 9. dub. 3. n. 36. Caſtr. Pal. tr. 23. diſp. un. p. 19. §. 4. n. 6. Averſ. q. 18. ſect. 5. Salmanticenſ. tr. 6. cap. 14. p. 4. n. 64. Reifenſt. in Opere Moral. tr. 14. diſt. 9. q. 3. num. 36. LaCroix lib. 6. p. 2. n.* 1951. & omnes fere, ita ut contrarium ſit certe falſum, omnineque improbabile.

42 Fortaſſe arbitrabuntur hi ſuperiores, quod ſigillo non teneantur, poſſintque procedere ad ea, quæ in praxi habent, ſemel quod Confeſſarii illis revelent peccata ſibi confeſſa? Sed hoc falſum eſt non ſolum, quia *tenetur ſigillo ille, cui Confeſſarius peccata pœnitentis, ſive conſultò, adeoque ſacrilege, ſive inculpate recenſuerit.* (12) Tum quia ex ſola Confeſſarii aſſertione non reſultat probatio juridica, & ſufficiens, ut ad pœnam aliquam procedatur, nam teſtis unicus nihil probat *L. Ubi numerus ff. de Teſtib. cap. Si teſtes* 4. *q.* 3. *cap. Licet univerſis* 23. *cap. In omni negotio* 4. *cap. Veniens* 10. *de Teſtib. & conſtat ex ſacra Pag. Matthei cap.* 28. *& Luc. cap.* 17. Reifenſt. & communiter *DD. ad tit. de Teſtib.* Hincque notiſſima ſunt axiomata: *Vox unius vox*

(12) Ita cum de Lugo, & Caietan. Tamborinus in Method. expediend. confeſſ. appendic. de ſigillo cap. 4. n. 1. & ſupra late firmavimus.

vox nullius. Unus teſtis nullus teſtis. Dictum unius dictũ nullius. Ideoque optime. S.P. Stephanus V. generaliter inquit: *Nec Evangeliũ, nec ulla divina, aut humana lex unius teſtimonio, etiam idoneo, quempiam condemnat, vel juſtificat*, prout habetur in *cap. Admonere* 33. *q.* 1. Præcipue cum ipſe Confeſſarius non deponat juratus, ut neceſſarium eſt ad aliquam fidem faciendam in alterius præjudicium. *Cap. Nuper nobis* 51. *de Teſtib. cap. Fraternitatis* 16. *cap. Tuis quæſtionibus* 29. *eod. tit. l. Teſtium*, *l. Jurisjur. eod. eod. tit. & ſine controverſia DD* omnes, ac proinde contra juſtitiam operatur, qui contra formam a jure ſtatutam punit, ex ſola Confeſſoris, aut pœnitentis delatione. Tum quia in hoc procedendi modo mille ſacrilegiis lata via panditur, ut per ſe patet. Et tandem quia confeſſio in ſacramento Pœnitentiæ facta nihil probat, nec ſuperiores propter prædictam notitiam inquiſitionem inſtituere poſſunt; immo neque Sacerdoti revelanti confeſſionem creditur, neque ullum omnino effectum producit talis revelatio. Innumeros referre poſſem AA: ſatis erit Anacletum Reitenſtuel tranſcribere, qui *ad tit. de Confeſſis* §. 6. *n.* 132. *&* 133. ſic habet. *Confeſſio in ſacramento Pœnitentiæ facta coram Sacerdote nihil omnino probat contra pœnitentem in foro externo. Ita communis tum Theologorum, tum Canoniſtarum. Idque clare deſumitur* ex cap. Dilectus 13. de Exceſſib. Prælat. & cap. Si Sacerdos 2. de Offic. Ordin. *ubi & hujus ratio redditur: quia videlicet confeſſio ſacramentalis cenſetur facta Sacerdoti, non ut homini, ſed ut Deo, ſeu Vicario Dei; ac proinde ad decidendas controverſias humanas eſt prorſus impertinens. Accedit, quod ſi quovis modo abſque expreſſa licentia pœnitentis poſſet revelari confeſſio ſacramentalis, vel ipſa inique revelata adhiberi in foro externo probatione contra pœnitentem, ſacramentum Pœnitentiæ redderetur valde odioſum, immo & periculoſum fidelibus; hoc autem repugnat divinæ inſtitutioni, ac debitæ reverentiæ tanti ſacramenti, utpote a cujus frequentatione hac ratione fideles retraherentur non ſine magna ejuſdem injuria... Ob hanc ipſius revelationem Magiſtratus contra pœnitentem inquirere non poſſit, etiamſi ob non inſtitutam inquiſitionem ſalus Reipublicæ periclitetur. Caſtro Palao* de Sacram. Pœnitent. tr. 23. punct. 19. n. 12. *poſt Sotum* in 4. diſt. 18. q. 4. art. 6. *& alio. Quinimmo Sacerdoti revelanti confeſſionem non creditur: adeo, ut ejus revelatio nec faciat indicium ad torturam, nec ullam fidem habet, immo nullum omnino effectum operetur in judicio, vel extra, Farinac.* lib. 2. Criminal. q. 47. n. 96. *Menoch.* lib. 1. de Præſumptionib. q. 89. n. 26. *poſt Baldum* in l. Archigerontes cod. de Epiſcopal. audientia, *Covarruvias* de Matrimon. p. 2. &c.

43 Profecto non capio in re tam certa, quo jure, qua authoritate hæc paterentur, hæc approbarent, hæc exercerent ſuperiores aliqui, & ad

& ad denegationes Ordinum, ad privationes officiorum, ad carceres, & ad exterminia ex ſola notitia ſacramentali progrederentur. Neſcio a quo probato Auctore id ediſcerent, ne forte ipſis probati Auctores ſunt Armeni, aut Illuminati, aut Rigoriſtæ. Si ab ipſis non didiſcerunt, neſcio a quo alio puro fonte hæc hauſiſſe dicendi ſunt. Libros iterum atque iterum pervolvo, nullumque invenio eis faventem. Recogito, atque in examen revoco principium aliquod, quo ſeducti id quandoque licere, licuiſſeve arbitrentur; nulla ſiquidem mihi contra eos ſiniſtra ſuſpicio, quod ſcientes, volentes errent, illiciteque operentur. Et dum hæc mente revolvo, in memoriam revoco Gaſparem Jueninum, & Joannem Morinum, aliosve recentiores eccleſiaſticæ veteris diſciplinæ ſcriptores, qui multis nituntur oſtendere veteris Eccleſiæ diſciplinam primis in ſæculis fuiſſe, quod Confeſſarii ad Epiſcopos referrent graviora peccata ſibi confeſſa, & is, vel ipſe Pœnitentiarius ipſa peccata, adſtante populo Chriſtiano, publice enuntiaret. Hinc forte proceſſit, quod hi moderni Confeſſarii plus æquo rigidi, atque veteris diſciplinæ æmulatores cum hæc legerent (oh utinam legerent, & intelligerent, neque plus ſaperent, quam oportet ſapere) ſuo imprudentiſſimo zelo decepti, ac ſtudio reformandi mundum abducti introducere nunc ambiunt eumdem morem, quem antiquitus uſurpatum, & pro univerſalis Eccleſiæ uſu acceptum immerito arbitrantur. Quapropter hanc illatam ab ſcriptoribus veteri Eccleſiæ calumniam, quam jam Francolinus (12) vindicaverat, & a quo multa didici, iterum ſuſcipio ulciſcendam.

FULMEN TERTIUM

Doctrinam aſſerentem in veteri Eccleſia floruiſſe morem, quo peccata confeſſa ad Epiſcopum referebantur, ut ipſe publicas pro peccatis occultis indiceret pœnitentias, omnino deprimit, & in minutas redigit favillas.

Ut hæc in veterem Eccleſiam periacta calumnia repellatur, nihil aliud omnino neceſſarium eſt, quam in memoriam revocare quæ de inſtitutione, & neceſſitate ſigilli dicta ſunt; ſi enim jure divino, & naturali obligat, obligavitque ſemper, & hoc eſt dogma certum, nunquam Eccleſia, quæ errare non potuit, ſimilem errorem admitteret, & approbaret;

(12) Francolin. in ſua Theologia dogmat. lib. 1. per totum.

ac proinde falſum eſt dicere prædictum morem in univerſali Eccleſia viguiſſe ; & quidquid contra hanc veritatem hiſtorici ſcribant , nullatenus fides eis adhibenda eſt. Sed percurramus omnia , ut omnia refutemus.

2 Fortaſſe igitur legerunt hi Confeſſarii P.Suar. Luſit.*dicto tr.6. de Miniſtr. ſacram. Pœnit. diſp. 5. n.* 427. qui propugnans neceſſitatem ſigilli in omni caſu de jure divino , pro ratione dubitandi adducit *text. in cap. Placuit 2. cauſ. 9. q. 2.* quod attribuit Concilio Carthaginenſi ; in quo ſupponi dicit Epiſcopum poſſe aliquando , quod in confeſſione audivit , revelare. Sed ſapientiſſimus Pater in ea allegatione lapſus eſt : ſiquidem neque in toto Decreti volumine textus eſt ullus alicujus Concilii Carthaginenſis ſic incipiens , in quo tale quid ſupponatur ; neque textus allegatus eſt Concilii alicujus , ſed Urbano tribuitur a Gratiano, & inter paleas numeratur , neque in eo quid tale ſupponitur ; immo cauſæ aſſumptum diverſum eſt , & illius capitis reſolutio aliam reſpicit materiam , nempe , ut alienus Parochus , aut Epiſcopus alienos ſubditos ad Ordines , ad Pœnitentiam , ad Miſſæ ſacrificium non admittat , niſi de conſenſu proprii Parochi , aut Epiſcopi , ut ibi videre eſt ; propterea que ex eo nihil tale , quod intenditur , colligere , aut ſupponere fas erit.

3 Sed quoniam de Concilio Carthaginenſi ſermonem inſtituimus, non alterius recordor , quam Concilli Carthaginenſis tertii canon. 31. ibi : *Ut pœnitentibus ſecundum peccatorum differentiam Epiſcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur.* Et canon. 32. ibi : *Et Preſbyter inconſulto Epiſcopo non reconciliet pœnitentem, niſi abſente Epiſcopo, & neceſſitate cogente.* Et in codice canonum Eccleſiæ Africanæ idem habetur canon 43. per hæc verba : *Ut pœnitentibus ſecundum differentiam peccatorum Epiſcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur. Et ut Presbyter inconſulto Epiſcopo non reconciliet pœnitentem , niſi abſentiæ Epiſcopi neceſſitate cogente.* Atque ad idem probandum alios multos diverſorum Conciliorum canones congerere non difficilis aleæ opus eſſet. Sed in his , aliiſque ſimilibus locis non de confeſſione ſecreta , aut pœnitentia occulta a Confeſſario imponenda , ſed de pœnitentiis publicis , atque earum abſolutione ſermo eſt, perperamque ab aliquibus Novatoribus adduci conſueverunt.

4 Idem P. Suarius ad eumdem arguendi finem adducit Concilium Moguntinum cap. 10. & 21. ubi, ut ait, refertur uſus, quo olim aliqua peccata in confeſſione audita tacebantur ; alia vero in medium proferebantur. Fateor me percurriſſe omnia Concilia Moguntina in Collectione Regia P. Labæi , & Harduini Pariſiis edita , & nihil tale inveniſſe. Nec facile perſuaderi potero , Patres illius Concilii uſum contra ſacramenti inſtitutionem , ac Apoſtolorum traditionem approbaſſe. Sed in

fide

fide referentis facile cum ipſo diſſolvitur fundamentum dicendo, quod ibi *ſermo eſt de confeſſione externa facta de conſenſu pœnitentis*. Et quidem ſic intelligi debent quæcumque Conciliorum, aut Patrum doctrinæ, ne dicamus eos, vel Eccleſiam in materia dogmatis morem eccleſiaſticæ Traditioni contrarium admiſiſſe.

5 Nunc adeamus ſcriptores, quos fortaſſe legerant in Morino vel alio ſimili. Primus eſt Ruardus Tapperus, cujus ſupra memini, qui *in articul*. 5. referens Nectarii hiſtoriam, & Novatianorum objectionem diſſolvens, ait antiquos Patres occaſione Novatianæ hæreſeos ubique conſtituiſſe, quod Pœnitentiarius ab ipſis inſtitutus peccata graviora ſibi confeſſa ad Epiſcopum referrent; & is, vel ipſe Pœnitentiarius ipſa peccata adſtante populo Chriſtiano publice enuntiaret. Verba Tapperi ſic habent. „ Continebat hæc Epiſcoporum adjectio, quod ad Epiſcopum referret hic Pœnitentiarius peccata audita, maxime enormia, quamvis ſecreta, & per eum publice recitarentur in Eccleſia. Ait enim propterea ab initio viſum eſt Epiſcopis peccata annuntiare, ſive promulgare, quaſi in theatro teſte multitudine Eccleſiæ... Utcumque tamen res ſe habeat, ſive per Epiſcopos, ſive per Presbyteros Pœnitentiarios, ſive per ipſos pœnitentes publice coram tota Eccleſia occulta recitata fuerint, hoc erat additamentum, ſive appendix, quam Epiſcopi propter Novatum adjecerant veteri canoni, & regulæ Eccleſiarum, quæ apud omnes obtinuerat jam a tempore Apoſtolorum. Additamentum vocat veteri canoni; ſi tamen ita fuerat, ut refert, melius diceret abuſum contra veterem canonem, & regulam eccleſiaſticam a tempore Apoſtolorum ubique acceptam, contra quam, & contra ſacramentalis ſigilli legem a Chriſto Domino inſtitutam nihil Epiſcopi illi introducere aut ratione, aut jure potuiſſent.

6 Alii ſcriptores ſunt vel Pamelius *in adnotat. ad tract. S. Cypriani de lapſis*, & initio adnotationum ad librum Tertuliani de Pœnitentia, qui ſic habet: „ Quamquam interim illi ipſi Sozomenus, & Socrates atteſtantur quod antea minora fuerint perpetrata peccata ſibi privatim confeſſa populo publicare fuerint ſoliti, & ſic cogere ad pœnitentiam publicam, quæ ſublato pœnitentiali Presbytero, eadem opera fuiſſe ſublata videtur. Vel Alanus Copuſ. *dialog*. 2. *cap*. 27. ſic ſcribens „ Cum antea licuiſſet, quem libuiſſet Presbyterum adire, unum aliquem certum hominem, ad quem hujuſmodi pœnitentes ſe expiaturi confluerent, conſtituerunt, qui admiſſa ſcelera ad Epiſcopum, ſi neceſſe foret, referret, ut ea in publico Eccleſiæ conventu recitarentur, tum ad eliciendas communes populi pro eo preces, tum ad maiorem terrorem reliquis peccantibus incutiendum, quo magis deinceps propter hunc publicum pudorem deterriti a gravibus ſe peccatis reprimerent. Vel Valentia *diſp*. 7. *q*.

 9. *de*

9. *de Confeſſ.punct.* 2. qui ſic habet. „ Huc enim recitatio illa publica
„ maiorum peccatorum pertinebat, nempe ut populo ea re inculca-
„ retur nullum eſſe tam enorme peccatum, quod auctoritate miniſ-
„ terii eccleſiaſtici non remitteretur. Eodemque ſpectabat pœniten-
„ tiæ, & ſatisfactionis illius publicæ certa, & præſcripta ab Epiſcopis
„ forma. Vel Cardinalis Roffenſis in hæc verba. At illis, qui Presby-
„ tero privatim confitebantur, ſecundum uniuſcujusque culpam Preſ-
„ byter ipſe taxavit mulctam. Et forte ſiquos invenerit enormia com-
„ miſſe flagitia, & quæ publicam exigerent pœnitentiam, eos ad Epiſ-
„ copum miſit, quemadmodum ex Origenis ſententia ſupra dixi-
„ mus.

7 Multos alios apud citatum Morinum legere potuerunt citato loco, quem quidem Auctorem plurimi facio multumque laudo utpote eruditione plenum, atque totius antiquitatis diligentiſſimum indagatorem. Non tamen id in eo probo, quod Orthodoxus cum ſit, hæc venenata proponat, nec antidota propinet. Quippe qui cum fateatur ſacram ſigilli legem ad Eccleſiam per traditionem Apoſtolicam deſcendiſſe; quod quidem expreſſe docet non modo *lib.* 2. *cap.* 19. ſed etiam hoc *lib.* 5. *cap.*8. *num.*19. per hæc verba: *Ex eo enim ſolidiſſime demonſtratur, confeſſionis ſecretæ, quam auricularem vocant, conſuetudinem Apoſtolicam eſſe, & continua traditione uſurpatam.* Sic poſtea refert morem illum deferendi ad Epiſcopos aliqua peccata in confeſſione audita, & recitandi in conſpectu populi, quaſi in Eccleſia ſine dubio tunc receptum, ut nullo modo improbet, aut reſpuat intolerabilem illum abuſum: & cum totus ſit in illo capite, & per ſequentes, ut latiſſime demonſtret, veterem Eccleſiæ fuiſſe morem pro delictis occultis, & in confeſſione cognitis publicas imponere pœnitentias, nec tunc temporis morem illum fuiſſe contra ſacramentalis ſigilli ſecretum, circa abuſum illum aperiendi Epiſcopis peccata occulte confeſſa ſic ſe habet, ut in Summario *dict. cap.* 8. referat, quòd *Nonnulli aſſeruerunt, crimina occulta ſecreto Sacerdoti confeſſa ad Epiſcopum ab eo relata fuiſſe, & ab Epiſcopo publicè antiquitus renuntiata*: neque impugnet, immo ut certum referat; & quod magis eſt, pro ea ſententia referat Bellarminum, Granatenſem, Dionyſium Petavium, Cardinalem Perronium, & Cardinalem Baronium, qui tamen rite intellecti prædicto mori nullatenus favent, ut ſtatim perſpicuum fiet. Quid aptius, ut notitiæ eccleſiaſticæ illicio ineſcati minus ſapientes, ac principiis Theologiæ deſtituti in abſurdiſſimas declinent ſententias, reprobatosque mores ſtudeant ſuſcitare? Utilius profecto foret hæc neſciri, quam deturpari.

8 Quod attinet ad publicas pro peccatis occultis pœnitentias, nobis poſtea ſermo erit. Quod vero ſpectat ad morem, ut aiunt, tunc temporis

Digitized by Google

poris obſervatum circa detegenda aliqua admiſſa peccata ſub ſecreto Pœnitentiariis Presbyteris confeſſa, nihil nos urget vehementer, ut intelligamur, ibi agi de confeſſione ſacramentali, vel de foro interno, ſed de externo. Omnes ſiquidem antiqui canones pœnitentiales externum forum tunc frequentius reſpiciebant; licet enim internum forum quodammodo dirigerent, ex pœnitentiis enim fori externi ſciebant Confeſſarii quas pœnitentias in foro interno injungere tenerentur ſecundum deliĉtorum gravitatem, ut ait Francolinus in ſua *Theolog. dogmat. lib. 1. diſp. 7. num.* 18. per hæc verba: *Neque inde ſequitur, Eccleſiam antiquiorem nullam inſtituiſſe regulam pro foro interno; nam ea pœna taxatio dirigebat etiam forum internum, quatenus ex ea dignoſcebat Confeſſarius, quæ crimina maiora eſſent, & maiori pœna digna, quæ minori.* Neque apud veteres ea verba *confeſſio ſecreta* ſignificabat ſemper confeſſionem ſacramentalem, ſed eam, qua quis Epiſcopum, vel Pœnitentiarium adiens ſponte, ſecreto tamen, ſuum aperiebat peccatum, ut dignam ſuſciperet canonicam pœnitentiam.

9 Hunc forum adhuc vigentem pro occultis criminibus experimur in ſacra Pœnitentiaria Romana, ubi ſecreto diſpenſantur varia impedimenta occulta, vel ad Ordines, vel ad matrimonia, & abſolutio a criminibus impertitur, vel impertiri mandatur; præcedente tamen abſolutione ſacramentali, injunĉtis ſemper pœnitentiis vel publicis, vel occultis ſecundum qualitatem, vel notorietatem deliĉti, & quandoque publicis in occultas ad preces pœnitentis ex cauſa juſta cõmutatis. Quod quidem tribunal Pœnitentiariæ, licet externum ſit, ſecretum ſemper eſt, & ad forum conſcientiæ internum præcipue reſpicit. Qui de hoc plura deſideret, ultra alios conſulere poterit noviter, & accurate ſcribentem Laurentium Vigilium de Nicollis *in Praxi Canonica tom. 2. lit. P. §. 1. per totum.*

10 Hujus fori externi aliud ſimile exemplum ſuppeditant ſacra Fidei Tribunalia, quæ quidem maxime ſecreta ſunt, & tamen ad forum externum ſpecialiter diriguntur; ſic tamen, ut crimina ibi ſponte, & ſecreto confeſſa, nulla præcedente deliĉti delatione, ſecrete dimittantur, nec aliquo modo revelentur. Si vero a criminis ſociis, vel aliis jam delinquentes denuntiati inveniantur, tunc, licet ipſi libenter fateantur, publicis pœnis puniuntur, habita ſemper ad qualitatem confeſſionis benigna moderatione, (quam etiam vetus Eccleſia obſervabat erga libenter confeſſos circa publicas pœnitentias imponendas) & in Aĉtibus Fidei (prout vulgariter dicuntur) leĉtis ſententiis publicantur, ut alii metu pœnarum a ſimilibus deliĉtis abſtineant, atque populi ſciant, quæ Eccleſiæ ſit in eos delinquentes, ac lapſos juriſdiĉtio, claviumque poteſtas.

11 Præterquamquod, prædiĉti Auĉtores, qui de hoc antiquo mo-

re teſtantur, omnes ſe referunt ad Græcos hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſcriptores, Sozomenum ſcilicet, & Socratem, quorum auctoritas in hac materia non multum ſecura eſt; quippe qui Novatianorum hæreſi infecti nullam, aut modicam fidem in re ad dogma pertinente facere poſſunt. Non judicium meum hoc eſt, ſed Eminentiſſimi Baronii *ad an. Chriſti 56. num. 24.* ſic dicentis *Auctoritate enim Socratis, & Sozomeni Græcorum hiſtoricorum, ſed Novatianorum.* Et n. 26. *Sed tanta hæc fides Socrati præſtanda eſt, quanta cæteris hæreticis de ſuis dogmatibus tractantibus; quippe Novatianus ſecta eum fuerit, quam vere, ac ſyncere hæc ſcripſerit adverſus pœnitentiam in Eccleſia adminiſtrari ſolitam, quemlibet puto facile judicare. Cæterum hæc, quæ dicimus de Socrate, non eſſe calumniam, ſed apertiſſimam veritatem, quæ paucis dicturi ſumus (haud enim hæc tam manifeſta longo indigent ſermonis involucro) nullo negotio declarabunt. Cum enim nulla eos laudandi, & ea, quæ iidem Novatiani dixiſſent, affirmandi occaſionem prætermiſerit: Nicephorus hæc intelligens, eum eſſe Novationum, non ſemel, ſed iterum jure clamat.*

12 Mitius ſe habet dictus P. Francolinus *de Pœnitent. Diſcipl. lib. 2. cap. 5. num. 2.* qui prædictos hiſtoricos adeo ſevera cenſura non inurit; eam tamen Nectarii hiſtoriam, prout a Novatoribus confingitur, veram non eſſe, ſic ait ipſe. *Ad primum dic, eam Socratis, & Sozomeni hiſtoriam eſſe omnino improbabilem, ſive dicatur a Nectario ſublata pœnitentia publica, ſive confeſſio ſecreta.* Et poſtquam evidenter multis probat eorum ſcriptorum improbabilitatem, tandem num. 4. ſic concludit. „ Hæc quiſque expenderit, fateatur neceſſe eſt, aut hanc „ hiſtoriam eſſe confictam totam, aut ſaltem eam partem, qua ea libera permiſſio cõmunicandi facta cuique continetur, nec a Nectario ſublatum aliud fuiſſe, quam publicam occultorum criminum „ confeſſionem, & pœnitentiam, cujus judex, & miniſter erat Preſbyter Pœnitentiarius, retentamque fuiſſe non ſolum confeſſionem „ ſecretam, ſed etiam pœnitentiam publicam, & forte etiam publicam confeſſionem patentium delictorum, quorum judex, & vindex erat Epiſcopus.

13 Eodem fere modo diſcurrit doctiſſimus Cardinalis Petra *ad Conſtitut. 1. Martini V. ſect. 1. num. 9.* in hunc modum. „ Sunt qui „ reſpondent, Nectarii hiſtoriam totam eſſe confictam, aut ſaltem „ eam partem, qua ea libera permiſſio communicandi facta cuique „ continetur, ut refert Vaſques *de Pœnit. quæſt. 91. art. 1. diſt. 3.*... „ Cæterum verius videtur non fuiſſe per Nectarium ſublatam confeſ- „ ſionem ſecretam, ſed quemdam morem eccleſiaſticum, conditum „ occaſione hæreſis Novatianæ, quo Pœnitentiarius Sacerdos ad „ crimina publica, & graviora excipienda deſignatus diſcernebat

„ aliqua

„ aliqua, pro quibus publica pœnitentia ageretur, ut Eccleſiæ ſatiſ-
„ fieret ante communionem: qua ex re, cum propter patefactum hac
„ ratione ſtuprum Diaconi cum quadam matrona, grave ſcandalum
„ in Eccleſia Conſtantinopolitana fuiſſet exortum; Nectarius mo-
„ rem illum prorſus ſuſtulit, & reliquit ſingulos ſuæ conſcientiæ,
„ ut poſt confeſſionem ſecretam poſſent communicare, quamvis Ec-
„ cleſiæ per publicam pœnitentiam non ſatisfeciſſent. Vaſquez *ubi ſu-*
„ *pra dub.* 3. Card. de Lugo *diſp.* 15. *ſect.* 1. Eſtius *in* 4. *diſt.* 17. §.7.
„ *ad* 5. Francolinus *lib.* 2. *cap.* 5.

14 Quinimmo, ſi verum amamus, neque ipſi Græci ſcriptores au-tumaſſe dicendi ſunt, quod alii ſupra citati ex ipſis referunt, ſed oppoſitum. Nam Socrates *lib.* 5. *cap.* 19. ſic ſcribit: „ Ab illo tempore, „ quo Novatiani ſe ab Eccleſia ſejunxerunt, recuſaveruntque cum „ his, qui tempore perſecutionis regnante Decio concitatæ lapſi erant, „ communicare, Eccleſiarum Epiſcopi canoni adjunxerunt, ut in „ ſingulis Eccleſiis Presbyter quidam pœnitentiæ præfuiſſet: quo, qui „ poſt baptiſmum lapſi fuiſſent, coram Presbytero ad eam rem deſi- „ gnato peccata ſua particulatim confiterentur. En in Socrate nec verbum quidem circa publicationem peccati confeſſi a Presbytero faciendam, & ad Epiſcopum referendam; immo declaratum confeſſionem *particulatim*, id eſt ſecreto, eſſe faciendam. Sozomenus vero *lib.*7. *cap.* 16. ſic ait. „ Etenim cum prorſus non peccare naturæ ſit humanæ „ divinioris: pœnitentibus autem, quamvis frequenter deliquiſſent, „ veniam dare Deus juſſerit; & ad impetrandam denique veniam con- „ fiteri peccata neceſſarium ſit: odioſum (ut credibile eſt) Sacerdo- „ tibus ab initio viſum fuit, tamquam in theatro audiente Eccleſiæ „ multitudine, delicta pronuntiare. Presbyterum itaque aliquem vi- „ tæ integritate quam maxime ſpectabilem, ſecretorum etiam tena- „ cem, ac ſapientem huic officio præfecerunt: cui accedentes qui pec- „ carant, acta vitæ ſuæ confitebantur. Ille vero pro cujusque deli- „ cto, quid aut facere ſingulos, aut luere opporteret, interminatus „ abſolvebat, ut a ſe ipſi commiſſorum pœnas exigerent.

15 Scio apud Caſſiodorum *in Tripartit. lib.* 9. *cap.* 36. aliter legi in hunc modum: *Antiquis Pontificibus viſum eſſe, ut velut in theatro ſub teſtimonio Eccleſiaſtici populi delicta panderentur.* Sed hæc lectio perperam ſe habet, nec ſuſtinenda tamquam vero dogmati contraria. Atque, ut diſcurrunt Baronius, & Francolinus, ſi id verum eſſet, quid opus fuerat ad id deligi Presbyterum ſecreti tenacem, ſi nulla ſecreti lege adſtrictus erat, immo tenebatur apud populum peccata ſibi confeſſa declarare? Unde liquet, quanto melius, & Logices regulis conformius ex illius verbis *Secretorumque tenacem*, inferant Orthodoxi AA. ſigilli neceſſitatem, quam Lindanus *lib.* 4. *Panopliæ cap.* 62.

62. ex ipſis concludit publicarum pœnitentiarum pro occultis delictis antiquum morem: ſic enim arguit. *Quod ſecretorum tenacem dicit, quid ſibi vult, obſecro, aliud, quam propter etiam ſecreta peccata illam, de qua agit, pœnitentiam publicam priſco ex more imponi ſolitam. Sin propter publica tantum, quid opus erat Sacerdoti, & eo ſecretorum tenaci?* Quis Logicus inferret: Deligebatur Sacerdos prudens, & ſecreti obſervantiſſimus: ergo imponebat pro delictis occultis publicas pœnitentias? Cum potius evidentius inferatur: Imponebat publicas pro delictis occultis pœnitentias: ergo non ſecretum ſervabat, ſed per ipſam publicarum pœnitentiarum appoſitionem, contra canonis regulas peccatum occulte commiſſum, & ſecreto confeſſum, ſaltem indirecte, aperiebat. Sed de hoc poſtea.

16 Præterea mirum ſane eſt, quod neque Gregorius Nazianzenus, cui in eremum ſecedenti ſucceſſerat Nectarius, & eumdem Nectarium per epiſtolam acerrime expoſtulans, quod Novatianorum, aliorumque hæreticorum conſiliis uteretur; neque Gregorius Nicænus, qui iiſdem temporibus vivebat, ut teſtis eſt idem Socrates *lib. 5. cap. 18. & 19.* & qui quoſdam canones pœnitentiales ſcripſerat, ut pœnitentia injungeretur juxta peccatorum gravitatem; neque Joannes Chryſoſtomus, qui Nectario ſucceſſit, prædicti moris, ſeu abuſus mentionem feciſſent: quod certe non omitterent, ſicut non omiſit idem Chryſoſtomus circa publicas confeſſiones, ut videre eſt variis in locis, in quibus confeſſionis meminit ſecretæ: *Admoneo te, ut aſſiduo confiteare: neque enim in theatrum duco conſervorum tuorum, nec te cogo peccata tua hominibus nuntiare: conſcientiam tuam Deo expone, eique oſtende vulnera tua.* Quem locum miſerrime deturpant Novatores, explicantque Petra, & Francolinus ſupra citati. Et alibi: *Non tantum peccatores eſſe dicamus, ſed etiam ipſa peccata ſingula computemus. Non tibi dico, ut te prodas in publicum, neque te apud alios accuſes, ſed obedire te volo Prophetæ dicenti: Revela Domino viam tuam: ante Deum tua confitere peccata.* (13) Et alibi: *Num enim homini dicis, ut tibi exprobet? Num conſervo conticeris, ut te apud vulgus traducat?*

(13) Hom. de Publican. in Luc. 18.

17 Sed quia hæc, aliaque ſimilia Chryſoſtomi loca ab hæreticis cavillantur, opere pretium erit Cardinalem Petram loco ſupra relato, & in in eo Bellarminum, Natalem Alexandrum, & Eſtium recenſere, ubi etiam alia clariora ejuſdem ſancti Doctoris verba commemorantur. Poſtquam igitur duplex hæreticorum argumentum ab hæreticis deſumptum contra confeſſionem ſacramentalem ex facto Nectarii, & doctrina Chryſoſtomi referret, ſic ad hoc ultimum reſpondet num. 4. „ Quod autem attinet ad S. Joannem Chryſoſtomum, ſunt qui aſſerunt „ Chryſoſtomum erraſſe cum cæteris Orientalibus Epiſcopis, qui De-

„ creto

„ creto Nectarii adhæſiſſe dicuntur. Sed hoc ſine injuria earum Eccle-„ ſiarum dici non poteſt, propterea Bellarmin. cap. 4. hanc ſolutio-„ nem non approbat. Et revera cum ex una parte Chryſoſtomus mul-„ tis in locis doceat neceſſitatem confeſſionis ſacramentalis. *Nam* „ *hom. in Pſalm.* 50. monet, ut ſtatim currat peccator ad *examologe-* „ *ſin*, quo nomine certe ſignificatur confeſſio facta homini, ſeu cura-„ tio pœnitentis, & expiatio delicti per rei confeſſionem, ut conſtat „ ex Tertulliano, Cypriano, aliisque. Et *homil.* 3. *ad populum An-* „ *tioch.* ſumpto exemplo a Medicis, & ægrotis: Ita tu quoque fac, „ *inquit*, in magnam hanc hebdomadam pervenimus Deigratia, nunc „ maxime, & jejuniis curſus intendendus, & magis continuandæ ſunt „ preces, faciendaque diligens, & pura confeſſio peccatorum: *Quibus* „ *verbis, ſic abſolute uſurpatis certe ſignificatur confeſſio, quæ ſit homi-* „ *ni. Et clarius* hom. 3. in Matth. Confeſſio, *inquit*, peccatorum teſti-„ monium eſt conſcientiæ timentis Deum. Qui enim timet judicium, „ peccata ſua non erubeſcit confiteri; qui autem erubeſcit, non timet. „ Ruborem enim commovet ſola confeſſio delicti, quæ ſit homini; dum „ ergo dicit, eum, qui erubeſcit confiteri peccata, & ex rubore non „ confitetur, non timere judicium Dei, innuit hanc etiam occultorum „ confeſſionem eſſe præceptam; ſi enim præcepta non eſſet, eam „ ex pudore omittere, non eſſet argumentum animi non timentis „ Deum. Igitur ne dicamus, tantum Eccleſiæ Doctorem pugnantia „ docuiſſe, omnemque prorſus confeſſionem, quæ Paſtori fiat, repu-„ diaſſe, illatos textus in contrarium explicare debemus, ut nimi-„ rum ibi tantum doceat, non eſſe neceſſariam *publicam* confeſſionem „ *latentium* delictorum. Non enim dicit: Non tibi dico ut Sacerdoti „ peccatum tuum detegas; ſed dicit: *Non ut te prodas in publicum,* „ *neque ut apud alios accuſes.* Cum vero addit: ſatis eſſe confiteri „ ſoli Deo, non eſſe neceſſarium confiteri lingua, tunc ipſe hortatur „ populum ad eam confeſſionem, qua quis ſe peccatorem cognoſcit, „ nec diſſimulat delicta ſua, ſed ea recolit ad ſui humiliationem, quam „ confeſſionem vult fieri perpetuo. Bene autem monet ſufficere, ut „ hæc fiat ſoli Deo, cum non poſſimus ſemper, & aſſidue nos ipſos „ accuſare coram hominibus. Propterea notanda ſunt quæ in hom. „ de Publicano ad cap. 18. Lucæ *habet*. Admoneo te, ut aſſidue confi-„ tearis, neque enim te ad theatrū duco conſervorum tuorum: & hom. „ 2. ſuper Pſalm. Si confunderis dicere alicui, quia peccaſti, dicito ea „ quotidie in anima tua. Quibus ſane verbis non docet neceſſariam „ nunquam eſſe confeſſionem oris, quæ ſit homini; alioquin contra-„ diceret ſibi, alibi dicenti neceſſariam eſſe aliquando; ſed ſolum pro-„ ponit modum confitendi perpetuum, & internum, quem amplecti „ poſſunt facile ii, qui confunduntur dicere homini peccata ſua. Vi-„ deatur

deatur poſt Bellarminum, & Eſtium dict. P. Francolin. *dict. cap. 5. n. 5. & 6.* cujus verba non refero, quia coincidunt cum ſupra relatis.

18 Perſpicuum igitur redditur, nullatenus aliquo in tempore obtinuiſſe, quod peccata occulta ſacramentaliter confeſſa, vel apud Epiſcopos, vel apud populum Chriſtianum a Confeſſoribus panderentur. Neque factum Nectarii, quod omnes referunt, id aliquatenus concludit. Siquidem non Sacerdos Pœnitentiarius, cui fœmina confeſſa fuerat peccatum cum Diacono commiſſum, ſed fœmina ipſa publicam de eo fecerat confeſſionem, adeo imprudenter ut & complicem Diaconum declaraverit. Ideoque Nectarius, ut referunt Hiſtorici ipſi, & ut optime ex ipſo Chryſoſtomo colligitur, morem illum confitendi publice latentia peccata omnino prohibuit; ab officioque removit imprudentem illum Presbyterum, cujus ſuaſu, vel conſilio, vel præcepto mulier illa ſic peccatum ſuum occultum, ejuſque complicem Diaconum apud fidelem plebem inconſulte nimis cum tanto ſcandalo aperire non exhorruit. Hinc hæretici aliqui occaſionem ſumpſerunt, ut aſſererent confeſſionem ſacramentalem, qua homo Sacerdoti peccata ſua confitebatur, ſublatam fuiſſe: alii vero rati ſunt, antiquitus non adeo ſtricte confeſſionis ſigillum obſervari conſueviſſe. Hæc omnia tamen falſa ſunt, nec jure probantur. Illud igitur temporibus Nectarii antiquo canoni (licet non recte) additum fuerat, nempe, quod qui peccatis gravioribus publicis inquinati fuiſſent, ea publice confiteri, ut veniam obtinerent, & per publicam pœnitentiam, quam publica confeſſio præcedere debuerat, Eccleſiæ ſatisfacerent, tenerentur. Id ita factum propter Novatianos negantes poteſtatem Sacerdotibus conceſſam ad abſolvenda peccata non addubito. Qui tamen mos pernicioſiſſimus non quidem ab Eccleſia abſolute receptus, ſed ab aliquibus Epiſcopis eo prætextu introductus, innumeris ſacrilegiis, atque ad generandum odium ſacramenti, infamandoſque proximos, ut de facto contigit Diacono illi, apprime aptus conſendus erat, neque aliquando ab univerſali Eccleſia conſtitui, aut approbari poterat, ut enim ſupra ex ſacro Concilio Tridentino *ſect. 24. cap. 5.* aſſeruimus: *Non ſatis conſulte humana aliqua lege præciperetur, ut delicta, præſertim ſecreta, publica eſſent confeſſione aperienda* Ex quo recte infert Francolinus *dict. lib. 1. diſp. 6. n. 20. Atqui Eccleſia nunquam fecit, quod inconſulto, & imprudenter ſit: ergo eam legem nunquam fecit.*

19 Perperam igitur a Juenino, & Morino commiſcetur hic abuſus cum alio imponendi pro occultis peccatis publicas pœnitentias, & dum iſte acerrime pro illo tempore defenditur, ille publicandi peccata ſecreto confeſſa nullatenus improbatur. Fruſtraque ab eodem citantur Bellarminus, Roffenſis, Baronius, Henriques, & Granatenſis. Siquidem Bellarminus diſſentiens a Tappero, & Heſſelano, neque probat revela-

velationem peccati ſecreto confeſſi Epiſcopo factam ; neque enuntiationem ipſius peccati ab Epiſcopo, vel Presbytero coram populo ; neque vetus præceptum confeſſionis publicæ de criminibus occultis : immo oppoſitum demonſtrat : *Noluiſſe autem* (ſic ait lib. 3. de Pœnit. cap. 14.) *Epiſcopos illos peccata occulta*, (en negat occulti peccati publicam confeſſionem præceptam) *ſed publici duntaxat, in quo a Ruardo, & Heſſelano diſſentire cogor, confeſſioni publicæ ſubjicere tribus argumentis comprobo.... Conſueverunt quidam aliqui* (en uſum aliquorum, non omnium, non vero præceptum aliquod inſinuat) *juxta conſilium Sacerdotis, cui peccata omnia confeſſi fuerant, aliqua graviora, & publica publice confiteri, ut ex Origine cognoſci poteſt hom. 2. in Pſalm. 37. Tamen, ut dixi, non tenebantur.* (Ergo non dabatur præceptum ; nam, ut ſupra diximus, inconſulte nimis imponeretur.) *Sed ſatis erat peccata omnia privatim confiteri, & pœnitentiam privatam, vel publicam juxta Sacerdotis imperium agere*: Hæc verba optime explicat citatus Francolinus *diſp. 7. n. 5. nempe privatam pro culpis occultis, & publicam pro publicis, ſi publicam fieri Sacerdos juſſiſſet.* Pergit Bellarminus : „ Abrogavit Nectarius „ omnium conſenſu Presbyterum Pœnitentiarium ; id enim omnes „ hiſtorici communiter tradunt. Abrogavit etiam pœnitentiam publi- „ cam : nam ex occaſione ejus acciderat flagitium Diaconi cum mu- „ liere... Abrogavit denique confeſſionem publicam, tum quia pars „ erat pœnitentiæ publicæ, tum quia ex ea cognitum fuerat ſacrile- „ gium Diaconi, & mulieris.

20 Baronius certe contrarium omnino tenuit, neque prædicto mori revelandi peccata ſecreto confeſſa aliquatenus conſenſit : neque alteri mori publicæ pro peccatis occultis pœnitentiæ arriſit ; immo in uſu quandoque fuiſſe negat ; neque etiam abſolutæ Presbyteri Pœnitentiarii abrogationi adſtipulatur. Poſtquam enim ad *an. Chriſt. 56. n. 3. & ſeqq.* oſtenderat Joannis Chryſoſtomi tempore, qui Nectario ſucceſſerat, Presbyteri Pœnitentiarii munus viguiſſe, & confeſſionis ſecretæ Sacerdotibus faciendæ neceſſitatem ipſius Chryſoſtomi, & ſcripturæ authoritate commendaverat, poſtea *num. 33.* ubi a Morino refertur, ſic ait : „ Quamobrem ſic & in cæteris (ne dicere cogamur „ eumdem, ſcilicet Chryſoſtomum, ſibi ipſi contraria ſcribentem tur- „ piter eſſe hallucinatum) cum tantum Deo eſſe confitendum affir- „ mat, & hominibus non eſſe propalanda peccata admonet ; non aliud „ quam ſecretam confeſſionem ſuadet ; & ab illa publica, cujus occa- „ ſione ſcandalum obortum fuerat, abſterret. Siquidem ſecrete confi- „ teri, idem æſtimabatur, quod Deo tantummodo eadem propala- „ re ; nec homo crederetur, qui vicem Dei potius gereret : nam (ut „ idem ait Chryſoſtomus) Sacerdoti thronus in cœlis collocatus eſt.

 „ Quam

„ Quam quidem publicam confeſſionem dicendus eſt Nectarius dimo-
„ viſſe; nam eamdem alicubi adhuc uſu retentam S.Leo Papa amplius
„ exercendam eſſe prohibuit. Et poſtea n. 34. „ Certe quidem huic
„ ſimilis fuiſſe videtur peccatorum illa confeſſio , quam mulier il-
„ la tempore Nectarii feciſſe dicitur: quandoquidam non a Presby-
„ tero ejus fuiſſe propalatum peccatum , ſed a ſe ipſa tantum Socra-
„ tes , & Sozomenus teſtantur ; ſed id Sacerdote procul dubio ſuaden-
„ te : cujus rei cauſa ille merito a Nectario eſt gradu amotus , offi-
„ cioque depoſitus. . . . Cum tamen (ut dictum eſt) illa potius thea-
„ tralis fieri interdum ſolita confeſſio peccatorum fuerit abrogata ,
„ quam & S. Leo prohibuit , non autem ſecreta , cum ſui natura eſſe
„ ſoleat ſilentii tenaciſſima. Quod ſiquis adeo ſceleſtus inventus fuerit
„ Presbyter , qui ſacri aſyli jura violaverit , & Sacramento tantam in-
„ juriam irrogaverit : ſi ob eam cauſam , & Sacramentum ipſum au-
„ ferendum , certe deperiiſſe neceſſe erit cætera etiam Sacramenta
„ &c. Et poſtea num. 35. Sic igitur non modo non ſecreta a Necta-
„ rio , ſed nec publica illa eſt abrogata exomologeſis , quæ ex publi-
„ co , ac omnibus manifeſto peccato provenit , quæ hactenus in Ec-
„ cleſia perſeverat.

21 Hæc eſt Baronii ſententia , ex qua aperte conſtat , non a Preſ-
bytero publice enuntiatum fuiſſe peccatum occulte confeſſum , ſed ab
ipſa pœnitente , licet id ejuſdem conſilio feciſſet , atque confeſſionem
ſecretam nullatenus eſſe propalandam; & quia Presbyter ille eam publi-
cam confeſſionem ſuaſerat, ab officio dimotum fuiſſe. Minus recte igi-
tur Morinus ex Baronio ſic infert loco citat. num. 15. „ Juxta igitur
„ Cardinalis Baronii mentem tria ſuſtulit Nectarius. Presbyterum Pœ-
„ nitentiarum , certorum occultorum peccatorum publicam confeſ-
„ ſionem , & publicam de iis pœnitentiam. Sed publicam peccatorum
„ confeſſionem , & pœnitentiam intemeratas reliquit. Et paulo infra.
„ Quid igitur ſecundum Cardinalem illum ſuſtulit Nectarius ? Non
„ publicam de peccato publico pœnitentiam , ut expreſſe notat Car-
„ dinalis. Non ſecretam de peccato ſecreto pœnitentiam. Totus enim
„ eſt ut hoc demonſtret. Ergo publicam de peccato occulto pœniten-
„ tiam. Erat igitur ex ejus ſententia de criminibus occultis publica
„ pœnitentia antiquiſſimis illis ſæculis non modo uſitata , ſed etiam
„ præcepta. Hæc tamen ſunt contra Baronii ſententiam : ſiquidem ipſe
oſtendit etiam poſt Nectarium , ut ſupra diximus , Pœnitentiarios in
Eccleſia fuiſſe , quos quidem ſemper perſeveraſſe , & nunc etiam hodie
exiſtere adeo notum eſt , ut probatione aliqua non indigeat. Non er-
go abſolute ſuſtulit Nectarius Pœnitentiarii munus ; ſed eum , cujus
conſilio mulier illa publicam occulti delicti confeſſionem fecerat , in
ordinem redegit , ac ab officio dimovit. Quod non juſte fieret , ſi ea
publi-

publica occulti delicti confeſſio in more, vel in præcepto tunc fuiſſet: puniri ſiquidem non debuerat, quod permittente, aut præcipiente jure tunc fiebat: ergo neque publica delictorum occultorum confeſſio, neque publica pro illis pœnitentia tunc præcepta erat; nunquam enim, ut diximus, Eccleſia præcipere potuit, quod inconſulte præciperetur, & ex quo Sacramentum odioſum redderetur: & ut ait Caſtro Palaus: (14) *Omnes conveniunt injuſtiſſime cogi pœnitentem ad pœnitentiam publicam.*

(14) De Sacram. Pœnit. tr. 23. diſp. un. p. 21. §. 2. n. 5.

22 Deinde ſupponit Morinus non omnem publicorum peccatorum confeſſionem, ſed certorum graviorum tantummodo ſublatam fuiſſe; quod quidem Baronius nullatenus aut ſcripſit, aut ſomniavit. Suſtulit ergo Nectarius omnem publicam confeſſionem, ac publicam pœnitentiam ex præcepto Presbyteri neceſſario faciendam; non vero ſuſtulit publicam confeſſionem, quam dicimus humiliativam, devotionis ergo factam, ſalva ſemper proximi fama; quæ quidem non ſacramentalis eſt, de qua modo agimus, neque una cum altera commiſcenda, ut una, & altera confundantur, ut frequenter confundunt antiquitatum (an novitatum) amatores. Quod autem addit, nempe Baronium publicam peccatorum confeſſionem, & pœnitentiam intemeratas reliquiſſe, explicatione opus eſt; ſi enim loquitur de confeſſione externa, quæ publicam fori externi pœnitentiam præcedere debuerat, & de eadem publica pœnitentia, concedere non dubitabimus: ſi vero id intelligit de confeſſione, ac pœnitentia ſacramentali reatus expiativa, non bene infert; utraque enim ex natura ſua, & ſecundum ſacramenti inſtitutionem, utpote Deo facta, ſecreta ſemper fuit, & eſſe debuit.

23 Dum tandem infert, publicas pœnitentias pro peccatis occultis, ex ſententia Baronii, non ſolum uſitatas fuiſſe, ſed præceptas, certe deceptus eſt, neque ex verbis Baronii id colligitur: quod ſic oſtendo. Baronius dicit: *Sed nec publica illa eſt abrogata exomologeſis, quæ ex publico, ac omnibus manifeſto peccato provenit, quæ hactenus in Eccleſia perſeverat.* Atqui in Eccleſia non perſeverat aut confeſſio ſacramentalis publica peccati, licet publici, aut publica ſacramentalis pœnitentia in foro externo neceſſario impoſita pro peccato, licet publico, ſacramentaliter confeſſo; neque in Eccleſia admittitur publica pœnitentia pro peccato occulto ſacramentaliter confeſſo: ergo ſecundum Baronium publica pœnitentia pro delictis occultis ſacramentaliter confeſſis nullatenus in antiqua Eccleſia fuit præcepta: ergo multo minus poteſt dici præcepta publica confeſſio, vel permiſſa, & conſuetudine introducta; neque illa delicti confeſſi ad Epiſcopum relatio, & ab ipſo, vel a Pœnitentiario Presbytero coram populo publicatio.

24 Quod fuerit impoſita publica pœnitentia etiam pro occultis delictis

liĉtis in foro externo, vel etiam in interno, volentibus, petentibus, vel libere acceptantibus id pœnitentibus cum Francolino non inficior. Sic ait ille. (15) „ His facile reſpondetur Albaſpinæo, aliiſque tuæ ſenten-
„ tiæ defenſoribus. In locis enim Patrum, & Conciliorum, quæ alle-
„ gantur ab ipſis, aut non agitur de pœnitentiis ſacramentalibus, ſed
„ extraſacramentalibus, (Eccleſiam vero poſſe in foro externo publi-
„ ce punire etiam occulta deliĉta, non eſt dubium, ut modo diceba-
„ mus, non inde tamen ſequi, quod poſſit id ipſum facere in foro
„ interno, patet, oſtenditurque amplius calumnia 12.) aut agunt
„ quidem de pœnitentiis ſacramentalibus, iiſque publicis, ſed quæ
„ libere acceptabantur cum pro deliĉtis publicis imponebantur. Ergo pœnitentia publica pro occultis deliĉtis ſacramentaliter confeſſis nunquam fuit in aliquo eccleſiaſtico canone præcepta, ut poſtea latius demonſtrabitur.

(15) Diĉt. lib. 1. diſp. 7. n. 8.

25 Neque, quod diximus, ab hodierno Eccleſiæ diſcrepat more; nam multa crimina occulta pœnis ipſo facto incurrendis mulĉtata, ſi committantur, in ſacris canonibus, & ſynodalibus conſtitutionibus quotidie legimus: pœnitentias publicas pro peccatis occultis, vel juxta Confeſſoris conſilium, vel ex contritione, & devotione pœnitentium factas, non ſine maxima ſpirituali ædificatione frequentiſſime videmus. Quid enim aliud ſunt peregrinatio, viſitatio Eccleſiarum, publicæ orationes, tunſio peĉtoris, in Eccleſiis lacrymatio, vilis ſacci indutio, diſciplinæ publicæ, & alia ſimilia, niſi publicæ peccatorum latentium pœnitentiæ? Quinimmo, ſi verum amamus, quandoque pœnitentes ad propalandam publice culpam ſuam, ſi publice peccaverunt, a Confeſſoribus ſub denegatæ abſolutionis pœna adiguntur. Hoc tamen, non quia a Confeſſoribus tale proveniat præceptum, ſed quia aliàs ad id tenentur, ut diſpoſiti accedant. E. g. Siquis publice, graviterque proximum infamaverit, cogendus eſt publice palinodiam canere, & famam proximo reſtituere. Siquis publico, ac ſcandaloſo proximum proſequitur odio, publice tenetur pacem inire, aut amicitiæ, & reconciliationis fraternæ publica exhibere ſigna. Siquis doĉtrinam erroneam, aut ſcandaloſam diſſeminaverit, publice tenetur doĉtrinam retraĉtare, & veram edocere. Siquis publice ſcandalo cauſam dederit, publice tenetur ſcandalum emendare, ut qui exemplo nocuerat, proficiat exemplo: ſic in aliis ſimilibus. Sic ſimiliter publicæ pœnitentiæ publica deliĉta tantummodo reſpiciebant. Hæc tamen ad quæſtionem præſentem nihil faciunt, nec cum pœnitentiis ſacramentalibus confundi debent.

26 Epiſcopus Roffenſis contra Lutherum pro Pœnitentiæ Sacramento dimicans, & confeſſionis uſum oſtendens *art.* 8. non probat morem illum, de quo agimus, aliquando receptum, neque etiam publi-

publicas pro occultis delictis ſacramentaliter confeſſis pœnitentias inſinuat. Sic ait ille ad Sozomenum ſe referens: *Sed & de publice pœnitentibus poſtea loquitur, quippe qui non ad hunc Presbyterum,* (loquitur de Pœnitentiario) *ſed ad Epiſcopum acceſſerunt, ex cujus ſententia jejuniis, ac cæteris afflictionibus macerarunt ſeſe, atque communionis tempus, quod decrevit Epiſcopus, expectarunt. Ecce iſtis pœnitentibus Epiſcopus indicebat pœnitendi modum.* Ecce ab Epiſcopis decretæ publicæ pœnitentiæ fori externi publice pœnitentibus injunctæ. *At illis,* (pergit Roffenſis) *qui Presbytero privatim confitebantur, ſecundum uniuſcujuſque culpam Presbyter ipſe taxavit mulctam*, pœnitentiam ſcilicet privatam, nam publicam ſolus Epiſcopus indicere quibat, ni abſentia Epiſcopi aliud expoſceret. Ergo pro occultis delictis non publica, ſed privata pœnitentia infligebatur. Ergo Pœnitentiarius ad Epiſcopum non referebat peccata occulta ſibi ſacramentaliter confeſſa. *Et forte* (progreditur idem Epiſcopus) *ſiquos invenerit enormia commiſiſſe flagitia,* (notanda eſt particula *& forte*, quæ nihil certo affirmat, ſed conjecturam exprimit) *& quæ publicam exigerent pœnitentiam, eos ad Epiſcopum miſit, quemadmodum ex Origenis ſententia ſupra diximus.*

27 Nemo, ut credo, adeo obtuſus erit, qui non videat multum diſtare, vel remittere ad Epiſcopum ipſum pœnitentem, ut ille de pœnitentia publica, prout viderit convenire, decernat; vel peccata occulte confeſſa pandere, aut in publico Eccleſiæ conventu recitare. Primo in caſu certe non multum diſcrepat ille uſus ab hodierno more: in caſibus ſiquidem Epiſcopo, vel ſuperiori reſervatis Confeſſor, qui ad illos abſolvendos ex aliquo titulo, vel privilegio non habuerit juriſdictionem, abſolvere non poteſt, & pœnitentem, ad quem, cum poſſit abſolvere, inabſolutum remittit, vel ad abſolvendum a ſuperiore facultatem, tacito ſemper pœnitente, ipſe expoſcit. Sic ſimiliter Presbyter Pœnitentiarius, cujus non erat publicas imponere pœnitentias, ſi videbat peccatum occulte confeſſum publica pœnitentia dignum eſſe, pœnitentem ad Epiſcopum remittebat; non ita, ut ipſe peccatum ſibi confeſſum aperiret, ſed ipſe pœnitens Epiſcopo panderet, & pœnitentiam ſibi pro illo imponi eflagitaret. Quod tamen ipſo pœnitente poſtulante, vel ſponte conſentiente, intelligendum eſt, aliàs ad eam publicam pœnitentiam cogi, nec ejus occultum peccatum propalari, ut jam diximus, potuiſſet. Sed quia Pœnitentiarius imprudenter ad id cogebat, ideo Nectarius ob officio removit Pœnitentiarium illum munere ſuo ſic abutentem, & populi ſcandalum generantem, quod non generaretur, ſi ille mos, aut illud præceptum tunc vigeret. Hoc eſt, quod Epiſcopus Roffenſis proſequitur his verbis. „ His accedit, quod cum Diaconus quidam flagitium „ in

,, in Eccleſia commiſit cum egregia quadam fœmina, & iſta ſcelus
,, propter enormitatem publice confitebatur, tum propter furorem
,, populi haud permiſit Presbyterum diutius ſuper pœnitentes eſſe,
,, ſed unumquemque reliquit ſuæ conſcientiæ, quod nequaquam pro
,, publicis delictis intelligi debet, quæ ſemper publice vindicabantur.
,, juxta Pauli doctrinam Corinthiis traditam, ſed pro privatis dum-
,, taxat. Quæ ſane verba ſic intelligi debent, ut ſcilicet non in totum ſuſtulerit Presbyterum Pœnitentiarium, quem, ut ſupra notavimus, conſtat etiam poſt Nectarii tempus extitiſſe, ſed illum ſummoviſſe, prohibuiſſeque ipſos Pœnitentiarios, ne pro peccatis occultis eam publicam pœnitentiam imponerent, aut pœnitentes ad peccatum ſuum publice confitendum adigere valuiſſent. Ea autem verba: ***Unumquemque ſuæ reliquit conſcientiæ***, non ita exponi debent, ut peccator ea confiteri non teneretur, quæ occulte admiſerat; id enim expreſſe divino Confeſſionis præcepto contrariatur: nec credendum eſt Epiſcopum Orthodoxum S. R. E. Cardinalem, & Martyrem, cum contra Lutherum ſacramentalis Confeſſionis audaciſſimum, acerrimumque impugnatorem ſcriberet, ejuſdem erroris participem fuiſſe; ſed quod conſcientiæ ipſius pœnitentis relinquendum eſſet, ſuppoſita confeſſione, & ſatisfactione ſacramentali, pœnitentiam ſibi aſſumere, qua delictum in ſe ipſo puniret, Deumque placaret. Quod vero ipſe Epiſcopus non loquatur de Confeſſione ſacramentali, mihi ex eo probari certum eſt, quia, inquit, publica delicta ſemper publice vindicari; publica autem vindicta non ad forum internnm ſacramentale, ſed ad externum dignoſcitur pertinere. Quod equidem, etſi verba clara non ſint, neceſſario ſic interpretandum eſt, ne doctrinas traditioni Eccleſiæ, & vero dogmati contrarias admittamus.

28 Eximius Granatenſis, quem ſub ſpecie adagii Græci Morinus aliquantulum mordet, ejus doctrinæ, quamvis id perſuadere cupiat, nullatenus favet. Circa abuſum revelandi Epiſcopo, aut denuntiandi populo peccata ſacramentaliter confeſſa nihil dicit, nec dicere potuit ſapientiſſimus, egregiuſque Doctor, ac orthodoxus Scriptor; quippe qui de infallibili ſacri ſigilli dogmate in Eccleſia ab origine retento certus ſemper fuit, ejuſque acerrimus propugnator. Circa morem vero pœnitentiæ publicæ pro peccatis occultis, & ſacramentaliter confeſſis obſervatæ, & præceptæ adeo non juvat, ut rite explicatus, nec falſis argumentis corruptus, contrarium ſentiat. Siquidem diſtinguit inter pœnas canonicas, & pœnitentias publicas: illas etiam pro occultis, & mere internis, immo & pro levioribus culpis fuiſſe taxatas in antiquis canonibus non dubitat, neque nos dubitamus. Qui autem, ni deſipiat, aſſerere auſus erit, omnes pœnas canonicas, etiam pro foro interno taxatas, fuiſſe publicas pœnitentias, de quibus paſſim canones

nes pœnitentiales? Quis affirmare non verebitur pro levioribus, & internis cogitationibus imponendas fuiſſe in foro ſacramentali illas publicas pœnitentias? Certe eximius Doctor, ſi id aſſereret, ſibi contrarius fuiſſet, qui alibi (16) ſic ait: *Communis opinio eſt propter peccata occulta non debere imponi pœnitentias publicas, quia ſunt improportionatæ, & contra bonam famam pœnitentis.*

(16) Tom. 4. in 3. part. diſp. 38. ſect. 6. n. 3.

29 Deinde ipſe Suarius probabilius cenſet (ut Morinus fatetur) illas publicas pœnitentias non ſatisfeciſſe apud Deum pro reatu pœnæ: (de quo tamen nunc diſputo) ergo non loquitur de pœnitentiis in foro ſacramentali a Sacerdote injunctis; has enim ſaltem alicujus pœnæ temporalis ſatisfactorias dubitare nefas eſſet, id enim inficiatur nemo. Sufficiat referre Anacletum Reifenſtuel (17) ſic docentem. *Satisfactio ſacramentalis habet virtutem ſpecialem ex opere operato remittendi aliquam partem pœnæ temporalis peccatis debitæ, quam non haberet, ſi illud opus eſſet voluntarie aſſumptum, aut aliunde impoſitum. Ita Doctores paſſim.* Si ergo in Suarii ſententia illæ pœnitentiæ publicæ ſatisfactoriæ non erant pœnæ temporalis Deo debitæ: ergo impoſitæ non erant in foro ſacramentali: ergo ex mente Suarii, illæ publicæ pœnitentiæ non imponebantur ut ſatisfactoriæ in foro Sacramenti pro peccatis occultis, ſed tantum ut pœnæ canonicæ, nempe publicæ pro publicis, occultæ pro occultis.

30 Cum igitur id inferatur ex ſententia Eximii Doctoris, non recte infert Morinus antiquitatis eviſcerendæ ſtudio allectus, & illectus, in hunc modum: *Suares igitur non repugnante, pœnitentiæ illæ, quas legimus apud Cyprianum, Tertullianum, Concilium Nycænum, Epiſtolas Sancti Baſilii ad Amphilochium, & Gregorium Nicænum ad Letojum (hæc enim nominatim citat) non modo ſpectant crimina publica, ſed etiam occulta, & interna. Nec potiſſimum revocat in dubium Suares, an hoc fieri poſſit, aut actum fuerit.* Sed retorqueo: Si enim Suarius illos pœnitentiæ publicæ fontes, quos commemorat, libavit: ergo illius eccleſiaſticæ diſciplinæ ignarus non erat: ergo non modeſte arguuntur ſpeculativi Theologi, quod antiquam eccleſiaſticam diſciplinam non caleant. Deinde ſi Suarius adſtipulatur communi opinioni aſſerenti publicas pœnitentias pro peccatis occultis imponi non poſſe, quomodo Morinus aſſerit Suarium in dubium non revocaſſe, an id fieri poſſet? Et ſi Suarius non revocavit in dubium, an id fieri poſſet, cur non revocat Morinus, immo videtur approbare, cum non improbet, & poſtea aſſerat has pœnitentias publicas pro peccatis occultis non fuiſſe proximorum famæ præjudiciales? Si tamen Suarius non eam aleam aſſumpſit, ut id revocaret in dubium, an rite factum eſſet, quod antiquitus revocatum jam fuerat: nos revocabimus, & oſten-

(17) In opere morali tract. 4. diſt. 10. p. 10. q. 1. n. 6.

oſtendemus ſine jure factum fuiſſe. De pœnitentiis publicis ſtatim agemus; nunc enim concludere opportet, an licite in Eccleſia antiqua introduceretur mos ille deferendi ad Epiſcopos peccata confeſſa, vel ea publice enuntiandi coram populo?

31. Supponamus igitur Presbyteros aliquos Pœnitentiarios ſolitos fuiſſe ad Epiſcopos referre peccata ſibi confeſſa; id ſane ſi ita factum fuit, ut citati ſcriptores teſtantur, quis dubitat nullo jure, nulla ratione factum fuiſſe? Peccata confeſſa inviolabili ſigillo clauduntur, adeo ut nec Superioribus, nec Epiſcopis, nec Regibus, neque etiam Summo Pontifici revelanda ſint; qui quidem in ſigillo præcepto, utpote naturali, & divino diſpenſare non poteſt. Fecerunt id aliqui Confeſſarii hallucinati vanis, frivoliſque prætextibus: hic tamen aliquorum abuſus univerſæ Eccleſiæ mori adſcribendus non eſt, quæ nunquam ſigilli intemeratam religionem violari, aut Pœnitentiæ ſacramentum offendi paſſa eſt. Fecerunt; ſed male fecerunt, ſicut & noſtris hiſce temporibus pernicioſiſſime introducebatur. Ideo Nectarius id prohibuit. Ideo S. P. Leo, quia ille abuſus inoleverit apud Epiſcopos Campaniæ, Samnii, & Piceni, nempe quod pœnitentes peccata deferrent in libello deſcripta, & poſtea Confeſſarius ea publice recitaret, id omnino reprehendit, atque vetavit ſic reſcribens: „ Illam etiam contra „ Apoſtolicam regulam præſumptionem, quam nuper agnovimus a „ quibuſdam illicita uſurpatione committi, modis omnibus conſtituo ſubmoveri (de pœnitentia videlicet, quæ ita a fidelibus poſtu- „ latur) ne de ſingulorum peccatorum genere libellis ſcripta pro- „ feſſio publice recitetur, cum reatus conſcientiarum ſufficiat ſolis „ Sacerdotibus indicari confeſſione ſecreta. Quamvis enim plenitu- „ do fidei videatur eſſe laudabilis, quæ propter Dei timorem apud „ homines erubeſcere non veretur; tamen quia non omnium ſunt pec- „ cata, ut ea, quæ pœnitentiam poſcunt, non timeant publicare, re- „ moveatur tam improbabilis conſuetudo, ne multi a pœnitentiæ re- „ medio arceantur, dum aut erubeſcunt, aut metuunt inimicis ſua „ facta reſerare, quibus poſſunt legum conſtitutione percelli: ſufficit „ enim illa confeſſio, quæ primum Deo offertur, tunc etiam Sacer- „ doti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit, tunc enim „ demum plures ad pœnitentiam poterunt provocari, ſi populi auri- „ bus non publicetur conſcientia confitentis. Licet autem Leo non loquatur expreſſe de revelatione Epiſcopo facta, loquitur ſane de abuſu compellendi pœnitentis ad publicam delicti ſui enuntiationem, quod minus eſt; nam tunc revelat ipſe pœnitens, licet invitus, & Confeſſor ex ejus conſenſu, licet extorto; at vero in hypotheſi, in qua loquimur, Presbyter ad Epiſcopum deferebat peccata confeſſa, ipſeque Epiſcopus, invito abſolute pœnitente, coram populo recitabat: in

quo

quo certe dabatur evidens, nullaque tergiverſatione cooperienda ſigilli revelatio.

32 Terminanter ad rem: Ille mos fuerat apud Epiſcopos Armeniæ injuſtiſſime introductus, & a S. P. Benedicto XII. juſtiſſime reprobatus. Eum refert Raynaldus (18) per hæc verba: „ Armeni „ dicunt, ac tenent, quod ſi aliquis ante ſumptionem ordinis ſacri „ commiſerit aliquod peccatum luxuriæ carnalis exterioris, quod ille habeat confiteri dictum peccatum, & deinde Epiſcopus, qui or„ dines facit, interrogat dictum Confeſſorem, ſi ille eſt dignus ordi„ nari. Cui Sacerdos reſpondet, quod non, & ſic repellitur a ſuſci„ piendo ordine ſacro. Si vero poſtquam ordinatus eſt, commiſerit „ tale peccatum luxuriæ, oportet, quod ſi abſolvi velit, confiteatur „ Confeſſori ſuo; & tunc ille Confeſſor deponit eum ab executione „ ordinis, & ſi poſtea exequatur actus dicti ordinis, dictus Confeſſor „ dicit hoc Epiſcopo, etiam in præſentia aliorum, & cum quo, vel „ qua peccavit, revelat. Mulieres etiam, cum quibus tales peccave„ runt, jactant ſe dicendo: Ego depoſui talem Sacerdotem. Ex quo „ contingit apud Armenos, quod multi ſunt, qui dicta peccata no„ lunt confiteri, dum vivunt, ne repellantur a ſuſceptione ordinum: „ & ſi eos ſuſceperint, ne poſtea deponantur ab ordinum executione. Quid pernicioſius? Quid ſimilius introducto abuſui?

33 Ejuſdem praxis teſtis eſt Thomaſinus (19) in hunc modum: „ Anno 1341. Benedicto XII. Papæ exhibitæ ſunt in unum compi„ latæ Armenorum conſuetudines variæ, quarum vitioſæ non pau„ cæ, nonnullæ prorſus non ferendæ: at præ ceteris hæ: Ubi quis „ inquinamento gravi libidinis deturpatus fuerat ante ordinationem, „ confiteri Sacerdoti jubebatur: tum Epiſcopus ordinationem auſpi„ caturus, Confeſſarium interrogabat, an ordine ſacro dignus eſ„ ſet, qui præſentabatur. Negabat Confeſſarius, atque ita pœnitentem ordinatione arcebat. Hunc igitur morem reprobavit Summus Pontifex, & teſte citato Raynaldo reprobavit Concilium Nationale tunc habitum.

34 Sed non ſatis adhuc: Eumdem quippe abuſum ſuſcitarunt in Hiſpania *Illuminati*, ſeu potius miſere ſub falſa zeli imagine hallucinati virtutis ſectatores, atque ſub falſiſſimo boni eccleſiaſtici procurandi, ſacerdotiique reformandi prætextu in hanc abiere ſententiam: *Licitum ſit Confeſſariis revelareque in confeſſione audierunt, cui obedientiam præſtarunt, & ſibi invicem*, quæ eſt eorum 23. propoſitio, ut refert doctiſſimus Arbiol in libro, cui titulus *Dezengaños Myſticos*, in fine. Horum propoſitiones damnatæ fuerunt in ſupremo Hiſpanico

(18) Tom. 16. ad continuat. Baron. ad ann. 1345. n. 63.
(19) De veter. & nov. Eccleſ. diſcipl. tom. 2. cap. 8. n. 8.

Inquiſitionis Senatu, & earum aſſertores aliqui ob ſuam contumaciam anno 1623. meritam ignis pœnam luere coacti ſunt, ut refert Berninus in hiſtoria hæreſis *tom.* 4. Hunc peſtiferum errorem in noſtra Luſitania æmulari viſi ſunt aliqui, qui reformationis zelo exardeſcunt, jamque cum abunde graſſantem redolebat P. Caſnedi (20) per hæc verba: „ Similiter boni eccleſiaſtici prætextu, ne lupi pro agnis, „ & animarum paſtoribus deſignentur, obligant Confeſſores, ut ma- „ le morigeratos deferant Epiſcopo. Non indico horum Rigoriſtarum „ intentum, nempe confeſſionis ſacramentum reddere impoſſibile.

35 Eamdem viam ſectari videbantur in Belgio Bayi, Janſeniique diſcipuli Rigoriſtæ, qui reformationis intuitu, ut has prohibitiones illuderent, damnatas doctrinas alio ſub colore ſimulantes, alia corruptiſſima ſemina fraudulenter nimis ſpargere cogitarunt. Sic aiebant: „ Scientia ex confeſſione acquiſita uti licet, modo fiat ſine directa, „ aut indirecta revelatione, aut gravamine pœnitentis, niſi aliud mul- „ to gravius ex non uſu ſequatur, in cujus comparatione prius meri- „ to contemnatur. De hac propoſitione jam ſupra late ſcriptum eſt. Quod ad aſſumptum attinet, illud eſt, nempe, prædictum errorem, qui prima facie videtur Armenorum, & Illuminatorum errori valde diſſimilis, eumdem ſubdole larvatum certo certius recondere. Nam imprimis in ea ſententia videbantur eſſe (ſicut & hodie) ſuperiorem ſcilicet ex revelatione, licet injuſta, Confeſſarii non arctari ſigillo, utpote quod obligat Confeſſarium, non vero eum, qui ex ipſo audivit Confeſſario; quod tamen eſt contra certum Theologorum placitum, ut ſupra expoſuimus. Retento tamen eo falſo principio, putabant eis licere prædicta uti, vel abuti ſcientia, quia gravius damnum cenſendum erat, quod indignus, ſeu inhabilis ad ordines, ſive ad regendam Eccleſiam, ſive ad confeſſiones audiendas admittendus eſſet; quodque ipſe, ſuppreſſa repulſæ cauſa, a prædictis muneribus arceretur. Sed quantum mali lateret in prædictis abuſibus, agnovit Innocentius XI. agnovit ſacræ Inquiſitionis Romanæ Congregatio, agnoverunt in Belgio Epiſcopi, agnovit Inquiſitionis Hiſpanæ Tribunal, agnovit Benedictus XII. agnovit Leo Magnus. Unde fit conſequens nunquam prædictum abuſum veteris Eccleſiæ diſciplinæ conſonum fuiſſe, nunquam licitum, ſemperque reprobatum extitiſſe; & tamquam toties impugnatum, & prohibitum, non debuiſſe nunc noviter introduci, ac cum tanto fidelium ſcandalo diſſeminari. Concludimus igitur, quod ſi aliquando talis conſuetudo irrepſerat, nullatenus aliquo jure, vel ratione potuerat ſtabiliri.

(20) In Criſ. Theolog. tom. 5. diſp. 12. ſect. 4. §. 4.

FUL-

FULMEN QUARTUM

Sententiam aſſerentem, in Eccleſia veteri morem fuiſſe pro occultis delictis in foro Sacramenti publicas imponere pœnitentias, omnino confundit.

1 OCcaſione præcedentis diſceptationis aliqua circa publicas occulti peccati pœnitentias jam tetigimus. Quia tamen Jueninus, Morinus, aliique ſimiles totius eruditionis ſuæ conatu veteris eccleſiaſticæ diſciplinæ theſauros, depromentes, eum in primis ſæculis morem fuiſſe, immo & præceptum, ut crimina etiam occulta publicis pœnitentiis vindicarentur, defendere, perſuadere, atque fortaſſe in damnum ſacramenti introducere intendunt, opus erit oſtendere talem conſuetudinem, aut legem nequaquam in Eccleſia extitiſſe.

2 Has igitur canonum pœnitentias pro occultis delictis imponi non conſuevisſe, probatur plane ex D. Auguſtino (1) per hæc verba: „ Sunt homines adulteri in domibus ſuis: in ſecreto peccant:
„ aliquando nobis produntur ab uxoribus ſuis, plerumque zelanti-
„ bus, aliquando maritorum ſalutem quærentibus: nos non prodi-
„ mus in palam, ſed in ſecreto arguimus: ubi contigit malum, moria-
„ tur malum. Et alibi: (2) Nos vero a communione prohibere
„ quemquam non poſſumus, quamquam hæc prohibitio nondum
„ ſit mortalis, ſed medicinalis, niſi aut ſponte confeſſum, aut in
„ aliquo judicio ſive ſæculari, ſive eccleſiaſtico judicio nominatum,
„ atque convictum, vel, ut legit Ivo: (3) Nos communione nul-
„ lum ſuſpendimus, niſi accuſatum publice, atque convictum, vel
„ ſponte confeſſum ſimiliter publice. Si igitur in foro externo (de quo in his locis proculdubio loquitur S. D.) ſponte confitens, atque ſecreto ſuam culpam Epiſcopo revelans cogi non poterat ad pœnitentiam publicam ſubeundam, multo fortius ad id cogendus non erat ſacramentaliter confeſſus.

3 Clarius ſane id docet S. D. prout refertur a Buchardo, (4) & Ivone: (5) „ Siquis inceſtum occulte commiſerit, & Sacerdoti occul-

(1) Lib. de Correpr. & Grat. cap. ult.
(2) Homil. ult. ex 50.
(3) Epiſtol. 186.
(4) Lib. 19. cap. 36.
(5) Part. 15. cap. 53.

,, occulte confeſſionem egerit,indicetur ei remedium canonicum, quod
,, ſubire debuiſſet, ſi ejus facinus publicatum fuiſſet. Verum, quia la-
,, tet, commiſſum detur ei a Sacerdote conſilium, ut ſaluti animæ ſuæ
,, pro occulta pœnitentia proficiat, hoc eſt, ut veraciter, & ex corde
,, ſe graviter deliquiſſe confiteatur, & per jejunia, & eleemoſynas, vi-
,, gilias, atque ſacras orationes cum lacrymis ſe purgare contendat,
,, & ſic ad ſpem veniæ pro miſericordia Dei provenire confidat. San-
ctus Innocentius in Epiſtola ad Exuperium cap. 4. id expreſſe conſti-
tuit in his verbis: *Cum ergo non habeant latentia peccata vindictam.*
S. Leo, prout refert Hincmarus Remenſis, (6) ſic habet: *Neque li-
bello ſecretæ confeſſionis porrecto publicæ pœnitentiæ quiſpiam debet
ſubmitti, nec per ſcripturam directam, vel ab alio porrectam va-
let condemnari; ſed unde publice debet judicari, publice & in præſen-
ti poſitus debet aut convinci, aut confiteri.* Idem conſtituit in Epiſtola
ad Epiſcopos Campaniæ, Samnii, & Piceni ſupra relata. Id ipſum do-
cuit ad Nicetam Aquilienſem ſic ſcribens: ,, In præſenti poſitus, aut
,, confutatus, aut certe confeſſus juſte poteſt ſubjacere ſententiæ,
,, quia contrarium eſt rationi, eorum illos cernere pœnas, quorum
,, non valent neſcire cauſas. Hodie videmus acerrime punitos, quo-
rum culpas omnino ignoramus, nec in judicio audivimus convictos,
aut confeſſos. Nova profecto juſtitiæ adminiſtrandæ ratio! Sed pro-
grediamur.

4 Concilium Agathenſe celebratum anno 506. prout refertur ab
Ivone ubi ſupra, Epiſcopos monet, ut in ſecretis delictis *reum ſecre-
tis correptionibus compungere elaboret.* Concilium Aurelianenſe eodem
tempore celebratum, & relatum ab eodem Ivone (7) ſic conſtituit.
,, Siquis publicam rapinam, & furtum fecerit, publicam inde agat
,, pœnitentiam juxta ſacrorum canonum ſanctiones. Si vero occulte,
,, Sacerdotum conſilio pœniteat. Concilium Moguntinum ſic ait:
,, Diſcretio eſt ſervanda inter pœnitentes publice, & abſconſe. Nam
,, qui publice peccat, oportet ut publice mulctetur pœnitentia, &
,, ſecundum ordinem canonum pro merito ſuo excomunicetur, &
,, reconcilietur..... Omnibus his actis ventilata eſt ratio pœnitentiæ,
,, ut Sacerdotes certius intelligerent, quomodo confeſſiones recipere,
,, & pœnitentiam ſecundum canonicam inſtitutionem deberent indica-
,, re. Concilium Claramontenſe ſic decernit: *Sacerdos pro peccato oc-
culto publicam pœnitentiam non injungat, nec peccatores occultos fa-
ciat pœnitere.* In idem conſpirant Pontifices, Concilia, Synodi, Pa-
tres, ac Theologi omnes. Sed tamen hanc legem, hunc morem in Ec-
cleſia antiqua receptum nobis obtrundunt rigidiſſimi antiquæ diſcipli-
næ ſcrutatores. 5 Di-

(6) In tract. de divortio Lotharii interrog. 11.
(7) Part. 13. cap. 43.

5 Dicent fortaſſe, ut revera dicunt, hæc omnia poſteriora ſæcula, & benigniorem Eccleſiæ diſciplinam ſpectare: at primis illis Eccleſiæ ſæculis, in quibus adeo ſevera diſciplina floruerat, & pœnitentiæ amor, charitatisque fervor ardentior erat, ſic conſtitutum, ſic obſervatum extitiſſe. Sic eſſet, ut aſſerere contendunt; qui tamen canon exhibetur, ex quo ea evidenter appareat conſtitutio? Quibus factis evidentibus, non vero per inanes conjecturas probatis, ea oſtenditur obſervantia? Certe Novatores iſti aut ſomniant, aut divinant. Et quo ſæculo floruit Auguſtinus? Certe finem quarti ſæculi, & initium quinti ſuſpexerat. Qua in ætate Eccleſiæ clavum tenuit Innocentius I.? Anno 402. & initio quinti ſæculi ad Pontificatus apicem evectus fuit. Leo I. eodem vixit ſæculo quippe qui ad Pontificiam Cathedram aſcendit anno 440. An hiſce jam antiquis ſæculis tepidus fuerit pœnitentiæ amor?

6 Ne tamen injuſtum me declamatorem pronuntient, alias placet Patrum auctoritates in medium adducere. S. Ambroſius *anno* 376. *in cap.* 22. *Luc.* quod refertur a Gratiano *diſt.* 1. *de Pœnit.* ſic ait. „ Petrus doluit, & flevit, quia erravit ut homo. Non invenio quid dixerit: invenio quod fleverit. Lacrymas ejus lego, ſatisfactionem „ non lego. . . . Lacrymæ lavent delictum, quod voce pudor eſt confiteri. Certe Sanctus Doctor non loquitur de confeſſione ſacramentali, hanc etenim neceſſariam eſſe dubitare non poterat. Loquitur ergo de confeſſione publica: de hac dicit neceſſariam non eſſe, & pudori peccantium conſulendum: ſufficiunt enim lacrymæ, id eſt vera contritio cordis, & occulta pœnitentia.

7 Sanctus Proſper lib. 2. de Vita Contemplativa anno 436. cui Gratianus *cap.* 31. & 32. *de Pœnit. diſt.* 1. hanc ſententiam attribuit, ſic habet: „ Porro illi, quorum peccata humanam notitiam latent, nec ab „ ipſis confeſſa, (*intellige publice*) nec ab aliis publicata, ſi ea confiteri, aut emendare noluerint, (*nota disjunctivam, ut intelligatur loqui de publica confeſſione*) Deum, qui habent teſtem, habituri ſunt „ & ultorem. . . Quod ſi ipſi ſibi judices fiant, & velut ſuæ iniquitatis „ ultores, hi in ſe voluntariam pœnam ſeveriſſimæ animadverſionis „ exerceant, temporalibus pœnis mutabunt æterna ſupplicia, & lacrymis ex vera compunctione fluentibus reſtinguent æterni ignis incendia. En occulta pœnitentia, occulta contritio, quæ præſupponit ſacramentalem, & occultam confeſſionem, quin ex ea neceſſario, & ex præcepto ſequatur publica pœnitentia, quæ ſi neceſſaria foret, occulta non ſufficeret. Et paulo infra: „ Facilius Deum ſibi placabunt „ illi, qui non humano convicti judicio, ſed ultro crimen agnoſcunt: „ qui aut propriis illud confeſſionibus produnt, aut neſcientibus aliis „ (quales ſunt occulti) ipſi in ſe voluntariæ excommunicationis ſententiam ferunt, & ab altari, cui miniſtrabant, non animo, ſed offi-

„ cio

„ cio ſeparati vitam ſuam tamquam mortuam plangunt; certe, quod
„ reconciliato ſibi pœnitentiæ fructibus Deo, non ſolum amiſſa re-
„ cipiant, ſed etiam cives ſupernæ civitatis effecti ad gaudia ſempi-
„ terna perveniant. Proſperum ſic explicat Gratianus in cap. Quis ali-
„ quando 87. §. 2. Similiter & illud Proſperi intelligitur: Qui cri-
„ men ſuum ultro cognoſcunt, & aut illud propriis confeſſionibus
„ produnt, aut neſcientibus aliis quales occulti ſunt &c. (aliis neſcienti-
„ bus) id eſt, occulta confeſſione iſtis peccatum ſuum confitentibus,
„ non publice illud manifeſtantibus. Ecce Proſper feliciter ad rem noſtram diſtinguit inter crimina publica, & occulta: inter confeſſionem ſpontaneam, & factam a convictis in judicio: & inter pœnitentias publicas pro publicis, & occultas pro occultis; neque aliquo modo publicæ pœnitentiæ neceſſitatem propter occulta exigit peccata, quam proculdubio exigeret, ſi præcepta foret; neque occultis pœnitentiis ad reconciliationem efficaciam tantam tribueret, ſi publica confeſſio, publicaque pœnitentia ævo ſuo conſtituta inveniretur.

8 Revertamur ad Auguſtinum. Ipſe *Hom.* 50. & in *lib. de Pœnitent. Medicin. cap.* 3. prout refertur *in cap. Judicet* 85. *de Pœnit. diſt.* 1. ſic ait: „ Judicet ſe ipſum homo in iſtis voluntate, dum poteſt, &
„ mores convertat in melius, ne cum jam non poterit, præter volun-
„ tatem a Domino judicetur. Et cum in ſe protulerit ſeveriſſimæ me-
„ dicinæ ſententiam, veniat ad Antiſtites, per quos illi claves in Ec-
„ cleſia miniſtrantur, & tamquam bonus incipiens jam eſſe filius, ma-
„ ternorum membrorum ordine cuſtodito, a Præpoſitis ſacrorum ac-
„ cipiat ſatisfactionis ſuæ modum, ut in offerendo ſacrificio contri-
„ bulati cordis devotus, & ſupplex, id tamen agat, quod non ſolum
„ illi proſit ad recipiendam ſalutem, ſed etiam cæteris ad exemplum:
„ ut ſi peccatum ejus non ſolum in gravi ejus malo, ſed etiam in
„ tanto ſcandalo eſt aliorum, atque hoc expedire utilitati Eccleſiæ vi-
„ detur Antiſtiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere
„ pœnitentiam non recuſet, non reſiſtat, non lethali, & mortiferæ
„ plagæ per pudorem addat tumorem. En Sanctus Doctor, ab aliis non rite perceptus, non pro omni peccato exigit publicam pœnitentiam; ſed ſolum pro illo, quod magnum, graveque ſcandalum proximis attulerat; & in hoc caſu non abſolute, ſed ſecundum Antiſtitis prudentiam vel faciet pœnitentiam coram aliquibus, vel coram univerſo populo, prout gravitas ſcandali expetierit. Ergo juxta Sanctum Doctorem non pro omni peccato publica confeſſio, publicaque pœnitentia indicenda erat, ſed pro publicis, non publica confeſſio, ſed publica pœnitentia ad arbitrium Antiſtitis fieri debebat. Ergo non pro omnibus peccatis præcepta erat publica confeſſio, & publica pœnitentia.

9 Idem

9 Idem *ſerm.* 17. *de Verbis Domini* ſic ſcribit: „ Corripienda ſunt ſecretius quæ ſecretius peccantur. . . . ſic agamus, & ſic agendum eſt . . . . ut ab altero neſciatur, in ſecreto debemus corripere, in ſecreto arguere, ne volentes publice arguere, prodamus hominem. Nos volumus corripere, & corrigere. Quid ſi inimicus quærit audire quod puniat? Novit enim neſcio quem homicidam Epiſcopus, & alius illum nemo novit; ego volo illum publice corrigere, & tu quæris inſcribere. Prorſus nec prodo, nec negligo, corripio in ſecreto, pono ante oculos Dei judicium, terreo cruentam conſcientiam, perſuadeo pœnitentiam. Hac charitate præditi eſſe debemus. Unde aliquando homines reprehendunt nos, quaſi non corripiamus, aut putant nos ſcire quod neſcimus, aut putant nos tacere quod ſcimus. Sed forte quod ſcis, & ego ſcio, ſed non coram te corripio, quia curare volo, non accuſare, &c. Ex his Sancti Doctoris verbis ſic optime infert Francolinus: (7) „ Igitur charitas poſtulat, ne publicetur peccatum, quod eſt ſecretum, nec aliter poteſt fieri ab eo, qui velit curare: ergo a fortiori charitas poſtulat, ne cogamus alterum ſua peccata publicare, quæ ab eo ipſo audivimus in confeſſione ſacramentali, ut confitentem tamquam patres permanter curemus. Et quidem ſi Auguſtinus putavit, non curari vulnera ſecreta, & pudenda, cum publicantur a Medico, certe non putavit eadem curari, cum Medicus cogit infirmum ea publicare, cum non minus hoc, quam illud exaſperet: ergo cenſuit non eſſe cogendum pœnitentem ad publicam pro quibuslibet delictis pœnitentiam, quæ eſt ipſius delicti ſaltem in genere manifeſtatio: ergo ubi agit de publica pœnitentia, nunquam ſignificat, eam talem fuiſſe, aut eſſe debere quam pœnitens pro quovis peccato ſubire cogeretur.

10 Idem S. D. *in lib. de Vera, & Falſa Pœnit. cap.* 10. ſic docet: „ Quem pœnitet omnino pœniteat, & dolorem lacrymis oſtendat; (*lacrymis dicit, non publica pœnitentia*) præveniat judicium Dei per confeſſionem. Præcepit enim Dominus mundandis, ut oſtenderent ora Sacerdotibus, docens corporali præſentia confitenda peccata, non per nuntium, non per ſcriptum manifeſtanda. Dixit enim (*ora monſtrate*) & (*omnes*) non unum pro omnibus: non alium ſtatuatis nuntium, qui pro vobis offerat munus a Moyſe ſtatutum; ſed qui per vos peccaſtis, per vos erubeſcatis. Erubeſcentia enim ipſam partem habet remiſſionis. Ex miſericordia enim hoc præcepit Dominus, ut neminem pœniteret in occulto. In hoc enim, quod per ſe ipſum dicit Sacerdoti, & erubeſcentiam vincit timore offenſi, fit venia criminis. . . . . . . Multum enim ſatisfactionis obtulit, qui erubeſcentiæ dominans, nihil eorum, quæ commiſit, „ nun-

(7) Ubi ſupr. lib. 1. diſp. 8. num. 17.

„ nuntio Dei denegavit, &c. Ecce nullum imponit, vel inſinuat „ aut publicæ pœnitentiæ aut publicæ confeſſionis præceptum, ſed „ confeſſionem Sacerdoti faciendam clariſſime demonſtrat.

11 Sanctus Ambroſius *lib.* 1. *de Pœnit. cap.* 2. ſic ſcribit: „ Deus „ diſtinctionem non facit, qui miſericordiam ſuam promiſit, & re„ laxandi licentiam Sacerdotibus ſuis ſine ulla exceptione conceſſit. Non poterat hæc licentia dici abſolute conceſſa, ſi publica prius confeſſio, & publica pœnitentia, quam Eccleſiæ reconciliatio ſequebatur, præcepta eſſet.

12 Sanctus Joannes Chryſoſtomus, quem rigoriſmi æmulatores in ſuum adoptant, ut ſententiis ſuis abutantur, variis in locis nobis clariſſime adſtipulatur, præcipue *in hom. in Act. Apoſtol.* ubi ad fideles ſic alloquitur: „ Si quando contigerit ex vobis peccare aliquem, „ accedite ad me dormientem, &c. Certe tanta facilitas, ac in omni tempore, & loco ad audiendas confeſſiones promptitudo cum publicæ confeſſionis, ac publicæ pœnitentiæ præcepto compati non poterat. In *hom. de Publicano in Luc.* 18. ſic prædicabat S. D. „ Admoneo te, „ ut aſſidue confiteare: neque enim in theatrum duco conſervorum „ tuorum, nec te cogo peccata tua hominibus nuntiare: conſcien„ tiam tuam Deo expone, eique oſtende vulnera tua. Et alibi: (8) „ Non tantum peccatores eſſe dicamus, ſed etiam ipſa peccata ſpecia„ liter ſingula computemus. Non tibi dico, ut te prodas in publicum, „ neque ut te apud alios accuſes, ſed obedire te volo Prophetæ di„ centi: Revela Domino viam tuam: ante Deum tua confitere pecca„ ta. Nunc autem, neque neceſſarium eſt præſentibus teſtibus confiteri. Quam Chryſoſtomi auctoritatem ſic explicat Gratianus: (9) „ Non ita intelligendum eſt, ut ſine confeſſione oris peccata dicantur „ dimitti, ſed ſine publica ſatisfactione. Secreta namque peccata „ ſecreta confeſſione, & occulta ſatisfactione purgantur: nec eſt ne„ ceſſe, ut quæ ſemel Sacerdoti confeſſi fuerimus, denuo confiteamur; „ ſed lingua cordis, non carnis apud judicem verum ea jugiter con„ fiteri debemus. Ego vero addo, ex illis ultimis verbis non incongrue colligi illam publicæ confeſſionis neceſſitatem, quam nobis ex hiſtoriis obtrudunt, reſpexiſſe illum publicum confeſſionis actum coram teſtibus, quam in Eccleſiis cum omnium ædificatione quotidie videmus, & quam neceſſariam non ducit Chryſoſtomus; non verò publicam peccatorum confeſſionem coram populo faciendam. Eamdem doctrinam repetit variis in locis S. D. ut videre eſt *hom.* 41. *ad Popul. Anthiochen. hom. de Pœnit. & Confeſſ. hom.* 8. *de Pœnit. hom.* 4. *de Lazaro, hom.* 5. *de Incomp. Dei Natur.*

13 Tan-

(8) Epiſt. ad Hebræos hom. 31.
(9) In cap. Quis aliquando de Pœnit. diſt. 1.

13 Tandem, ne infinitus ſiam, Theodorus Cantuarenſis Epiſcopus, qui ſeptimo ſæculo floruit, in Pœnitentiali ſuo, quod etiam habetur in Concilio Cabilonenſi 2. *cap.* 33. prout refertur a Gratiano in *cap. fin. diſt.* 1. caute tamen legendus, ſic ait: „ Quidam Deo ſolummodo confiteri debere peccata dicunt, ut Græci. Quidam vero Sacerdotibus confitenda eſſe percenſent, ut tota fere ſancta Eccleſia. Quod utrumque non ſine magno fructu intra ſanctam fit Eccleſiam: ita dumtaxat, ut Deo, qui remiſſor eſt peccatorum, peccata noſtra confiteamur, & hoc perfectorum eſt, ut cum David dicamus: Delictum meum cognitum tibi feci, & injuſtitiam meam non abſcondi. Dixi: Confitebor adverſum me injuſtitias meas Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. „ Sed tamen Apoſtoli inſtitutio nobis ſequenda eſt, ut confiteamur alterutrum peccata noſtra, & oremus pro invicem, ut ſalvemur. Confeſſio itaque, quæ ſoli Deo fit, quod eſt juſtorum, purgat peccata. Ea vero, quæ Sacerdoti fit, docet qualiter ipſa purgentur peccata. Deus namque ſalutis, & ſanctitatis auctor, & largitor, plerumque hanc præbet ſuæ pœnitentiæ medicinam inviſibili adminiſtratione, plerumque Medicorum operatione. Sanius, & rectius, prout habet Correctio Romana, & legitur in Capitularibus adjectis *cap.* 58. ita ut illa verba *ut Græci*, & illa *ut tota fere Eccleſia*, & illa *& hoc eſt perfectorum*, & illa, *quod eſt juſtorum* omnino intercipienda ſint. Et periodus illa *ſed tamen* legenda ſit continuative ad præcedentia verba in hunc modum: *Et ſecundum Apoſtoli inſtitutionem*; ſic tollitur omnis ſiniſtra interpretatio: & quod ad noſtrum attinet inſtitutum, ex ea autoritate liquet, aut Deo, aut Sacerdoti, id eſt Deo per cordis contritionem, Sacerdoti per oris confeſſionem eam faciendam eſſe, non vero publice recitanda eſſe peccata, ut eorum fieri poſſit remiſſio: ac proinde ſi ad id neceſſaria non erat, nec etiam præcepta dici poterat.

14 En multorum Patrum, qui ad finem uſque ſeptimi ſæculi floruerunt, apertiſſima ſecretæ confeſſionis teſtimonia, quin in aliquo eorum inveniamus ſaltem veſtigia alicujus præcepti circa referenda ad Epiſcopum, vel recitanda in conſpectu populi peccata occulta ſacramentaliter confeſſa, vel circa ipſius peccati occulti publicam confeſſionem, aut publicam pœnitentiam, quam antiquæ diſciplinæ ſcriptores aliqui, Græcorum aliquorum autoritate freti, nobis ad perniciem ſacramenti frequenter obtrudunt, ac rigidæ auſteritatis ſtimulo agitati introducere in Eccleſia admituntur. Qualis iſtorum Novatorum ſub ſpecie, ut aiunt, reformandi populi, & renovandæ antiquæ pœnitentiæ animus ſit, non difficulter conjici poteſt. Ad id aſſequendum Conciliorum, ſanctorum Patrum, antiquorum canonum autoritates congerunt, eaſque diverſimode ad ſuos ſenſus detorquent;

 neque

neque ſecundum vera dogmata interpretantur. Eliæ, aut Ezechiæ, aut Joannis Baptiſtæ zelum ſe putant, aut ſimulant habere; potius tamen Principibus Sacerdotum (10) comparandi ſunt.

15 Multas profectò Patrum ſententias, compluriмos pœnitentiales canones ad ſuum aſſumptum probandum affert Morinus per totum fere librum quintum, & alibi paſſim, ac eum, quem ſuum jactat, ſecutus Gaſpar Jueninus rigidiſſimæ ſectæ defenſor in Commentario hiſtorico dogmatico de Sacramentis *tom. 2. diſſert. 6. q. 6. cap. 7. art. 1.* & alii, quibus omnibus optime reſpondet Francolinus de *Veter. Eccleſ. Diſcip.* per totum fere librum primum, in quo eruditiſſime omnes in veterem Eccleſiam præjactas dejicit calumnias. Ut aliquid addam cum noſtro Gratiano, ejus verba tranſcribo, prout habentur in Decreto poſt *Cap. Quis aliquando 87. de Pœnit. diſt. 1.* „ Ea vero, inquit, quæ ad
„ exhortationem pœnitentiæ, & confeſſionis dicta ſunt, non huic ſen-
„ tentiæ contraire videntur. Vel enim ſunt verba exhortationis, non
„ juſſionis, ſicut illud: Confitemini alterutrum peccata veſtra, &c.
„ Vel ſiqua jubendo ſunt dicta, non ad oris confeſſionem, (ſubintel-
„ lige publicam) ſed cordis: non ad exteriorem ſatiſfactionem,
„ ſed interiorem referenda ſunt. Et paulo infra: Ea vero, quæ de
„ publica ſatiſfactione, vel oris confeſſione dicuntur, in publicis, &
„ manifeſtis criminibus intelligenda ſunt. Et poſtea: Sine contritione
„ etenim cordis nullum peccatum poſſe dimitti; occulta vero peccata
„ ſecreta ſatiſfactione, publica quoque manifeſta pœnitentia expiari
„ debere firmiſſima conſtat ratione ſubnixum.

16 Et ſane cum Patrum ſententias ab his Auctoribus adductas attentius perlegerem, cum Apoſtolorum canones, & cæteros pœnitentiales accuratius evolverem, nullum invenire quivi, ex quo colligerem, non inquam illum revelandi Epiſcopis, aut enuntiandi in Eccleſia peccata occulte confeſſa ab aliquibus aſſertum Eccleſiæ antiquæ morem; id enim ſecundum pœnitentiæ inſtitutionem ab Eccleſia, quæ nunquam errare potuit, omnino alienum eſt; ſed neque præceptum aliquod, quo adſtringerentur fideles ad publicam occultorum delictorum confeſſionem, aut publicam de illis ſatiſfactionem, aut quo Confeſſores tenerentur ipſos pœnitentes ad eam publicam confeſſionem, & pœnitentiam adigere. Frequentius obſervatum fuiſſe morem illum, nempe, quod fideles ex humilitate, ex fervore, ex conſilio Confeſſarii ſponte ſe publicæ ſubjicerent pœnitentiæ, id quidem lego: quod tenerentur, quod Confeſſores non poſſent aliter abſolvere, quod id præceptum fuiſſet, nullibi lego. Pœnitentias publicas pro peccatis publicis præceptas, id invenio. Pœnitentias varias variis peccatis præſcriptas etiam comperio. Pœnitentias publicas (loquor de rigoroſe publicis)

in

(10) Act. 5. v. 17. Jud. 17. v. 57.

in foro interno neceſſariò imponendas nullatenus comminiſcor.

17 Et ut ſingula percurramus. Inter 85. canones Apoſtolorum, qui habentur in fine Pandectarum, nullus eſt, qui has pœnitentias publicas occultorum peccatorum, vel publicas confeſſiones aut decernat, aut commemoret, ut ex ipſis videre eſt. Et licet ab Adverſariis allegetur ex libro 2. Conſtitutionum Apoſtolicarum, quæ Clementi attribuuntur, ea conſtitutio, qua ſic habetur: *Cum aliquem peccaſſe cognoveris, exarcebatus jube eum foras ejici*, & ex his verbis inferant Apoſtolos quemcumque peccati gravis reum juſſiſſe ab Eccleſia ejici, ac per conſequens publicæ pœnitentiæ, quæ in hoc præcipue conſiſtebat, ſubjacere; attamen is canon inter 85. relatos non invenitur; ii autem ſoli ab Eccleſia ſunt recepti. Nam liber ille Conſtitutionum Apoſtolicarum Clementi attributus inter apochryphos a Gelaſio eſt recenſitus in Concilio Romæ habito anno 493. prout refertur (*in cap. Sancta Romana* 3. *diſt.* 15. Et idem habet Iſidorus in præfatione ad collectionem Conciliorum, prout refertur in *cap.* 1. *diſt.* 16. Licet autem Zephyrinus Papa epiſtola 1. ad Epiſcopos Siciliæ hos Apoſtolorum canones videatur approbaſſe; id intelligendum eſt habito reſpectu ad ſupradictos canones ab Eccleſia admiſſos, ut patet ex *cap.* 2. *dict. diſt.* 16. Sicut & Leo IX. vel ejus nomine Humbertus legatus ſuus, ut conſtat ex *dict. cap.* 3. *dict. diſt.* 16. & poſtea ſexta Synodus celebrata anno 693. tamen id ſolummodo intelligendum eſt de prædictis octoginta quinque Canonibus, non vero de aliis, qui Clementi adſcribuntur; inter illos autem citatus canon minime invenitur, ut ei autoritas aliqua præſtanda ſit.

18 Quod autem inter apochryphos numerandus ſit, vel ex eo conjectare licet, quod non eumdem loquendi ſtylum ſervet, quo in aliis canonibus obſervatur. In omnibus enim plurali ſignificatione verbis præceptivis ſic ſtatuebatur: *Deponitor: Communione privator: Protenditor: Admittitor: Efficitor: Ejicitor: Subduntor: &c.* Neque par eſt credere benigniſſimos Apoſtolos mitiſſimi Divini Magiſtri & exemplo, & doctrina inſtructos, aut Clementem cum iiſdem Apoſtolis converſatum, & Petri diſcipulum ſic in ſeveritatem protinus declinaſſe, ut lactentes, tenerrimoſque Eccleſiæ Matris filiolos ſtatim quod in aliquod peccatum laberentur, & ad pœnitentiæ ſacramentalis lavacrum dolentes accederent, ita graviter, & immiſericorditer punirent, & a ſacramento abſterrerent, ut eos ſeveriſſimo anathemate ab Eccleſia, & fidelium communione procul abjicerent. Quapropter non inepte aſſerunt aliqui, ſcriptores hæreticos confixiſſe eos canones, & addidiſſe aliis, ut utilia dogmata cum adinventionibus ſuis (ut in more habent) intermiſceant, ut ſecurius, & fraudulentius ſerpant. Unde Humbertus appoſite ad eamdem rem, ut oſtendat prædictos canones non fuiſ-

ſe a ſexta Synodo approbatos, ſic ſcribit: (11) „ Non autem mi-
„ ror, ſi Agathoni Papæ, & ſanctis Patribus ſextæ Synodi veſtra im-
„ putetis deliramenta, & quæ aut corrupiſtis, aut finxiſtis capitula:
„ cum & ipſi Domino JESU, & Apoſtolis ejus imputetis figmenta.
„ Unde nos ſcientes ſextam Synodum ad deſtruendam hæreſim Græ-
„ corum Monothelitarum, non autem ad tradendum Romanis no-
„ vas Conſtitutiones congregatam, capitula, quæ nobis ſub ejus au-
„ toritate opponitis, omnino refutamus; quia prima, & Apoſtoli-
„ ca ſedes nec aliquando ea accepit, nec obſervat hactenus.

19 Adhuc tamen dato prædictum canonem Apoſtolis, aut Clementi adſcribendum eſſe; nihil tamen eſt, quod nos adigat, ut fateamur ibi agi de publica pœnitentia pro quocumque peccato occulto, & ſacramentaliter confeſſo neceſſariò peragenda. Præcipue, cùm primis Eccleſiæ ſæculis tria ſolum peccata publica publicæ eſſent pœnitentiæ obnoxia, ut ipſe Morinus non diffitetur, latiſſimeque oſtendit. Neque illis primis temporibus canones aliqui editi fuere: ut enim ait Iſidorus: (12) *In præcedentibus annis* (ſcilicet ante Concilium Nicænum) *perſecutione fervente docendarum plebium minime dabatur facultas. Inde Chriſtianitas in diverſas hæreſes ſciſſa erat.* Ut plurimum igitur ibi agitur de peccato (ſcilicet graviori) publico, quod in foro externo publica, & ſolemni pœnitentia expiandum erat. Idque patet; quia Clemens ibi commemorat quaſdam cæremonias a Diaconis faciendas, quæ ad ſolemnem pœnitentiam attinebant; hæc autem proculdubio fori externi fuerat, & ſolum propter graviſſima crimina imponebatur. Idemque ſuadent verba, quibus utitur Clemens; ait enim: *Cum aliquem peccaſſe cognoveris.* Hæc autem cognitio de peccato publico, aut ſponte confeſſo accipi debet; nam quæ in confeſſione audiunt Sacerdotes, ita audiunt non ut homines, ſed ut Deus, ut omnem omnino humanam cognitionem excludere dicendi ſint.

20 Canones conditi a S. Petro Archiepiſcopo Alexandrino, quos recenſet, & interpretatur Balſamon, ſolum reſpiciebant lapſos in fide, vel in religione. Qui tamen non ſeveræ admodum ſic delinquentes addiſcebat pœnitentiæ, quæ proculdubio publica erat, ſicut & publicus erat lapſus.

21 Canones S. Gregorii Thaumaturgi, ab eodem Balſamone recenſiti, ſeveriores fuerunt in eos, qui ea, quæ in deprædatione barbarica relicta fuerant, rapiebant, & retinebant. Eorum tamen ſeveritas ad forum externum ſpectabat, ut liquet ex Canone 8. ubi conſtituitur, quod qui alienas domos invadere auſi fuerant, ſi accuſati convincerentur, audiendi non eſſent; ſi vero ſe ipſos enuntiarent, in numero

(11) Vid. in addict. correct. Rom. poſt text. in cap. Habet 6. dict. 16.
(12) Lib. 6. etymolog. cap. 16.

Digitized by Google

mero pœnitentium ſecundæ claſſis referrentur. Et ex Canone 9. in quo decernitur, quod invenientes aliquid relictum a barbaris, ſi retinerent, & accuſati eſſent, pœnitentibus tertiæ claſſis adſciſcerentur. Convinci autem, aut accuſari, aut denuntiari actiones propriæ ſunt externi, non vero interni fori.

22 Sanctum Magnum Baſilium Cæſareæ Cappadociæ Archiepiſcopum in ſuis Canonibus, quorum notitia paſſim apud Balſamonem, Buchardum, aliosque Collectores obviam ſeſe offert, non forum ſacramentale ſecretum, ſed externum primario reſpexiſſe, multa quidem argumenta eſſe poſſunt. Nam imprimis reſcripti ſunt ad Amphilochium Iconii Epiſcopum interrogantem de variis quæſtionibus, & de punitione delinquentium. Occulte autem peccantes, & fortaſſe non opere, ſed mente, non ſtatim delinquentes appellandi ſunt, ſed illi, qui publica aliqua pœna percelli conſueſcunt; neque in foro ſacramentali datur delicti punitio, ſed ſatisfactio.

23 Canone 3. conſtituit Sanctus Doctor: *Quod Diaconus poſt Diaconatum ſuſceptum fornicatus a Diaconatu quidem ejicitur.* Depoſitio autem pœna eſt, & quidem gravis in foro externo pro qualitate criminis adaptanda; non vero ſatisfactio in foro interno injungenda; neque Clerici ad publicam pœnitentiam ſubeundam adigebantur. Et poſtea monet, Epiſcopum inſtructum eſſe debere circa ea, *quæ ſunt ſummi juris, & quæ ſunt conſuetudinis*, ut ſcilicet ſciat ſummi juris temperare pœnas: pœnitentia autem ſacramentalis medicina eſt, & ſatisfactio, non vero pœna.

24 Canone 11. ait: *Qui involuntariam cædem fecit in undecim annis, abunde judicio ſatisfecit.* Homicidium omnino involuntarium fortaſſe neque apud Deum, neque in foro ſacramentali peccatum lethale erit gravi pœnitentia caſtigandum; forumque ſacramentale, licet exerceatur per modum judicii, non tamen verum judicium externum eſt, de quo Baſilius loquitur.

25 Canone 20. aſſerit, quod vir dimittat uxorem adulteram, uxor vero virum adulterum non dimittat. Hæc autem quæſtio, ſeu facultas ad forum externum attinet, nam in foro interno poteſt vir non dimittere uxorem adulteram, & ei condonare offenſam non ſolum ſepties, ſed ſeptuagiesſepties, ut ex auctoritate Evangelii reſcripſit Genuenſi Archiepiſcopo S. P. Innocentius III. & habetur *in cap. Quemadmodum* 25. §. *fin. de Jurejur.* Prædictum autem virum, qui uxorem adulteram non dimittat, mitiori pœna puniendum eſſe decernit, quam ſimplicis fornicationis reum. Hoc autem ſolum in foro externo verificari poteſt; in foro enim interno æquale peccatum eſt adulterium, omnibus æqualiter prohibitum, & tam a viro, quam uxore æqualiter ſatisfaciendum.

26 Ca-

26 Canone 27. Presbyteris per ignorantiam matrimonium contrahentibus ab actionibus miniſterii ſui prohibet, quod idem eſt, atque ſuſpendere eis interdicendo publicas, aut privatas benedictiones, aut ſacram Euchariſtiam impertire, aut alia ſacra facere. Presbyteri, ut dictum eſt, publicæ pœnitentiæ non ſubjiciebantur, & ſuſpenſio illa neque ſacramentalis pœnitentia eſt, neque ad publicam ſpectabat, ſed pœna erat criminis vindicativa.

27 Canone 34. *Adulterio pollutas mulieres, & confitentes ob pietatem*, (id eſt ſponte, ut explicat Balſamon) *vel quomodocumque convictas publicare quidam Patres probibuerunt, ne convictis cauſam mortis præbeamus. Eas autem ſtare ſine communione juſſerunt, donec impleretur tempus pœnitentiæ.* Ergo agit ibi de judicio fori externi, ubi ſolum convinci, vel ſponte confiteri dicebantur. Et tamen S. D. prædictas adulteras non adigebat publicam implere pœnitentiam, ne mortis cauſam præberet. Ergo ſaltem crimina, quæ capitali pœna punienda erant, publicæ non ſubjacebant pœnitentiæ. Si id conſtituebat Baſilius circa crimen in judicio probatum, quomodo cogeret occultos peccatores, & ſacramentale quærentes lavacrum, ad manifeſtanda publice peccata ſua, publicaſque pœnitentias ſubeundas?

28 Canone 37.inquit: *Qui poſtquam aliena ei ablata fuerat, uxorem duxit; in prima quidem adulterii accuſabitur, in ſecunda vero reus non agetur.* Omnia verba judicium publicum redolent, forumque externum. Quid enim aliud clauſulæ illæ *ablata ei, adulterii accuſabitur, reus non agetur*, niſi judicium fori externi aut ſonant, aut ſignificant? Similiter Canone 41. *Qui in viduitate babet ſui poteſtatem, & viro cohabitat, ab omni accuſatione eſt libera.* Accuſatio autem forum externum oſtendit, nam in foro ſacramentali delinquens non ab alio accuſatur, ſed ſe ipſum accuſat.

29 Canone 45. ait; *Siquis accepto nomine Chriſtianiſmi Chriſtum contumelia afficit, non eſt illi appellationis utilitas.* Appellatio fori externi eſt, non interni. Quis autem dixerit in foro ſacramentali nullum remedium, nullam appellationem illum vere quærenti? Id ſolum Novatiani aſſerebant, eorumque aſſeclæ aſſerere audebunt.

30 Canone 46. & 48. agit de muliere a viro dimiſſa ob adulterium, quam dicit ab alterius ſocietate excluſa juxta canonum diſpoſitionem. Hoc autem impedimentum adulterii ad ſecundas nuptias non pœnitentia eſt in foro ſacramenti imponenda, ſed pœna adulterii in foro externo ab antiquis canonibus eo tempore conſtituta.

31 Canone 51. ſic conſtituit: *Quod adverſus Clericos ſtatutum eſt, canones indefinite ediderunt, unum in iis, qui lapſi ſunt, ſupplicium decerni jubentes, a miniſterio ſcilicet amotionem, ſive ſint in gradu, ſive etiam in miniſterio, quod non impoſitis manibus datur, perſe-*

perſeverent. Nemo autem, ut credo, ſanæ mentis erit, qui aſſerat in foro ſecreto pœnitentiæ apponi aut potuiſſe, aut conſueviſſe perpetuam ab ordinibus, eorumque exercitio amotionem. Potuiſſet equidem Confeſſor pœnitentem monere ſuſpenſionis jam contractæ, ipſoque jure in crimen ſuum decretæ; ipſa tamen depoſitio, quæ pœna criminis erat a canone ſtatuta, non poterat dici pœnitentia ſatiſfactoria in ſacramento impoſita, ac pœnitenti injuncta ad ſpiritualem animæ medicinam.

32 In Canone 53. & 54. loquitur per verba accuſationis in judicio ab aliis faciendæ, & de pœnis arbitrio Prælatorum imponendis, quæ ſane forum externum aperte demonſtrant. In Canone 55. loquitur de pœna depoſitionis Clerico imponenda, quæ, ut jam monuimus, ad externum, non vero ad internum forum attinere dignoſcitur.

33 In Canone 56. & tribus ſequentibus tempora pœnitentiæ publicæ decernit, quæ, ut jam diximus, peccata vel publica, vel ſponte confeſſa reſpiciebat; ea tamen adeo ſevera, parumque idonea ad remedium peccati judicanda erat; ut Balſamon reſpectu duorum canonum poſteriorum ſic ſententiam ſuam pronuntiaret. „ Etiamſi quæ præ„ ſentibus duobus canonibus decreta ſunt, quod ad dictionem attinet „ clariſſima, ſed tamen quod ad praxim attinet ſunt omnino difficil„ lima. Nemo enim ea, quæ illic continetur, ratione curatur, & ni„ ſi eſſet inenarrabilis clementis Dei miſericordia, omnis caro periiſſet. Cum autem hæc Balſamonis verba hanc nobis occaſionem præſtiterint, contineri non valeo, quin obiter exclamem, mihi nunquam perſuaſum fuiſſe ſanctiſſimos, doctiſſimosque Patres ea ſeveritate, eoque rigore præditos eſſe, Eccleſiamque veterem hunc rigoroſiſſimum habuiſſe morem, prout Rigoriſtæ nunc calumniantur, ut rigorem ſuum protegere, & ſimulare queant: neque enim eredere par eſt, quod illi Patres curare peccatores intenderent adeo diuturnis, ſeverisque pœnitentiis, ita ut per tot annos, qui in aliquod peccatum lapſus eſſet, in foro animæ ſic in vinculis publicæ pœnitentiæ ſine euchariſtica, aut chriſtiana communione, ſineque ſacramentali abſolutione detineretur; nam, ut aiunt, Sacerdos non abſolvebat, ſed ad Epiſcopos remittebat: Epiſcopus autem nonniſi poſt pœnitentiæ tempora impleta abſolvebat; id enim ſignificatur per manus impoſitionem, quæ, niſi finita pœnitentia, fieri conſueverat. Certe non in hoc imitarentur Pontificem ſupremum, ſemper in infirmitatibus noſtris compatientem; cognovit enim ipſe figmentum noſtrum, nobisque reliquit exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus. Nullius certe moræ patiens ipſe fuerat, quin ſtatim pœnitentes abſolveret, ac a peccatorum vinculis liberatos remitteret. Qui condonare juſſerat non ſolum ſepties, ſed ſeptuagiesſepties, Magdalenæ ſtatim remiſit peccata multa, Paralyticum ſtatim curavit, Lazarum illico reſuſcitavit, filium Cananeæ ab infirmitate liberavit, lepro-

leproſos ſtatim mundavit, Cananeæ ſtatim pepercit, Dimam ſtatim abſolvit, & Paradiſi promiſſione donavit. Innumera ſane nobis ſuppeditant ſacræ Scripturæ munimenta, ex quibus dilucide apparet, quam facile, quam breviter, quam miſericorditer Deus, qui dives in miſericordia pœnitentem, in quacumque hora ingemuerit, benigne recipiat, & a culpa abſolvat. Hæc breviter dixiſſe ſufficiat, ut concludam ſanctiſſimos illos Patres veteris Eccleſiæ non eas moras, easque graviſſimas, & longiſſimas pœnas inſtituiſſe ad forum internum, ſed ad forum externum, atque ad publicorum peccatorum punitionem; & ut plurimum reſpexiſſe pœnas, quæ cuilibet peccato reſpondere poſſent pro reatu pœnæ Deo debitæ, & ut peccatores in hoc mundo poſſibili modo pœnis in Purgatorio ſuſtinendis ſatisfacerent, faciliusque in cœleſtem patriam evolarent.

34 Neque inde fit conſequens, ut arguunt zelo pleni rigidiſſimi Novatores, Eccleſiam veterem non reſpexiſſe forum internum. Reſpexit quidem, reſpicitque ſemper Jus Canonicum; ea enim inter illud, & Jus Civile eſt differentia, quod iſtud reſpicit, ut homines bonos cives efficiat; illud vero bonos faciat Chriſtianos; iſtud regimen politicum, illud vero bonum ſpirituale primario intendat. Atque idcirco ex pœnitentiæ ſic pro peccatis publicis impoſitæ directivæ erant, & inſtructivæ, ut Confeſſarii in foro interno ſcirent, quæ pœnitentiæ injungendæ eſſent, ſervatis prudentiæ, & charitatis regulis, habitoque moderamine juxta qualitatem, vires, ſtatumque perſonarum, & circumſtantias occurrentes, quas ipſi ponderare, & attendere debuiſſent. Quapropter in fine Decreti referuntur aliqui canones pœnitentiales, & eis hic titulus affigitur. „ Canones Pœnitentiales, quorum notitia „ viris Eccleſiaſticis eſt valde neceſſaria, ſunt enim quædam regulæ „ directivæ ad pœnitentias deliquentibus imponendas. Et poſtea in „ proœmio ſic habet: „ Conſiderandum eſt de Canonibus Pœniten- „ tialibus. Ad quorum intelligentiam prænotandum eſt, quod ſicut „ eſt in ſcientiis practicis, quæ verſantur circa opera, quod ſermo in „ univerſali eſt incertus, & dubius; ſed cum applicatur ad ſingularia, „ incipit quodammodo habere certitudinem, ut qui non conſiderat „ circumſtantias, particulares potius deviet, quam ſe rectificet, ut pa- „ tet in Medicina, & ſcientia Morali. Sic eſt intelligendum in pro- „ poſito, quod canones inſtruunt in generali, quomodo eſt pœni- „ tentia imponenda, ſed deſcenſum ad ſingularia Presbyteris diſcretis „ relinquunt, qui conſiderant circumſtantias perſonarum, attenden- „ tes ad canones, ſicut ad regulas directivas, &c. Et infra: Hæc ta- „ men pœnitentia non eſt omnibus imponenda, nec tamen eſt in- „ firmanda; ſed eſt inſinuanda, ut cognoſcatur quam gravis eſt cul- „ pa. Hæc Bonaventura &c. His ſic occaſionaliter dictis, redeamus ad canones Magni Baſilii.

35 Ca-

35 Canone 61. conſtituit, quod *qui furatus eſt, ſi ex ſe quidem pœnitentia motus ſe ipſum accuſaverit, anno a ſola communione ſacramentorum arcebitur,* (hæc pœna pars erat pœnitentiæ publicæ, non tamen ideo omnes, qui a ſola communione arcebantur, pœnitentiæ publicæ ſubjacebant, quæ ex aliis multis conſtabat) *ſin autem convictus fuerit, duobus annis tempus illi ad ſubſtrationem, & conſiſtentiam dividetur, & tunc communione dignus habeatur.* En loquitur de eo, qui ſponte ſe ipſum accuſat, & de eo, qui ab aliis accuſatus de crimine convincitur; quæ quidem, ut ſæpe notavimus, ſolummodo fori externi propria ſunt. Notatque optime prædictus Balſamon, quod ſi prædictus canon ſecundum iuris definitionem intelligatur, „ nullus forte eorum, qui in vita verſantur, ſacramentis, ut mihi videtur, communicabit. Rara ſiquidem avis erit in terra qui aliquo modo, aliquave arte rem alienam non retineat. Quod ipſe jam ſuo tempore cognoverat, nos de aliis omnibus occultis peccatis maiori jure aſſerere poterimus; omneſque fere homines tota vita ſua inter pœnitentes ſtetiſſent: quis enim erit, qui peccata occulta non habeat, qui multoties non cadat, cum etiam juſtus ſepties in die labatur? Maxima hominum eſt fragilitas, pronaque admodum ad malitiam humana natura. Quis erit hic, & laudabimus eum? Quis toto vitæ ſuæ tempore innocentiam cuſtodiet? Aliqui laudabuntur in civitate, ſed pauci. Non multi erunt, qui miniſtrent; non multi, qui intra templum orent; innumeri vero, qui ad fores defleant, qui ſubſtrati reſideant; replebuntur atria, imo & plateæ pœnitentibus, templa vero vacua erunt, ſi in foro pœnitentiæ ſacramentalis labentes non erigantur, non abſolvantur, nec pœnitentiis ſalutaribus occultis curentur, ac ad communionem ſacramentorum, ad divinorum aſſiſtentiam, ad aliorum fidelium ſocietatem non admittantur. Oh, quam rara erit ſacramentorum frequentia! Id exoptant Rigoriſtæ, id tamen, Deo dante, non aſſequentur.

36 Canone 69. & 70. agit Baſilius de ſuſpenſionis, & depoſitionis pœna pro qualitate delicti Lectoribus, Subdiaconis, Presbyteris imponenda pro fragilitatis culpa; quæ quidem pœna, ut ſæpe adnotavimus, ad forum externum, non ad internum attinet, neque pœna medicinalis, ſed vindicativa dici debet. Canone 71. & 72. loquitur per verbum *punio*, quod certe fori externi eſt. Canone 73. agit de Apoſtatis, quod quidam crimen regulariter publicum eſt, publiceque puniendum. Eos ſanctus Pater perpetua quidem excommunicatione uſque ad mortis tempus mulctat. Nemo autem neſcit, quod excommunicatio ſecundum ſacros Canones protendi non debet, niſi uſque ad reſipiſcentiam. Illa pœna Ancyranæ Synodo, & S. Petri Martyris conſtitutionibus videtur adverſari, in quibus hæc communionis tam

ſevera uſque ad ultimum vitæ tempus privatio non permittitur. Nullus, ut credo, erit, qui dicat hanc perpetuam communionis privationem in foro ſacramentali vere pœnitentibus imponi debuiſſe.

37 Canon 74. meo judicio magis favere videtur contrariæ ſententiæ aſſertoribus, qui cortici adhærent, nullatenusque medullam extrahunt. Inquit ſanctus Doctor ,, *Sin autem unuſquiſque eorum, qui in prædictis peccatis ſuere, confeſſus bonus evaſerit, & is, cui a Dei benignitate ligandi, & ſolvendi credita eſt poteſtas, fiat clementior, videns ſummam ejus, qui peccavit, confeſſionem, ad diminuendum pœnarum tempus, non erit dignus damnatione, cum hiſtoria Scripturarum ſignificet, quod qui cum maiori labore confitentur, Dei miſericordiam celeriter apprehendant*. Hunc Canonem interpretatur Balſamon, & ex eo citatus Francolinus, & ex his ego colligo, ibi agi de publica confeſſione, publicaque pœnitentia in foro externo impoſita. Non diffiteor Epiſcopis datam poteſtatem ligandi, atque ſolvendi, eosque poſſe etiam in foro externo publice confeſſos, & vere pœnitentes & a reatu culpæ, & a reatu pœnæ per injunctas pœnitentias abſolvere, & liberare, immo & ſecundum doloris ſigna, & cordis contritionem imminuere, vel augere pœnitentiam. Id ipſum poſſe Confeſſores in foro occulto, quibus etiam ligandi, & ſolvendi poteſtas credita eſt, nemo, ni fallor, in dubium revocare poterit. Hanc igitur poteſtatem declarat Baſilius in prædicto Canone, qui licet loquatur de foro externo, ad forum etiam internum adaptari debet.

38 Quod autem ſermo ſit de foro externo, & de pœnis publicis ad vindictam delicti, ex caſu a prædictis Auctoribus adducto manifeſtum fit. Referunt enim, quemdam Antiſtitem hoc Baſilii Canone ſuſfultum, militem involuntariæ cædis reum poſt modicum pœnitentiæ tempus datis literis abſolviſſe. Id ægre tuliſſe Imperatorem Emanuelem Commenum, ac voluiſſe eam cauſam in Synodo definiri, Synodum autem militem iterum pœnis canonicis ſubjeciſſe, atque Antiſtitem illum aliquantula ſuſpenſione puniviſſe; hacque occaſione ſuſcepta Imperatorem eumdem contra voluntarios homicidas novellam conſtitutionem edidiſſe, quam idem Balſamon ad literam refert in explicatione Canonis 8. & ex eo citatus Francolinus. Eam tranſcribere non eſt opus, ſufficit enim, quod ex ea conſtat, exponere, quatenus ad intentum noſtrum conducere poteſt. In ea, prout illorum temporum neceſſitas, fortaſſe annuentibus, & approbantibus Epiſcopis, patiebatur, eis legem dicit ſuper admittendis, puniendisve homicidis, qui ad Eccleſiam confugiunt, atque flagitium illud, quod commiſiſſe conſtat ad Eccleſiaſticas pœnas ſubeundas, ſponte confitentur. Igitur inter alia ſic conſtituit: ,, Quia autem plures homicidæ, qui cædem meditato, ,, & conſilio capto perpetrant, ad ſanctiſſimam Dei Eccleſiam poſtea

acce-

„ accedentes, ut facta eſt a ſe, ſeu ut ad ſuam facilitatem, eadem confitentur, jubet mea Imperialis ſublimitas, ut ſanctiſſimus hujus temporis Patriarcha ad regionis Antiſtitem, & qui ei ſubeſt Clerum, quin etiam ad regionis judicem cum pœna ſcribat, & quemadmodum factam eſſe cædem ex illius reſcripto intellexerit, ita eam quoque perſequatur, & non eum, qui capto conſilio cædem facit, propter falſam ſuam confeſſionem ad eaſdem pœnas, & eadem ſupplicia admittat, ad quæ, qui fortuito, & improviſo in tale aliquod crimen incidat.... Omnino autem curæ erit iis, qui ſunt in ſanctiſſima magna Eccleſia illorum judicibus, ut cum convenienti canonica ſeveritate crimina cædis puniant, & tempora non temere contrahant, nec pluſquam par ſit, in iis, quæ non decet ſe lenes, & clementes præſtent, &c.

39 Ex quo facto, atque Commeni novella Conſtitutione meridiano ſole clarius eluceſcit, tunc temporis id obſervari, ut alicujus criminis reus ad Eccleſiam confugere ſoleret, atque ibi ſcelus ſuum publice confiteretur, poſtularetque inter pœnitentes admitti, ut impleta pœnitentia, acceptiſque ab Epiſcopo literis, ex quibus id conſtaret, a pœna civili immunis redderetur. Planum igitur ſit, illas publicas pœnitentias, eoſque Canones prædictas pœnas ſtatuentas, etſi ad forum internum gubernandum dirigerent, ut omnes fere ſunt Canonicæ regulæ, attamen forum externum, atque publicas, non vero ſacramentales pro occultis peccatis confeſſiones, principaliter reſpicere conſueviſſe. Idque ex multis liquet. Nam primo pœnitentiæ occultæ, ſeu in foro occulto ſacramentali impoſitæ nullo umquam tempore a pœnis civilibus pro delicto debitis liberarunt. 2. Quia Imperator non potuit præſcribere regulam pro foro ſacramentali ex præcepto ſuo obſervandam. 3. Quia Imperator non poterat ſcire, quam culpam confeſſus fuiſſet pœnitens, quamve pœnitentiam impoſuiſſet Confeſſarius, ut ex hac cauſa contra Antiſtitem illum querellam apud Synodum inſtitueret. 4. Quia neque Synodus ipſa agere poſſet contra Antiſtitem pro eo, quod in foro occulto ſacramentali occulte actum fuerat, nec ſcire poſſet, quæ pœnitentia impoſita, vel quod peccatum clavibus Eccleſiæ ſubjectum fuiſſet. 5. Quia Antiſtes ipſe neque pro defenſione ſua poſſet in Synodo declarare peccatum in confeſſione detectum, aut pœnitentiam pro eo impoſitam. Ergo, ut dicebamus, canonem illum, cæteroſque ſimiles ad forum externum primario attinere certum eſt.

40 Miſſos facio alios Canones Baſilio attributos, tum quia dubium eſt, an Baſiliani ſint, an Baſilianis additi; quod quidem non immerito ſuſpicantur aliqui tum ob illorum contrarietatem circa pœnitentias, ac pœnitentiæ tempora, ut ſunt Canon 77. qui Canoni 58. Canon 38. qui Canoni 39. Canon 81. qui Canoni 73. Canon 82. qui

Canoni 64. Canon 83. qui Canonibus 65. & 72. nullatenus cohærent: tum quia multi illorum non pœnitentias continent, ſed admonitiones, vel morum doctrinas, vel reſponſiones ad dubia, quæ Amphilochius propoſuerat. Illud certum eſt, in nullo illorum Canonum inveniri præceptum imponendi pœnitentias publicas peccatis occultis, & ſacramentaliter confeſſis, nullum verbum aut docens, aut ſuadens, aut inſinuens teneri peccatores ad promerendam veniam peccata ſua occulta publice confiteri, neque poſſe a Confeſſariis abſolvi, niſi hanc publicam confeſſionem coram Eccleſia facere libenter amplecterentur: neque potuiſſe a Confeſſariis ad id adigi per abſolutionis denegationem. Id vero fieri non potuiſſe, neque id moris in Eccleſia aliquo umquam tempore viguiſſe poſtea ratione intrinſeca ineluctabili demonſtrabimus.

41 Percurramus nunc breviter S. Gregorii Niſſeni Canones Pœnitentiales. Priores duo reſpiciunt eos, qui vel Chriſti fidem negaſſe, vel ad Judaicorum, aut ad idolorum cultum, vel Manichæorum hæreſim, aut per accuſationem, aut per propriam, aut voluntariam confeſſionem deſciviſſe conſtaret. Ubi notandum eſt loqui S. Doctorem per verbum *punio*, quod non pœnitentiam medicinalem, ſed pœnam delicti clare ſonat, & rigoroſe ſignificat.

42 Canone 3. & 4. agit de præſtigiatoribus, vatibus, & ad dæmonum ſocietatem ſe convertentibus; ibique ait examinandos, interrogandosque eſſe, quo animo, qua de cauſa in tale crimen lapſi ſint, ut ſecundum qualitatem culpæ puniendi, & curandi ſint; quod quidem ad forum externum reſpicit, licet ad curationem animæ etiam tendat, ut & hodie in ſancto Fidei Tribunali frequenter experimur: alias diceremus omnes pœnas in jure Canonico ſtatutas contra maleficos, divinos, ſagas, &c. eſſe pœnitentias Canonicas in foro ſacramentali injungendas, atque ad eum forum Jus Canonicum in iis imponendis primario reſpexiſſe; quod quidem nulli Doctorum huc uſque in mentem venit.

43 Canone 6. de malitia differit luxuriæ; diſtinguitque illud vitium in ſimplex, & qualificatum, ac utrique Canone 7. 8. & 9. pro cujuslibet gravitate pœnitentias conſtituit. Et dicto Canone 6. agit de differentia, quæ habenda eſt in puniendis, curandisve pœnitentibus, atque ſic ait: „ Eſt autem quædam differentia in ratione pœnitentiæ „ in iis, qui in hujusmodi voluptatibus peccarunt. Qui enim ex ſe „ ipſo ad ſua manifeſtanda peccata impulſus eſt, eo quod ſua ſponte „ occultorum accuſator eſſe voluerit, ut qui jam morbo medicinam „ adhibere cœperit, & ſignum mutationis in id, quod eſt melius, oſtenderit, in mitioribus pœnis verſatur. Qui autem in malo deprehenſus eſt, vel propter aliquam ſuſpicionem, vel accuſationem non „ ſpontaneam convictus eſt, longius illi curationis tempus datur, ut

ipſe

„ ipſe perfecte purgatus ſic ad ſacramentorum communionem admittatur. En duplex habemus noſtræ ſententiæ fundamentum. Primum, quod confeſſio publica ſolebat eſſe ſpontanea, non vero coacta, aut ex præcepto legis, aut ex imperio Antiſtitis, vel Pœnitentiarii, aut ex denegatione abſolutionis a Confeſſario facta. Secundum, quod ibi agatur de foro externo, licet in ordine ad internum, quia accuſatio, & convictio ſolum in hoc foro locum habere poterat.

44 Notandum vero eſt quod ait Canone 8. vere pio, vere charitate pleno, non vero ea ſeveritate, quam nobis Novatores rigidi frequenter perſuadent. „ Iis autem, (inquit) qui diligentia in converſio- „ ne uſi fuerint, & vita oſtenderint ſe eſſe emendatos, poteſt is, qui „ præeſt, pro Eccleſiaſticæ œconomiæ utilitate tempus auditionis „ contrahere, & celerius communionem reddere, prout ſua proba- „ tione, ejus, qui curatur, ſtatum eſſe judicabit. Quemadmodum „ enim porcis margaritas projicere eſt vetitum, ita & pretioſa mar- „ garita privare eum, qui jam per alienationem a vitio, & purga- „ tionem homo factus, abſurdum eſt. Unde fit, illas publicas pœnitentias, quas nobis iſti eccleſiaſticæ diſciplinæ ſcriptores adeo exagerant, adeo commendant, non rigoroſe, ſed ſecundum prudens Antiſtitis, vel Pœnitentiarii judicium obſervari conſueviſſe. *Abſurdum* ſiquidem, abſurdiſſimumque eſſet, ut Rigoriſtæ intendunt, per multa tempora abſolutione, pretioſiſſima ſacræ Euchariſtiæ margarita privare eum, quem dolor peccati, & emendatio vitæ illius ſalutaris antidoti dignum effecit. Si autem hoc in foro externo, ubi etiam de pœna peccato debita agebatur, obſervandum erat; cur in foro interno, quod Confeſſarii arbitrio, & prudentiæ relinquitur, ita ille crudelis erit, quod pœnitenti ſigna doloris oſtendenti abſolutionis remedium fructuoſiſſimum ſuæ infirmitatis levamen, contraque diabolicas incurſiones ſcutum impenetrabile deneget, immo eum cogit, fortaſſe ut a ſacramento avertat, ad publicam confeſſionem, ad publicamque pœnitentiam ſuſcipiendam?

45 Certocertius non Medici eſſent Confeſſarii iſti, ſed crudeliſſimi homicidæ, eiſque adaptari poſſet quod de prohibentibus, vel denegantibus ſacram Euchariſtiam lapſis, qui cum fidei hoſtibus, ſævientibusque tyrannis præliaturi erant, conſtituit Conciliū Carthaginenſe primum per hæc verba: „ Ut quos excitamus, & exhortamus ad præ- „ lium, non inermes, & nudos relinquamus: ſed protectione ſan- „ guinis, & corporis Chriſti muniamus: & cum ad hoc fiat Eucha- „ riſtia, ut poſſit accipientibus eſſe tutela; quos tutos eſſe contra ad- „ verſarium volumus, munimento Dominicæ ſaturitatis armemus. Et paulo infra opportune quidem ad peccata occulta, & forte interna, ut ſunt cogitationum peccata: „ Si autem, quod Dominus avertat a

fratri-

„ fratribus noſtris, aliquis lapſorum fefellerit, ut pacem ſubdole petat, & impendentis prælii tempore communicationem non præliaturus accipiat; ſe ipſum fallit, & decipit, qui aliud corde occultat, & aliud voce pronunciat. Nos in quantum nobis & videre, & judicare conceditur, faciem ſingulorum videmus, cor ſcrutari, & mentem percipere non poſſumus. De his judicat occultorum ſcrutator, & cognitor cito venturus, & de arcanis cordis, atque abditis judicaturus: & mens deficit, quam non recepta Euchariſtia erigit, & accendit. . . . . Ne igitur ore noſtro, quo pacem negamus, quod duritiam magis humanæ crudelitatis, quam divinæ, & paternæ pietatis dulcedinem opponimus, oves nobis commiſſæ a Domino repoſcantur. . . . Quod ſi de collegis noſtris aliquis extiterit, qui urgente certamine pacem fratribus, & ſororibus non putet dandam, reddet ille rationem in die judicii Domino vel importunæ cenſuræ, vel inhumanæ duritiæ ſuæ. Oh, quantæ inhumanitates in miſeros pœnitentes a noſtris Rigoriſtis exercitæ, ac zelo virtutis palliatæ in illa magna die videbuntur! Oh quanti ſævientes, qui illuminati nunc ab hominibus videri volunt, tunc ſeveriſſime judicabuntur! An imbecilior eſt pugna cum occulto hoſte, qui animam aggreditur, quàm cum aperto tyranno, qui in corpus ſævit, in animam vero jus non habet? Illa certe fortior, illa vehementior, illa periculoſior, cuique abſque adjuvante gratia, atque potente manu Dei reſiſtere non valemus. Sic Dominus docuit: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt perdere in gehennam.* Credendum igitur non eſt Eccleſiam ſemper piam, ſemper benignam, ſemperque clementiſſimam Matrem ſic in fideles ſæviiſſe, ſic duritia quadam in filios adnimavertiſſe, ſic eos inermes, ſic indigentes, ſic neceſſariis auxiliis, & munimentis deſtitutos contra inviſibilium poteſtatum frequentiſſimos incurſus reliquiſſe, ut per decem, quindecim, viginti, trigintave annorum ſpatia abſolutione, communioneque privaret, & petentibus veniam non indulgeret. Præceptor ſummus, legiſlatorque ſupremus Prælatis, omnibuſque nobis reliquit exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus: &, ut ait eximius Granatenſis, (13) *Chriſtus ea, quæ ab aliis obſervanda inſtituit, ipſe primitus obſervavit.* Ipſe nunquam remedium diſtulit pœnitentibus: cæco ſtatim viſum, muto loquellam, paralytico ſanitatem, ac mortuo vitam reſtituit: non mora aliqua intercesſit inter detectam infirmitatem, adhibitamque medellam. Peccatores in languentibus illis deſignabantur; accedenteſque ad pedes ſanctiſſimi Sacerdotis veniam ſine dilatione promerebantur. Quod aliud diſcipuli ejus exemplum ſequi debuerunt, niſi ut contritos corde ſtatim abſolverent, non vero abſolutionis remedium per multa tempora differrent? Crederemus ſanctiſſimos Apoſtolos, Pontifices, Patreſque ab

(13) In D. Thom. tom. 3. q. 81. art. 1.

ab hoc ſui Magiſtri exemplo deviaſſe ? Abſit. Ergo illæ pœnitentiæ publicæ, illæ temporis intercapedines, illæ communionis dilationes, pœnitentiæ erant fori externi pro vindicta criminis, & pro reatu pœnæ temporalis debitæ pro publicis delictis, in quæ Eccleſia adnimavertere debuerat, non verò ſatisfactiones ſacramentales pro foro interno, occultiſque delictis neceſſario, atque ex ineluctabili Eccleſiæ præcepto imponendæ. Ergo falluntur hi antiquitatum effoſſores, qui hanc veteris Eccleſiæ conſuetudinem pro arbitrio ſuo aut ſomniant, aut divinant, ut eo colore pernicioſiſſimas novitates ſub reformationis prætextu introducant.

46 Ut clarius id pateſcat, ad reliquos pœnitentiales canones redeamus. Poſt canonem 9. explicat Niſſenus alia crimina, quæ ex ira fiunt, de quibus Patres nihil diſpoſuerunt; aſſerit enim ſolis cædibus pœnas ſtatuiſſe. Deinde Canone 10. 11. & 12. explicat tempora pœnitentiæ publicæ, ejuſque gradus, qui obſervari debuerunt in curatione homicidii voluntarii, differentiamque conſtituit inter homicidia voluntaria, & involuntaria. Canone vero 13. poſtquam dixerat cædis involuntariæ pœnitentiam eamdem eſſe, ac ſimplicis fornicationis, hæc addit verba benignitatis plena: *In iis quoque pœnitentiis voluntate examinata, ut ſi ſit fide quidem digna converſio, non ſervetur annorum numerus, ſed temporis prolixitate reſecata ad Eccleſiæ reſtitutionem, & boni participationem compendio deducatur.* En vera pœnitentiæ imponendæ regula. Huc tendebat illa prima facie ſeveriſſima Eccleſiæ diſciplina. Omnis ille rigor benigniſſima charitate temperabatur. Sic peccata vel publica, vel ſpontanea confeſſione publice detecta Eccleſia puniebat, ut ſimul curaret. Sic delicta vindicabat, ut inſimul pœnitentes Deo lucrifaceret. Una manu flagellabat ad terrorem, altera amplectebatur ad emendationem. Videbatur eſſe noverca dum puniret, revera tamen Mater erat dum foveret. Quos peccatores viderat e ſinu projiciebat, ut corriperet; correptos tamen in amplexum mitiſſime revocabat. Reſtringebantur frequenter temporis intervala, quia dilatabantur ſpatia charitatis. Oh quantum hanc Eccleſiæ benigniſſimam ſeveritatem imitatur noſtrum, & vere noſtrum Fidei Tribunal! Sic punit, ut parcat: ita gladio ferit, ut oleo ungat: ſic minatur, ut foveat: ſic rejicit, ut reducat. Hæc ſanctiſſimi Tribunalis, hæc antiquorum Patrum in foro externo diſciplina, ut aberrantes oves ad paſcua ſalubria revocaret. Aditus Eccleſiæ videbantur ad tempus intercludere, ut felicius, & ſecurius reſerarent. In foro tamen ſacramentali omnia arbitrio ſacerdotis relinquebant, ut charitate ante oculos habita, non tam delictis, quam pœnitentis animo, & contritioni pœnitentiam commenſurarent. Aſt, proh dolor! quam diverſa Confeſſorum praxis nunc plorabatur! Quam aliena prorſus a vera charitate! Obtendebatur

batur antiqua Eccleſiæ ſeveritas, ſed revera exercebatur rigidiſſima crudelitas. Pandebantur peccata ſecreto cognita, non ut emendarentur, ſed ut punirentur; non ut curarentur pœnitentes, ſed ut infamarentur. Non pœnitentiis ſalutaribus occulte corrigebantur, ſed externis ſupplicis caſtigabantur. Deum offenſum ulciſci fingebant, ſed occultam averſionem vindicabant. Peccata vitare zeli pallio prætexebant, ſed multis aliis, & gravioribus viam aperiebant. Non ad paſcua adducebant errantes, ſed a ſacramentis arcebant. Charitatem obtrudere videbantur, ſed charitatis leges omnino deſpicere convincebantur. Et tamen nobis antiquam Eccleſiæ diſciplinam ſuſcitatam ſatagebant. Quantum vero ſua praxis ab antiquo Eccleſiæ more diſtaret, ipſi Gregorii Niſſeni Canones ſat evincunt.

47 Poſt Canonem 14. pergit S. Doctor oſtendens peccatis avaritiæ medendis nullum a Patribus remedium conſtitutum inveniri. Ergo non omnia peccata, ut Morinus, Juenin, Avermans, & alii ſimiles probare contendunt, publicis pœnitentiis ſubjacebant. Ergo multo minus occulta, & Eccleſiæ ignota peccata; de occultis enim non Eccleſia, ſed ſolus Deus judicat; ut enim ait S. P. Alexander Epiſtola 1. ad univerſos Orthodoxos: *Non poſſet humano condemnari examine, quem Deus ſuo reſervavit judicio, ſi omnia namque in hoc ſæculo vindicata eſſent, locum divina non haberent judicia.* Talia ſunt peccata ſacramentaliter confeſſa, quæ Dei judicio procul dubio reſervantur, nec alicui aliquo prætextu ſunt revelanda.

48 Canone 15. furtum dividit S. Doctor, illudque, quod cum homicidio conjungitur homicidii pœnitentia, ſi ad Eccleſiam homicida converſus fuerit, aſſerit emendandum: ſi vero alieni ablatio tantum fuerit, huic nullam pœnitentiam canonicam imponit: & iterum diſtinguit; vel enim latro bona habet, vel non. Si primum, ſic ait canone 16. *Qui autem latenti ablatione ſibi alienum uſurpat, per enuntiationem peccatum ſuum Sacerdoti aperuerit* (non dicit populo, aut Eccleſiæ, ſed Sacerdoti) *vitii ſtudio in contrarium mutato ægritudinem curabit videlicet largiendo quæ habet pauperibus*, (quod intellige, ſi non ſit verus dominus, cui reſtituat) *ut dum quæ habet profundit, ſe ab avaritiæ morbo liberum aperte oſtendat. Sin autem* (pergit canone 17.) *nihil aliud præterquam ſolum corpus habeat, jubet Apoſtolus per laborem corporalem ei morbo mederi, dicens: Qui furatur, non amplius furetur, ſed potius laboret, ut poſſit ei largiri, qui indiget.* En latrociniis nulla impoſita publica pœnitentia. En hoc peccatum Sacerdoti in confeſſione detectum non publicæ pœnitentiæ obnoxium, ſed contrariis remediis currandum. Hæc quidem medicinæ ſpiritualis ars eſt ſemper edocenda, quam Chriſtus Dominus exercendam erudivit, dicente Gregorio: *Sicut arte medicinæ frigida*

gida calidis, calida frigidis curantur: ita Dominus, ac Redemptor noſter contraria oppoſuit medicamenta peccatis. Non juſſit publicare, ſed curare: non coegit ad manifeſtationem, ſed invitavit ad contritionem: non tradidit ad ſupplicium, ſed conciliavit ad veniam. Hæc fuit ſupremi Paſtoris doctrina, hæc Eccleſiæ praxis, hoc Patrum documentum in foro interno ad curandas animas ſemper retinendum, a quo deviare nec poſſumus, nec debemus. Publica peccata publica pœnitentia, publica vindicta publica ſatisfactione urgenda ſunt; occulta vero congruis, ſed occultis pœnitentis emendanda.

49 Canone 18. agit de ſepulchrorum effoſſoribus, & ſecundum delicti gravitatem (ſcilicet publici) pœnam imponendam eſſe dicit, in foro ſcilicet pœnitentiali externo, id enim ſonant verba: *In eodem judicio condemnatum eſt.* Sed ita pœnam ad rationem medicinæ reducit, (qualis eſt fori Eccleſiaſtici præcipuus ſcopus) ut moneat, conſiderare debere œconomum, ſeu diſpenſatorem pœnæ, *ex ipſa vita ejus, qui curandus eſt, quæ medicina ſit adhibenda, ut ſpatium a canonibus præſtitutum poſſit contrahere.*

50 Canone 19. agit de ſacrilegio, aitque diverſimode puniri ab Eccleſia, quam in lege veteri ſolitum fuiſſet vindicari. In lege enim veteri lapidarionis ſupplicio caſtigabatur; quæ quidem pœna erat, non pœnitentia; punitio erat, non curatio: in foro verò Eccleſiæ: „ De pœ-
„ næ gravitate neſcio quomodo aliquid detractum, & eo lenitatis
„ deſcenſum eſt, ut illius morbi exiſtimaretur tolerabilius piaculum.
„ In minori enim tempore, quàm adulterium, a Patrum traditione
„ pœnam ſuſceperunt. Unde ſicut lapidatio in lege veteri pœna erat fori externi in ſacrilegos exercenda; ita in lege, ſeu traditione Eccleſiaſtica mitiori pœna (ſed tamen pœna) ſacrilegium caſtigandum fuerat. Neque S. Doctor de foro interno loqui dicendus eſt, cui neque in mentem venire potuit, quod in pœnitentiæ ſacramento adminiſtrando lapidationis pœna ſacrilegis pœnitentibus injungenda eſſet.

51 Quia tamen ſic pœnæ Eccleſiaſticæ, etiam fori externi, animæ curationem reſpiciebant, ideo Nyſſenus canone 20. & ultimo ſic concludit: „ Utique autem hoc in ſupplicii genere ante omnia viden-
„ dum eſt, qualis ſit ejus, qui curatur, affectio, & non exiſtimare
„ tempus ad curationem, & remedium ſufficere, (quæ enim fuerit
„ ex tempore medicina?) ſed ejus, qui convertitur, & curatur, ani-
„ mum, & inſtitutum. Hic certe canon dictis, dicendiſque maximam lucem affert; nam ſimul oſtendit, quæ fuerit delictorum pœna aut verbo aut ſcripto tradita, qua crimina caſtigarentur; inſimulque regula eſt, (id enim nomen canonis importat) qua dirigantur Confeſſores in foro pœnitentiæ, ut ſcientes, quæ unicuique peccato pœna correſpondeat, ſic pœnitentiam injungant, ut nihil aliud præ occulis habeant,

beant, quam pœnitentis emendationem; ita ut vel gravem, vel mitem medicinam vulneribus applicent peccatorum, quæ medelam, & levamen afferant, non verò in deterius exaſperent; ideoque rigorem canonum juxta pœnitentis diſpoſitionem ſtudeant temperare.

52 Iſti ſunt Græcorum Patrum, quos ſcriptos invenio, pœnitentiæ canones, in quibus, ut legenti patebit, nec veſtigium, ut initio dixeram, reperitur illius moris, quem nobis perſuadere cupiunt rigidiſſimi Novatores; nempe, in illis primis Eccleſiæ ſæculis eccleſiaſticæ conſuetudinis fuiſſe ad Epiſcopos referre peccata confeſſa, vel ad pœnitentias publicas, aut publicas confeſſiones coram populo adigere pœnitentes; id enim non eſſet curare, ſed exarcebare vulnera; non allicere, ſed abjicere peccatores; non ad contritionem movere, ſed innumeris ſacrilegiis, odioque ſacramenti habenas laxare: quod quam a maternis Eccleſiæ viſceribus alienum ſit, nemo Catholicus non videt, nemo Orthodoxus non profitetur. Ad quid ergo hi eccleſiaſticæ antiquæ diſciplinæ ſcriptores, has, quas maxime extollunt, veteres conſuetudines, ac primævum rigorem ſuſcitare deſiderant? Certe ut ſub hoc colore, pulchre quidem, ac ad decipiendum aptiſſime, hos errores intermiſceant, & incaute legentes ad hanc praxim introducendam in religionis, & ſacramenti perniciem inducantur. Cavendi igitur maxime ſunt Novatores iſti: non dico, quod non legantur, immo ad eruditionem plurimum laudo, eorum ſcilicet, qui legere ſciant, non adulterare. Caveantur tamen, nedum ejus flores ad antiquitatis notitiam avidiſſime libamus, earum illicio ineſcati, latenti, mortiferoque veneno inficiemur.

53 Nunc vero, ut nullus lapis immotus maneat, videamus, an antiquorum Pontificum Epiſtolæ, an Decreta, an aliorum Patrum ſententiæ prædicto aſſerto mori nunc iterum, ut deſiderant, introducendo, quoquo modo faveant, vel leviſſime. Eorum epiſtolas aliquando in Collectoribus, Dionyſio ſcilicet exiguo, Iſidoro Mercatore, Buchardo, Ivone, & Gratiano evolveram, nec quid ſimile in eis inveniſſe recordabar. Iterum in Conciliorum collectionibus perluſtravi, nec ſimilem morem nactus ſum quandoque in Eccleſia viguiſſe. Pœnitentias publicas reperio pro publicis delictis; pro occultis non reperio. Confeſſiones publicas ex devotione, ex fervore pœnitentiæ, ex reconciliationis amore, & forte civilium pœnarum metu factas, immo & laudatas, comperio; quarum quidem exempla in confeſſionibus generalibus, quæ abſolutionem Epiſcopalem ad indulgentias impertiendas, vel ſacræ Euchariſtiæ ſumptionem, aut ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium præcedere ſolent, ac in Eccleſia laudabiliter perſeverant: confeſſionis verò publicæ præceptum a Confeſſariis imponendum, aut a ſacris canonibus impoſitum non comminiſcor.

54 Et

54 Et ut incipiamus a Clemente I. qui ad finem primi ſæculi Pontificatum tenuit: ipſe in Epiſtola 1. ad Jacobum fratrem Domini, referens ſancti Pontificis Apoſtolorum Principis, Petri ſcilicet, verba, quæ inſtantibus ultimis vitæ diebus in auribus totius Eccleſiæ protulerat, hæc circa pœnitentiam ſic ſcribit: „ Quod ſi forte alicujus cor, „ vel livor, vel infidelitas, vel aliquod malum ex his, quæ ſuperius „ memoravimus, latenter irrepſerit, non erubeſcat, qui animæ ſuæ „ curam gerit, confiteri hæc huic, qui præeſt, ut ab ipſo per verbum „ Dei, & ſalubre conſilium curetur, quo poſſit integra fide, & operibus bonis pœnas æterni ignis effugere, & ad perpetuæ vitæ præ„ mia pervenire. En doctrina a fidei Magiſtro verbo tradita; confeſſio nempe Sacerdoti puro corde facta, qui ſanis documentis, conſiliiſque bonis ægrotanti peccatori ſalubrem adhibeat medicinam; quæ tota in fide recta, & operibus bonis conſiſtere debet; non verò in eo, quod in conſpectu totius Eccleſiæ ſuas culpas manifeſtet, publicasve coram univerſo populo ſubire teneatur pœnitentias, quæ ſi quibusdam ædificationi, aliis ſcandalo, & infamiæ eſſe poſſunt.

55 Poſtea ſic proſequitur: „ Cum ex confuſione peccatorum, „ & rejectione criminum, velut male congregati in viſceribus fellis, „ jactura facienda eſt, & abjicienda prorſus ex corde omnis intrinſe„ cus, quæ latet, amaritudo peccati, ſiqua forte ex deſideriis iniquis, „ velut ex cibis noxiis, congregata eſt. Quam utique cum evomuerit „ quis, & abjecerit, ingentis ægritudinis liberabitur morbo; ſi tamen „ poſt vomitum, quæ ad ſanitatem pertinet, ſumat. Hic iterum confeſſionem Sacerdoti tamquam medico inſinuat faciendam, cui cura incumbit opportuna remedia conſulendi. Et poſtea §. *Sed & nunc* ex ore Petri ſic ait: „ *Pœnitemini, inquit, & veram agite pœnitentiam.* In quo autem conſiſtat hæc pœnitentia, quam commendabat, non exprimit in prædicta epiſtola; docet tamen in epiſtola 2. per hæc verba: „ Ideoque tam juvenes, quam ſenes de his, & de omni converſatio„ ne, & pœnitentia valde eſſe ſolicitos oportet, ſatisque agere, ut „ hæc condigne agant; & de reliquo ornent tam Clerici, quam ſæcu„ lares animas ſuas ornamentis digniſſimis, dogmatibus ſcilicet veri„ tatis, decore pudicitiæ, ſplendore juſtitiæ, candore pietatis, aliiſ„ que omnibus, quibus comptam decet rationabilem animam. Tum „ præterea declinare a conſortiis inhoneſtis, & infidelibus, & ſocie„ tates habere fideles, atque illos frequentare conventus, in quibus „ de pudicitia, de juſtitia, de pietate tractatur. Orare ſemper Deum „ ex toto corde, & ab ipſo petere quæ decet, iiſ ſi gratias agere, ve„ ram pœnitudinem gerere præteritorum geſtorum: aliquantulum „ etiam, ſi poſſibile eſt, per miſericordias pauperum juvare pœniten„ tiam. Per hæc enim facilior venia dabitur, & indulgenti citius indulge-

„ dulgebitur. . . . . Supereſt ergo ei in agnitione veritatis, & miſericordiæ operibus exerceri, ut afferat fructus dignos pœnitentiæ. „ Nec putet, quia in temporis longitudine documentum converſionis oſtenditur, & non in devotione, ac propoſiti firmitate; Deo „ enim manifeſtæ ſunt mentes, quia non temporum rationem colligit, ſed animorum. Ipſe enim probat, ſiquis agnita veritatis prædicatione non diſtulit, neque tempus negligendo conſumpſit. Sed „ ſtatim, & (ſi dici poteſt) eodem momento præterita perhorreſcens, futurorum deſiderium cepit, & in amorem regni cœleſtis „ exarſit. Quibus quidem verbis a Principe Apoſtolorum prolatis, teſte Clemente, nihil loculentius ſcribi poterat ad convincendum aliquorum Rigoriſtarum morem, qui multa probationis tempora ad concedendam abſolutionem ſacramentalem prærequirunt.

56 Deinde evolvo epiſtolas Decretales Anacleti, Evariſti, Alexandri I. Teleſphori, Hygini, Pii I. Aniceti, Soteris, Eleutherii, & Victoris, qui ſecundi ſæculi fuere Pontifices. Zephyrini, Calliſti I. Urbani I. Pontiani, Anteri, Fabiani, Cornelii, Lucii, Stephani, Xyſti II. Dionyſii, Felicis I. Eutychiani, Caii, & Marcellini, qui ſæculo tertio ad Pontificatus apicem evecti ſunt. Euſebii, Melchiadis, Julii I. Liberii, Felicis II. Damaſi I. Siricii, & Anaſtaſii I. qui quarto ſæculo floruerunt. Innocentii I. Zozimi, Bonifacii, Celeſtini I. Xyſti III. Leonis I. Hilarii, Simplicii, Felicis III. Gelaſii I. Anaſtaſii II. & Simachi, qui ſæculo quinto Petri Cathedram occuparunt; in nullo tamen horum omnium prædictum morem, aut præceptum, aut approbatum, aut diſſimulatum invenio. Superſedeo aliorum ſæculorum Pontificias conſtitutiones recenſere; nam illum morem in illis primis ſæculis obſervatum referunt, qui diſciplinæ eccleſiaſticæ illorum temporum eum attribuere non addubitant; & quia poſt Leonem I. ille abuſus in aliquibus Diœceſibus introductus omnino prohibitus, & damnatus reperitur.

57 Quomodo igitur dicendum eſt, antiquam Eccleſiam has publicas pœnitentias pro omnibus peccatis, etiam occultis, ſtatuiſſe, & obſervaſſe, coactoſque fuiſſe fideles ſua peccata publice confiteri, ac publicas ſubire pœnitentias, aliterque abſolvi non potuiſſe, quin inter tot Pontifices aliqua inveniatur epiſtola Decretalis, quæ id inſinuet, aut approbet, aut decernat? Rariſſime etiam publicas multorum annorum pœnitentias commemorant, id tamen pro certis, & determinatis delictis, atque in foro externo ad punitionem.

58 Calliſtus in Epiſtola ad omnes Galliarum Epiſcopos contra conſpiratores ſic decernit cap. I. „ Anteceſſores vero noſtri cum plu„ rima turba Epiſcoporum, quicumque eorum (*ſcilicet conſpirato„ rum*) in ſacerdotali honore ſunt poſiti, aut exiſtunt Clerici, hono„ re,

„ re, quo utuntur, cadere præceperunt; cæteros vero communione „ privari, & ab Eccleſia extorres fieri juſſerunt, omneſque ſimul „ utriuſque ordinis viros infames eſſe cenſuerunt, & non ſolum fa„ cientes, ſed & conſentientes. Juſtum eſt enim, ut qui divina con„ temnunt mandata, & inobedientes Patrum exiſtunt juſſionibus, „ ſeverioribus corrigantur vindictis, quatenus cæteri talia commit„ tere timeant, & Deus gaudeat fraterna concordia, & cuncti ſu„ mant ſeveritatis, atque bonitatis exemplum &c. Perſpicuum fit agere de publica vindicta in foro externo pro publico conſpirationis crimine, non vero de ſatisfactione ſacramentali pro occulto peccato; pro hoc enim neque excommunicatio incurritur, neque publica infamia, neque ſimilis pœnitentia in foro ſacramenti injungi poteſt.

59 Poſtea cap. 6. agit de lapſis, qui propter publicum peccatum publicam agunt pœnitentiam; nam qui in aliquod occultum peccatum labuntur, non ideo ſuſpenſione mulctantur, aut ab honore ſuo arcentur; hæ enim pœnæ ſunt vindicativæ delicti, non verò pœnitentiæ medicinales ſatisfactoriæ. Digniſſima tamen ejus verba ſunt, ut referantur, rigoriſmum ſiquidem a Janſeniſtis, noſtris hiſce temporibus introductum, optime convincunt, ac reprehendunt: „ Er„ rant qui putant, Domini Sacerdotes poſt lapſum, ſi condignam ege„ rint pœnitentiam, Domino miniſtrare non poſſe, & ſuis honori„ bus frui, ſi bonam deinceps vitam duxerint, & ſuum ſacerdotium „ condigne cuſtodierint. Et ipſi, qui hoc putant, non ſolum errant, „ ſed etiam contra traditas Eccleſiæ claves diſputant, & agere viden„ tur, de quibus dictum eſt: *Quæcumque ſolveritis in terra, erunt* „ *ſoluta & in cælo.* (14) Alioquin hæc ſententia aut Domini „ non eſt, aut vera eſt. Nos vero indubitanter, tam Domini Sacer„ dotes, quam reliquos fideles poſt dignam ſatisfactionem poſſe re„ dire ad honores credimus, teſtante Domino per Prophetam: *Num-* „ *quid qui cadet non adjiciet, ut reſurgat? Et qui averſus eſt, non* „ *revertetur?* Et alibi: *Nolo*, inquit Dominus, *mortem peccato-* „ *ris, ſed ut convertatur, & vivat.* Et Propheta David pœni„ tentiam agens dixit: *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu* „ *principali confirma me.* Ipſe namque poſt pœnitentiam & alios „ docuit, & ſacrificium Deo obtulit, dans exemplum Doctoribus „ ſanctæ Eccleſiæ, ſi lapſi fuerint, & condignam pœnitentiam Deo „ geſſerint, utrumque facere poſſe. Docuit enim, quando dixit: „ *Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur.* Et ſacri„ ficium pro ſe obtulit, dum dicebat: *Sacrificium Deo ſpiritus con-* „ *tribulatus.* Videns enim Propheta ſcelera ſua mundata per pœni„ tentiam, non dubitavit, prædicando, & Domino libando, cura„ re aliena. Lacrymarum ergo effuſio movet animi paſſionem. Satis-

„ factio-

(14) Math. 18.

Jerem. 8.

Ezech. 18, & 33.

Pſalm. 50.

,, factione autem impleta, avertitur animus ab ira. Qui enim non
,, ignoſcit alteri, quomodo ſibi putat ſubveniri? Superabundant er-
,, go peccata, ſuperabundet & miſericordia: *Quoniam apud Domi-*
(15) Pſalm. 125 ,, *num miſericordia, & copioſa apud eum redemptio.* (15) Penes
,, Dominum omnium abundantia eſt, quia *Dominus virtutum ipſe*
(16) Pſalm. 23. ,, *eſt Rex gloriæ.* (16) Ait enim Apoſtolus: *Omnes peccave-*
,, *runt, & egent gloria Dei*: (17) juſtificati gratis per gratiam
(17) Ad Rom. 3. & 4. ,, ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, quem propoſuit
,, Deus propitiatorem, per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem juſ-
,, titiæ ſuæ, propter remiſſionem præcedentium delictorum, in ſuſten-
,, tatione Dei, ad oſtenſionem juſtitiæ ejus in hoc tempore: ut ſit ipſe
juſtus, & juſtificans eum, qui ex fide eſt Jeſu Chriſti. David enim di-
cit: *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & tecta ſunt peccata.*
,, Mundatur ergo homo a peccato, & reſurgit gratia Dei lapſus, &
,, in priſtino manet officio juxta prædictas authoritates, &c. Non
loqui Calliſtum de publica pœnitentia manifeſtum eſt, nam qui publi-
cè pœnituerant, ad miniſtrandum in altari non admittebantur, ut poſtea
dicemus. Concludit S. Pontifex in hunc modum: ,, Sententiam, fra-
,, tres, quæ miſericordiam vetat, non ſolum tenere, ſed & audire
,, refugite, quia potior eſt miſericordia omnibus holocauſtomatibus,
,, & ſacrificiis. Noſtris verò hiſce infelicibus temporibus apud Sacer-
dotes miſericordia nulla, ſed vindicta, ac extra totius juſtitiæ ordi-
nem publica occultorum punitio peccatorum; accuſatio pœnitentium
ne ad ordines, ad dignitates, ad officia, ad honores admittantur: &
fortaſſe non pœnitentes ipſos, ſed ſacramentalis pœnitentiæ defenſo-
res vanis prætextibus, occultis calumniis, & qua vaferrima arte poſ-
ſunt Rigoriſtæ iſti ab adipiſcendis honoribus, ad quos aſcendere pro
meritis debuerant, avertere ſatagunt, & conſequuntur. O infelicem
ætatem! O miſerum ſæculum! O miſerrimum tempus, in quo *ſa-*
nam doctrinam, ut aiebat Apoſtolus, *non ſuſtinentes*, concervant *ſibi*
Magiſtros: Et, ut aiebat Auguſtinus, *ſe videntes non ſolum, ja-*
ctant, ſed a Chriſto illuminatos videri volunt: ſunt autem hæreti-
(18) Tract. 45. in Joan. *ci!* (18)

60 Siricius Epiſt. 1. ad Himerium Epiſcopum Tarraconenſem *cap.*
3. loquitur quidem de apoſtatis, ac per conſequens de publico apoſta-
ſiæ crimine, quibus reverſis perpetuam jubet imponere pœnitentiam,
dummodo in fine vitæ reconciliationis gratia eis non denegetur. Verba
S. P. hæc ſunt: ,, Adjectum eſt etiam, quoſdam Chriſtianos ad apo-
,, taſiam (quod dici nefas eſt) tranſeuntes, & idolorum cultu,
,, ac ſacrificiorum contaminatione profanatos, quos a Chriſti corpo-
,, re, & ſanguine, quo dudum redempti fuerant, renaſcendo, jube-
,, mus abſcindi. Et ſi reſipiſcentes forte aliquando fuerint ad lamen-

,, ta

„ ta converſi, his quandiu vivunt, agenda pœnitentia eſt, & in ul-
„ timo fine ſuo reconciliationis gratia tribuenda; quia (docente Do-
„ mino) nolumus mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat.
Cap. verò 5. agit de iis, qui poſt peractam publicam pœnitentiam ad
priſtina peccata publice redierunt, ſicque quid cum eis agendum ſit,
decernit. „ De quibus, quia jam diffugiunt, non habent pœnitendi,
(publice ſcilicet, quia ad publicam pœnitentiam ſemel tantum pecca-
tores admittebantur) „ id diximus decernendum, ut ſola intra Ec-
„ cleſiam fidelibus oratione jungantur; ſacræ myſteriorum celebritati,
„ quamvis non mereantur, interſint, a Dominicæ autem menſæ con-
„ vivio ſegregentur, ut hac ſaltem diſtrictione correpti, & ipſi in ſe
„ ſua errata caſtigent, & aliis exemplum tribuant, quatenus ab obſ-
„ cœnis cupiditatibus retrahantur. Quas tamen (quoniam carnali
„ fragilitate ceciderunt) viatico munere, cum ad Dominum proficiſ-
„ ci cœperint, per communionis gratiam volumus ſublevari. Cap. 6.
agit de Monachis, & Monialibus, qui in eam publicam, atque ſcan-
daloſam laſciviam demerſi ſunt, ut ex illicitis complexibus filios pro-
creaverint, quos hac pœna percellit. „ Has ergo impudicas deteſtabi-
„ leſque perſonas a monaſteriorum cætu, Eccleſiarumque conventi-
„ bus eliminandas eſſe mandamus: quatenus retruſæ in ſuis ergaſtu-
„ lis, tantum facinus continua lamentatione deflentes, purificatorio
„ poſſint pœnitudinis decoquere, ut eis vel ad mortem ſaltem ſolius
„ miſericordiæ intuitu, per communionis gratiam, poſſit indulgen-
„ tia ſubvenire. Cap. 7. agit de iis Sacerdotibus, qui vel de conju-
gibus propriis, vel de illicito concubitu filios generare defendebant eis
licitum eſſe, Sacerdotum legis veteris exemplo abducti. In eos ſic
cum diſtinctione adnimavertit. „ Et quia aliquanti, de quibus lo-
„ quimur, ut tua ſanctitas retulit, ignoratione lapſos eſſe ſe deflent,
„ his hac conditione miſericordiam dicimus non negandam, ut ſine
„ ullo honoris augmento in hoc, quo detecti ſunt, quam diu vixe-
„ rint, officio perſeverent, ſi tamen poſt hæc continentes ſe ſtudu-
„ erint exhibere. Ii vero, qui illiciti privilegii excuſatione nituntur,
„ ut ſibi aſſerant veteri hoc lege conceſſum, noverint ſe ab omni ec-
„ cleſiaſtico honore, quo indigne uſi ſunt, Apoſtolicæ ſedis autho-
„ ritate dejectos, nec unquam poſſe veneranda attrectare myſteria,
„ quibus ſe ipſi, dum obſcœnis cupiditatibus inhiant, privaverunt.
„ Et quia exempla præſentia cavere nos præmonent in futurum, ſi
„ quilibet Epiſcopus, Presbyter, atque Diaconus (quod non opta-
„ mus) deinceps fuerit talis inventus, jam nunc ſibi omnem per nos
„ indulgentiæ aditum intelligat obſeratum; quia ferro neceſſe eſt ex-
„ cidantur vulnera, quæ fomentorum non ſenſerint medicinam. In
quibus certe locis non de peccatis occultis, aut de ſacramentali ſatisfa-
ctione,

ctione, ſed de publicis illis delictis, publicaque eorum pœna ſermonem eſſe, nemini, qui non cæcutiat, dubium eſſe poterit.

61 Cœleſtinus I. *epiſt. 2. ad Epiſcopos Galliæ cap. 2.* licet ibi loquatur de nimio, horrendoque rigore, quo morientibus pœnitentia denegabatur, tamen ex ratione, qua utitur, ad illas longas, & publicas communionis denegationes recte trahitur. Digniſſima eſt, ut legatur: igitur ſic ait: „ Agnovimus enim pœnitentiam morientibus
„ denegari, nec illorum deſideriis annui, qui obitus ſui tempore
„ hoc animæ ſuæ cupiunt remedio ſubveniri. Horremus, fateor,
„ tantæ impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate deſperet, qua-
„ ſi non poſſit ad ſe quovis tempore concurrenti ſuccurrere, & peri-
„ clitantem ſub onere peccatorum hominem pondere, quo ſe expedi-
„ ri deſiderat, liberare. Quid hoc, rogo, aliud eſt, quam morienti
„ mortem addere, ejusque animam ſua crudelitate, ne abſoluta eſſe
„ poſſit, occidere? Cum Deus, ad ſubveniendum paratiſſimus, invi-
„ tans ad pœnitentiam ſic promittat: Peccator, *inquiens*, quacum-
que die converſus fuerit, peccata ejus non imputabuntur ei. *Et ite-*
„ *rum*: Nolo mortem peccatoris, ſed tantum convertatur, & vivat.
„ Salutem ergo homini adimit quiſquis mortis tempore ſperatam
„ pœnitentiam denegarit. Et deſperat de clementia Dei, qui eum ad
„ ſubveniendum morienti ſufficere, vel in momento poſſe non credi-
„ dit. Perdidiſſet latro præmium in cruce ad Chriſti dexteram pen-
„ dens, ſi illum unius horæ pœnitentia non juviſſet. Cum eſſet in
„ pœna, pœnituit, & per unius ſermonis profeſſionem habitaculum
„ Paradiſi, Deo promittente, promeruit. Vera ergo ad Deum conver-
„ ſio in ultimis poſitorum mente potius eſt æſtimanda, quam tem-
„ pore, Propheta hoc taliter aſſerente: Cum converſus ingemueris,
tunc ſalvus eris. „ Cum ergo ſit Dominus cordis inſpector, quovis
„ tempore non eſt deneganda pœnitentia poſtulanti, cum ille ſe obli-
„ quet judici, cui occulta omnia noverit revelari. Omni igitur, ex ſententia hujus Pontificis, danda eſt peccatori abſolutionis gratia, cum ipſe ſe obliquet judici, id eſt Sacerdoti ſupremi Judicis vices gerenti, ad ſua peccata occulta revelanda. Ergo nullatenus ad abſolutionem promerendam publica pœnitentia, aut publica confeſſio neceſſaria eſt.

62 Innocentius I. qui a Morino, Cabaſſutio, & Juenino in ſui favorem adducitur, ſic ſcribit ad Decentium Epiſcopum Eugubinum cap. 7. *De pœnitentibus verò, qui ſive ex gravioribus, ſive levioribus pœnitentiam gerunt.* Inferunt ipſi: Ergo pro omnibus culpis publica pœnitentia indici ſolebat; cum autem publicam pœnitentiam publica confeſſio præcederet, plane colligitur publicam confeſſionem præceptam fuiſſe. Verum enim vero hoc argumentum non eſt fidele. Imprimis

primis enim ſupponit leviores culpas publicæ pœnitentiæ ſubjacere, quod abſurdum eſt; aliàs diceremus veniales culpas ſic publice expiandas eſſe, nullusque eſſet, qui in ſacco, & cilicio proſtratus non jaceret. Deinde in omnibus iis canonibus pœnitentialibus, quos ſupra recenſuimus, non invenimus has publicas pœnitentias indictas niſi pro gravibus, immo & gravioribus delictis, neque pro omnibus, ſed pro certis, & determinatis; quarum quædam graviora erant, quædam leviora; non quidem quia gravia non eſſent, ſed quia in genere ſuo adeo gravia non erant, & minori temporis ſpatio plectebantur: de his ergo loquitur Innocentius, qui ſane non agit de culpis occulte cōmiſſis, & Sacerdoti occulte confeſſis, ſed vel de publicis, vel de publice, ſed ſponte confeſſis. Idque patet, ſiquidem omnes jam commemorati canones dum pœnitentias conſtituunt, expreſſiſſime iis afficiunt ſolos convictos, vel ſponte confeſſos. Vel tandem dici poterit, licet ipſe non aſſentiam, Innocentium agere de publice pœnitentibus, non tamen publice confeſſis; ſiquidem non ſemper publicam pœnitentiam præcedebat publica confeſſio; multoties enim ea fiebat ex devotione, vel ex conſilio Confeſſoris, ut vult Cabaſſutius in notitia Conciliorum *cap.* 20. §. *Nec vero*, per hæc verba: „ Nec vero ſemper „ publicæ fiebant ob publice nota delicta pœnitentiæ, ſed plerum„ que etiam propter occulta. Itaque publicè confeſſio non ſemper pu„ blicam pœnitentiam comitabatur. Ea tamen ſic ſuſcepta voluntaria pœnitentia, licet ex humiliatione publica facta, non ea erat rigoroſa pœnitentia publica a canonibus decreta, de qua nobis ſermo eſt; illa ſiquidem nullam infamiam, nullam irregularitatem generabat, ſecus iſta, ut decrevit S. P. Siricius *d. epiſt.* 1. *& Concil. Toletan.* 4. *& Concil. Nicæn.* cui adhæret idem Innocentius I. in epiſtola ad Felicem Nucerianum Epiſcopum, atque ex Origine, Hieronymo, & aliis Patribus docet idem Cabaſſutius.

63 Pergit deinde Innocentius in hunc modum: *Si nulla interveniat ægritudo, quinta feria ante Paſcha eis remittendum, Romanæ Eccleſiæ conſuetudo demonſtrat.* Ex quibus verbis duo inferuntur: primum, non per multos annos duraſſe publicam pœnitentiam, cujus principalior pars erat privatio communionis, quæ tamen cum remiſſione pœnæ quotannis concedebatur. Secundum, Eccleſiæ Romanæ conſuetudinem non ſic inſervire rigori, ut aliæ Eccleſiæ; non enim tam longas, aſperasque pœnitentias patiebatur, in quibus per multos annos pœnitentes ſpirituali ſacramentorum conſolatione, & refectione privarentur, ſed velut Mater piiſſima ubere de cœlo pleno etiam cum puniret, eos lactabat, & nutriebat.

64 Ad id conducunt ſequentia verba: „ Cæterum de pondere „ æſtimando delictorum, Sacerdotis eſt judicare, ut attendat ad

P „ con-

,, confeſſionem pœnitentis, & ad fletus, atque lacrymas corrigen-
,, tis: ac tunc jubere dimitti, cum viderit congruam ſatisfactionem. Ex qua ſententia planum fit ex arbitrio Sacerdotis pendere judicare pœnitentis diſpoſitionem, non ex diuturnitate temporis, ſed ex lacrymis, & contritione; atque ex his ad abſolutionem concedendam metiendam eſſe congruam ſatisfactionem. Quod quidem Sacerdotis arbitrium locum habere non poſſet, ſi pœnitens teneretur publicam facere peccatorum confeſſionem, publicamque ſubire pœnitentiam, cujus moderatio jam non a Sacerdote confeſſionem audiente, ſed ab Epiſcopo penderet.

65 Idem Innocentius in epiſtola ad Exuperium Epiſcopum Toloſanum allegari ſolet ab ſcriptoribus. Sed nihil ad intentum conducit: ſiquidem probat ſolum antiquam Eccleſiæ conſuetudinem circa publicam pœnitentiam, quam inficiatur nemo, nec nos negamus. Probat etiam rigorem antiquum in deneganda communione iis, qui per totum vitæ ſuæ tempus vitiis, & voluptatibus dediti, in ultimo vitæ periculo reconciliationem expoſcunt: non tamen aliquatenus probat, pro occultis peccatis ſacramentaliter confeſſis publicas impoſitas fuiſſe pœnitentias, aut peccatores eas ſubire, & publicas confeſſiones edere coactos fuiſſe. Hic ſcopus, hic cardo rei; hoc aſſumptum eſt, quod neque probant, nec unquam probabunt Rigoriſtæ. Innocentium loqui de publicis peccatoribus patet ex verbis ſequentibus: Et hoc quæſi-
,, tum eſt, quid de his obſervari oporteat, qui poſt baptiſmum omni
,, tempore incontinentiæ voluptatibus dediti, in extremo fine vitæ
,, ſuæ pœnitentiam, ſimul & reconciliationem communionis expoſ-
,, cant. Ex quibus ſane verbis eruitur quæſitum fuiſſe Innocentium de publicis, & ſcandaloſis peccatoribus. Poſtea obſervationem priorem cum poſteriori conferens, de utraque ſic ait: ,, De his obſervatio prior
,, durior, poſtea interveniente miſericordia inclinatior eſt. Nam cum
,, illis temporibus crebræ perſecutiones eſſent, ne communionis con-
,, ceſſa facilitas homines de reconciliatione ſecuros non revocaret a
,, lapſu, negata merito communio eſt, conceſſa pœnitentia, ne to-
,, tum penitus negaretur, & duriorem remiſſionem fecit temporis ra-
,, tio. Sed poſteaquam Dominus noſter pacem Eccleſiis ſuis reddidit,
,, jam terrore depulſo, communionem dare abſentibus placuit, &
,, propter Domini miſericordiam quaſi viaticum profecturis: & ne
,, Novatiani hæretici negantis veniam aſperitatem, & duritiam ſequi
,, videamur. Tribuitur ergo cum pœnitentia extrema communio, ut
,, homines hujuſmodi vel in extremis ſuis pœnitentes, miſerante
,, Salvatore noſtro, a perpetuo exitio vindicentur. Agi hoc loco de pœnitentia ſacramentali perſpicuum eſt; nam moribundis publica non indicebatur pœnitentia, quam complere non poterant in extremis agen-
tes.

tes. Stat ergo primam obſervantiam, licet ex illa juſta cauſa, duriorem fuiſſe, & Novatianiſmo proximam, & propter hanc hæreſim introductas poſtea fuiſſe pœnitentias publicas pro publicis peccatis, ut ipſi hæretici agnoſcerent, fidelesque non dubitarent in Eccleſia eſſe poteſtatem ligandi, atque ſolvendi, retinendi, ac remittendi peccata. Ideoque hujus publicæ pœnitentiæ primis duobus ſæculis nulla habemus perſpicua documẽta. Nullatenus tamen ex Innocentio colligere poſſumus publicæ confeſſionis,aut publicæ occultorum peccatorum pœnitentiæ aliquod extitiſſe præceptum,aut morem aliquem pro lege habitũ.

66 Cæleſtinus I. prout refertur a Gratiano 30. *q.* 1. *cap.* 9. & 10. agnovit quidem publicas pœnitentias; ſed tamen pro peccatis publicis, minime vero pro occultis: „ Sacerdos autem, *inquit cap.* 9. qui ma- „ lum exemplum dedit hominibus, ab omni officio deponatur, & pe- „ regrinando duodecim annis pœniteat: poſtea verò ad monaſterium „ vadat, ibique cunctis diebus vitæ ſuæ Deo ſerviat. Peccata occulta, neminique nota malum exemplum cæteris non præbent, neque depoſitio pœnitentia eſt, ſed pœna, neque ſacerdotes publica pœnitentia caſtigabantur. Poſtea *cap.* 10. *n.* ſic ait: „ Non de- „ bet Epiſcopus, aut Presbyter commiſceri cum mulieribus, quæ ei „ ſua fuerint confeſſæ peccata. Si forte (quod abſit) hoc contigerit, „ ſic pœniteat, quomodo de filia ſpirituali, Epiſcopus quindecim an- „ nos, Presbyter duodecim, & deponatur. Nota nunc limitationem: *Si tamen in conſcientia n populi devenerit.* Ex qua limitatione recte concluditur, nullatenus Romanum Pontificem pro peccato occulto publicam pœnitentiam approbaſſe.

67 Tandem Leo I. in celebri *epiſtola* 78.ſcripta ad Epiſcopos Campaniæ, Samnii & Piceni, quam ſupra commemoravimus, omnem huic negotio lucem affert; in ea etenim improbabilem conſuetudinem cogendi pœnitentes ad publicam confeſſionem, quæ apud aliquos per intolerabilem abuſum, licet larvato animarum zelo obtectum, invaleſcere cœperat, Apoſtolici oraculi ſententia damnat, improbatque per hæc verba iterum repetenda: „ Illam etiam contra Apoſtolicam re- „ gulam præſumptionem, quam nuper agnovimus a quibuſdam il- „ licita uſurpatione committi, modis omnibus conſtituo ſubmoveri, „ (de pœnitentia videlicet, quæ ita a fidelibus poſtulatur) ne de „ ſingulorum peccatorum genere libellis ſcripta profeſſio publice re- „ citetur,cum reatus conſcientiarum ſufficiat ſolisSacerdotibus indica- „ ri confeſſione ſecreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur eſſe „ laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubeſcere non „ veretur; tamen quia non omnium ſunt peccata, ut ea, quæ pœni- „ tentiam poſcunt, non timeant publicare, removeatur tam impro- „ babilis conſuetudo, ne multi a pœnitentiæ remediis arceantur, dum

„ aut erubeſcunt, aut metuunt inimicis facta ſua referare, quibus
„ poſſunt legum conſtitutione percelli: ſufficit ergo illa confeſſio, quæ
„ primum Deo offertur, tunc etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœ-
„ nitentium precator accedit; tunc enim plures poterunt ad pœniten-
„ tiam provocari, ſi populi auribus non publicetur conſcientia pœni-
„ tentis.

68 Ex qua epiſtola multa evidentiſſime demonſtrantur. Primo enim illam conſuetudinem vocat *præſumptionem contra Apoſtolicam regulam*: ergo ſecundum hanc regulam non erat illa illicita peccatorum manifeſtatio: ergo ſecundum hanc regulam confeſſionis ſecretum obſervari debuerat, neque directe, vel indirecte revelari: ergo non poterant in foro interno imponi pœnitentiæ publicæ, ex quibus contingebat ſaltem indirecta peccatorum revelatio. 2. Prædictam introductam praxim *illicitam* dicit *uſurpationem*, utpote ſacris canonibus omnino contrariam. Credendum autem non eſt, Leonem ignoraſſe, ſi forte darentur, canones, in quibus hæc publica peccatorum confeſſio ad ſuſcipiendam publicam pœnitentiam juſſa eſſet: ergo nullus erat, qui id conſtituerit. 3. Sufficere, ait, reatus conſcientiarum ſolis ſacerdotibus indicare *confeſſione ſecreta*: ergo neceſſaria non erat publica confeſſio; neceſſaria autem eſſet, ſi fuiſſet præcepta: ergo confeſſio ſecreta ab initio Eccleſiæ ortum habuit inſimul cum ipſo Pœnitentiæ ſacramento; neque ab Innocentio III. ut hæretici garriunt, inventa dici debet. 4. *Laudabilem eſſe fidei plenitudinem*, qua quis ex humilitate, & Dei timore ſua publice confiteri peccata non erubeſcit, (prout etiam in naufragiis, & aliis inſtantibus periculis quandoque fit) attamen non omnes hanc fidei plenitudinem ſic movere, ut non timeant, non erubeſcant, non reformident ſuas coram omnibus culpas aperire. 5. Ex ea improbabili conſuetudine tunc nuper introducta fieri, ut multi arcerentur a pœnitentiæ ſacramento ſuſcipiendo. Hoc ipſum contingeret propter publicas pœnitentias, quas publica confeſſio præcedere ſolebat: ergo non potuit in aliquo canone fundari ille pravus abuſus; nunquam enim ab Eccleſia præcipi, aut approbari potuit id, quod neceſſarium Pœnitentiæ ſacramentum odioſum redderet, aut difficile. 6. Denique, ad Pœnitentiæ ſacramentum fideles invitandos eſſe, non retrahendos; invitari per confeſſiones, & pœnitentias ſecretas; retrahi verò per publicas confeſſiones, publicaſque pœnitentias.

69 Scio ab aliquibus hanc ſanctiſſimi Leonis expreſſiſſimam auctoritatem indigne deturpari; cum enim experiantur ſuæ conceptæ opinioni eſſe omnino contrarium, hunc locum ſit explicare contendunt, ut aſſerant ſanctum Pontificem prohibuiſſe ſolum publicas confeſſiones delictorum illorum, quæ pœnæ capitali obnoxia erant, idque deducunt ex illis verbis: *Quibus poſſunt legum conſtitutione percelli*;

ſed a vero ſenſu longe aberrant, & convincuntur ex multis. 1. Quia ex duplici capite S. Leo illum prohibuit abuſum, aut propter erubeſcentiam, aut propter timorem, ut patet ex disjunctiva *aut erubeſcunt, aut metuunt*. Hæc autem erubeſcentia etiam in aliis conſideratur peccatis. 2. Quia ratio intrinſeca, qua utitur Leo, eſt, quia *ſufficit illa confeſſio, quæ primum Deo offertur, tunc etiam Sacerdoti.* Quis autem ita demens erit, qui diſtinguere audeat, quod Chriſtus Dominus non diſtinxit, cum Pœnitentiæ inſtituit ſacramentum, & aſſerat ſecretæ confeſſionis materiam eſſe peccata illa, quæ a civili lege capitali pœna percelluntur, non vero alia peccata? 3. Quia id intendit Leo, ut ſcilicet *plures ad pœnitentiam poſſint provocari, ſi populi auribus non publicetur conſcientia pœnitentis*: non provocarentur autem quoties eorum conſcientia publicaretur; quæ ratio æque viget in omnibus peccatis, ſive legibus civilibus plectantur, ſive non plectantur. Quia omnia fere peccata, quæ pœnitentiis publicis ſubjacebant, etiam civilibus legibus puniuntur, ut homicidium, adulterium, furtum, ſacrilegium, magiæ, divinationes, ſortilegia, & ſimilia. Si ergo hæc in confeſſione ſecreta abſolvenda erant, quin delinquentes ad pœnitentiam publicam adigerentur, multo fortius cætera peccata pœnitentiis occultis, non vero publicis curanda eſſent.

70 Superſedeo referendis poſteriorum Pontificum Decretis, & auctoritatibus; nullus enim, niſi peſſime detortus, aſſignabitur, qui prædicto mori quandoque faveret: aſſignabitur, qui reprehenderet. Is eſt Alexander III. Epiſcopo Oxinienſi reſpondens, eumque monens, ne Sacerdotem, de quo fuerat interrogatus, ſuſpenderet ab officio, ſi peccatum ſuum occulte commiſſum fuerat: *Alioquin*, inquit, *non eſſe tutum, cum ſit ſecretus exceſſus, ipſum invitum ab officio coercere; ſed pœnitentiam ſecretam, ſecundum quod tibi viſum fuerit, injungere non poſtponas*. Igitur pro publico publica, pro occulto occulta pœnitentia injugenda eſt; neque contrarium aliquando tutum viſum fuit. Eccleſia autem nunquam approbare potuit quod tutum non erat, ut optime ait Francolinus ſupra citatus.

71 Sequentium per decurrentia ſæcula Pontificum Epiſtolæ, aut Decreta publicæ confeſſionis, aut publicæ pro peccatis occultis pœnitentiæ nulla nobis veſtigia reliquerunt. Leguntur quidem multa, in quibus agitur de pœnitentia neceſſario facienda ad remiſſionem culparum, ad ſatisfactionem pœnæ delicto debitæ, de abſolutione non deneganda vere pœnitenti, de honore reſtituendo poſt debitam peractam pœnitentiam; quorum quidem totum Decreti corpus refertum eſt, quorumque ſi mentionem faceremus in immenſum creſceret volumen: ſed de præcepto, de conſuetudine publicæ confeſſionis nulla eſt conſtitutio, nullus canon, decretum nullum, neque reperiri poterit conſtitu-

ſtitutum , quod nulla potuit canonica lege ſanciri , ut diſerte docet Tridentinum , cujus ſupra meminimus , *ſeſſ. 24. cap. 5.* inquiens : *Non ſatis conſulte humana aliqua lege præciperetur , ut delicta , præſertim occulta, publica eſſent confeſſione aperienda.* Hæc eſt inconcuſſa Theologorum , nullo refragante , ſententia. Sufficiat allegare P. Suarium Granatenſem (18) in hæc verba : „ Et ratio eſt primo , quia eſt
„ res difficillima , & alioquin non neceſſaria , nec per ſe valde utilis.
„ Lex autem humana non poteſt res adeo difficiles poſtulare , niſi
„ forte ex communi aliqua , & urgenti neceſſitate &c. Infero ſecun-
„ do , non poſſe Confeſſorem cogere pœnitentem ad manifeſtanda illi
„ peccata alio modo magis publico , quam per auricularem confeſ-
„ ſionem. . . . Probatur a fortiori ex dictis , quia præceptum Confeſ-
„ ſoris humanum eſt : item , quia Confeſſor tenetur ex jure divino
„ ad ſigillum confeſſionis ; illud autem aperte eſſet contra ſigillum ;
„ ſicut etiam contra illud ageret Confeſſor , ſi pœnitentem cogeret , ut
„ ei daret facultatem revelandi confeſſionem. Similiter ergo contra ſigillum ageret Confeſſor , ſi pœnitentem cogeret ad publicam ſubeundam pœnitentiam , ex qua peccatum clavibus ſubjectum ſaltem generice cognoſceretur , aut conjecturaretur.

72 Percurramus nunc priorum ſæculorum Concilia , ut videamus, an quid tale in eis diſpoſitum,aut conſtitutum ſit, & imprimis de Orientalibus Synodis ſermo erit. Primis duobus ſæculis , præter illa tria Concilia ab Apoſtolis celebrata , ſcilicet primum ad electionem Mathiæ, quod refertur *Actor. 1.* Secundum ad electionem ſeptem Diaconorum, de quo *Actor. 6.* Tertium anno 57. in quo definitum fuit fideles a jugo circumciſionis , & Moyſaicarum cæremoniarum immunes eſſe ; abſtinere tamen jubentur ab immolatis ſimulachrorum , & ſanguine , & ſuffocato , & fornicatione , ut conſtat *Actor. 15.* Præter hæc , inquam , nulla alia fuiſſe conſtat , neque ab antiquis collectoribus referuntur. Non me latet Baronium commemoraſſe Concilium Antiochenum anno 56. poſt Chriſtum natum, in quo canones novem editos fuiſſe refert , hi tamen canones non probantur a Pagio ad dictum annum , nec a Dionyſio Petavio *lib. 15. de Incarnat. cap.* 14. Scio etiam ſub Pontifice Victore anno 192. & ſequentibus, aliqua habita fuiſſe Concilia, nempe Cæſarienſe, Ponticum,Corinthiacum,& Epheſinum, de quibus Euſebius *lib. 5. Hiſtor. Eccleſ.* ſed horum neque acta extant , neque in collectionibus Conciliorum inveniuntur , ultimumque a Victore reprobatum fuit , teſte eodem Euſebio *dict. lib. 5. cap.* 24. Idem teſtis eſt celebratum fuiſſe Concilium Alexandrinum ſub Demetrio Epiſcopo tempore Antheri Papæ anno 235. in cauſa Origenis , *ut ait lib. 6. cap. 8. & 23.*

73 Se-

(18) Tom. 3. in 3. part. diſp. 21. de Pœnit. ſect. 2. tr. 6.

73 Sequutæ ſunt tres Synodi Antiochenæ, ut memorantur ab Euſebio lib. 7. Hiſtor. cap. 4. & ex eo refert Cabaſſu ius *cap.* 5. *notit. Concil.* primum imperante Gallieno, ſecundum, & tertium ſub imperio Aureliani regente Eccleſiæ navem Dionyſio. Solummodo tertium habetur in collectione Harduini anno Domini 269. tantumque in illis actum eſt de cauſa Pauli Samozateni Antiocheni Patriarchæ negantis in Chriſto divinitatem, fuiſſeque purum hominem aſſerentis. Obiter hic deplorandum nimis eſt, hæreſes potiſſimum aut ductoribus, aut faventibus, aut diſſimulantibus Epiſcopis pullulaſſe, & excreviſſe; atque cavendum eſſe maxime ab his, qui veniunt ad nos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. In his Conciliis nihil de pœnitentia actum fuit, nihilque proinde habemus in his tribus ſæculis de publica confeſſione, aut publica pœnitentia conſtitutum.

74 Incipiente jam ſæculo quarto habitum fuit Concilium Sinueſſanum anno ſcilicet Chriſti 303. ſæviente in Eccleſiam Diocletiano, in quo ſolum actum fuit de thurificatione idolorum a Marcellino Pontifice coacte facta, ejusque in ſe ipſum dicta ſententia, & de damnatione Urbani, Caſtorii, Juvenalis, Gaii, & Innocentii. Sequuta eſt Synodus Alexandrina ſub Petro Alexandrino, in qua Meletius damnatus eſt, nulloſque canones in ea Synodo conſtitutos invenio.

75 Anno Chriſti 314. celebratum fuit Concilium Anciranum, ex ejus nominis urbe ſic dictum, tempore jam Silveſtri Papæ, & extincta morte Maximi Imperatoris ſæviſſima in Oriente in Chriſtianos perſecutione. In hac Synodo per viginti duo capita pœnæ, pœnitentiæve publicis criminibus inveniuntur conſtitutæ, non occultis peccatis in ſecreta confeſſione Sacerdoti detectis. In prioribus capitibus uſque ad nonum in eo fuerunt Concilii Patres, ut diverſos lapſorum in idololatriam lapſus vel punirent, vel curarent. In primo ſiquidem de pœna depoſitionis ab officio ſacerdotali imponenda Presbyteris immolantibus, & poſtea revertentibus ad Eccleſiam. In ſecundo de eadem pœna circa Diaconos, depoſitionem autem non eſſe pœnitentiam, ſed pœnam, jam ſæpius dixi, neminemque neſcire credo. In tertio aſſerunt eos, qui per vim præciſam ſacrificare coacti fuerant, nulli pœnæ ſubjacere. In quarto agunt de his, qui ſacrificare quidem coacti ſunt, ſed cum ad idolium, ut cœnarent, ducerentur, pretioſis veſtibus, & indifferenter præparata cœna uſi fuerant: quibus quidem pœnitentiam injungunt publicam, ſed pro peccato publico, quod enim apud multos actum eſt, publicum dici debet. In quinto pœnitentiam mitiorem imponunt iis, qui lugubri veſte, flebilique vultu cœnæ gentili adfuerunt, Epiſcopiſque permittitur cum eis, prout præcedens, & poſterior vita popoſcerit, humanius agere. In ſexto cum iis, qui tantum minis, aut bonorum ablationi ceſſerunt, durius agunt Patres, ſeverioriquo

pœni-

pœnitentia curare conſtituunt. Agere autem de publico delicto per ſpontaneam confeſſionem, conjici mihi videtur ex verbis ipſius canonis: *Modo autem, id eſt tempore hujus Synodi, ſe obtulerunt, converſionis ſuæ conſilium capientes.* Similiter de iiſdem agunt Patres in *cap.* 7. *&* 8. In nono ſuſpendunt a miniſterio Diaconos, qui poſt ordinationem nuptias contraxerunt; quæ quidem ſuſpenſio pœna eſt, non pœnitentia. In decimo conſtituunt Patres, *deſponſatas puellas, & poſt ab aliis raptas, ab ipſis erui, & eis reddi, quibus antea fuerant deſponſatæ, etiamſi eis a raptoribus vim illatam fuiſſe conſtiterit.* In undecimo decernunt, quod qui ante baptiſma idolis ſacrificaverant, & poſtea baptiſma conſecuti fuerant, ad Ordines promoveri poſſint, eo quod baptiſmate abluti ſint. In duodecimo docent Chorepiſcopis non licere Presbyteros, aut Diaconos ordinare. In decimo tertio, & decimo quarto pœna ſuſpenſionis puniunt Presbyteros, aut Diaconos, ita ſuperſtitioſe uſum carnium abominantes, ut nec olera, quæ cum eis coquuntur exiſtiment concedenda. In decimo ſexto, & decimo ſeptimo publicæ ſubjiciunt pœnitentiæ cum pecudibus coeuntes, & inter energumenos collocandos eſſe præcipiunt: quod intelligendum eſt, ſi crimen publicum fiat. In decimo octavo Epiſcopos volentes occupare Eccleſias, in quibus alii ſunt conſtituti, vel ſeditionem concitantes, excommunicatione, & dignitatis privatione percellunt. In decimo nono virginitatem promittentes, & poſtea irritam facientes promiſſionem inter bigamos recenſendos eſſe decernunt. Inſimulque prohibent, ne puellæ virginitatem voventes cum viris tamquam ſorores habitare præſumant. In vigeſimo adulteris, in vigeſimo primo mulieribus, qui partus ſuffocarent, vel aborſum quærerent. In vigeſimo ſecundo homicidis voluntariis, ſeu involuntariis. In vigeſimo tertio auguria, auſpicia, ſomnia, divinationes more gentilium obſervantibus, aut ea exercentes inquirentibus, diverſas, juxta qualitatem delicti, pœnitentias imponunt. De criminibus autem publicis ibi agere vel ex eo probari poteſt, quod in dicto canone 23. confeſſi minori tempore puniuntur, nempe quinquennio, nam convicti maiori pœnitentia puniebantur.

76 Tandem canon 24. ſecundum Dionyſii Exigui interpretationem reſolutionem continet caſus ipſi Synodo propoſiti, nempe: *Quidam ſponſam habens, ſororem ejus violavit, & gravidam reddidit; poſtmodum deſponſatam ſibi duxit uxorem; illa verò, quæ corrupta eſt, laqueo ſe peremit.* Cui propoſitioni Synodus reſpondit: *Hi, qui fuerunt conſcii, poſt decennem ſatisfactionem juſſi ſunt ſuſcipi ſecundum gradus pœnitentiæ conſtitutos.* Legit autem Mercator: *Omnes autem, qui facti hujus ſunt conſcii, decem annis in pœnitentiam redigantur ſecundum canones conſtitutos.* Ex quo iſtius canonis contextu

clare

clare liquet agi ibi de peccato, quod publicum factum fuerat. Nam peremptio laqueo ſibi ipſi a muliere facta latere non potuit. Deinde de occulto, & nemini noto non poterat conſuli Synodus; neque ſi peccatum occultum erat, & notum non fieret, illius conſcii ſciri quibant. Igitur ex prædicto Concilio, ſive Synodo nec apparet peccata occulta publice confitenda eſſe, neque pro illis publicam eſſe pœnitentiam indicendam, neque (quod præcipue notandum eſt) Confeſſarios ad Epiſcopum, vel ſuperiorem peccata ſibi confeſſa poſſe deferre, aut in conſpectu Eccleſiæ recitare, ut pro illis publica indiceretur pœnitentia.

77 Eodem anno, adhuc ſedente in Petri Cathedra Melchiade, celebrata fuit Synodus Neocæſarienſis, ſic dicta ex civitate Neocæſarea, ubi habita fuit. In ea tametſi aliqui inveniantur canones agentes de publica pœnitentia, optime ex ipſis cognoſcitur non de peccatis occultis ſacramentaliter confeſſis, ſed de publicis ſermonem inſtitui. Nam in primo agit Synodus de Presbytero uxorem ducente, qui ob id deponendus eſt; depoſitio autem pro pœnitentia ſacramentali ſatisfactoria imponi nunquam conſuevit, neque Confeſſarii hæc poteſtas unquam fuit: & præterea ductio in matrimonium non actus occultus, ſed publicus eſt. Deinde agit Synodus de Presbytero adulterante, qui ultra depoſitionem ab Eccleſia pellendus eſt, & inter laicos pœnitentes adnumerandus; hæc autem pulſio ab Eccleſia pœna eſt, & quidem graviſſima in foro externo ſolummodo infligenda. Canone ſecundo agit Synodus de muliere duobus fratribus nubente, quod quidem publicum crimen eſt; non enim nuptiæ in abſcondito celebrantur, neque diutius celari poſſunt. In canone tertio ſimiliter agit de iis, qui ſæpius nubunt; in quibus caſibus eadem publicitatis ratio viget. Canone 4. agit de eo, qui mulierem concupivit, propoſuitque cum ea peccare, non tamen ſecutus fuit effectus, & nullam ei imponit pœnitentiam ex ea ratione, quam aſſignat, ſcilicet, *quia manifeſtum eſt hunc fuiſſe per divinam gratiam liberatum.* Ex qua ſententia infertur peccata occulta cordis publicæ pœnitentiæ non ſubjacere. In canone 5. etiam agi de peccato publico manifeſte colligitur ex his verbis: *Hic autem deprehenſus fuerit peccans.* In 6. & 7. nihil habet de pœnitentia. In octavo non de pœnitentia publica ſermo eſt, ſed de pœna irregularitatis incurrenda ab eo, cujus uxor adulterata fuerat, ſi evidenter arguatur; aut de pœna ſuſpenſionis impoſita Clerico, cujus uxor fuerit adulterata, ſi cum ea poſt adulterium convixerit. Canone 9. & 10. agit de pœna ſuſpenſionis, quam Presbyter, vel Diaconus incurrunt, qui lethali culpa innodati ordinem ſuſceperunt. Ubi notandum, quod ad hanc pœnam infligendam neceſſe eſt, quod crimen publicum fiat, nam, *ſi de ſe non fuerit ipſe confeſſus, & argui manifeſte nequiverit, poteſtatis ſuæ judicio relinquatur.* Miſſum facio Concilium Alexandrinum

num anno 321. in eo enim ſolummodo de condemnatione Arii, & Piſti actum eſt, & juxta Socratem Melitianorum, & Sabellii dogma diſcuſſum, & reprobatum fuit.

78 Accedamus ad primum œcumenicum generale Concilium Nicænum celebratum anno Domini 325. regente Eccleſiam ſanctiſſimo Silveſtro, imperanteque Conſtantino, cui præſederunt tamquam Romanæ ſedis Legati Oſius Cordubæ Epiſcopus, Victor, & Vincentius Presbyteri Romani; videamusque, an aliquod vel præceptæ confeſſionis publicæ, vel pro occultis peccatis publicæ pœnitentiæ indicium reperiamus. Et profecto neque in viginti canonibus juxta verſiones Dionyſii Exigui, & Iſidori, aut ſecundum paraphraſim Arabicam Joſephi Ægyptii, neque in viginti duo ex Ruffino, neque in octoginta canonibus ex Arabico in Latinum converſi, & recogniti a Franciſco Turriano Societatis Jeſu legitur aliquid, quod prædicto præcepto, aut legitimæ conſuetudini opituletur. Siquidem ex præfatis viginti, ut plurimum dici poterunt pœnitentiales undecimus, duodecimus, decimus tertius, & decimus quartus, qui certe agunt tantummodo de peccatis publicis, ut melius colligitur ex paraphraſi Arabica, & ex Ruffino, & melius ex lectione Arabica canone 12. in his verbis: *Aut ſi iſte irrepſerit in ordinem nec examinatus, nec interrogatus, & poſtea ab iis, qui cognoverunt falſitatem, ſciatur hoc, deponendus eſt iſte.* Et canone 19. ubi agitur de lapſis a fide, & religione. Et canone 20. ubi agitur de iis, qui cum maleficis, & divinis commercium, amicitiam, aut ſocietatem habuerint, vel in domum ſuam eos receperint, vel cum eis comedere, aut bibere ſoliti ſint. Et 21. ubi agitur de iis, qui matrimonia contrahunt cum patre, aut matre ſpirituali. Et 24. ubi ſermo eſt de bigamis. Et 67. ubi agitur de eo, qui infideli nupſerit. Notandaque valde eſt pœnitentia, quæ prædictis imponitur, nullatenus publica ſolemnis, ſed mitior, & quæ occulte fieri poteſt. Verba canonis ſunt hæc: „ Erit autem pœnitentia ejus, qui „ ad fidem revertitur, & ejus, qui virum infidelem reliquit, ferre ci„ licium, dormire ſuper cinerem, conſtituendumque eſt eis de jeju„ nio, & bonis operibus, prout conveniat; & poſtea licebit cum fi„ delibus converſari, & communionem ſacram accipere: & qui con„ tradixerit, a Synodo excommunicabitur. En Patres Concilii pro delictis vel ducendi duas uxores ſimul, vel nubendi infideli, quæ quidem occulta dici non poſſunt, ſic benignitati indulgent, ut non publica pœnitentia, ſed jejuniis, ciliciis, & bonis operibus ea emendare ſtudeant, & pro canone decernant. Et canone ſequenti pro ſimili peccato non publica imponitur pœnitentia, ſed ea tantum relinquitur arbitrio Sacerdotis, ita ut conſtituenda ſit ei *Pœnitentia ſecundum peccatum ejus, quanta Sacerdoti videbitur convenire illi, & ab eo ſuſtineri*

tineri poſſe. Quod ſi pœnitentiam patienter ſuſtineat, debet humanius cum eo agere Sacerdos. Canone 69. publicam conſtituit pœnitentiam ei, qui, ut liberius vacet libidini, a fide recedit, & cum infideli turpiter cohabitat; quod quidem peccatum occultum dici non poteſt; & tamen non adeo ſevere puniunt Patres prædictum crimen, ut ex eo canone videre eſt.

79 Canone 78. ita moderate, ita benigne, ita ſuaviter conſtituunt Patres in adulteros, ut Sacerdotes ſemel committentes tale peccatum ſolum puniant ſpatio unius anni per jejunia, orationes, & eleemoſynas ſecundum uniuſcujuſque vires. Si vero Sacerdos aliquis ad idem peccatum reverſus fuerit, eum depoſitione afficiant, quæ eſt pœna publica, non pœnitentia; non autem fidelium, aut ſacramenti communione privent. Si vero uxorem ducant, (quod ſane eſt crimen publicum) duplici pœnitentia caſtigent, ſi forte jam vidui ſint; nam ſi adhuc cum uxore cohabitent, tribus annis excõmunicatos, id eſt fidelium, & ſacramentorum participatione privatos eſſe jubeant. Idem ſtatuunt circa Diaconos. Circa Epiſcopos vero conſtituunt, ut cadant a gradu ſuo, non verò cõmunione priventur. Laicos verò, & Monachos, & alios prædicti peccati reos judicio eorum, qui præſunt, omnino relinquunt; cum eo tamen benigniſſimo moderamine, ut non debeat *qui eis præeſt, & judex imponere gravem pœnitentiam, quæ noceat; neque levem, ne currant ad peccatum, & eorum damnatio creſcat.* Quomodo ergo voluiſſent Patres ſacri Concilii pœnitentes adigere ad publicas confeſſiones, aut publicas occulti peccati pœnitentias, (quod ſane duriſſimum jugum eſſet, & potius a ſacramento retraheret, quam ad illud invitaret) ſi ita benigne ſe habent, ut nolint pœnitentibus imponi pœnitentias admodum graves, quæ eis noceant, vel tales, quòd ad eorum potius ruinam, quam ad medelam proficere poſſint.

80 Quod autem quam maxime ad propoſitum nobis favet, eſt quod legitur canone 79. ubi ſic Patres decernunt: „ Et quicumque
„ ex Eccleſia aliquid indignum faciat, adhibebitur ei remedium per ex-
„ hortationem, & diligentem admonitionem, dum non eſt mani-
„ feſtum, quod facit, ut non perſeveret in eo, & diſcedat a via ſan-
„ ctorum Dei, eorumque converſatione, imponentque ei pœniten-
„ tiam, prout convenerit. Quod ſi pœnitentia, & exhortatione non
„ emenderur, ſeparetur a communione fidelium, & abſcindatur tam-
„ quam membrum putre, ne contagio ejus in reliquum corpus per-
vadat. Ergo ſi peccatum, aliàs cognitum, dum non eſt manifeſtum, admonitione, & exhortatione fraterna, & privata corrigendum eſt, quomodo peccatum occultum, & ſecreta confeſſione detectum, atque ſacro ſigillo ſigillatum publica confeſſione, publicave pœnitentia plectendum eſſe decerneretur? Certe Concilii Patres ſecuti ſunt Chriſti

præceptum : *Si peccaverit in te frater tuus , vade , & corripe eum inter te , & ipſum ſolum. Si te non audierit , dic Eccleſiæ. Si Eccleſiam non audierit , ſit tibi tamquam ethnicus , & publicanus.* Si ergo peccata occulta , & foro ſacramentali ſubjecta panderentur , & coram Eccleſia publice recitarentur , vel ad ſuperiores ſaltem generice deferri poſſent , neque correctionis fraternæ præceptum , neque Concilii conſtitutio , neque lex divina ſigilli adimpleretur , immo rumperetur , infallibiliter concluditur nunquam potuiſſe Confeſſarios peccata ſibi ſecreto confeſſa publice propalare , neque pœnitentes adigere , ut publice confiterentur , publicasque pœnitentias ſubire cogerentur. Nulla proinde lex eccleſiaſtica , nulla probabilis , aut legitima conſuetudo , nulla licita praxis id præcipere potuit , aut quandoque introducere. Errant ergo , qui aſſerere non verentur , has publicas pœnitentias pro occultis peccatis in veteri Eccleſiæ diſciplina fuiſſe præceptas : iterumque errant qui contra commune Theologorum placitum has pœnitentias publicas in aliquibus monaſteriis obſervare , & ſub falſa zeli imagine introducere ſatagebant.

81 Cætera Orientalia Concilia , ut Gangrenſe , Alexandrinum, Sardicenſe , Hieroſolomytanum , Sirmienſe , Ancyranum , Ariminenſe , & Conſtantinopolitanum , immo & aliqua hæreticorum conciliabula hoc quarto ſæculo , de quo agimus , nihil de ſacramento Pœnitentiæ , nihil de ejus adminiſtrandi ratione , nihil de publica confeſſione , nihil de publicis pœnitentiis aut conſtituunt , aut inſinuant. Solum Antiochena Synodus celebrata anno Domini 341. Laodicena habita anno Domini 372. aliquid de publica confeſſione, & pœnitentia potius ſupponunt , quam decernunt. Anthiochena canone 2. juxta verſionem Mercatoris ſic habet. ,, Omnes, qui ingrediun-
,, tur Eccleſiam Dei , & ſacras Scripturas audiunt, non autem cum po-
,, pulo in oratione communicant , (*en publicum peccatum*) averſan-
,, tur etiam ſanctam ſumptionem Dominici ſacramenti ſecundum
,, aliquam propriam diſciplinam ; hos ab Eccleſia ejici oportet donec
,, confitentes fructum pœnitentiæ demonſtrent , & deprecati fuerint,
,, ut data venia ſuſcipi mereantur. Quis tamen non videat ibi non agi de confeſſione ſacramentali , ſed de publica confeſſione erroris commiſſi : non de peccato aliquo occulto ſacramentaliter confeſſo , ſed de ſecta quadam , qua ſecundum propriam diſciplinam quidam communionem fidelium , & ſacræ Euchariſtiæ ſumptionem averſabantur, ac proinde de publico errore , ob quem ſectam illi ab Eccleſia ejiciebantur, donec reſipiſcerent , & pœnitentia ducti errorem ſuum deteſtarentur. Oh ſi hodie eadem pœna ferirentur , quot eſſent ab Eccleſia abjiciendi , non ad eam aſſumendi !

82 Laodicena vero canone 2. ſecundum Dionyſii Exigui verſionem

nem ſic conſtituit: *De his, qui diverſis facinoribus peccaverunt, & perſeverantes in oratione confeſſionis, & pœnitentiæ converſionem a malis habuere perfectam, pro qualitate delicti talibus poſt pœnitentiæ tempus impenſum, & propter clementiam, & bonitatem Dei communio concedatur.* En ſupponit Synodus publicam pœnitentiam: ſed pro quibus delictis? *Pro diverſis facinoribus*: ergo pro delictis publicis; ſiquidem peccata occulta, & in confeſſione ſecreta ſolummodo cognita, peccata dicuntur, non facinora; hoc enim nomine delicta publica, & enormia ſignificantur. Canone autem 9. ſic decernit: „ Non concedendum in cœmeteria, & quæ martyria hæreticorum dicuntur, „ orationis gratia, & petendæ curationis intrare. Sed & qui ierint, „ ſi ſunt fideles, incommunicabiles factos ad pœnitentiam uſque ad „ aliquod tempus redigi: pœnitentes autem eos, & erraſſe ſe confi„ tentes, ſuſcipi oportet. En non de peccato occulto agit Synodus, neque de confeſſione ſacramentali, ſed publica: & pœnitentes ſic benigne recipit, ut eos, non longa pœnitentia caſtiget, ſed pœnitudine ductos, & erraſſe confitentes ſtatim ſuſcipiat. In cæteris autem canonibus, nihil de publicis pœnitentiis, nihil de publicis confeſſionibus, nihil de peccato occulto publice puniendo vel leviſſime decernitur.

83 Hæc ſunt Concilia Orientalia quarti ſæculi. Quinto ſæculo, relicta Synodo ad Quercum anno 403. in cauſa Sancti Joannis Chryſoſtomi illegitime congregata, relicta etiam Synodo Ptolemailenſi, in qua Syneſius Andronicum excommunicavit: relictis quoque aliis Synodis, nempe Hieroſolomytana anno 415. & Dioſpolitana eodem anno, & Hieroſolomytana anno 416. in cauſa Pelagii, & Conſtatinopolitana de damnatione Maſſialianorum, & Alexandrina anno 430. in cauſa Neſtorii, utpote in quibus nihil actum eſt de pœnitentia, nullique in eis canones conditi inveniuntur. Omiſſis, inquam, his, nulla alia Concilia, quorum recorder, uſque ad Leonem I. habita ſunt, niſi œcumenicum Epheſinum anno Domini 431. gubernante Eccleſiam Cœleſtino, imperantibuſque Theodoſio II. & Valentiniano III. cui præſedit Cyrillus Alexandriæ Patriarcha, in quo nihil circa pœnitentiam invenitur diſpoſitum, quippe in eo ſolum diſcuſſa fuit cauſa Neſtorii Patriarchæ Conſtantinopolitani, ipſeque damnatus, eo quod pernicioſo dogmate aſſereret ſanctiſſimam Virginem Mariam non fuiſſe Dei Matrem, ſed Chriſti, in quo geminas fuiſſe perſonas, humanam ſcilicet, & divinam, beatamque Virginem ſolum humanam perſonam genuiſſe, tenaciter edoceret, lateque propagaret. Et Calcedonenſe quartum œcumenicum anno Domini 451. ſub eodem Leone I. imperante Marciano, cui præſederunt, tamquam Leonis Legati, Paſchaſinus Lilybætanus, Lucentius Arcalinus, Julianus Coenſis Epiſcopi, & Bonifacius Presbyter, in quo Eutyches Presbyter, & Dioſcorus Patriarcha Alexandrinus con-

condemnati ſunt, qui unam tantum in Chriſto naturam, ſeu duas mutua commiſtione ita confuſas, ut in unam coaleſcerent, pertinaciter aſſerebant.

84 In hoc Concilio viginti ſeptem, aliàs triginta canones ad diſciplinam Eccleſiaſticam attinentes conditi ſunt; in eis tamen nihil de pœnitentiis publicis pro occultis peccatis, aut de publica confeſſione invenitur ſcriptum. Neque par eſt credere, quod ſub Leone, qui illum pravum morem ſupra relatum improbaverat, iterum quid ſuſcitaretur, quod talem ſaperet, aut foveret abuſum. Solum in canone 7. indefinite loquitur ſancta Synodus de pœnitentia, quatenus conſtituit, quod ſemel clero, vel monaſticæ vitæ deputatus, ſi ad militiam, vel dignitates mundanas redierit, & non egerit *pœnitentiam*, anathematizetur, donec ad ſuſceptum ſemel propoſitum reſtituatur. Et in canone 16. conſtituit, quod virgines, vel monachi Deo conſecrati nuptias non contrahant, & ſi contraxiſſe inventi ſint, excommunicationi ſubjaceant. Si tamen confiteantur, humanius cum eis loci Epiſcopus agere poſſit. Quod quidem de ſpontanea externa confeſſione ex ſæpius dictis intelligendum eſt.

85 Nunc alia Concilia aut generalia, aut provincialia Eccleſiæ Latinæ horum quinque ſæculorum, qua potero brevitate, tranſcurram, ne faſtidioſus fiam. Duobus primis ſæculis nihil. Sæculo tertio aliquot Carthaginenſia Concilia acta leguntur: primum anno 215. ſecundum anno 217. utrumque ſub Agrippino ſuper rebaptizandis hæreticis. Aliud Lambeſitanum ſub Donato adverſus Privatum hæreticum. Aliud Carthaginenſe ſub Cypriano anno 251. de lapſis, & adverſus Feliciſſimum ſchiſmaticum. Aliud ſub eodem Cypriano anno 252. etiam circa lapſos, cujus ſupra meminimus, & pro noſtra veriſſima ſententia ponderavimus. Alia tria Concilia habita ſunt ſub eodem Cypriano de Baptiſmo, unum anno 254. duo vero ſequenti anno; quæ tamen Concilia ab Eccleſia, utpote ab Stephano Pontifice reprobata, non admittuntur. Aliud Cathaginenſe Concilium ſub eodem Cypriano celebratum legitur anno 253. de Baſilide, & Martiali ad Hiſpaniæ Epiſcopos. In eo aliquod publicæ pœnitentiæ veſtigium reperitur; non tamen ibi agi de pœnitentia publica aſſerendum eſt. Quod vel ex eo probatur; quia ibi ſermo erat de Baſilide, & Martiale Epiſcopis, quibus, ut neque Presbyteris publica pœnitentia injungenda erat. Certe Concilii Patres pro delictis publicis agendam eſſe publicam pœnitentiam ab omnibus Eccleſiæ Epiſcopis, & Cornelio Pontifice conſtitutum fuiſſe affirmant per hæc verba: „ Maxime cum jam pridem nobiſcum, & cum „ omnibus omnino Epiſcopis in toto mundo conſtitutis Cornelius „ collega noſter, Sacerdos pacificus, & juſtus, & martyrio quoque „ dignatione Domini honoratus decreverat hujuſmodi homines (*ido-*

„ *lolatras*

„ *lolatras ſcilicet, & blaſphemos*) ad pœnitentiam quidem agendam „ poſſe admitti, ab ordinatione autem Cleri, atque a ſacerdotali ho- „ nore prohiberi. Unde ibi potius agi de temporali pœna, quam de publica pœnitentia intelligendum ſupereſt. Licet autem in aliquo ſenſu ad publicam pœnitentiam prædicta verba trahi poſſint, ea non reſpiciebat peccatum occultum, ſed publica delicta prædictorum Epiſcoporum, ut ex antecedentibus verbis liquet. „ Quapropter cum..... „ Baſilides, & Martialis nefando idololatriæ libello contaminati ſint; „ Baſilides adhuc inſuper præter libelli maculam cum in infirmitate „ decumberet, in Deum blaſphemaverit,& ſe blaſfemaſſe confeſſus ſit, (en publicum delictum libello accuſatum, en publica externa delicti confeſſio) „ & Epiſcopatum pro conſcientiæ ſuæ vulnere ſponte de- „ ponens ad agendam pœnitentiam converſus ſit, (en ſpontanea confeſſio, voluntariaque pœnitentiæ petitio) „ Deum deprecans, & „ ſatis gratulans, ſi ſibi, vel laico communicare contingeret, (certe non agitur de pœnitentia publica, cujus una pars erat communionis privatio) „ Martialis quoque præter gentilium turpia, & lutulenta „ convivia, & collegia diu frequentata, & filios in eodem collegio, „ exterarum gentium more, apud profana ſepulchra depoſitos, & „ alienigenis conſepultos; actis etiam publice habitis apud procura- „ torem ducenarium obtemperaſſe, ſe idololatriæ, & Chriſtum negaſſe „ conteſtatus ſit: cumque alia multa ſint, & gravia delicta, quibus „ Baſilides, & Martialis implicati teneantur, fruſtra tales Epiſcopa- „ tum ſibi uſurpare conantur, cum manifeſtum ſit, ejusmodi homi- „ nes nec Eccleſiæ præeſſe, nec Deo ſacrificia offerre debere. Nihil in præſenti congruentius inveniri poterat. Clariſſime dignoſcitur agi in prædicto Concilio de pœna fori externi pro publicis delictis contracta, & proculdubio imponenda; non verò de pœnitentia ſatisfactoria ſacramentali, quæ pro occulto peccato in foro interno injungi debuerat. Immò prædictum Concilium plus probat, quam optare potuiſſemus; probat enim, etiam publicos peccatores, ſi vera ducantur pœnitentia, a ſacramentorum ſuſceptione arcendos non eſſe, ſed ad ſalutarem pœnitentiam admittendos.

86 Eodem ſæculo aliqua habita ſunt Romana Concilia,unum anno circiter 240. in quo teſte Ruffino lib. 2. Invectiv. & Euſebio *lib. 6. Hiſtor. cap.* 36. damnatus fuit Origenes a Fabiano Papa, ſive approbata ejus damnatio. Aliud ſub Cornelio Papa anno 251.in quo, ut ait Euſebius dict. *lib.6. cap.*43. ab Eccleſia ejectus fuit Novatianus. Alterum ſub eodem Cornelio anno 252. in quo approbata fuerunt decreta Concilii Carthaginenſis de Baſilide, & Martiale. Alterum ſub Stephano Papa anno 256. adverſus rebaptizantes. Aliud tandem anno circiter 260. ſub Dionyſio Papa, in quo abſolutus fuit Dionyſius Alexandrinus, qui

qui de Sabellianiſmo accuſatus fuerat.

87 Incipiente jam ſæculo quarto celebratum fuit Concilium Alutinenſe in Africa proconſulari anno 304. & Cittenſe Concilium in Numidia circa traditores ſacrorum codicum, de quo Auguſtinus *lib. 3. contra Creſconium cap. 26. & 27.* Habitum etiam fuit Concilium Carthaginenſe anno 312. in quo abſolutus fuit Cæcilianus. Anno ſequenti habitum fuit ſub Melchiade Papa Concilium Romanum, in quo ipſe Cæcilianus abſolvitur, & Donatiſtæ damnantur, ut refert *Optatus lib. 1. & Auguſtinus libr. contra Donatiſtas.* In his omnibus Conciliis circa publicas pœnitentias nullus invenitur canon, nullum præceptum.

88 Emanarunt poſtea canones Concilii Eliberitani, ſive Eliberini in Hiſpania anno Chriſti 313. inter quos multi inveniuntur, qui dicuntur Pœnitentiales, cum potius pœnales dici debuiſſent. Non immoror in exponenda nimia eorum ſeveritate, quam multi crudelitatis accuſant; excuſant alii propter tempora illa, quæ omnem illam ſeveritatem expoſcebant, ut loquitur jam relatus Innocentius in epiſtola ad Exuperium. Utut ſit: illud certum eſt, prædictum Concilium multis in criminibus denegaſſe lapſis viatici communionem etiam in fine vitæ: quod quam durum, quam crudele ſit, & contra canonicam antiquam legem, ut loquuntur Nicæni Patres canone 13. nemo non videt. Deſudant Interpretes ut explicent prædicti Concilii canones; ſi enim intelligantur ut ſonant, multum acceſſiſſe viſi ſunt Novatianis, & Cataphrigibus hæreticis qui omnem reconciliationem pœnitentibus moribundis recuſabant, ut teſtantur Cyprianus *epiſt.* 52. ad Antonianum, & *epiſtol* 67. ad Stephanum Pontificem, Ambroſius, & Pacianus in ſuis de Pœnitentia libris, & Tertullianus *lib. de Pudicitia cap.* 1. quod quidem de orthodoxis Patribus ſuſpicari nefas eſſet, ut ait Baronius Cardinalis *in Annalib. ad an. Chriſt.* 37. *n.* 119. in his verbis: *Cæterum quod ſciamus ejus conventus Eiſcopos fuiſſe Catholicos, de Novatiana hæreſi nulla ſuſpicio eſſe poteſt, cum præſertim hi, licet communionem, tamen pœnitentiam non negarent.* Prædictos canones explicare nititur poſt alios Cabaſſutius *in Notitia Concilior. cap.*7. Neſcio tamen an congrue ad verum ipſorum canonum ſenſum, in quibus ſine dubio agi videtur de extremo Dominici corporis viatico, aliàs non recte diceret Innocentius ſupra relatus: *Sed poſtquam Dominus noſter pacem Eccleſiis reddidit, jam depulſo terrore, communionem dari obeuntibus placuit.* In quibus verbis loqui de viatico moribundis dando certum eſt. Pariter & de hoc loquutos fuiſſe Eliberitanos Patres, mihi vel ex eo aperte conſtat, quod canone 3. agentes de iis Flaminibus, qui poſt pœnitentiam fuerint mœchati, ſic conſtituunt. *Placuit his non eſſe dandam communionem, ne luſiſſe de Dominica communione videan-*

deantur. Dominica autem communio quid aliud ſignificare poterat, quam extremam corporis Chriſti ſuſceptionem? Et in canone 78. ſic ait Concilium de eo, qui cum Judæa, vel gentili mœchatus fuerit: *Quod ſi alius eum detexerit, poſt quinquennium, acta legitima pœnitentia, poterit Dominicæ ſociari communioni*. Quod etiam confirmari poteſt ex Concilio Arauſicano in his verbis: *Qui hujusmodi communionem congruenter viaticum nominarunt*. Sed quidquid de hoc ſit.

89 Quod ad noſtrum attinet inſtitutum, canones illi, ſi rite perpendantur, ad fori externi diſciplinam, atque ad crimina publica vindicanda potiſſimum ſpectare dicendi ſunt. In omnibus fere agunt Patres de danda, vel non danda communione publicis pœnitentibus, & de illis reconciliandis, vel non, ut patet ex *cap*. 1. 2. *&* 3. & multis ſequentibus. Occultis autem peccatoribus vere contritis, veniamque ex corde petentibus nunquam Eccleſia ſacrum viaticum negare conſuevit, nec ſimilis denegationis probationem aliquam ex veteribus canonibus adducere facile erit, nec aliud pietati Eccleſiæ congruum quandoque potuit excogitari; præcipue cum ſacræ communionis præceptum jure divino obligare, ſaltem in articulo mortis, Theologi omnes doceant, cui præcepto nullum aliud humanum prævalere poteſt. In aliis canonibus ſupponunt Patres publicas pœnitentias conſtitutas; non tamen aliquas de novo conſtituunt, aut declarant. In aliis verò tempora ſolum, non autem modum pœnitentiæ decernunt, ut videre eſt in *cap*. 13. 14. 15. 16. 22. 40. 48. 54. 57. 61. 64. 69. 70. 73. 74. *&* 79. Tandem in aliis bene percipitur agere de publicis criminibus; diſtinguunt enim inter ſponte confeſſos, & ab aliis detectos, ut palam fit in *cap*. 76. in hunc modum: „ Siquis ſe Diaconum permiſerit ordinari, & poſtea „ fuerit detectus in crimine mortis, quod aliquando commiſerat, ſi „ ſponte fuerit confeſſus, placuit eum, acta legitima pœnitentia, „ poſt triennium accipere communionem. Quod ſi alius eum dete- „ xerit, poſt quinquennium accipere communionem laicam debere, &c. Quæ verba, ut jam ſæpe monuimus, crimen publicum vel ex confeſſione rei, vel ex accuſatione alterius ſignificare noſcuntur. Idem habetur in *dict. cap*. 78. *Quod ſi alius eum detexerit, &c*. In nullo autem ex capitibus dicti Concilii publicæ confeſſionis, aut publicæ pœnitentiæ pro peccatis occultis ſacramentaliter confeſſis, aut legitur præceptum, aut inſinuatur.

90 Anno ſequenti, ſcilicet 314. habitum fuit Concilium Arelatenſe in Gallia, præſente Conſtantino Imperatore, regente jam Eccleſiam Silveſtro, aſſiſtentibusque Synodo, tamquam ejus Legatis, Claudiano, & Avito Presbyteris, Eugenio, & Quiriaco Diaconis, in quo Donatiſtarum cauſa, ac Epiſcopi Carthaginenſis Cæciliani diſcuſſa fuit; nihil tamen circa publicas pœnitentias ſcriptum legitur. Duo ſu-

pra viginti canones in eo conſtituti ſunt, qui forum externum, publicoſque peccatores omnino reſpiciunt; nam canone 4. agitatores can. 5. theatrici, can. 11. puellæ fideles, quæ gentilibus junguntur, can. 12. miniſtri fœneratores, can. 14. falſi accuſatores, can. 22. apoſtatæ excommunicantur, ſeu communione privantur, quod idem eſt; quæ quidem excommunicatio pœna erat propter illa crimina proculdubio publica.

91 Habita poſtea fuerunt alia Concilia, nempe Romanum ſub Silveſtro anno 325. ubi Nicæna Synodus approbata, & confirmata fuit, aliaque negotia decreta a noſtro inſtituto prorſus extranea. Aliud ſub Julio Papa, etiam Romanum anno 337. in quo iterum Nicæna Synodus confirmatur, Fidei Catholicæ fit profeſſio, & Arii perverſa dogmata damnantur. Aliud Romanum ſub eodem Julio anno 342. in quo Athanaſius communioni, a qua fuerat injuſte privatus, reſtituitur. Anno 346. habitum fuit Concilium Agrippinenſe, in quo Euphratas Coloniæ Agrippinæ Epiſcopus tamquam hæreticus damnatus eſt, & ab Epiſcopatu dejectus, eò quòd Chriſtum Deum eſſe negaret, atque in Spiritum Sanctum inferre blasfemias auſus eſſet. Et hic obiter notandum eſt quod in hiſtoria beati Servatii Epiſcopi Tungrenſis ſuper eodem Concilio refertur. Cum enim aliqui illius Synodi Epiſcopi humanius agere cum Euphrata, & ejus correctionem expectare intendiſſent, cæteri cum eodem Servatio nullatenus acquieverunt, quia aiebat Servatius, eum tamquam hæreticum a jure depoſitum eſſe, atque aliàs duriſſimæ cervicis hominem, a quo pœnitentia expectari non poterat, ut plurimumque eam faciendam eſſe inter laicos, (ſcilicet publicam propter maximum publicum ſcandalum, & quia falſus Doctor eſſet) ſed nullatenus inter Epiſcopos: „ Euphratam, (*aiebat* „ *Servatius*) qui Chriſtum Salvatorem meum Deum eſſe negavit, „ ego nego eſſe poſſe Epiſcopum: cum quo ſæpe (Athanaſio Ale„ xandrino cognoſcente) contendi, diræque conſcientiæ pectus in„ flexibile deprehendi. Cujus & pœnitentia, ſiqua eſt expectanda, „ potius hanc ſentio inter laicos, quam inter Epiſcopos agendam. Nul„ la mora, ſingulis Pontificibus orationes ſimiles ad eamdem normam „ dictantibus, Euphrata deordinatur. Rectiſſime conſtitutum; ſimilis namque indolis homines nullatenus ſuſtinendi ſunt; quia populum falſis corrumpunt doctrinis, improbisve offendunt exemplis; qui cum diſſimulantur, ipſa tolerantia vehementius inſoleſcunt, & in deteriora prolabuntur, poſteaque ſerò medicina paratur.

92 Anno ſequenti celebrata fuit Synodus Mediolanenſis, in qua Photinus damnatur, atque Urſacius, & Valens, qui Arianam, & Photianam hæreſim damnare renuerant, eam tandem oblato libello ejurarunt, & ad communionem reſtituti ſunt. Poſtea habitum fuit Con-

Concilium Carthaginenſe ſub Grato Epiſcopo anno 348. in quo non reiterandum eſſe Baptiſmum jubetur, aliaque circa diſciplinam eccleſiaſticam conſtituuntur; ſed circa pœnitentiam nec verbum quidem legitur ſcriptum. Altero anno, nempe 349. aliud celebratum fuit Concilium Romanum ſub Julio Pontifice, ut receptio Urſacii, & Valentis ad fidelium communionem, id ipſis enixe petentibus, approbaretur, & confirmaretur. Iterum aliud Romanum Concilium factum legitur anno 351. in quo Photinus damnatus eſt. Anno 359. duo Concilia celebrata inveniuntur, unum in Gallia, aliud in Italia Ariminenſe dictum, in quibus de veræ fidei formula tantummodo actum eſt, detectaque fraus, quæ in alia fidei formula in Sirmienſi conciliabulo conſcripta latebat. Sequenti anno in Concilio Pariſienſi actum fuit de eadem fidei formula, & ab Epiſcopatu dejectus Saturninus Arelatenſis. Aliud Romanum celebratum fuit anno 366. ſub Liberio Pontifice, in quo Macedoniani Epiſcopi reſipiſcentes, & fidem Nicænam recipientes denique ſuſcepti ſunt, & ad Eccleſiæ communionem admiſſi. Aliud Romanum anno 367. vel ſequenti ſub Damaſo Pontifice legitur, in quo ipſe Damaſus invidioſe adulterii accuſatus ſe purgavit, & damnati fuere, atque ab Eccleſia ejecti Concordius, & Calliſtus ejuſdem Pontificis calumniatores, ut habetur in Pontificali Romano. Aliud Romanum ſub eodem Damaſo anno 370. in quo fides explicata fuit. In nullo autem horum Conciliorum de pœnitentia actum eſt.

93 Anno Domini 374. habita fuit in Gallia Synodus Valentina: in ea quatuor tantum canones conſtituti ſunt, in quibus aliquid de pœnitentia obiter actum eſt. Prohibet can. 1. ne digami, vel internuptarum mariti in Clericos ordinari poſſint; ſed circa ordinatos optime quidem ad aſſumptum noſtrum ſic ait: „ Placuit etiam de eorum ſtatu, „ qui ordinati ſunt, nihil revolvi, ſi nulla extrinſecus cauſa procedat, „ qua indigni miniſterio comprobentur. Ex quo colligitur neceſſariam eſſe cauſam, cognitionemque extrinſecam, ut contra ipſos ad publicam pœnitentiam procedatur. Canone 2. ſic ait: „ De puellis verò, „ quæ ſe Deo voverunt, ſi ad terreſtres nuptias ſponte tranſierint, id „ cuſtodiendum eſſe decrevimus, ut pœnitentia his nec ſtatim detur, „ & cum data fuerit, niſi plane ſatisfecerint Deo, in quantum ratio „ popoſcerit, earumdem communio differatur. Ibi agi de crimine publico manifeſtum eſt; & tamen nec ſtatim pœnitentia publica indicenda eſt, nec cum indicatur, differenda eſt communio, niſi in quantum ratio popoſcerit. Et ſimiliter can. 3. agit Synodus de crimine publico, & ſervare jubet Synodi Nicænæ canonem. Prout etiam can. 4. agit de ſubmovendis ab ordinibus, vel epiſcopatu, qui tempore ſuſceptionis ſe dixerint mortali crimine fuiſſe pollutos. Quod delictum ex confeſſione ipſorum publicum factum fuit; quod quidem non eſſet, ſi ſola

ſacramentali confeſſione fuiſſet detectum.

94 Alia Concilia habita ſunt ſequentibus annis, nempe Romanum ſub Damaſo, in quo variæ hæreſes damnatæ ſunt anno 379. Cæſarauguſtanum eodem anno contra Priſcillianiſtas. Anno 382. Aquileienſe contra Palladium, & Secundianum hæreticos. Burdigalenſe anno 385. contra Priſcillianiſtas, in quibus nihil ad rem noſtram. Anno 390. celebratum fuit Concilium Carthaginenſe ſub Genſelio Epiſcopo, in quo tredecim canones ſunt conſtituti, quorum ſolus tertius & quartus aliquid circa pœnitentias legitur diſpoſuiſſe. In tertio ſtatuitur, conformiter ad antiquiores canones, quod reconciliatio pœnitentium a Presbyteris non fiat, hoc eſt, ne publice ab ipſis reconcilientur in publica Miſſa. In quarto, quòd ſi pœnitens in periculo fuerit conſtitutus, & reconciliationem petierit, Presbyter Epiſcopum conſulat, & de ejus licentia reconciliet pœnitentem. Supponit Synodus publicas pœnitentias, ſed ad eas eſſe adigendos occultos peccatores, nec aliter a Confeſſoribus abſolvendos, id neque inſinuat Synodus, neque ſupponit.

95 Sequuta fuit Synodus Hypponienſis anno 393. ſub Aurelio Carthaginenſi Epiſcopo, in qua novem canones editi ſunt, nullus tamen circa publicam pœnitentiam. Succeſſit alia Carthaginenſis ſub eodem Aurelio anno 397. in quo quinquaginta canones ſtatuti fuere, inter quos ſoli numero trigeſimus primus, & trigeſimus ſecundus loquuntur de publicis pœnitentibus: uterque comprehenditur in canone 43. qui habetur in codice canonum Eccleſiæ Africanæ, & ſic ſe habet: „ Ut pœnitentibus ſecundum differentiam peccatorum Epiſcopi arbi„ trio pœnitentiæ tempora decernantur. Et ut Presbyter inconſul„ to Epiſcopo non reconciliet pœnitentem, niſi abſentiæ Epiſcopi ne„ ceſſitate cogente. Cujuſcumque autem pœnitentis publicum, & „ vulgatiſſimum crimen eſt, quod univerſam Eccleſiam commoverit, ante abſidem ei manus imponatur. Refertur a Gratiano *cap.* 5. 26. *q.* 7. Perſpicuum redditur hic agere Synodum de publico peccatore; quod autem occultus peccator teneatur publice confiteri, aut publicam agere pœnitentiam, Synodus non decernit, nec ex eo tale præceptum colligitur. Scio Morinum dict. *lib.* 5. *cap.* 9. ex illa adverſativa *Cujuſcumque autem* deducit in prima parte agi de occulto peccatore. Sed male deducit; nam adverſativa illa ſupponit duo genera publicorum peccatorum: unum illorum, qui licet publici ſint, non tamen adeo ſunt ſcandaloſi: alterum illorum, qui ſcandalo ſuo totam Eccleſiam commovent; ideo conſtituit diverſitatem circa impoſitionem manus; nam primi non ita ſolemniter abſolvebantur; ſecundi verò cæremonia erat ante abſidem, veluti publiciori loco, ei manus imponere. Unde eadem adverſativa clare oſtendit ibi ſolum agi de publicis peccatoribus. Miror autem Morinum totius antiquitatis ſcrutatorem, & in

Con-

Conciliis, ac Patribus verſatiſſimum hanc diverſitatem nullatenus attigiſſe. Dato tamen quòd in prima canonis parte ageretur de occultis peccatoribus, nihil propterea inde concluditur; non enim adeo cæcutimus ut dubitemus, aliquando etiam occultos peccatores publicas egiſſe pœnitentias; quòd autem id præceptum eſſet, minime probatur.

96 Succeſſit alia Carthaginenſis Synodus ſub eodem Aurelio anno 398. In ea centum, & quatuor capitula ſcripta leguntur diſciplinam eccleſiaſticam concernentia. Quæ autem ad pœnitentiam ſpectant, ſunt ſequentia: *Cap.* 88. quod etiam refertur in Decreto *cap.* 55. *diſt.* 50. & ſic habet: „ Ex pœnitentibus, quamvis ſit bonus, Clericus non „ ordinetur. Si per ignorantiam Epiſcopi factum fuerit, deponatur „ a Clero; quia ſe ordinationis tempore non prodidit fuiſſe pœnitentem. Si autem ſciens Epiſcopus ordinaverit talem, etiam ab Epiſcopatus ſui ordinandi dumtaxat poteſtate privetur. Si per publicam pœnitentiam contrahebatur irregularitas, quo jure occultus peccator ad publicam confeſſionem, & publicam pœnitentiam cogeretur, ex qua ſimilis inhabilitatis injuria proficiſcebatur? Morinus, Jueninus, & Merbeſius inquiunt, hanc irregularitatem non provenire ex pœnitentia, ſed ex peccato. Non literatorum virorum hæc aſſertio eſt; nam Concilium non imponit hanc pœnam peccantibus, ſed pœnitentibus, & ſupponere videntur pro quocumque mortali, etiam occultiſſimo, irregularitatem incurri, quod nullo jure probabunt. *Cap.* 74. *&* 75. quæ habentur in *cap.* 6. 16. *q.* 7. *cap.* 76. *&* 77. quæ referuntur *in cap.* 8. *ead. cauſ. & quæſt.* Tandem *cap.* 79. 80. 81. *&* 82. quæ refert Gratianus in dict. *cap.* 6. *eadem cauſ. & quæſt.* In nullo autem horum ſermo eſt de occulto peccatore, neque de præcepto aliquo pœnitentiæ ei impoſitæ, aut imponendæ.

97 Sæculo quinto celebratum fuit Concilium Toletanum annò 400. In eo damnati fuerunt Priſcillianiſtæ. Conditi verò circa diſciplinam unus ſupra viginti canones, quorum aliqui publicam pœnitentiam, ſed tamen publicorum peccatorum reſpicere dignoſcuntur. Canon 4. agit de Subdiacono, qui mortua prima uxore, ſecundam, & hac mortua, tertiam duxit uxorem. Canon 16. qui etiam habetur in *cap.* 27. 27. *q.* 1. agit de devota peccante, vel maritum ducente. Canon 17. qui refertur in *cap.* 4. *diſt.* 34. aliàs difficilis, dum concubinatum permittere videtur, agit de uxorato concubinam habente. Canon 18. agit de vidua Epiſcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi, quæ maritum acceperit. Canon 19. agit de filia Epiſcopi aut Presbyteri, aut Diaconi, quæ Deo dicata, & devota maritum acceperit. Omnia autem hæc peccata non occulta, ſed publica dici debent.

98 Sequenti anno celebratum fuit Concilium Carthaginenſe 5. ſub Aurelio. In eo ſolus canon undecimus loquitur de pœnitentibus, quatenus,

tenus conſtituit,quod, *ſi quando Presbyteri, vel Diaconi in aliqua graviori culpa convicti fuerint, qua eos a miniſterio neceſſe fuerit removeri, non eis manus tamquam pœnitentibus, vel tamquam fidelibus laicis imponatur.* Ex quibus verbis patet ſermonem eſſe de crimine publico, de quo *convicti fuerint*. Multa alia leguntur Concilia Carthaginenſia ad numerum uſque decimum tertium ſub eodem Aurelio ab anno ſecundo prædicti ſæculi uſque annum 412. quæ ad rem nihil conducunt, & quod in eis ſtatutum invenitur de pœnitentia publica, idem eſt, quod in aliis antecedentibus conſtitutum jam fuerat.

99 Bracharenſe Concilium ſub Pancratio Bracharenſi Epiſcopo anno 411. quod tamen ſuppoſititium eſſe plurimi autumant, nihil de pœnitentia conſtituit; ſolum enim agit de veræ fidei profeſſione. Zertenſe anno 412. ſolummodo reſpicit Donatiſtarum cauſam. Carthaginenſe, & Melevitanum ſecundum anno 416. Pelagianorum damnationem reſpicit. Tellenſe anno 418. agit de ordinatione Epiſcopornm, & Clericorum, & de hæreticis convertentibus. Aliud Carthaginenſe 6. generale ſub Zozimo, & Bonifacio Pontificibus, præſide Fauſtino Epiſcopo Potentino, celebratum fnit anno 419. In eo, ſi credimus Dionyſio Exiguo, concinnatus fuit codex canonum Eccleſiæ Africanæ, quorum ſolus canon 43. agit de pœnitentibus, de quo jam ſupra loquuti ſumus. In eodem vero Concilio unus, & viginti canones editi leguntur, quorum 9. 10. 11. 12. 13. & 14. de publicis agunt criminibus, ut ex ipſis fit evidens. Aliud Carthaginenſe eodem anno, aliæque particulares Synodi Africanæ a Fernando Diacono collectæ, ut Macrianenſis, Maradianenſis, Septimunicenſis, Suffetullenſis, Thenitana, & Thuſdritana, ſcriptæ inveniuntur, ſed nihil in illis de pœnitentia actum reperitur.

100 Leguntur etiam Concilium Ravennatenſe anno 419. in quo juſſu Imperatoris Honorii diſcuſſa fuit controverſia inter Bonifacium Papam, & Eulalium Antipapam. Aliud Carthaginenſe anno 421. Aliud in Sicilia, in quo dánatus fuit Julianus Pelagiana hæreſi infectus. Aliud Africanum univerſale anno 424. Aliud Gallicanum anno 429. etiam ſuper Pelagiana hæreſi. Aliud Romanum anno 430. ſub Cœleſtino Papa in cauſa Neſtorii. Aliud Regenſe, ſive Reginenſe ſub Hilario Arelatenſi Epiſcopo anno 439. in quibus nihil de pœnitentia. Aliud Arauſicanum anno 441. cujus canon tertius conſtituit, quod pœnitentibus moribundis communio concedatur abſque manus reconciliatoriæ impoſitione; ex quo colligitur non agere de abſolutione ſacramentali, quæ moribundis deneganda non erat, ſed de abſolutione ſolemni. Quartus verò decernit, quod non denegetur pœnitentia Clericis eam deſiderantibus, & nihil aliud circa pœnitentias ſtatuitur. Aliud Vaſenſe anno 442. in quo ſolus canon ſecundus loquitur de hac pœnitentia,

qua-

quatenus ſic conſtituit : „ Pro his qui pœnitentia accepta in bonæ vitæ curſu ſatisfactoria compunctione viventes, ſine cōmunione, nonnunquam tranſitu in agris, aut itineribus præveniuntur, obligationem recipiendam, & eorum funera, ac deinceps memoriam eccleſiaſtico affectu proſequendam. Aliud Romanum anno 444. adverſus Manichæos. Aliud Viennenſe eodem anno in cauſa Chelidonii Epiſcopi Veſontionenſis. Aliud Verolamienſe anno 446. vel ut alii dicunt anno 429. in cauſa hæreſeos Pelagianæ. Aliud Auſturicenſe anno 447. contra Priſcillianiſtas. Aliud Berytenſe anno 448. in cauſa Ibæ. Aliud Britannicum anno 449. in quo Pelagiana hæreſis iterum damnata fuit. Aliud Romanum eodem anno, in quo acta Epheſini conciliabuli reſciſſa ſunt.

101 Hæc ſunt Concilia, hæ Synodi ſunt, quas per quinque priora ſæcula uſque ad Leonem, qui prædictum prohibuit abuſum, celebratas invenio, quæque in collectionibus memorantur. Ad nauſeam fortaſſè hac tam longa Synodorum ſerie lectorem provocavi, nam & ego mihimet ipſi moleſtus fui, dum examinarem. Placuit tamen huic labori non parcere, ut vehementius, & ſecurius Morinum aliàs eruditiſſimum, Jueninum, Merbeſium, aliosque ejuſdem doctrinæ ſectatores in ipſo Morino, quem cæteri ſequuntur, qua poſſem modeſtia reconvenirem. Si pro occultis delictis in ſola ſacramentali confeſſione detectis publica peragenda pœnitentia præcepta eſſet, id apertiſſime conſtitueretur, ne lex ſub verborum involucris lateret, ſcirentque perſpicue fideles qua lege, qua vel præcepto adſtringerentur. Lex clara, & manifeſta, nec verbis obliquis, teſtibus Iſidoro, (19) & Paulo, (20) conſcripta eſſe debet. Ubinam ergo hoc præceptum declaratum, expreſſumque reperitur? Profecto Eccleſiaſticæ leges vel in Conciliis, vel in Pontificum decretis ſtabiliri, decernique opus erat. Cum igitur neque in Pontificum decretis, neque in Conciliis hæc expreſſa lex habeatur, fruſtra deſudat Morinus, ut probet hanc occultorum peccatorum publicam pœnitentiam fuiſſe præceptam. Morinus ipſe eodem *cap.* 8. ſtatim *num.* 1. ſcholaſticos Doctores mordet, eo quod rem iſtam magis ex ingenii ratiociniis, quam ex more Eccleſiæ frequenter doceant, neque antiquos canones, aut Patrum ſententias ante oculos habeant, ut ait *lib.* 2. *cap.* 16. *n.* 3. „ Quia, *inquit*, Theoreticæ Theologiæ toti dediti, de illius praxi rationibus tantum metaphyſicis judicaverunt. Quam autem fallacia ſint ejusmodi ratiocinia in iis, quæ ſpectant ad mores, diſciplinam, & legum obſervationem, vix dici poteſt. Quæſtiones iſtæ ex legibus, canonibus, Patrum dictis, & Eccleſiæ praxi dijudicandæ ſunt, non autem ex nudis argumentationibus, & „ con-

(19) Lib. 5. Etymolog. cap. 21.
(20) Lib. 5. Sentent. cap. 2. tit. 33.

„ conſequentiis ab uno aliquo dato, & conceſſo principio deductis. Bona pace id mihi licitum ſit dicere, hanc ipſiſſimam eſſe in Theologiam Theoreticam hæreticorum averſionem, dum enim ſe jactant Patrum, & Conciliorum, quorum ſenſus frequentiſſime detorpant, decretis inhærere, diſputationem cum Theologis fugiunt, averſantur, eoſque maximo odio habent, quia argumentis invictiſſimis omnes errorum, & errantium cavilloſas machinas diſſolvunt, ac diſpellunt.

102 Author iſte antiquitatum ſtudio illectus, & acquiſita notitia ſurſum elatus, quod plus aliis proſpexerit, non timuit de ſe ipſo prædicare. Multos quidem offendere viſus eſt. An Baronios, Belarminos, Suarios, Natales Alexandros, alioſque ſimiles credemus canones antiquos, Pontificum decreta, Patrum ſententias ignoraſſe, non vidiſſe, neque genuinum ſenſum caluiſſe? Hebes proculdubio fuit doctiſſimus Francolinus, qui hæc omnia longo ſtudio perſcrutatus eſt, hebetes & nos ſumus, qui cum hæc evolvere non faſtidiret, minime potuimus Morino in hac parte acquieſcere, ejuſque ſententiæ calculos addere. Timeo tamen, ne Morinus eumdem lapidem in alios immiſſum ſæpe, ſæpiſſimeque corrodat. Inſtituamus judicium, ac in veritatis ſtatera libremus, quæ poſſit potiori jure accuſari ratiocinatio, an quæ principiis certis, intrinſecæque rationi innititur, & ex ea obſcuriorum canonum interpretationem capit, an verò quæ ſpretis principiis, parvique habita ratione, ſuam ſententiam obfirmat his principiis, huicque rationi contrariam, & ad hunc finem ratiociniis ex proprio ingenio depromptis, multiſque argumentis, ſuo ſolum judicio invictis, Patres detorquet, canones inflectit, decreta excruciat, quæ veluti rudentibus abducta, ac invita trahuntur?

103 An ipſe ſolus canones, decreta, Patres præ oculis habuit? An ipſi ſolum a ſupremo Numine datum eſt, ut legeret, ut intelligeret, ut ſcite interpretaretur? Ecce nos, licet tantilli, etiam legimus, etiam in fontibus haurire potuimus, & ſaltem in ipſo tranſcriptas, ſeu truncatas ſententias vidimus, verum ſenſum perſcrutati ſumus, nec tamen ejus ſententiæ acquievimus, immo contrariam carpere viam ad ſtabiliendam veri dogmatis ſecuritatem neceſſarium duximus. Forte erramus, & ſupra alios poſiti videmus, nec retroacta ſæcula conſpicimus, & conſideratione percurrimus? Ita ſit. Sed quid de aliis ſentiemus? An Nectarius leges, mores, canones, praximque ſui ſæculi ignoravit, cum prædictum ſuſtulit abuſum? An cæteri Eccleſiæ Doctores, Epiſcopique etiam ignorabant, ut contra canonum regulas, contra receptum univerſalem morem ſine contradictione, ſine reluctamine uni ſoli Nectario hanc legem, hunc morem ſine aliorum conſilio abroganti illico acquieverint? An ſanctiſſimus, doctiſſimuſque Leo etiam ignorabat hos antiquos canones, hoc conditum præceptum,

cum prohibuit illum *nuper*, ut ait, introductum morem, eumque vocavit *illicitam præſumptionem contra Apoſtolicam regulam. & improbabilem conſuetudinem*? Erravit iterum, canonesque ante oculos non habuit, cum ad Nicetam Aquilienſem reſcripſit, *contrarium eſſe rationi eorum illos cernere pœnas, quorum non valent neſcire cauſas*? An canones, mores, praximque Eccleſiæ neſciviſſe dicendus eſt Innocentius I. in epiſtola ad Exuperium jam ſupra relata, cum dixit, *non habere latentia peccata vindictam*? An antiquorum canonum notitia deſtitutus fuerat Alexander III. jam ſupra a nobis adductus, cum ad Oxonienſem Epiſcopum reſpondit, *non eſſe tutum* pœnitentiam publicam ſecreto injungere peccato, immo occultam juſſit imponere pœnitentiam? An canones neſciebant, Eccleſiæque morem ignorabant Patres Concilii Agathenſis, & Concilii Aurelianenſis, & aliorum Conciliorum, cum adhuc pœnitentiæ publicæ in more eſſent, dum pro occultis delictis ſecretas correptiones, ſecretas præcipiunt pœnitentias? An canones antiquos, ac eccleſiaſticas leges ignorarunt Tridentini Patres cum conſtituerunt, id nulla humana lege conſtitui potuiſſe? Aut omnes iſti decepti ſunt, aut deceptus eſt Morinus, cum hanc latam pro peccatis occultis publicæ pœnitentiæ legem, hunc laudabilem, laudatumque morem tam longo argumentorum, & authoritatum cumulo contendit ſtabilire.

104 Hoc ultimum Conciliis, Patribus, antiquis canonibus, Pontificiisque decretis jam ſupra demonſtravimus. Supervacaneus tamen labor fuit. Morinum, aliosque ejusdem ſectæ profeſſores Morinus ipſe revincit. Nam imprimis *d. lib. 5. cap. 8. num. 18.* ſic ait. „ Non ſum „ neſcius multos, & inſignes Doctores contrarium ſentire, & opina- „ ri pœnitentiam publicam pro peccatis occultis jure imponi non poſ- „ ſe..... Potiſſimum eorum fundamentum eſt, pœnitentia publica „ occultum crimen revelari, quod ex omnium conſenſu fieri nun- „ quam debet. Recte mea quidem ſententia, & appoſite ad hodier- „ num morem, (*diſcant qui nunc introducebant*) quo pro peccatis „ publicis nullæ aguntur pœnitentiæ publicæ, nedum pro occultis. „ Imprudentiſſime ſane nunc pro crimine occulto pœnitentia publica „ non petenti, & efflagitanti imponeretur, immo vix petenti, & efflagitanti, ut ſunt mores noſtri, eſſet imponenda. Sed ut antiqua ſæ- „ cula prætermittamus, ratio iſta ante quadringentos annos nullius æſ- „ timata fuiſſet roboris, &c.

105 Sic diſcurrit ille; ut tamen revincam, aliena verba ſuſcipio, Francolini ſcilicet, ſtatim in principio libri tertii de Diſciplina Pœnitentiæ, ubi ſic Clericum Romanum præmonet: „ Dum diſciplinam „ pœnitentiæ tibi propono, teſtimonio Doctorum, qui his poſtre- „ mis ſæculis floruere, in tota Eccleſia cuſtoditam, ne putes aliam

„ contrariam, ſeu diverſam ante id tempus fuiſſe traditam: immo
„ crede firmiſſime, eamdem fuiſſe ab initio Eccleſiæ receptam. Cum
„ enim de doctrina, ac diſciplina agam, quæ non verſatur circa ritus
„ accidentarios, & extrinſecos ſacramento, ſed circa partes ipſius,
„ quales ſunt dolor, propoſitum, confeſſio, abſolutio, & ſatisfactio,
„ prout eſt neceſſaria ad ſacramentum, & ad expiationem peccato-
„ rum, eaque fundetur in ſola inſtitutione Chriſti Domini firma,
„ ſtabili, & penitus invariata, non potuit Eccleſia uno tempore
„ unam doctrinam, & alio aliam diverſam, & multo minus con-
„ trariam ſequi, & approbare: uno tempore docere id eſſe neceſſa-
„ rium, & alio non, ut pœnitens valide, & utiliter abſolvatur. Quæ
„ fuit ergo circa hæc aliquot ſæculorum doctrina, fuit omnium, quæ
„ poſt inſtituta novæ legis ſacramenta fluxere, eademque erit ſem-
„ per.

106 Aptiſſime quidem ad rem noſtram. Ego tamen Morino paululum annuere non repugno, ut ab ipſo inquiram, utrum ad retroacta ſæcula ipſe ſcriberet, utrum ad præſentia? An moribus antiquis jam non vigentibus, an verò hodiernis ſe conſonum debuerat exhibere? An pluris æſtimabat doctrinam antiquiorem, non verò noſtris moribus conformem edocere, ac prædicare? Antiquiora, quæ neque vigent, neque vigere debent, ut plurimum ad eruditionem ſpectant, ad doctrinam non multum proſunt, & fortaſſe obſunt; neque enim omnes, prout diverſa tempora expoſcunt, doctrinas diſtinguere, diſcernereve norunt. Mirum ſane eſt, quod ſententiam noſtris nunc moribus accomodandam, ab omnibusque horum ſæculorum Theologis approbatam paucis in lineis comprehendat; eam verò, quæ nunc imprudentiſſima foret, ut fatetur, multis capitulis, & numeris latiſſime diffundat. Quæ ejus mens fuerat, qui animus? Antiquos, quos deprædicat, ſuſcitare mores, praximque jam abolitam, dum maximis præconiis effert, iterum introducere? Hic finis, hoc ſtudium, hic ſcopus Rigoriſtarum Novatorum totus eſt, ut Pœnitentiæ ſacramentum, vel è medio tollant, vel ſaltem ejus uſum. Non diffitetur Morinus, quod imprudentiſſime nunc publica pœnitentia imponeretur, ſic enim habent mores noſtri: ſapientius diceret, quia ſic exigit ipſa intrinſeca ſacramenti, & ſigilli ſacramentalis ratio. Non hæc a moribus, ſed mores ab illa dependent, & cum ea conformari debent. Ratio intrinſeca ſecreti ſacramentalis cum ipſo ſacramento ab initio ſemper extitit, omnique ævo retinenda eſt. Mores illi contrarii, mores non ſunt, ſed abuſus omnino abolendi, non verò laudandi, & iterum introducendi.

107 Aſſerit, potiſſimum fundamentum cur publicæ pœnitentiæ injungi non debent, illud eſſe, quia occultum crimen per illas revelatur. Id fieri nunquam poſſe, omnium ſententiam eſſe non inficiatur,

&

Digitized by Google

& ipſe lubens ſubſcribit. Siſtit tamen, nec progreditur. Eccur autem ea ſigilli obligatio ſic impoſita, ſic conſtituta, ſic cum ipſo orta Pœnitentiæ ſacramento? Tacet Morinus, ſed exprimunt omnes. Etiam D. Thomas, etiam Alenſis, etiam Joannes de Friburgo, etiam Vaſques, quos pro ſua adducit ſententia, nullatenus recondunt. Quia ſcilicet Pœnitentiæ ſacramentum, aliàs naturali hominum conditioni quodammodo arduum, & repugnans, ita inſtitui oportebat, ut facillimum fieret, oneroſumque non redderetur. An hæc ratio non ſemper viguit? An *ante quadringentos annos nullius æſtimata fuit roboris*? Dubitarunt de ea aliquando Patres, aut Theologi? Forſan hæc intrinſeca ratio mutationem aliquam recipere poteſt?

108 Certe id negare non queunt aut Albaſpinæus, quem ſequitur Morinus, neque Morinus ipſe, neque eum ſecutus Jueninus. Quid ergo? Recurrunt ad mores, horumque ſecundum diverſa tempora differentiam. Sed quæro: Mutata forte ſunt hominum genia, ut primorum ſæculorum fideles naturali pudori non ſubjicerentur, ſubjiciantur nunc? Tunc non erubeſcebant peccata ſua publice propalata, erubeſcunt hodie? Tunc pœnas, infamiamque inde ſecutam non reformidabant, nunc reformidant? Quo plus ſæculum illud virtutibus, virtuoſiſque fidelibus abundaret, eo magis verecundior fieret peccatorum manifeſtatio. Quo plus vitia creſcunt, & depravati homines rempublicam offendunt, eo minus publica pœnitentia nimii pudoris cauſa eſſet. Is igitur rubor, qui nunc fideles a ſacramento, ejuſque frequentia absterreret, illis primis ſæculis fidelium animos fortius confunderet, vehementius agitaret. Si is rubor, ſi timor iſte, ſi hæc naturalis verecundiæ ratio ſic in conſideratione habetur ab univerſa Eccleſia, cum adeo benigna eſt ſacramenti adminiſtratio, quomodo attendi non debuiſſet, cum ſevera, ut aiunt, & ſeveriſſima fuerat Eccleſiæ diſciplina? Profecto hunc ruborem præ oculis habuit Chryſoſtomus cum dixit: *Lacrymæ lavent peccatum, quod voce pudor eſt confiteri*: habuerunt quoque omnes, quos ſupra retulimus. Hoc periculum arcendi a Pœnitentiæ ſacramento profunde rimavit Sanctus Leo, cum, illam reprobans improbabilem conſuetudinem, ſcripſit: *Tunc enim demum plures ad pœnitentiam poterunt provocari, ſi populi auribus non publicetur conſcientia pœnitentis.*

109 Huic invictiſſimo, & ineluctabili fundamento quid objiciunt? Principiis certis annuunt, ne renuentes hæretici habeantur. Ex iis tamen neceſſarias deductas conſequentias ratiocinia vocant, quæ recentiores (ut per calumniam jactitant) Caſuiſtæ ingenioſa licentia adinveniunt. Nullus tunc (inquiunt) pœnitentiæ publicæ pudor erat. Aſt Patres etiam tunc eum pudorem adhuc in ſecretis confeſſionibus ſeveriſſime reprehendebant. Nullum periculum (aiunt iterum) arcendi fideles a

Digitized by Google

ſacramento tunc verſabatur. Verum antiquiſſimi ſancti Patres illud timebant, illud præcavere curabant. Tunc (ulterius aſſerunt) ex publicis pœnitentiis nulla occulti peccati cognitio reſultabat. Sed Sanctus Doctor Auguſtinus in Symbolo ad Cathecumenos, citra ullam temerarii judicii labem, de publicis pœnitentibus ſic publice prædicabat: *Illi, quos videtis publicam agere pœnitentiam, ſcelera commiſerunt, aut aliqua facta immania.* Ex quibus verbis infert Francolinus dicta *diſp. 6. Eſt igitur evidenter falſum conſueviſſe immiſcere ſe cum pœnitentibus etiam innocentes.* Et Synodus Colonienſis in Enchiridio Chriſtianæ inſtitutionis *tit. de Confeſſ. §. Reſtat ut* agens de pœnitentia publica ſic ait: *Qua pœnitentia, etſi qui deliquit non proderet ſpeciatim crimen ſuum, tamen ipſo facto confitebatur, & declarabat Eccleſiæ ſe graviter deliquiſſe.* Tunc (proſequuntur) maximus erat pœnitentiæ ardor, plurimique libentiſſime, & ex propria devotione has petebant, & amplectabantur pœnitentias. Dormientes profecto teſtes adhibent. Non adeo plures erant, nec innocentes: idque ſuadet, quod ſcriptores hos caſus, in quibus aliqui innocentes eam ſubiere pœnitentiam, ut raros, & ſpeciali memoria dignos commemorant. Sed eſto plurimi innocentes, ſolumque venialibus culpis innodati has agerent pœnitentias, multo plures proculdubio erant, qui publicas pœnitentias repugnarent: igitur cogendi non erant; quanto enim plus graviores tunc erant publicæ pœnitentiæ, tanto difficilius ſuſciperentur ab iis, quos amor ipſe, & propria voluntas non impelleret, ac conſequenter ad ſecretam confeſſionem accedere formidarent.

110 Tandem, quam maxime nobis commendant antiquæ Eccleſiæ fideles publicis pœnitentiis addictos, quarum uſus nullum cæteris fidelibus ſcandalum, ſed exemplum progignebat. Et nos cum multos videmus publice pœnitentes, ædificamur, Deumque in ſuis miſerationibus collaudamus. Fortaſſis & nunc frequentiores ſunt publicæ pœnitentiæ, quam tunc erant; illis namque primævis temporibus nec religiones erant, nec ſodalitia, nec confraternitates, nec tam crebra Eccleſiarum, & ſacramentorum frequentia, non plenariæ indulgentiæ, non pleniſſimi jubilæi, quæ omnia cum maxima ſpirituali lætitia, maximoque profectu experimur. Multos conſpicimus viſitare templa, viam ſacram currere, humi ſe proſternere, ad ſacerdotum pedes ſe provolvere, tundere pectus, lacrymas effundere, aliaque ſimilia peragere, quæ certe publicam odorantur pœnitentiam. De his publicis pœnitentiis, publicisque pœnitentibus loquuntur forte D. Thomas, Alenſis, & cæteri; & ſi de his loquitur Morinus, & loquuntur cæteri, ſuæ ſententiæ libenter adſcribimur; qui enim pro peccatis publice pœnitentiam agunt ex propria devotione, etiam ex conſilio Confeſſorum, aut Directorum ſuorũ, ſacro ſigillo non adſtringuntur, nec qui vident, ſciunt, an

an ex præcepto confeſſionis, an ex propria voluntate id fiat; non tamen inde concluditur ipſas publicas, ſolemneſque pœnitentias, de quibus agimus, præcipi potuiſſe, ſicut neque hodie præcipi poſſunt. Ratio ſemper eadem fuit, iidem ſemper mores, eadem ſemper vitia. Multi profecto ſunt caſte, devote, & pie viventes, ſed multo plures peccatores. Sic mundus ſemper fuit, eritque ſemper. Quæ nunc ſunt, utique videmus; quæ fuerint, nonniſi ex relatione ſcriptorum cognoſcimus. Certe ſcimus illis primis Eccleſiæ ſæculis, ſtatimque in ipſo naſcentis Eccleſiæ exordio multos fuiſſe avaros, rapaces, idolorum cultores, maſculorum concubitores, id teſtante, reprehendenteque Paulo, prophetanteque ex ipſiſmet ejus diſcipulis futurum eſſe quod exurgerent viri perverſi. Scimus multos fuiſſe adulteros, multos bigamos, inceſtuoſos, fures, homicidas, perduelles, conſpiratores, a fide lapſos, moribus gentilium, & etnicorum maculatos, multas quoque hæreſes frequentiſſime ſuſcitatas, multoſque hæreticos; ideoque tam frequenter a ſanctis Apoſtolis, Patribuſque ſanctis reprehendebantur; ideo tam graves pœnæ, tam ſeveræ pœnitentiæ injungebantur: ac proinde non adeo diſcrepabant mores illi a moribus hodiernis, ut diverſa, diverſiſſimaque tunc eſſet ratiocinandi ratio.

III Et ut concludam, tranſcribere libet doctiſſimum Francolinum, qui certe omnem antiquitatem eviſceravit, & dicto *lib.* 1. *diſp.* 8. *num.* 9. ſic ait: „ Ego verò iterum aſſero, per ſummam audaciam „ dici, hanc fuiſſe veteris Eccleſiæ in adminiſtrando ſacramento Pœ- „ nitentiæ diſciplinam. Ex hac enim aſſertione ſequitur primò, quod „ etiam pro peccatis occultis debuit ex præcepto Confeſſarii fieri pu- „ blica pœnitentia, quod vidimus repugnare inſtitutioni ſacramenti „ Pœnitentiæ. Secundo ſequitur fuiſſe ab Eccleſia veteri conditos ca- „ nones, & præcepta obſervantiæ difficillimæ, quæ proinde obſerva- „ ri non poterant; leges autem hujuſmodi nonniſi imprudentiſſime „ fieri, conſtat apud omnes. Quod autem difficillimum ſit pro quo- „ vis peccato agere publicam pœnitentiam, patet primò, quia certe dif- „ ficillimum eſt eam agere pro occultis, nempe omnibus manifeſtare „ ſe graviter deliquiſſe. Patet ſecundo, quia cum graviter peccare „ fuerit ſemper malum ſatis frequens, & commune, jam debuiſſent „ fideles ſemper eſſe ſub jugo pœnitentiæ, & expelli ab Eccleſia, cum „ Sacerdos rem divinam faciebat. Unde ſequitur tertio Eccleſiam ve- „ terem reddidiſſe maxime odioſum ſacramentum Pœnitentiæ, quod „ eſt certe contra hujus ſacramenti inſtitutionem. Sequitur quarto, fe- „ re omnes veteris Eccleſiæ fideles vel non confeſſos fuiſſe, ne ſubi- „ rent hujuſmodi onus, vel confeſſos hujuſmodi onus non adimpleſ- „ ſe; nam, ut conſtat ex Patribus, & Scriptoribus Eccleſiaſticis, „ perpauci erant, qui publicam pœnitentiam facerent, cum è contra

„ innu-

„ innumeri ſemper fuerint, qui culpas lethales committerent. Sequi-
„ tur quinto, non fuiſſe in Eccleſia veteri uſum confeſſionis auricularis,
„ aut purè auricularis, quæ non eſſet ordinata ad pœnitentiam publi-
„ cam. Hæc ſane abunde demonſtrant, falſum eſſe, pro quovis deli-
„ cto publicam pœnitentiam fieri debuiſſe, niſi nomine pœnitentiæ
„ publicæ intelligatur quæcumque publica ſignificatio pœnitentiæ,
„ quamvis nihil aſpera, & laborioſa, quales ſunt pœnitentiæ, quæ
„ fiunt ſponte a religioſis ſimul congregatis, dum oſculantur aliorum
„ pedes, orant brachiis elevatis, publicam, ſed generalem ſuarum
„ culparum confeſſionem faciunt, aliaque hujuſmodi præſtant. Si enim
„ hæc, & ſimilia facta olim fuiſſe in Eccleſia publice à quibuslibet le-
„ thalis culpæ reis, velit Juenius, non repugnabo; ſed aliquid plus
„ videntur ſignificare Patres, dum de publica pœnitentia agunt, alio-
„ quin etiam modo fieret in Eccleſia pro quovis peccato publica pœni-
„ tentia, cum etiam modo, quicumque confitetur, Sacerdotis ſe
„ pedibus publice demittat in Eccleſia, expectet humiliter audiri,
„ confiteatur, ſecrete quidem, ſed coram omnibus, recitet in conſ-
„ pectu omnium injunctam pœnitentiam, & antequam communicet
„ generalem ſuarum culparum confeſſionem publicam peragat: nemo
„ autem dicit, modo pro quovis peccato fieri publicam, ut olim in
„ Eccleſia veteri, pœnitentiam. His argumentis accedit manifeſta
„ authoritas Patrum, quorum aliqui aſſerunt, pro ſolis maioribus
„ culpis factam eſſe publicam pœnitentiam; alii pro ſolis publicis,
„ quæ ſcandalum prabuiſſent. Hac de cauſa tot Concilia, tot Decre-
ta recitavi ſupra, ut perſpicuum fieret ut plurimum peccata publica,
& enormia reſpexiſſe.

112. Quia tamen Francolinus ipſe non adeo (quod ſciam) notus
eſt, neque noſtris hiſce partibus admodum verſatus, opere pretium erit
eum recenſere alio in loco, ubi rem omnem mire expedit, ſcilicet *lib.
2. de Pœnitentiæ Diſciplina cap.* 13. *a n.* 15. Sic diſcurrit: „ His ad
„ tuam memoriam revocatis, ex ſingulis oſtendo, non debuiſſe ab
„ Eccleſia in foro ſecreto pœnitentiæ pro delictis, præſertim occultis,
„ immo nec paſſim, & ſemper pro publicis imponi, & præcipi cano-
„ nicas pœnitentias.

„ Ex eo enim, quod pœnitentia ſtatuta per canones ſemper, aut
„ ferè ſemper publica eſſet, ut oſtendi, ſi ea pro delictis etiam occul-
„ tis imponi debuiſſet, ex confeſſionis ſacramentalis uſu hæc mala
„ plerumque eſſent exorta. Primo infamia confitentis, quem in ali-
„ quod grave delictum fuiſſe prolapſum, certo argumento fuiſſet ge-
„ nus ipſum pœnitentiæ, quæ pro ſolis gravibus imponebatur. Secun-
„ do ſcandalum, quod ſolet oriri ex notitia commiſſi peccati, quod-
„ que longe magis incitat alios ad peccandum, quàm ad amorem vir-
„ tutis

„ tutis incitet ipſa peccantis pœnitentia, cum præſertim qui peccavit,
„ authoritate cæteris præeſt, debuiſſetque aliis virtutis exemplo præire,
„ ut certe multi publice pœnitentes fuiſſent. Tertio ſuſpiciones innu-
„ meræ, & quæ ex his oriri ſolent, temere concepta judicia de factis
„ alienis, interpretationes malignæ, odia, ſimultates, perturbatio
„ demum totius reipublicæ. Cum enim ex publica pœnitentia ſpecies
„ peccati colligi non poſſet, ſed ejus ſola gravitas, jam (ut malignif-
„ ſimus in pleriſque eſt timor, & amor) prædicta uxorum, filiarum,
„ ſervorumque pœnitentia argumentum maritis, parentibus, domi-
„ nis facile fuiſſet aut fidei, aut virginitatis, aut juſtitiæ violatæ.
„ Quarto odium in ipſum ſacramentum, quod horum, aliorumque
„ malorum cauſa haberetur; odium autem ſacramenti omnes ab eo
„ avocaſſet, & præterea perperiſſet odium, & contemptum religionis,
„ iſthæc curandis malis remedia proponentis, & quamdam in ſubje-
„ ctos populos tyrannidem exercentis. Demum injuria maxima ſa-
„ cramenti contra ejus inſtitutionem adminiſtrati. Ut enim contra
„ hujus ſacramenti leges, & inſtitutionem feciſſet Eccleſia, ut docet
„ S. Leo in ea celebri ad Epiſcopos per Samnium, Campaniam, &
„ Picenum conſtitutos, ſi pœnitentes coegiſſet occulta peccata publi-
„ ce confiteri, ita contra eamdem feciſſet, ſi eosdem coegiſſet publi-
„ ce pro delictis occultis pœnitere, cum ex utroque redundet infamia
„ pœnitentis, ſcandalum fidelium, ſimultates, diſcordiæ, domo-
„ rum, & urbium perturbatio, odium tandem, & quidem ingens,
„ ſacramenti; neutrum ergo facere umquam debuit Eccleſia: ergo
„ canonicæ pœnitentiæ non debuerunt imponi, & præcipi in foro in-
„ terno, & ſecreto.

„ Ex eo quod pœnitentiæ canonicæ diſciplina tot canones com-
„ plectebatur, alios, quibus pœnitentia tanti temporis ſtatuebatur,
„ alios, quibus eadem ſic diſtribuebatur, alios, quibus ſic temperari,
„ ſic minui, ſic redimi, ſic relaxari poſſet; ſi pro omnibus delictis
„ hæ regulæ ſervandæ fuiſſent, infinitus labor tolerandus fuiſſet a mi-
„ ſeris Confeſſariis, & circa unum pœnitentem innumera judicia,
„ eaque plena laboris inſtituenda, & variæ pœnitentiæ cum ſuis di-
„ verſis regulis imponendæ, una pro homicidio ex mandato domi-
„ ni, & ex metu commiſſo, eaque ſic facienda tot annis, tot quadra-
„ geſimis per annum, tot feriis per hebdomadam; aliæ pro homici-
„ dio ex negligentia, & caſu aliquo commiſſo, eaque hoc, & illo mo-
„ do facienda; alia pro perjurio, eaque ſic facienda primo anno, ſic
„ reliquis annis; alia pro furto ex cupiditate, eaque ſic adimplenda,
„ alia pro furto ex aliqua neceſſitate, alia pro mollitie, alia pro tactu
„ inhoneſto: demum tam multa, eaque tam diverſa fuiſſent injun-
„ genda, ut vix unus tota die pœnitens fuiſſet auditus, ejuſque
„ judi-

„ judicium abſolutum. Quo ſane modo deterrendis, fatigandis, occidendisque pœnitentibus, & Confeſſariis aptiſſime noluit hoc ſacramentum adminiſtrari Chriſtus Dominus, qui ſic inſtituit remedia neceſſaria, ut noluerit ea difficillime comparari, adhiberique.

„ Ex eo quod pœnitentiæ canonicæ, adulteriis, homicidiis, „ perjuriis, aliisque hujusmodi delictis puniendis ſtatutæ, erant tam „ aſperæ, tam luctuoſæ, tam longæ, infero, eas non debuiſſe imponi, & exigi in foro ſecreto pœnitentiæ; alioquin Eccleſia veniam „ negaſſet omnibus adulteris, omnibus homicidis, omnibus perjuris, „ aliisque innumeris, eisque vix in morte eam indulſiſſet: ſiquidem „ negare cenſetur veniam qui eam paratu difficillimam facit. Quam „ autem difficile erat homini vitiis, ut horum plerique ſunt, enutrito, plures annos coram cognatis, amicis, ſociis ſubinde irridentibus, digito notantibus, ante fores templi in ſacco, & cinere „ deflere; alios inde annos in porticu templi, aut in ejus angulo manere ſimul cum etnicis a fidelibus ſegregatum; alios poſtea in „ medio templo orare proſtratum humi, jacentemque advolvere ſe „ pedibus ſacerdotum, veniam petere demiſſiſſime, & interim publicis omnibus muneribus, ſpectaculis, conviviis, omnique fere hominum conſuetudine abſtinere, ſolo pane plerumque veſci, temperare vino, ſomno non indulgere, Deum perpetuo, & homines „ exorare. Experire modo, & veniam promittere adulteris, hac lege „ impoſita, ut prius hanc, quam deſcripſi, vitam per ſeptem, aut „ decem annos in ſacco, & cinere lugentes tranſigant. Quot, putas, „ adulteri tot annorum receſſum, fletum, pudorem, jejunia tolerabunt, & veniam referent? Crede mihi, audita lege recedent omnes, „ aut fere omnes, & deſperabunt.

„ Dicent, meliores fuiſſe veteris Eccleſiæ fideles. Fuerint, (quod, „ an verum ſit, ſcies ex iis, quæ dicam infra) fuerint meliores multi. At hi, qui meliores fuere, non fuerunt adulteri, fures &c. De „ his modo loquimur, de veteris Eccleſiæ adulteris, furibus, homicidis, perjuribus: hi meliores non fuere adulteris, furibus, homicidis noſtrorum temporum, ſed pares utique, immo peiores illi, „ utpote tam mali inter fideles tam bonos, & longe (ut dicunt) „ nobis meliores. Igitur his omnibus, aut fere omnibus veniam vetus Eccleſia denegaſſet, & ægros a remediis neceſſariis contra „ eorum inſtitutionem, & Chriſti Domini exemplum avocaſſet.

„ Ex eo tandem, quod fuerant ſtatutæ pœnitentiæ valde graves, „ longæque pro gravibus omnibus delictis, externa actione commiſſis, immo etiam nec delictis, aut vix delictis, ut ſunt illa, quæ num. „ 13. commemoravi, ſi hæ debuiſſent in foro interno imponi, debuiſſent omnibus hominibus, aut ſaltem plerisque, aut ſaltem quam-

„ quamplurimis imponi; cum plerique certe quamplurimi hæc delicta, & vix delicta, aut nec delicta committerent. Si autem debuiſſent pleriſque, aut ſaltem quamplurimis imponi, fuiſſent impoſitæ de facto,& rurſus fuiſſent ſaltem plerumque a pœnitentibus peractæ, alioquin non is, qui dicitur, in veteri Eccleſia fuiſſet amor pœnitentiæ, ac diſciplinæ. Igitur plerique fuiſſent de numero pœnitentium, plerique, ſaltem quamplurimi, in ſacco, & cinere præ foribus templorum planxiſſent, plerique jejunaſſent, plerique ea, quæ ſupra recenſuimus, peregiſſent. Hos autem, qui iſta facerent, fuiſſe pauciſſimos, omnia antiquitatis monumenta teſtantur, &c.

113 Hæc fortiſſima argumenta, & quæ invincibiliter intellectum trahunt ad aſſenſum, Theologiæ Theoreticæ ratiocinia Morinus vocat. Videamus tamen an ſua ſolidiora ſint. Pergit igitur, & numero ſequenti refert Joannis Puteani ſententiam, qui affirmat, pœnitentem jure naturali teneri ad acceptandam publicam pœnitentiam, quam Confeſſarius ad reparandum publicum ſcandalum neceſſariam judicaverit. Dicit, negare omnes hac impoſitione aliquid contra ſigillum committi. Non de hoc nobis quæſtio eſt; ut enim jam ſupra tetigimus, poteſt Confeſſor, immo & debet, adigere pœnitentem, ut publice reſtituat famam, cui publice detraxerat: ut publice retractet errorem, quod publice diſſeminaverat: quod vero domino ablata reſtituat, quod damnum illatum reſarciat, quod concubinam dimittat, quod publicam peccati occaſionem omnino devitet; in hoc enim nihil aliud facit, quam pœnitentem de ſua obligatione admonere, cui, dictante ſic naturali, & divino jure, tenetur obedire, & cui ſi non obtemperaverit, indiſpoſitus cenſebitur. Unde id faciendo, non in Confeſſarium convertitur culpa violati ſigilli, ſed ipſe pœnitens id exequitur, quod exequi tenebatur. Quid igitur de ſententia Puteani quoad pœnitentiam publicam, quæ hos actus non reſpiciat, & quæ pœnitentibus difficultatem, aut ruborem, aut averſionem generet ſacramenti, ſentiendum ſit, aliis relinquo judicandum, meus namque nunc ſcopus eſt Morinum reconvenire. Ait: *Negant omnes* (profecto non omnes, complurimi enim reluctantur) *hac impoſitione aliquid contra ſigillum committi, multo ſane minus cum peccatum occultum eſt. Quidquid autem dixerint ad amoliendam contempti ſigilli invidiam de impoſitione pœnitentiæ publicæ pro peccato publico, illud probabiliori ratione peccato occulto per pœnitentiam publicam caſtigatio imputabitur.* Hæc argumentatio parogiſmus mihi videtur, non ſyllogiſmus. Hanc certe ſyllogizandi artem non attingo. Argumentum a faciliori ad difficilius neque in Jure, neque in Philoſophia alicujus ponderis eſſe adinvenio: & multo minus cum illo *multo ſane minus*, quo Morinus utitur. A ceſſante ratione valere argumentum, id invenio; id retorqueo; nam

T ad

ad pœnitentiam publicam peccati publici, & ſcandaloſi ratio datur vitandi ſcandali, & quia ex ipſa publica pœnitentia nulla alia oritur notitia peccati, quæ an ea jam publica non eſſet: aſt in peccato occulto neque ratio datur ſcandali vitandi, neque alia ſcientia peccati commiſſi, quam ea, quæ oritur ex publica pœnitentia, quam Confeſſarius, cum periculo eum infamandi, occulto pœnitenti injuſte imponit, & quo modo poteſt, facit, quod notum fiat quod ignotum erat. Ex hoc autem revelationem ſigilli ſaltem facto contingere aſſerunt omnes, ſufficitque prohibitio Innocentii III. *in cap. Omnis Chriſtianus de Pœnit. & Remiſſ.* quatenus conſtituit, ne verbo, vel facto ſigillum aliquatenus reveletur.

114 Poſtea *num.* 19. ait, *uſum publicarum pœnitentiarum, etiam occultis delictis impoſitarum, antiquitus in Eccleſia frequentem fuiſſe, immo præceptam, nullaque ratio ex natura ſacramenti opponi poſſit.* Ecce nos cum Theologis omnibus demonſtravimus intrinſecam ſacramento rationem, quam nullus verè orthodoxus labefactare quibit: Addit, prædictum morem *utiliſſimum eſſe, & hæreſi jugulandæ opportuniſſimum. Ex eo enim ſolidiſſime demonſtratur confeſſionis ſecretæ, quam auricularem vocare ſolent, conſuetudinem Apoſtolicam eſſe, & continua traditione uſurpatam. . . . Hæc, invitis Patribus, & contenta voce reclamantibus, ſi referas, & conſtringas ad ſola peccata publica, quæ hæretici omnes & confeſſione publica, & pœnitentia publica juxta Apoſtolicum præceptum puniri debere contendunt, eadem opera conſtringes admodum, & ad anguſtias compelles ea argumenta, quibus ex antiquorum dictis ſecreta confeſſio demonſtratur.* Fateor me difficultatis vim non capere, neque argumentum mihi recte probatur, immo contrarium ſecurius ſtabilitur. Si neceſſaria ſemper eſt ex vi præcepti publica pœnitentia, & conſequenter publica poſt illam abſolutio inutilis profecto eſt (blaterabunt hæretici) auricularis, ſeu ſecreta confeſſio: noſque dum pro illa pugnamus, fortiſſimis argumentis ex noſtramet doctrina depromptis inter maximas poſiti anguſtias conſtringemur. Vos (arguent ad hominem hæretici) in adminiſtrando Pœnitentiæ ſacramento multas conſtituitis regulas, ac ex Patrû, Conciliorumque ſententiis varias ſtatuitis doctrinas. Aſſeritis 1. pro omnibus lethalibus culpis publicas pœnitentias in veteri Eccleſia a ſacris canonibus conſtitutas fuiſſe, ac præceptas. Statuitis 2. has publicas pœnitentias ſecundum peccatorum diverſitatem diverſas fuiſſe. 3. dicitis non aliter fuiſſe pœnitentes abſolutos, nec licite potuiſſe abſolvi, quam impleta pœnitentia. Contenditis 4. hanc impertitam poſt impletas pœnitentias abſolutionem fuiſſe ſacramentalem. 5. multis Patrum teſtimoniis ad id adductis, vel detortis affirmatis, Deum condonare peccata cenſendum non eſſe, niſi ſatiſtactione completa, ac proinde neque Sacerdotem

tem ante ipſam impletam ſatisfactionem abſolvere pœnitentes jure poſſe; non enim diſpoſiti habendi eſſent qui nondum Deo ſatisfacerent, neque ad illud beneficium externæ pœnitentiæ ſigna exhibuerant. Præterea Confeſſoris non erat pœnitentes publicæ pœnitentiæ addicere, ſed Epiſcopi, qui ut qualitatem pœnitentiæ decerneret, opus ſcire habebat peccati ſpeciem. Nunc in his doctrinis explodendis, aut approbandis oleum non inſumo, neque mei eſt inſtituti certa ab incertis ſeparare, aliàs in immenſum excreſceret volumen, & ad alia deſidero properare. Iis tamen ſic præjactis, inferunt (ut dicebam) hæretici: Ergo inutilis erat ſecreta confeſſio: Ergo incognita fuerat in veteri Eccleſia: Ergo introducta poſtea fuit, non a Chriſto Domino præcepta. Illationes poſtremæ ex prima deducuntur; hæc verò ex dictis patet. Poſitis enim tamquam certis prædictis doctrinis, quid aliud faciebat, aut facere poterat Confeſſor, niſi audire pœnitentis peccata, & ut plurimum eum docere pœnitentiam, quæ peccatis confeſſis correſponderet? Ipſe abſolvere non poterat, quia nondum peracta erat publica pœnitentia. Poſt eam peractam non ſui muneris erat abſolvere pœnitentem; hæc enim abſolutio publica, & ſolemnis erat, ab Epiſcopo, vel ſaltem ex ejus commiſſione impertienda.

115 Hinc ridebunt hanc inauditam ſacramentalis pœnitentiæ rationem; poſita enim prædicta praxi, non unicus eſſet, ſed duplex pœnitentiæ miniſter: unus, qui primum peccata audiret: alius, qui poſtea pœnitentiam publicam injungeret, & ea impleta publice abſolveret, & locum haberet error ille, quod unus audiret peccata, & poſtea pœnitentem ad alium remitteret ab eo abſolvendum. Dicent cum omnibus Orthodoxis illud eſſe dogma certiſſimum, ſacramentum ſcilicet Pœnitentiæ conflari, velut quoddam internum judicium, ex pœnitente reo, & ſacerdote judice, & ſententiam ferente, qui in conſcientia, & ſub gravi peccato tenetur pœnitentiam diſpoſitum ſtatim abſolvere; hoc autem cum nec faceret, nec facere poſſet, quia pœnitens prius tenebatur publicam peragere pœnitentiam, conſequens erat, quod illa ſecreta confeſſio ſacramentalis dici non poſſet, utpote deſtituta ſuis eſſentialibus requiſitis, qualia ſunt integra confeſſio ex parte pœnitentis rite diſpoſiti, & abſolutio ex parte Confeſſoris: immo pœnitentia, prout ſacramentum eſt, ut ait Scotus *in* 4. *diſt.* 14 *q.* 4. cum omni ſua ſchola, nihil aliud eſt, quam abſolutio pœnitentis facta certis verbis cum debita intentione prolatis a Sacerdote juriſdictionem habente. Et licet communis Theologorum ſententia cum *Suar. Granat. diſp.* 18. *ſect.* 2. etiam eſſentiam ſacramenti conſtituant in confeſſione ex parte pœnitentis, ſemper certum eſt ſacramentum eſſentialiter conſiſtere in materia, & forma, & in hac, quæ proculdubio eſt abſolutio ex parte Sacerdotis, præcipua conſiſtit ſacramenti vis, ut docuit Tridentinum

 ſeſſ.

ſeſſ. 14. *cap.* 7. Unde cum illa ſecreta confeſſio conſtaret ſolum materia, non verò adhiberetur forma, nempe abſolutio facta a Sacerdote, utpote dilata ad uſque tempus impletæ longiſſimæ annorum pœnitentiæ, & ab alio, quam ipſo Sacerdote, conferenda, non rectè poterat illa confeſſio dici ſacramentalis.

116 Inſtabunt iterum ex noſtrismet principiis, ſiquidem ſequerentur multa abſurda Orthodoxorum ſententiæ repugnantia. Sequeretur 1. Deum non condonare culpam, & pœnam æternam, quin etiam condonet pœnam temporalem; non enim aliter remittebatur culpa, ut dicitis, in veteri Eccleſia, aut per abſolutionem declarabatur remiſſa, niſi impleta longa pœnitentia, per quam prudenter intelligeret Eccleſia condonatum eſſe peccatum. Sed hoc ſecundum omnes Orthodoxos eſt falſum; nam Deus poteſt, & de facto remittit culpam, relicta temporali pœna; aliàs diceremus cum hæreticis non dari purgatorium, in quo omnis ſolvitur temporalis pœna in hoc mundo non ſoluta. Sequeretur 2. contra omnes Theologos, & definitionem Concilii Tridentini *ſeſſ.* 14. *cap.* 3. ſatisfactionem pœnæ temporalis eſſe partem eſſentialem, non verò integrantem ſacramenti Pœnitentiæ; ſiquidem non poſſet illud miniſtrari, nec abſolvi pœnitens, niſi ſatisfacta pœna. Sequeretur 3. Eccleſiam in adminiſtratione ſacramentorum quoad ſubſtantialia errare poſſe, & aut nunc errare abſolvendo ante impletam ſatisfactionem, aut tunc erraſſe negando abſolutionem ante impletam publicam pœnitentiam: ſiquidem quod pœnitentia ſit publica, aut privata, quod ſit horum peccatorum gravior, aliorum benignior, quod conſiſtat in his, vel his actionibus, pertinere poteſt ad diſciplinam, quæ ſecundum temporum varietatem mutationem accipiat: quod vero abſolvatur, vel non abſolvatur, quod ſit rite diſpoſitus qui accedit cum debito dolore, qui rite confitetur, licet ſtatim pœnæ temporali non ſatisfaciat, & quod non ſit diſpoſitus, niſi prius debitæ temporali pœnæ ſatisfaciat, quod veniam a Deo conſequatur, vel non conſequitur, ad ſubſtantiam pertinet ſacramenti nullæ mutabilitati obnoxiam. Cum ergo vetus Eccleſia ab Eccleſia hodierna circa pœnitentiæ adminiſtrationem ſic diſcreparet, concludent hæretici: Hæc, quam dicitis confeſſionem auricularem, non eſt vere, & proprie ſacramentum Pœnitentiæ a Chriſto Domino inſtitutum, ſed ab Eccleſia, quæ ejus adminiſtrandi rationem pro diverſitate temporum, & morum mutare poterit.

117 Urgebunt iterum garrientes, aut nunc eſſe maximam Eccleſiæ benignitatem, qua tam facile abſolvit ſine maiore examine, aut probationis tempore, & omnes fere judicat ad ſacramentum recipiendum ſufficienter diſpoſitos, ut per calumniam objiciunt Rigoriſtæ, quos ſequuntur aliqui noſtri temporis Confeſſores: vel tunc maximam

fuiſſe

fuiſſe Eccleſiæ crudelitatem, ut calumniantur alii. Quippe vel rite diſpoſitos, quaſi tyrann de quadam inabſolutos per tot tempora retineret, tot pœnitentiis opprimeret, & ſacra Euchariſtia, communione fidelium, conſortio parentum, & uxorum, & ingreſſu Eccleſiæ privaret: quod quidem eſſet contra commune Theologorum placitum ſine cunctatione docentium cum P. Suario *dict. diſp.* 32. *ſect.* 5. obligationem abſolvendi *ſtatim urgere, adeoque ſine rationabili cauſa differri non poſſe*, & contra expreſſam doctrinam Magni Gregorii *homil.* 26. *in Euangel.* ſic dicentis: *Illum non debemus per paſtoralem authoritatem abſolvere, quem neſcimus Authorem noſtrum vivificare, quæ nimirum vivificatio ante operationem rectitudinis in ipſa jam dignoſcitur confeſſione peccati.* Vel ſola attritione diſpoſitos, qui per ſacramentum diſponuntur, & remiſſione culpæ, & gratia ſanctificante donantur, ſine hoc maximo bono, & ſummæ bonitatis benificentiſſima largitione remitteret, ut ſacramentis, & gratia auxiliante deſtitutos mille periculis ſubjiciat, & relinquat *animam pœnitentis*, (ut ad idem aſſumptum a t Leo I. *epiſtol.* 87. ad Epiſcopos per Viennenſem provinciam conſtitutos) *pro qua Chriſti ſanguis effuſus eſt, irrogatione tam ſævi ſupplicii ſauciatam, & inermem quodammodo, exutamque omni munimine, diabolicis incurſibus, ut facile caperetur, objectam.*

118 Hoc ipſum crudelitatis argumentum odoratur Morinus *d. lib.* 9. *cap.* 3. *n.* 1. qui in tranſverſum agens, ut ſolet, doctrinas in ſuum ſenſum adducens, ut probet hanc concluſionem: *Reis graviſſimorum criminum publice pœnitentibus abſolutio lege ordinaria conceſſa tantum eſt, poſt completam pœnitentiam ſecundum canones impoſitam*: antequam proferat argumenta, ex quibus id ſibi perſua um habet, tamquam dogma certum, primum proponit abſolutionis ſacramentalis virtutem in hunc modum: *Ea ſecundum omnes Theologos peccatorem probe diſpoſitum è ſtatu peccati mortalis in ſtatum gratiæ transfert, è tyrannide diaboli in ſocietatem filiorum Dei: animam culpa, & macula liberat, ita ut ſic abſolutus revera ſit coram Deo, & Angelis innocens, juſtus, omniſque ſceleris purus, ſi clavis non erravit... Hoc nullus Theologorum it inficias.* Poſtea, ut concludat publicos pœnitentes tunc fuiſſe ſacramentaliter abſolutos quando jam fuerat peracta pœnitentia, & non antea, ſic infert: *Ergo ſi Eccleſia antiqua ſolita fuit cuicumque peccatori abſolutionem concedere ante omnem pœnitentiæ actionem, eum quoque ante omnem pœnitentiæ actionem talem conſideravit, qualem deſcripſimus. Perpende igitur, lector, ſingula, quæ referimus, teſtimonia, & judica, an pœnitenti ante pœnitentiam actam convenire poſſint.* (veluti ſi implicaret pœnitentem duriſſimas agere pœnitentias, etiam publicas, & in Dei gratia, & amicitia conſervari) *Deinde cum abſolutionem ſacramentalem ſequi non poſſit alia abſo-*

Digitized by Google

abſolutio , quam a minori excommunicatione , iterum apud te perpende , an antiqui Patres tam duras , graveſque conditiones ad minoris excommunicationis ſolutionem poſtulaverit , ad abſolutionem ſacramentalem vix ullas , &c. Arguit de falſo , & multa ſupponit non condonanda. Primo ſupponit abſolutionem ſacramentalem non poſſe ſequi aliam abſolutionem ſacramentalem eorumdem peccatorum ; cum tamen apud Theologos certa , & incontroverſa praxis ſit , eadem peccata pluries clavibus Eccleſiæ ſubjici a pœnitentibus , & ab iiſdem pluries abſolvi. Supponit 2. quod ex publicarum pœnitentiarum conditiones , in facta hypotheſi , ſolum requirerentur ad abſolutionem peccatorum , non vero ad ſatisfaciendum Deo pro debito pœnæ : cum tamen id præcipue intenderet Eccleſia , ut pœnæ debitæ pro peccato iis pœnitentiis ſolverentur ; ad idque tendant hodie indulgentiæ , quæ in locum publicarum pœnitentiarum ſucceſſerunt. Supponit 3. hanc abſolutionem ſacramentalem in fine pœnitentiæ impertitam concedi conſueviſſe ſuppoſita confeſſione antecedenter facta Confeſſori , quin poſtea alia interveniſſet , ſuper qua caderet illa abſolutio ſolemnis conceſſa poſt pœnitentiam ; quod quidem abſurdum eſſet , tum quia ſacramentalis confeſſio non ita fieri poteſt, ut unus audiat , alius verò abſolvat ; cum etiam , quia inter omnia tempora pœnitentiæ poterat ipſe publicus peccator alia occulta , vel interna peccata committere , quæ abſolutione indigerent : unde ſemper de novo confiteri utile,& neceſſarium eſſet , ac proinde illa abſolutio ſacramentalis ſemper dicenda erat, non vero *cæremoniola* , ut ipſe ait , ad abſolutionem excommunicationis minoris , cum potius non ſolum eſſet abſolutio a culpa , ſed etiam a pœna per peccatum contracta , & per pœnitentiam ſatisfacta.

119 Deinde fallitur ipſe, dum *cap.2.ejudem libri num.2. &* 3. ſupponit , aut potius aſſerit , publicum pœnitentem eſſe in peccato , ac proinde in inimicita Dei ; ſi enim ita non eſſet , & ante impletam pœnitentiam abſolveretur , Eccleſia eum in continenti reconciliaſſet , & ſibi aggregaſſet tamquam Deo reconciliatum , & nequaquam publicæ addiceret pœnitentiæ. Sic habent ejus verba : *Quo jure , quave prudentia ſceleris reo ſcelus confitenti ſtatim parcunt , abſolutionem ſacramentalem omnis culpæ averruncatricem , amicitiæ Dei reconciliatricem , æternæ pœnæ expunctricem ſtatim ſine ulla probatione , ſine ulla doloris , an fictus , ſincerusve ſit , experientia ſtatim abſolvunt : ut autem per quamdam externam cæremoniolam ad fidelium ſocietatem admittatur , jam per abſolutionem factus amicus Dei , vitæ æternæ hæres, per multos annos , variis experimentis ipſius converſio tentatur.* En clare demonſtrat in eo eſſe judicio , ut ſibi certum conſtituat illas publicas pœnitentias probationes eſſe diſpoſitionis pœnitentis , non autem ſatisfactiones pro temporali pœna , quæ adhuc poſt peccatum remanet,

Digitized by Google

maner, & pœnitentia purgatur. En ſe ipſe Rigoriſticæ ſectæ Doctorem exhibet, & prodit. Quod manifeſtius indicat in his, quæ pauló infra ſcripſit.

120 Sic ait: *Tantiſper ob oculos lectoris paucis verbis proponam quæ toto fere libro ſexto fuſe probata ſunt, ut judicet, an æquum ſit, pœnitentem poſt reconciliationem cum Deo ab Eccleſia ſic excipi* Poſtea pœnitentis demiſſiſſimum ſtatum ærumnas, & labores viviſſimis coloribus depingit, & deinde proſequitur: „ An probabile eſt, Patres, ut impium, ethnicum, Judæum, & publicanum tractaturos, a ſacris ſuis eliminaturos eum, quem Deo reconciliaſſent; ſuper eum velut a diabolo poſſeſſum precaturos, quem Dei amicum, & cum ipſo intime conjunctum crederent? Omnia, quotquot nobis ſuperſunt, de hiſce rebus teſtimonia evidentiſſime vel demonſtrant, vel innuunt, Eccleſiam ſibi continenter reconciliaſſe, & aggregaſſe quotquot credidit Deo reconciliatos, reconciliationemque cum Deo rationem eſſe, & regulam reconciliationis externæ cum Eccleſia. Perſpicuum redditur eum ſenſiſſe, publicos pœnitentes eſſe in ſtatu peccati, & inimicitiæ Dei, neque aliter, quam impleta pœnitentia, & poſt longiſſimam probationem abſolvi, & gratiæ Dei reſtitui, aut reſtitutum judicari. Idque expreſſius jam conſtituerat *lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 1. in hac propoſitione: *Opus eſt enim mortaliter poſt Baptiſmum peccantibus longa, duraque pœnitentia, multis jejuniis, & corporis afflictionibus, ut gratiam amiſſam recuperent*: ibique textum Apoſtoli *ad Hebr. cap.* 6. & Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 2. mire detorquet contra verum ſenſum Chryſoſtomi (21) Ambroſii, (22) & D. Thomæ (23) & contra genuinam Patrum mentem. Illa propoſitio cenſura theologica digna erat, tum quia eſt ex diametro oppoſita ſacræ paginæ authoritatibus Iſaiæ cap. 30. 43. & 55. & Zachariæ cap. 1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*, & Ezechielis *cap.* 23. ſic dicentis: *Iniquitas impii non nocebit ei, in quacumque die converſus fuerit ab impietate ſua.* In novo Teſtamento multas habemus authoritates, multa exempla, quæ jam commemoravi: tum quia ſecundum doctrinam D. Thomæ (24) & cõmunem Theologorum ad ſatisfactionem de condigno, ſive ad efficiendum aliquid dignum remiſſionis pœnæ ſtatus gratiæ requiritur; ac proinde publici pœnitentes ſi in ſtatu gratiæ non eſſent, opera illa exequerentur, totque labores paterentur ſine condigna pœnæ ſatisfactione: quod ſanè durum nimis, & crudele eſſet, a pietate Eccleſiæ omnino alienum, & potius ad arcendos, quam ad alliciendos fideles opportunum.

121 Hanc

(21) Homil. 9. in Epiſt. ad Hebræos.
(22) Lib. 2. de Pœnit. cap. 2.
(23) 3. part. q. 84. art. 10.
(24) In 4. diſt. 15. q. 1. art. 3. quæſtione 2.

121 Hanc tyrannidis cujusdam ſpeciem non dolet Morinus, non dolent cæteri. Dolet verò nimis crudelitatem Eccleſiæ, quod ſic filios, & amicos Dei factos per abſolutionem laboribus premat, jejuniis affligat, ac plurimis addicat pœnitentiis: *Aliquando eſt miſericordia puniens, & crudelitas parcens.* (25) An Deum crudelem diceremus, quia ſervos ſuos multis ærumnis, neceſſitatibus, anguſtiis, doloribus, & perſecutionum generibus quaſſari permittit, & multoties diſponit? An Deum miſericordiæ ſuæ viſcera clauſiſſe dici poſſet, quia animas ſanctas, cohæredes Chriſti, ei charitate conjunctas, & ad æternam beatitudinem procul dubio deſtinatas, a viſione ſua remotos retinet, a regno cœleſti velut extorres retardat, in carcere duriſſimo retrudit, & inimicis tortoribus, voracibus flammis, aliiſque innumeris tormentis excruciandas tradit? Minimè. Quos corrigit, diligit, & plus diligit, dum plus corrigit. Sic Eccleſia, quæ peccatoribus noverca viſa eſt, revera erat mater piiſſima, peccatores jam Deo reconciliatos, jam abſolutos, jam pœnitentes non odio perſequebatur, ſed amore; non a Deo ſegregatos tot fletibus, tot proſtrationibus, tanta a fidelibus, & ſacramentis ſequeſtratione puniebat; ſed jam per cordis contritionem, confeſſionem, & abſolutionem ad amicitiam Dei redditos a pœnis debitis, & illorum reatu expurgabat: videbatur maximo rigore in eos ſævire, reapſe tamen charitate flagrabat, ut & ipſi pœnitentes per impoſitas pœnitentias Deo ſatisfacerent, & facilius Purgatorii cruciatus evadentes, æternam requiem conſequi mererentur: cæteri vero vel timore pœnarum a peccatis arcerentur, vel earum amore allicerentur. Hanc igitur crudelitatem non arguerent hæretici, arguerent verò aliam, quam Morinus defendit; atque ex eo quòd Sacerdos non poſſet abſolvere occulta peccata ſua confitentem, ſecretæ confeſſionis neceſſitatem, aut utilitatem irriderer.

122 Diceret Morinus, dicentque ejus doctrinæ Rigoriſtæ ſectatores, (ſic eos vocat P. Viva infra citandus) ſe non eam doctrinam abſolute tenuiſſe, ſed reſtrictè ad publicos pœnitentes. Ita ſanè. Siquidem id moris eſt ſui, ut ita ſpargat minùs ſanas doctrinas, ut videatur ſolum ſanas amplecti. Et mirum eſt, quod ad probandum ſuum aſſumptum innumeras adducat authoritates, non tamen commemoret Bullam Xyſti IV. adverſus Petrum de Oſma, neque propoſitiones Eſtii, & Arnaldi ab Alexandro VIII. damnatas in memoriam revocet. Quid ergo refert, quod ad publicos pœnitentes ſe reſtringat? Nihil. Nam contra eſt 1. Nam Oroſius, Petavius, Maldonatus, Marianus Victoria, & alii, quos ipſe refert, (licet aliàs in verum ſenſum adducendi ſint) abſolute loquuntur. Contra eſt 2. quia tum ipſe, tum Jueninus, tum Martene, tum Merbeſius, & alii ejuſdem farinæ tenent pro quolibet

(25) Auguſt. epiſt. 64.

libet mortali peccato pœnitentiam publicam eſſe ſubeundam, ac per conſequens non poſſet Confeſſor a quolibet mortali peccato abſolvere, quin præcederet publica pœnitentia. Contra eſt 3. quia non eſt aſſignabilis diſpar ratio inter publicos, & occultos pœnitentes, & inter occultas, & publicas pœnitentias. Si enim ex natura ſacramenti ſatisfactio abſolutionem præcedere debuerat, eamdem ſatisfactionis rationem habebat publica, ac occulta pœnitentia; ac proinde ſicut ſatisfactio publica præmitti debebat circa peccata, quæ publica pœnitentia indigerent, ita ſatisfactio occulta circa occulta peccata præcedere debuiſſet. Nec etiam aſſignari poteſt diſcrimen, cur Deus condonaret ante occultam ſatisfactionem peccata occulta, non autem publica condonaret ante publicam ſatisfactionem. Contra eſt 4. quia tam innodatus peccatis, quæ publicam expoſcerent pœnitentiam, quam adſtrictus culpis, quæ eam non expoſcerent, accedere poterat cum vero dolore, & propoſito non peccandi de cætero: cur ergo uni denegaretur abſolutio, alteri vero concederetur? Contra eſt 5. quia non eſt ratio, cur non cenſeatur diſpoſitus qui accedens ad ſacramentum pœnitentiæ libenter ſe ſubjicit, ſeu paratus eſt ſe ſubjicere ad illas aſperas, duras pœnitentias: ergo neque ut ei denegaretur ſacramentalis abſolutio. Contra eſt 6. ex ipſo: „ Ut enim aiunt Juriſconſulti, ubi lex non diſtinguit, „ nec nos diſtinguere debemus.... Nam ex proprio ingenio ſine legis „ authoritate, aut Reipublicæ praxi, & conſuetudine, ſi diſtinctio- „ nes fabricare licet, cui legi, cui conſuetudini non facile illudetur?... Ipſe autem ex proprio cerebro hanc diſtinctionem fingit, hanc legem interpretatur, & conſuetudinem antiquæ Eccleſiæ probare intendit, cum tamen recentiores id docentes ſuſpecti ſint. Nulla lex ſimilem diſtinctionem facit, immo nec aliqua aſſignabitur canonica conſtitutio, quæ decernat peccatori diſpoſito negandam eſſe abſolutionem donec ſatisfaciat: nulla conſuetudo id ſuadens, quæ licet daretur, eſſet corruptella contra inſtitutionem ſacramenti, & ejus finem, ut ait dictus P. Viva. Morinus ipſe ſpernit Theologorum rationes, quæ fundantur in intrinſeca exigentia ipſius ſacramenti, prout inſtituti a Chriſto Domino; aſt neſcit Morinus, ex ratione cujuſcumque legis optimam capi interpretationem? Neſcit plus attendendam eſſe rationem, quæ pro religione facit? Neſcit rationem eſſe animam legis? Neſcit ad rationem recurrendum eſſe ubi de lege dubitatur? Neſcit rationem exemplis anteponendam eſſe, & non exemplis judicandum? Neſcit rationem ipſam vim legis habere, & magis eam, quam ipſius legis verba attendenda eſſe? Neſcit infirmitatem intellectus eſſe quærere legem, aut ejus verba ubi adeſt intrinſeca ratio? Neſcit interpretationem ſemper faciendam eſſe, ne ſequatur abſurdum? Hæc omnia ignorare viſus eſt Morinus cum rationes illudit, ut exemplis, & authoritatibus ad ſuum ſenſum detor-

U tis,

tis ſuam poſſit conſtituere, & firmare ſententiam.

123 Contra eſt ultimo, ut alia omittam, hanc Morini, & cæterorum doct inam eamdem eſſe, nec aliter diſcrepare, quam in verbis, Petri de Oſma, quam damnavit, ut diximus, Sixtus IV. ut videre eſt apud *Lugo de Pœnit. diſp.* 12. *n.* 42. Aſſerebat hæreticus ille, ut ait P. Viva ad propoſitiones 16. 17. & 18. damnatus ab Alexandro VIII. *ſatisfactionem ſacramentalem debere ex Chriſti inſtitutione conſona naturæ rei præire abſolutionem: & hunc ritum, ſeu ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni conſueviſſe olim Eccleſiam obſervare.* En habes conſuetudinem, quam Morinus commendat, & ex qua vult deducere interpretationem rationibus anteponendam. Hanc eamdem ſententiam ſuſcitaverunt in Belgio Eſtius, quam maxime laudat Morinus, & Arnaldus *lib. de Freq. Commun.* qui docuerunt, teſte citato Viva, *praxim Eccleſiæ præſentem abſolvendi, antequam ſatisfactio executioni mandetur, eſſe debiti ordinis, & a Chriſto inſtituti in materia pœnitentiæ everſivam: & hanc conſuetudinem, etiamſi univerſalem, & diutiſſimam, ab Eccleſia non haberi pro uſu, ſed pro abuſu, atque adeo non eſſe tolerandam.* Poſtea in eodem Belgio *compendioſæ deductionis* Author Anonymus eumdem errorem ſic propugnavit: ,, Certo conſtat Eccleſiam per undecim ſæcula hunc mo-
,, rem tenuiſſe, ut poſtquam peccatores omnia animarum ſuarum
,, vulnera Chriſti miniſtris aperuiſſent, idonea illis remedia accipe-
,, rent. Deinde pœnitentium partes erant, præſcriptum ſatisfactionis
,, modum accuratè implere. Hic itaque pœnitentiæ ordo, & decur-
,, ſus erat. Primum confeſſio peccatorum, pœnitentiæque poſtula-
,, tio, deinde impoſitio pœnitentiæ, poſteà poſitæ pœnitentiæ exple-
,, tio, ad extremum abſolutio. Ordinem verò hunc non politia, aut
,, inſtitutio Eccleſiæ induxit, ſed ipſa Chriſti lex, ac præſcriptio, na-
,, tura rei id ipſum quodammodo dictante. Hanc igitur doctrinam condemnavit Alexander VIII. dum ſequentes propoſitiones proſtituit. Decima ſexta ſic aſſerebat: *Ordinem præmittendi ſatisfactionem induxit non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa Chriſti lex, & præſcriptio, natura rei id ipſum quodammodo dictante.* Decima ſeptima ſic habebat: *Per illam praxim mox abſolvendi ordo pœnitentiæ eſt inverſus.* Decima octava in hunc modum proferebatur: *Conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem ſacramenti Pœnitentiæ, etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet authoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed pro abuſu.*

124 Cum autem hæ propoſitiones anno 1690. damnatæ fuerint, miror quod Morinus anno 1702. eaſdem doctrinas, licet larvatas, in publicum edere non exhorruerit. Ipſe quidem non damnat hodiernum

Eccle-

Eccleſiæ morem, ne videretur damnatas iterum proferre propoſitiones, ſed antiquum Eccleſiæ morem ſane inſtitutioni ſacramenti contrarium maxime extollit, defenditque id plurimum licuiſſe, ne ante pœnitentiæ probationem abſolutio impenderetur, & porcis margaritæ projicerentur. Videatur dictus P. Viva ad prædictas propoſitiones, aliique de ipſis tractantes. Vela colligo, & concludo, tantum abeſſe, ut prædictis doctrinis hæretici ad maximas anguſtias redigantur, ut potius eis maximus reſeretur aditus; non eis os recluditur, ſed ut virus evomant in præſentem Eccleſiæ praxim, facilius aperitur. Si aſſeramus, ut debemus, Eccleſiam ſemper conſueviſſe non retardare ſacramentalem abſolutionem ritè diſpoſito, niſi quando aliquod ipſius pœnitentis bonum id poſtularet, pœnitentias publicas ſolum publicis pœnitentibus, aut occultis eas libenter poſtulantibus injunctas fuiſſe; Confeſſores potuiſſe, immo & debuiſſe occultos peccatores ſecrete confitentes, & rite diſpoſitos ſtatim abſolvere; hanc ſecretæ confeſſionis praxim ſemper fuiſſe; pœnitentes occulta peccata clavibus Eccleſiæ ſubjicientes ad publicas pœnitentias adigi non potuiſſe, neque aliquod præceptum ad id dari, ſi id, inquam, ut fas eſt, inconcuſſe conſtituamus, eorum ora livida comprimemus, eorum theoninos dentes contundemus. Ad eos convincendos, ſi garriant, ſi obſtrepant, ſi convicientur quæ ſuperius dicta manent, ſatis ſunt, ut retundantur. Non auctoritatibus, quas facile deturpant, & ſimiliter interpretantur, ſed validiſſimis rationibus, certis principiis, & ineluctabilibus argumentis eos convincere oportet; quæ ſi tollas, ut moderni Rigoriſtæ intendunt, liberius, nullo contradicente, blaterabunt.

125 Properemus igitur ad alia Morini, & qua data fuerit brevitate præſtringamur, ut ad ulteriora progredi poſſimus. Igitur *num.* 20. *d. cap.* 8. fatetur, *ſecretò confitentem cogi non potuiſſe ad amplexandam pœnitentiam publicam pro crimine occulto.* Quod jam firmaverat *lib.* 2. *cap.* 15. Ergo ex ipſo conſequens eſt, nullum præceptum extitiſſe ad eas publicas pœnitentias amplexandas. Si enim aliquod præceptum daretur, quis adeo ſui immemor erit, qui neget in tali præcepto vim coactivam neceſſario conſiderandam eſſe? Ea ſemper fuit cujuſcumque legis virtus, aliàs faciliſſime illuderetur; idque ex ipſo oſtenditur. Cur enim, ut ait, in criminibus publicis illa coactio ad publicam pœnitentiam locum ſibi vendicat, niſi quia ſacris canonibus præcepta erat? Idem igitur judicium quoad occulta peccata faciendum fuiſſet, ſi eorum publica pœnitentia præcepta inveniretur. Cum ergo quoad peccata occulta, Morino fatente, non daretur illa coactio, per infallibile conſequens neque præceptum aliquod dabatur.

125 Eodem themate retento, ad hominem rejicitur, & confunditur diſtinctio, quam facit ex propria minerva *cap.* 16. *num.* 7. ſic ait:

 „ At

„ At cum peccatum erat occultum , pœnitentiæ publicæ actio erat ſpontanea , hoc eſt , ad eam cogi non poterat ulla excommunicatione , aut ſacramentorum publica denegatione. Peccatori equidem ejuſmodi ſecretò confitenti , niſi pœnitentiam canonicam agere vellet , reconciliationem ſecretò denegabat Sacerdos , ſed quod ultra in eum ageret , non habebat. Cur ergo denegabat reconciliationem , ſi ad agendam publicam pœnitentiam nullo præcepto adſtringebatur ? Quæ juſta cauſa denegandi abſolutionem ſuo jure utenti ? Quo rationabili fundamento , quo jure adſtringi poterat , ut ſuum occultum peccatum panderet , ſe ipſum proderet , oſtenderetque eum peccatum cõmiſiſſe canonica dignum pœnitentia? Peccaret ergo Confeſſor ſic agens, ut omnes docent Theologi , qui injuſte denegaret abſolutionem ſuo jure petenti. Quis autem ſui compos erit , qui hanc injuſtitiam , hunc abuſum eccleſiaſticæ conſuetudini tribuere non exhorreat ? Sic Morinus eâdemmet rei eccleſiaſticæ maxima luce miſerrimè excutiit. Ipſe eodem *num.* 20. ut nunquam ſibi conſtans cohæreat , inquit Confeſſores eas publicas pœnitentias *in privatas commutaſſe* : ſi erant præceptæ , qua authoritate Confeſſores hanc commutationem facere potuerunt ? Quo canone id eis permittente ? Si autem potuerunt : ergo publicæ pœnitentiæ pro peccatis occultis præceptæ non erant. Quando autem hæc commutandæ pœnitentiæ facultas Confeſſoribus erat conceſſa , *cum ex iis revelationis pœnitentibus damnoſæ periculum probabile fuit*? Ergo ſemper occulta pœnitentia injungi debebat , quia ſemper in publica dabatur periculum non ſolum revelationis , ſed etiam aliorum damnorum , & quidem non ſolum probabile , ſed evidens. Revelatio certa ſigilli , infamia reſultans ex eadem publica pœnitentia; ſi enim aliqui laudarent emendationem , alii , & proculdubio plures, exprobarent delictum ; impedimentum canonicum ex canonica pœnitentia reſultans ; privatio ſacramentorum , & communionis fidelium; abſtentio ab ingreſſu Eccleſiæ,& alia ſimilia. An permitteret hæc omnia Eccleſia ſemper pia , hæc approbaret , hæc conſtitueret ? Abſit. Deludet Morinus quantum libeat ; hæc enim licuiſſe neque perſuadere poterit , nec aliquando probabit.

127 Poſtea *cap.* 9. multis probare contendit illum Eccleſiæ morem , ſed infeliciter. Ait , tot eſſe aſſertæ *antiquæ praxis argumenta* , *quot fere canones in criminoſos reos conditi.* Nos omnes ſupra recenſuimus uſque ad quintum ſæculum , quando ſcilicet maior circa illam praxim dubitatio eſſe poterat , & ex omnibus oſtendimus ſemper canones illos reſpexiſſe crimina publica, non autem occulta. Et ſi hæc etiam reſpexerunt, id ſolum fuit caſu , quo quis ex propria voluntate publicæ pœnitentiæ ſubjici voluiſſet , vel ut Confeſſores dirigerentur , ut juxta gravitatem pœnæ publicæ imponendæ pœnitentias imponerent ſecre-

tè

tè confitentibus peccata occulta. Argumentum ſumit a generalitate illorum canonum, qui nunquam diſtinguunt inter crimen publicum, & occultum. In ſe ſententiam dicit. Neque enim ipſi canones diſtinguunt inter pœnitentias publicas peccati publici, & pœnitentias occultas peccati occulti. Nullibi canones explicant quod cogendus ſit publicus peccator, non verò non cogendus occultus: & tamen ipſe has multoties facit diſtinctiones. Quæcumque ergo rationes ab eo ad id faciendum adducantur, in eum potiori jure retorquebuntur. Sed dato quod illi canones ita generaliter conſtituant, nihil inde concludens conſequitur. Eam diſtinctionem non fecerunt Patres, quia eis in mentem venire non poterat, ea explicatione opus eſſe, ne poſtea Confeſſores abuterentur ſua generalitate ad imponendas pœnitentias publicas propter occulta delicta contra juris naturalis regulas, & contra ſtrictiſſimam ſigilli obligationem jure divino ſtabilitam. Quia poſtea hic abuſus introduci cœperat, ideo poſtea alia Concilia, alia Pontificum decreta emanarunt, de quibus ſupra actum eſt. Nemo autem neſcit, ſi in jure verſatus ſit, priores leges a poſterioribus interpretationem accipere. Publicæ pœnitentiæ ulterioribus ſæculis in Eccleſia viguere, non tamen legimus impoſitas, niſi propter publica delicta, quarum multa habemus exempla. Notiſſimum eſt illud D. Ambroſii cum Imperatore Theodoſio. Aliud refert Baronius ad annum 724. *num. ult.* cujuſdam Grimoaldi Ducis Bavariæ publicæ pœnitentiæ addicti ob publicum delictum a S. Corbiniano Frigingenti Epiſcopo. Alia nobis ſuppeditant hiſtoriæ, & Pontificum epiſtolæ, ut Stephani V. cum uxoricida, Nicolai I. cum Burgando Eccleſiarum ſacrilego graſſatore, & cum quodam matricida. Alia refert Ivo *per* 10. *Decreti cap.* 14. *&* 16. Alexandri II. Alia Alexandri III. refert Baronius ad annum 1172. ex codice Vaticano. Alia Innocentii III. conſtant ex ejus epiſtolis 51. 79. & 80. Aliud Honorii III. refert Raynaldus ad annum 1219. *num.* 57. Aliud Gregorii X. refert idem Raynaldus ad annum 1273. Omnes tamen hæ publicæ pœnitentiæ publiciſſima, & enormia delicta reſpiciebant, & tamen tam paucæ erant, ut una, vel altera legatur in quolibet ſæculo executioni mandata; ex quibus velle deducere univerſalem Eccleſiæ morem circa omnia tam publica, quam occulta delicta deliramentum Rigoriſtarum eſt, fundatum tantummodo in generali quadam canonum definitione, quorum tamen plurimi eas expreſſe conſtituunt circa vel notorie convictos, vel ſponte confeſſos, ex quo demonſtratur crimina publica ut plurimum reſpexiſſe.

128 Ut diſtinctionem inter publicas, & occultas pœnitentias illudat, quaſi pro ratione dubitandi proponit canonem tertium Concilii Carthaginenſis tertii, ubi ſic habetur: *Cujuſcumque pœnitentis publicum, & vulgatiſſimum crimen eſt, quod univerſa Eccleſia noverit,*

ante

ante abſidam manus ei imponatur. Quam tamen lectionem immutat, forte ne canonis energia deprehendatur. Siquidem ubi ipſe legit: *Quod univerſa Eccleſia noverit*, codex canonum Eccleſiæ Africanæ ſic habet: *Quod univerſam Eccleſiam commoverit.* Huic argumento Morini jam ſupra ſatisfecimus, cum de hoc Concilio ageremus. Nunc aliquid addendum eſt. Cum Dionyſio Petavio validum, ut ſibi fingit, argumentũ ex verbis antecedentibus ad ſuam firmandã ſententiam ſic componit: *Validum ex hoc canone cum præcedente comparato pro ſententia noſtra colligitur argumentum. Præcedit enim:* Presbyter inconſulto Epiſcopo non reconciliet pœnitentem, niſi abſente Epiſcopo, & neceſſitate cogente. *Poſtea ſequitur:* Cujuſcumque autem pœnitentis publicum &c. *Evidentiſſime duas pœnitentium publicorum ſpecies conſtituit: unam, quorum crimen eſt publicum: alteram, quorum crimen non eſt publicum, hoc eſt occultum &c.* Ipſe tamen omiſit antecedentia verba, quæ ſic habent: *Ut pœnitentibus ſecundum differentiam peccatorum Epiſcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur.* Dilucide patet nullam publicam pœnitentiam citra Epiſcopi arbitrium ſecundum differentiam peccatorum imponendam eſſe. Ergo Confeſſor pro occultis peccatis pœnitentiam imponere non poterat abſque Epiſcopi arbitrio. Ergo nullam. Pœnitentia enim ab Epiſcopo imponi debuerat ſecundum differentiam peccatorum, ut tempora, & modum decerneret. Hanc differentiam cognoſcere non poterat, niſi a Confeſſore revelaretur peccatum, ejusque ſpecies: ipſe id non poterat, aliàs infallibiliter ſigillum frangeret: ergo pro occulto peccato ea publica pœnitentia imponi non poterat. Nunc ad argumentum. Non vera enuntians quàm facile capitur in ſermone! Imprimis *d. cap. 16. n. 1.* quaſi præſentiens argumentum, ſic ait: *Ex hoc canone non evidenter colligitur negativa propoſitio. Cum crimen non eſt hujusmodi, ut univerſam Eccleſiam commoverit, illi manus non eſſe neceſſario ante abſidam imponendas.* Neque id eſt neceſſarium colligere. Sufficit quod evidenter colligamus, alios publicos pœnitentes ante abſidam abſolvi potuiſſe, & hoc eſt, quod canon ille ſignificat, nam abſolute conſtituerat nullam publicam pœnitentiam, niſi ab Epiſcopo, imponi, nullum publicum pœnitentem a Presbytero abſolvi potuiſſe. Ergo nullatenus agit Concilium de peccato occulto, & ſecreto confeſſo. Deinde *num. 2.* ſic ait: *Publice pœnitens ob crimen occultum finita pœnitentia, aut imminente periculo a Presbytero quolibet potuit ſecreto reconciliari inconſulto Epiſcopo.* Hoc tamen eſt contra expreſſam conſtitutionem, qua decernitur, quod *Presbyter inconſulto Epiſcopo non reconciliet pœnitentem*, & quod *pœnitentiæ tempora Epiſcopi arbitrio decernantur.* Fatetur inſuper, *generaliter Presbyteris interdictum eſſe pœnitentes publicos quacumque de cauſa pœnitentiam publicam agere, niſi licentia*

ab

ab Epiſcopo ſpecialiter conceſſa publice reconciliare. Si generaliter id ei interdictum erat, quo permittente canone id poterat cum peccatoribus occultis publice pœnitentibus? Profectò jam non erant occulti; nam ipſa publica pœnitentia peccatores eſſe demonſtrabat. Occurrere intendit difficultati ex falſo ſuppoſito, quod occulti peccatores tenerentur publicam agere pœnitentiam; & qui maxime condemnat diſtinctionem factam inter publicos, & occultos peccatores, nunc eamdem ex cerebro ſuo aſſumit ad probandum publicos pœnitentes a Presbytero abſolvi poſſe, ſi peccata ſua fuerant occulta, & reſolvit, quod canon ille tantum prohibet Presbyteris publice reconciliare publicum pœnitentem; *ſed canones alii prohibent tantum publicè reconciliare pœnitentem, non prohibent ſecretò.* Canones non diſtinguunt; immo aſſerunt, conſtituere publicas pœnitentias ſolum ad Epiſcopum ſpectare. Quomodo ergo poſſet Presbyter reconciliare pœnitentem, & abſolvere a pœnitentia ab Epiſcopo conſtituta? Deinde vel ille pœnitens agebat publicam pœnitentiam non ex præcepto Confeſſoris, ſed ex devotione; vel ex præcepto Confeſſoris ob peccata ſi occulte confeſſa. Si primum: nullum jus, nulla facultas Presbytero erat ad reconciliationem faciendam. Si ſecundum: procul dubio revelabat ſigillum; quia eo ipſo, quod ipſe reconciliabat pœnitentem ſine juſſu Epiſcopi, demonſtrabat illi jus eſſe ad eam reconciliationem: ea reconciliatio ei non competebat, niſi quando pœnitentia peragebatur ob peccata occulta ei confeſſa: ergo infallibiter demonſtrabat, eum pœnitentem ſibi confeſſum fuiſſe peccata, ob quæ ipſe ei injungerat publicam pœnitentiam: ergo nullatenus ſubſiſtere poteſt ea diſtinctio, neque argumentum a Morino adductum, utpote quod ſigilli revelationi, qua poteſt cautela, adſtipulatur.

129 Secundum argumentum deſumit *d. cap. 9. num. 2.* Ex eo quod „ ſequeretur, antiquos Patres de publicis criminibus tantum geſſiſ- „ ſe, de occultis verò nullum. . . . conſequeretur igitur graviſſimorum „ animi morborum ſanationem antiquos Patres prorſus neglexiſſe; „ quod cogitare nefas eſt, nedum dicere. Sed hæc argumentatio, ut ſupra tetigimus, parvi ponderis eſt. Eadem calumnia impingi potuiſſet in fere omnes Decretales de criminibus agentes, quæ forum externum plerumque reſpiciunt. Neque tamen proinde forum internum deſpexiſſe dicendi ſunt; ad hoc enim principaliter intendit jus canonicum. Peccata omnia vitare intendit, ideoque eis omnibus & pœnas conſtituit, & applicat medicinas. Occulta, & interna, de quibus Eccleſia non judicat, fori interni & Judicibus, & Medicis Confeſſoribus pro eorum prudenti arbitrio ſimiles morbos curandas relinquit: quia tamen id ſat non eſſet, regulas generales directivas propoſuit, per quas ipſi Sacerdotes diſcernere poſſent inter lepram, & lepram, & ſecundum

dum delicti qualitatem pœnitentias imponerent. Sicut & in libris Medicinæ plura legantur medicamenta, quæ infirmitatibus curandis apta ſunt, & tamen Medicus peritus non omnibus omnia applicat, ſed prudenter rimatur perſonam, vires, ſtatum, atque naturam infirmi, tempora obſervat, gravitatem infirmitatis conſiderat, & ſic remedia, quæ convenientiora ſunt, prudentiſſime decernit. Canones non diſtinguunt, neque ſpecialiter decernunt: Hæc pœnitentia imponatur juveni, hæc viro, hæc ſeni, hæc mulieri nuptæ, hæc virgini, hæc infirmo, hæc ſano, hæc debili, hæc robuſto, hæc ſolutis, hæc conjugatis. Quantum erraret Sacerdos, quam innumeros occideret potius, quam curaret, ſi abſque delectu pœnitentias injungeret, prout in illis canonibus ſcriptæ inveniuntur? Quot pœnitentes a ſacramento arceret? Quot ſcandala, quot infamias, quot pericula generaret? Quis perſuaderi poterit, antiquos Patres, immo & Eccleſiam univerſam hæc voluiſſe? Idem argumentum contra eoſdem Patres circa innumera peccata, quorum nulla ratio habetur in antiquis canonibus. Iræ graves, odia novercalia, deſideria vindictæ, cogitationes laſcivæ deliberatæ, & cum animo complendi, alieni retentiones, damna injuſta, & alia multa ejuſdem generis, complurima non opere, ſed corde completa. Quis dubitat, omnia hæc peccata gravia, & graviſſima eſſe, ſufficientiaque, ut animam, & corpus perdant in gehennam, quæ curationem procul dubio expoſcunt. Et tamen his morbis applicata antidota in iis antiquis canonibus non inveniuntur. Dici ergo poterit, Eccleſiam hæc omnia mala deſpexiſſe, neglexiſſe? Abſit. Deſtinavit igitur pœnitentias pro criminibus illis, quæ licet occulte fiant, publica tamen fieri poſſunt, ut imponerentur, non abſolute pro omnibus, ſed prout expoſceret ipſa criminis notorietas, vel dictaret prudentia Confeſſoris. Sic Eccleſia ipſum Deum imitata fuit, qui multa delicta in hoc mundo punit, alia verò ſuo ineſcrutabili judicio punienda reſervat. Argumentum igitur eſt futile, inane, apparens, & ex aure fundatum, atque ad decipiendum incautos, ac inexpertos Confeſſores opportunum.

130. Ejuſdem furfuris eſt aliud, quod intexit *num.* 3. ſic effutit: „ Si crimine quis ſponte enuntiaſſet minori tempore in ſubſtratione, „ auditiona &c. commoraturum, quam ſi accuſatus, & convictus „ eſſet. Plerique enim canones, & Patrum pleraque dicta hanc legem „ reis criminum dictant.... ſi crimina ponas publica pro ratione iſtarum legum explananda, quæ ratio fingi poteſt iſtius temperamenti? Si crimen publicum eſt, jam convictio per ſe facta eſt. Ipſa facti, „ ut ita dicam, notorietas convictioni æquivaluit &c. Quid tamen hoc eleganter ineptum concludit Sophiſma? Neſcire oſtendit, quanta differentia inter publicum, & notorium conſtituenda ſit, & quot notorii ſpecies ſint. Notorium aut præſumptionis eſt, aut juris, aut facti.

Notorium præſumptionis eſt, quod præſumitur evidentia juris vehementi, ut paternitas, filiatio &c. Notorium juris eſt clara judicialis confeſſio, inconvincibilis probatio: & ſic fit vel per confeſſionem, vel convictionem, & judicis ſententiam *cap. Veſtra de Cohab. Cleric. & mulier.* Notorium facti, quod non dubitatur a populo, vel maiori ejus parte, & per evidentiam rei nulla poteſt tergiverſatione celari. Multa crimina dicuntur publica, non quia jam notoria ſint, ſed quia regulariter de facto conſtat, non de criminoſo. In jure adulteria, homicidia, parricidia, veneficia, &c. publica dicuntur, nec tamen ſtatim dicuntur notoria. Dicuntur publica, quia rempublicam offendunt, & publice puniuntur, hincque dicta ſunt judicia publica. Multoties crimen publicum eſt, aut publicum fit, & tamen ejus author ignoratur. Fit igitur publicum, ſi reus accuſatur, & convincitur, aut ipſe ſponte confeſſus eſt. Publicum etiam eſt, ſi notorium fiat, & nulla tergiverſatione celetur. Si crimen notorium ſic eſt, proculdubio aut pœna caſtigandus erit, aut pœnitentia ad reſipiſcentiam. Si non eſt notorium nec delictum, nec delinquens, neceſſaria eſt confeſſio, vel ritè inſtituta, & probata accuſatio ad eas pœnas, aut pœnitentias infligendas. Unde eo ipſo quod canones, ut fatetur Morinus, tam frequenter requirunt, quod reus vel ſponte confiteatur, vel legitime convincatur, ut publicis pœnitentiis ſubjiciendus ſit, clariſſime demonſtrant publicas pœnitentias publicis delinquentibus imponendas eſſe, non verò illis, quorum crimen occultum eſt, nec judicialiter probatum. Temperamentum autem eſt, ut ſponte confeſſus, quàm convictus benignius puniatur.

131 Ut probet aſſumptum, tranſit deinde Morinus ad authoritates D. Auguſtini. Et cum ipſe Orthodoxus ſit, aut videatur, eumdem Novatorum morem gerit, qui S. Doctore abutuntur ad ſuas probandas opiniones. Sic in præſenti res ſe habet: Auguſtinus ſiquidem non probat intentum, aut probat detortus. Excerpit aliqua verba *homil.* 49. & 50. *cap.* 3. Et primò adducit illa verba S. Doctoris in adulteros prolata: *Apertius dico: nemo dicat, non intellexi. Qui poſt uxores veſtras vos illicito concubitu maculaſtis, ſi præter uxores veſtras cum aliqua concubuiſtis, agite pœnitentiam, qualis agitur in Eccleſia, ut pro vobis oret Eccleſia.* Ex his ultimis verbis deducit Morinus, S. Doctorem agere de adulterio occulto, & de publica pœnitentia. Sed ineptè, & per inconcludentem argumentationem id deducit. An nulla agitur in Eccleſia pœnitentia, niſi publica? An intelligendus eſt S. Doctor de materiali loco? An privatæ pœnitentiæ non aguntur in Eccleſia? An occultæ pœnitentiæ, quibus hodie fideles exercentur, dicendæ ſunt extra Eccleſiam fieri? Quid aliud dicendum erit de pœnitentiis, quæ Judæi, quæ hæretici, quæ infideles, & gentiles faciunt? An confeſſio ſacramen-

talis, qua fideles reconciliantur Deo, non eſt pœnitentia, quæ fit in Eccleſia? De hac procul dubio loquitur S. Doctor, & loquuntur cæteri, cum generaliter nomine *Pœnitentiæ* utuntur, ne ſibi contrarii videantur; ſiquidem apud eos, & apud AA. nomen *Pœnitentiæ* pro ſacramentali confeſſione uſurpatur; omnibusque notum eſt hanc confeſſionem *Pœnitentiæ ſacramentum* dici conſueviſſe. Arguit ergo Auguſtinus non eos, qui pro crimine occulto pœnitentias agere publicas reſpuebant; ſed eos, qui eo prætextu, quod peccata ſua occulta erant, ea Sacerdotibus confiteri erubeſcebant, putantes ſufficere occultam cordis contritionem ſine oris confeſſione; qui quidem error frequentiſſimus erat, utpote introductus a Montaniſtis, contra quos ſcripſit S. Hieronymus *epiſt.* 54. *ad Marcellam*, & ſecutus a Novatianis, quos improbat ultra Cyprianum, Lactantium, Hieronymum, Ambroſium Pacianum & alios idem Auguſtinus *lib.* 2. *de Viſitat. infirmor. cap.* 4. & alibi paſſim.

132 In hunc ſcopum collimant alia verba, quæ Morinus indigniſſime deturpat: „ Nemo ſibi dicat: (*ait S. Doctor*) Occulte ago, apud „ Deum ago. Novit Deus, qui mihi ignoſcit, quia in corde ago. Er- „ go ſine cauſa dictum eſt, quæ ſolveritis in terra ſoluta erunt in „ cœlo? Ergo ſine cauſa ſunt claves datæ Eccleſiæ Dei? Fruſtramus „ Euangelium Dei, fruſtramus verba Chriſti? Promittimus vobis „ quod ille negat? Nonne vos decipimus? De ſacramento Pœnitentiæ loqui maniſeſtiſſimum eſt. In eo exercentur claves Eccleſiæ. In illis verbis *quæ ſolveritis in terra* confeſſio ſacramentalis, ſeu Pœnitententiæ ſacramentum inſtitutum fuiſſe, conſtans omnium eſt ſententia. Hoc perſuadet Auguſtinus contra eos, qui errore ducti putabant, ſufficere cordis contritionem, & confeſſionem Deo, non homini factam: quem errorem etiam hodie multi ſequuntur hæretici. Hac authoritate utitur Gratianus *in cap. Agite de Pœnit. diſt.* 1. ad probandum neceſſariam eſſe oris confeſſionem, nec ſufficere cordis contritionem. De hac agit S. Doctor ſuper illud *Pſalm.* 68. „ Non abſorbeat me pro- „ fundum, neque urgeat ſuper me puteus os ſuum, *inquiens*: Pu- „ teus eſt humanæ iniquitatis profunditas, in quam ſi cecideris, non „ claudet ſuper te puteus os ſuum, ſi tu non clauſeris os tuum: con- „ fitere ergo, & dic: De profundis clamavi ad te Domine, & evades. „ Claudet ſuper illum Dominus, qui in profundo contemnit, a quo „ mortuo, velut ab eo, qui non ſit, perit confeſſio. De eodem agit *in lib. de Pœnit. Medic. per hæc verba*: „ Non ſufficit mores in melius „ commutare, & a præteritis malis recedere, niſi etiam de his, quæ „ facta ſunt, ſatisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis ge- „ mitum, per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus eleemoſynis, „ & jejuniis. De eadem agit *in lib. de Ver. & Falſ. Pœnit. cap.* 10.
quan-

quando ait: „ Quem pœnitet, omnino pœniteat, & dolorem lacry-„ mis oſtendat: repræſentet Deo vitam ſuam per ſacerdotem, præ-„ veniat judicium Dei per confeſſionem, &c. Multa alia loca ejuſdem S. Doctoris ſupra retulimus, quæ omnia repetere faſtidioſum eſſet. Illud certum eſt, Auguſtinum, ſi quandoque publicam ſuadet ſatisfactionem, vel loqui de publico peccato, vel ex conſilio, non vero ex præcepto.

133 Id convincunt expreſſæ authoritates, in quibus de occultis peccatis occultam ſufficere pœnitentiam aperte docet, quarum ſupra meminimus. Sed quo argumento ſolido, & efficaci probat Morinus, probant & cæteri, Auguſtinum loquutum fuiſſe de publica occulti peccati, ſeu occulti adulterii pœnitentia? „ Generatim enim (*ait*) „ quoslibet adulteros compellat, eosque pari, & indiſtincta neceſſi-„ tate, verbisque de crimine hypothecis, quæ de publico ſtolide „ enuntiarentur, ad pœnitentiam publicam exhortatur, & adſtringit. De publica non loquitur Auguſtinus, ut dictum eſt, ſed de ſacramentali: „ Deinde (*proſequitur*) prorſus improbabile eſt, eos de pecca-„ to publico ſecretam eſſe agendam pœnitentiam contendiſſe, ut con-„ tendebant ii, quos refutat. Ubi in textu Auguſtini hanc contentionem invenit, ut eam ex trypode affirmare non addubitet? Ex ſuo certe cerebro hæc effingit. Hanc reddit rationem: „ Statim enim occur-„ rit quorumdam objectioni, qui ut publicæ pœnitentiæ dedecus „ vitarent, prætexebant ſe privatim, & occulte pœnitentiam age-„ re, quaſi crimini ſuo eluendo privata pœnitentia ſufficeret. Sed „ hoc negat Auguſtinus. Et non pudet Morinum hanc Doctori Aquilæ imponere calumniam! Negaret, aut potuiſſet negare Auguſtinus, ſufficere ſecretam confeſſionem, & ſecretam Pœnitentiam ad eluendum peccatum occultum? Quis talia de tali Doctore aſſerere non vereretur? Dogma certum eſt, verum dolorem cum vera, & humili confeſſione ad delendum ſufficere peccatum, ſufficere ad ſalutem. Ad id eſt illud Regii Vatis: „ Dixi: Confitebor injuſtitiam meam Domino: & tu „ remiſiſti impietatem peccati mei: *Illud* Matthæi. 8. Vade & oſtende „ te Sacerdoti, & offer munus tuum. *Illud* Apoſtol. *ad Roman.* 10. Ore „ autem confeſſio fit ad ſalutem. *Illud* Proverb. 16. Revela Domino „ opera tua, & diriget cogitationes tuas. Et cap. 28. Qui autem con-„ feſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur. Adulterium commiſerat David, & ſtatim quod doluit, & peccatum fuit confeſſus, Dominus tranſtulit peccatum ſuum. Non publicas agebat pœnitentias, ſed nocte ſurgebat ad confitendum, & lacrymis rigabat ſtratum ſuum. Ipſe Auguſtinus non ſemel id docuit: „ Confeſſio eſt ſa-„ lus animarum; ... obſtruit os inferni, & aperit portas Paradiſi. „ (26) *Alibi*: Plurimum ſuffragatur Deo verecunda confeſſio: „ &

(26) In lib. de Pœnit.

X 2

„ & pœnam, quam defenſione evitare non poſſumus, pudore rele-
„ vamus. (27) *Et alibi*: Qui ſe accuſat, etſi peccator ſit, juſtus eſ-
„ ſe incipit.... Ceſſat vindicta divina, ſi confeſſio præcurrat huma-
„ na. (28) *Et alibi*: Pœnitentia aboleri peccata indubitanter cre-
„ dimus, & in ultimo vitæ ſpiritu, ſi admiſſorum pœniteat. (29) Innumeræ ſunt aliæ ſancti Doctoris authoritates, ex quibus probatur ſufficere confeſſionem ſacramentalem ſecretam; ac proinde ejus doctrina cavillatur dum aſſeritur, eum docuiſſe nullatenus ſufficere occultam pœnitentiam.

134 Adhuc proſequitur Morinus in hunc modum: „ Qui pœni-
„ tentiam occulte vult agere de eo peccato, cui publicam impoſuit
„ Eccleſia, fruſtrat Euangelium Chriſti, &c. Saltat extra chorum. Non quæſtio eſt de peccato, cui Eccleſia publicam imponit pœnitentiam; ſed utrum Eccleſia imponat pœnitentiam publicam peccato occulto, & an occultus peccator teneatur publice pœnitere? Unde ſi, ut vult Morinus, S. Doctor agit de peccatore, cui Eccleſia impoſuit publicam pœnitentiam, fruſtra adducitur ad probandum pro occulto peccato neceſſariam eſſe publicam pœnitentiam; nam ad eam pro occulto peccato Eccleſia nullibi cogit peccatores. Si autem loquitur de publicis peccatoribus, certum eſt fruſtrari Euangelium, ſi pœnitentia publica ab Eccleſia impoſita recuſetur; quia tunc ſic recuſans non eſt ritè diſpoſitus, ſicut diſpoſitus non cenſetur qui non vult emendare ſcandalum, reſtituere debitum, expellere occaſionem.

135 Addit, S. Doctorem in eo eſſe, ut tollat erubeſcentiam, *non confeſſionis publicæ; nam ad eam nemo adſtringitur*: Ergo neque ad publicam pœnitentiam peccati occulti; nam, ut ſupra jam dixi, pœnitentia canonica præſupponebat publicam confeſſionem. Publica pœnitentia inconſulto Epiſcopo non agebatur: Epiſcopus, ut decerneret pœnitentiam, ſcire debebat ſpeciem peccati, ut ei commenſuraret juxta canones conſtitutam pœnitentiam. Si autem publica aliqua pœnitentia fiebat ex devotione, hæc non erat neceſſaria, neque de hac quæſtio eſt; ſed de pœnitentia canonica neceſſario ſubeunda. Si autem erat ſpontanea, & voluntaria, facta ex propria devotione, aut humilitate, de hac dici non poteſt, fruſtrari claves Eccleſiæ, fruſtrari Euangelium, ſi non fiat. Addit etiam, quod *non magis erubuiſſet* peccator *occulte confiteri, quam occulte pœnitere*. Fallitur, ut præſepe, eumque ſua ipſa dicendi facultas deludit. In confeſſione homini facienda, in ei aperiendis peccatis, & turpitudinibus ſemper datur erubeſcentia. Id fatentur omnes, id ſancti Patres agnoſcunt, id experientia nos docet: in

(27) In lib. de Joſeph. cap. 36.
(28) Super Pſal. Beati immaculati.
(29) De Eccleſ. dogmat. cap. 48.

in pœnitentia vero occulta, in dolore interno, in oratione ſecreta, in jejunio, in eleemoſyna nulla verecundia, nulla erubeſcentia, nullus pudor conſiderari poteſt. Addit etiam, *eos, de quibus* S. Doctor *agit, peccata privatim confeſſos, ſed pœnitentiam publicam recuſaſſe*, idque dicit certum eſſe, cum tamen id non probet, niſi ex conjectura, & quidem inconcludenti. Intendit S. Doctorem non ſpectaſſe *actiones occultas, ſed publicas tantum, de quibus erubeſcentiam amollire conatur*. Idque deducit ex verbis: *Propterea Deus voluit, ut Theodoſius Imperator ageret pœnitentiam publicam in conſpectu populi, maxime quia ejus peccatum celari non potuit.* Hinc ex illa particula *maxime* deducit, S. Doctorem *criminis occulti pœnitentiam publicam novo dicto confirmaſſe. Neceſſario enim*, ait, *hinc infertur, criminis & occulti, & publici pœnitentiam agi publicam.* Inanis eſt hæc argumentatio. Illa dictio *maxime* non tantum probat, quantum ipſe fingit. Idem importat, ac dictio *præſertim.* Quandoque ſumitur taxativè; nonnuquam abundat. Regulariter denotat maiorem rationem in caſu, in quo proponitur. Non inducit argumentum ad caſum contrarium. Ponitur frequentiſſime augmentative ad caſus ejuſdem generis. Unde in authoritate Auguſtini ſolum implicat publicam pœnitentiam ad caſum publici criminis, ita ut ſenſus ſit, ob publicà crimina imponendam eſſe publicam pœnitentiam, & præcipue ſi taliter publicum ſit, ut tranſeat in notorium; nam, ut ſupra dictum eſt, aliud ita publicum eſt, ut adhuc aliqua tergiverſatione celari poſſit, aliud vero, quod nullatenus valeat tergiverſari. Igitur de crimine publico, & publico peccatore agit Auguſtinus, & exemplo Theodoſii reprehendit cæteros. Aliter non bene argueret contra occultos peccatores exemplo Imperatoris publice peccantis; ſtatim enim hi reſponderent: Theodoſius publice peccavit, & totam plebem offendit, ideo juſte ad agendam publicam pœnitentiam adactus fuit; nos verò occulte peccavimus, neminem offendimus, noſtra apud homines exiſtimatio integra ſubſiſtit; ideoque ad publicam pœnitentiam non tenemur. Et quis dubitat hanc reſponſionem S. Doctoris admonitionem reddere nullius vigoris? Non ineptus erat Auguſtinus, ut ſic argueret; id Morino, ejusque aſſeclis relinquendum eſt.

136 Subſiſtit adhuc in ſua ſententia ex Auguſtino confirmanda, utiturque aliis verbis, ex quibus non modo non probatur ſua opinio, ſed potius contraria ſententia ſuadetur. Ait, S. Doctorem exhortatum fuiſſe *mulieres, ut maritos adulteros ad Eccleſiam deferrent, & iis graviter minitatum eſſe, ſi hoc non facerent.* Ad quid hæc exhortatio neceſſaria erat, ſi ipſi publicam tenebantur ſubire pœnitentiam? Certe id intendit, quod adulterorum mulieres maritos accuſarent, ut ipſe eos punire, & coercere poſſet. Erat igitur neceſſarium, quod peccatum

tum

tum illud per delationem mulierum inciperet eſſe publicum, ut publice in eos animadverteret, atque ad publicam cogeret pœnitentiam. Deinde hæc S. Doctoris verba refert: ,, Ego ſcio, quia ſapientes
,, amant me, in hoc a communione ſe cohibeant qui ſciunt, quia
,, novi peccata ipſorum, ne de cancellis projiciantur. Quorum au-
,, tem neſcio, hos coram Deo convenio. Agant etiam ipſi pœniten-
,, tiam ſuam, & deinceps ab immunditia abſtineant fornicationum
,, ſuarum. Ex his verbis clariſſime eruitur inter occulta, & publica peccata differentia. De publicis, quæ jam ipſe ſciebat, & quæ probari poterant, admonet peccatores, ut ipſi a communione ſe cohibeant, hoc eſt confeſſione ſua, & expoſtulata pœnitentia prævenirent, ne ſeveriori pœnitentia, & ejectione e templo punirentur. De aliis verò occultis, quæ ipſe neſciebat, monet, ut agant *pœnitentiam ſuam.* Quæ erat iſta ſua pœnitentia, niſi, teſtante ipſo Morino, occulta pœnitentia? Ergo ex ipſa Auguſtini ſententia peccata occulta occulta pœnitentia eluenda erat.

137 Alias coacervat ipſius S. Doctoris authoritates, de quibus jam ſupra actum eſt. Sed quia *ſerm.* 41. *de Sanctis* ea verba: *Ut qui cum multorum deſtructione ſe perdiderit, eum multorum ædificatione ſe redimat*, ſuæ ſententiæ obſtare videbantur, maxima ſe expedit facilitate, dicens: ***Sed ea nullam peccati publici neceſſitatem inducunt.*** Si peccatum, quod multos offenderet, & exemplo deſtrueret, publicum neceſſario dici non debebat, in quo publicum conſtituet Morinus? Pergit in hunc modum: ,, Ex iis, quæ dicta ſunt, colligere poteſt lector
,, eamdem eſſe rationem, & ſenſum multorum S. Auguſtini dicto-
,, rum, in quibus docet graviſſimorum criminum pœnitentiam eſſe
,, agendam, licet publicam non addat. Cur non addit? Quia non adeo deſipiebat Auguſtinus, ut pro omnibus indiſcriminatim peccatis publicam indiceret pœnitentiam. Regulam generalem pœnitentiæ agendæ edocet, ita tamen, ut intelligendus ſit eo modo, quo debet, & de jure ineſt, ſcilicet, ut ageretur publica pro publicis, occulta pro occultis pœnitentia: *Non dico*, (proſequitur) *nec occultationis mentionem faciat: Nunquam enim ipſe, vel alius ratione pœnæ gravius, vel mitius, ſecretò, vel publice inſerendæ occultum a publico diſcernit.* Ex multis tam ipſius Auguſtini, quam aliorum ſententiis hoc diſcrimen frequenter fieri jam ſupra demonſtravimus. Unde vel ipſe non legit, vel non intellexit, & ut multa ſaperet, noluit ſapere ad ſobrietatem. Tandem ad exemplum trahit alia verba ejuſdem S. Doctoris *in hom.* 41. *de Diſtinct. peccat. ad fin.* nempe: ,, Illi verò, qui aut
,, homicidium, aut ſacrilegium, aut adulterium, vel reliqua his ſi-
,, milia commiſerunt, ſicut jam dictum eſt, ſi eis digna pœnitentia
,, non ſubvenerit, non per purgatorium ignem tranſire merebuntur

,, ad

„ ad vitam, ſed æterno incendio præcitabuntur ad mortem. Quibus verbis hoc addit Morinus gloſſemma. „ Licet pœnitentiam ſimpliciter „ dixerit, nec addiderit publicam, certum tamen eſt publicam intel- „ ligere. Ego autem dico, eum hoc per ſummam ignorantiam, aut ſummam temeritatem addidiſſe. Potuit fortaſſe in Auguſtini mentem venire ſine publica pœnitentia homines ſalvari non potuiſſe? Potuit Eccleſiæ luminare ſplendidiſſimum aſſerere, peccatores publicam pœnitentiam non agentes per Purgatorium non tranſire, & in infernum præcipitari? Potuit ignorare in Purgatorio ſatisfieri quoad reatum pœnæ pro peccato, pro quo plene in hoc mundo ſatisfactum non fuit? Potuit neſcire Doctor egregius, peccatorem, etſi innumeris peccatis gravatum, per verum cordis dolorem, & oris confeſſionem Sacerdoti occulte factam, vel in re, vel in voto ad gratiam reſtitui, & ſalvari, licet in Purgatorio retineatur, quouſque per debitam pœnam Deo ſatiſfaciat? En quomodo ſanctorum Patrum verba a Novatoribus detorquentur, & adulterantur. Auguſtinus igitur ex ſuismet verbis neceſſario intelligendus eſt de vero dolore, & ſacramentali pœnitentia, ſcilicet Pœnitentiæ ſacramento. Orthodoxi judicabunt quis melius Auguſtinum, veriusque interpretetur.

138 Poſtea *cap.* 10. idem aſſumptum probare intendit ex aliis ſanctis Patribus. Sed quibus? Leone ſcilicet, qui expreſſe conſtituit, ſufficere illam confeſſionem, *quæ primum Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit.* De quo ſupra jam egimus, & quem idem ille Morinus, qui Theologorum fundamenta principiis ſtabilita liberrime contemnit, ſophiſmatibus & paralogiſmis interpretatur, illud apprehendens, ſanctum Pontificem ſolum improbaſſe præceptum publicæ confeſſionis, non verò publicæ pœnitentiæ, cum tamen ratio ſit eadem in utroque caſu: vultque perſuadere, argumenta ſua poſſe prævalere ſolidiſſimo juris naturalis, immo & divini præcepto, ſecundum quod nemo tenetur ſe ipſum prodere, ſe ipſum infamare, ſuamve lædere probam exiſtimationem. Adeoque ſuæ opinioni ſemel conceptæ mordicus adhæret, ut ſæpe declinet ad illam erroneam propoſitionem, neminem ſine publica pœnitentia veniam occultorum delictorum a Deo promereri. En terribilis Rigoriſmus, aptus quidem vel ut homines a Sacramento arceantur, vel de miſericordia divina deſperantes in abyſſi profundum infeliciter demergantur.

139 Refert ipſius Leonis epiſtolam 91. ad Theodorum Forojulienſem, cujus verba ſunt hæc: „ Chriſtus Jeſus hanc Præpoſitis Ec- „ cleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus actionem pœniten- „ tiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communio- „ nem ſacramentorum per januam reconciliationis admitterent. *Et poſtea*

,, *poſtea* : Si autem aliquis eorum , pro quibus Domino ſupplicamus, ,, quocumque interceptus obſtaculo a munere præſentis indulgentiæ ,, exciderit , & priuſquam ad conſtituta remedia perveniat , temporalem vitam humana conditione finierit , quod manens in corpore ,, non receperit , conſequi exutus carne non poterit. Quod verbum hic eſt , pœnitentiam publicam pro peccato occulto ſignificans ? Nullum profectò , niſi conjecturando , aut divinando id aſſerere velimus. Sed Morinus ſic habet : ,, Quærit initio epiſtolæ quo remedio ad vitam æternam reparentur qui gratiam Baptiſmi violarunt. Reſpon- ,, det per pœnitentiæ medicinam. Per pœnitentiam autem , & pœnitentes ea epiſtola , ut fere ſemper , intelligit pœnitentiam publicam , & pœnitentes publicos. *Et paulo infra* : Interrogatus , qua ,, ratione donum regenerationis violatum reparari poſſit , ſic generatim nulla publici , aut occulti criminis diſtinctione , reſpondet , ſicut nulla facta diſtinctione interrogatus fuerat , easque poſtea objectiones iterum movet , quæ ad pœnitentiam publicam neceſſario ,, quoque ſpectant. Lippus erit qui non videat Leonis authoritatem cavillari. Quis ad lucem veritatis Leonis ſententiam legat , & non agnoſcat , eum non de ſatisfactione publica pœnæ peccato debitæ , ſed de Pœnitentiæ ſacramento locutum fuiſſe ? Quærit quomodo reparentur qui poſt Baptiſmum lapſi ſunt in peccatum , & gratiam amiſerunt ? Quis Orthodoxus neſcit , non per ſatisfactionem temporalem pœnæ , ſed per ſacramentum Pœnitentiæ gratiam amiſſam reparari ? Sic Patres unanimi conſenſu ſemper cenſuerunt , ſic teſtatur , ſic definiit Tridentinum locis ſupra citatis , ſic pro infallibili dogmate habemus. Quis adeo hebes , & obtuſus erit , ut ſibi perſuadeat doctiſſimum Leonem , ſanctæ Eccleſiæ Pontificem , ſacramenti Pœnitentiæ ad ſalutem neceſſarii omnem vim , & efficaciam repoſuiſſe in temporali ſatisfactione pœnæ , non verò in dolore , in confeſſione , in propoſito, & in Sacerdotis abſolutione ? Quis adeò inſanierit , ut intelligeret exutum carne ſine ſatisfactione pœnæ poſtea non poſſe hanc in Purgatorii igne ſatisfactionem implere , nec ſalvari poſſe , licet Pœnitentiæ ſacramento , & vero dolore decederet, caſu , quo abſque præſentis indulgentiæ munere vitam obierit ? Id indefectibilis morum regula docere nunquam potuit. Ergo deceptus eſt Morinus ſic Leonem interpretatus.

140 Poſtea eumdem S. Leonem in aciem producit , epiſtola ſcilicet 92. Fides ſit Rabano Mauro , ex quo eum refert ; ego enim invenire non potui , prout tranſcribitur. Sic habent ejus verba : ,, Qui convivio ſolo gentilium , & eſcis immolatitiis uſi ſunt , poſſunt jejuniis , & manùs impoſitione purgari , ut deinceps ab idolothytis ,, abſtinentes ſacramentorum Chriſti poſſint eſſe participes. Si autem ,, idola adoraverunt , aut homicidiis , aut fornicationibus contamina-

,, ti

„ ſunt, ad cōmunionem eos niſi per pœnitentiam publicam non opor„ tet admitti. Ex hac authoritate, quantum capio, id ſolum colligitur, nempe, peccata publicè admiſſa, vel publicè cognita alia aliis eſſe graviora. Leviora mitiori pœnitentia purgari, graviora graviori, & canonica pœnitentia purganda eſſe. Intereſſe conviviis gentilium, & in eo eſcis immolatiis uti peccatum erat, ſed levius, quam idololatria, ideo mitiori pœnitentia fuerat eluendum; cætera verò, quia graviora, & capitalia, publica canonica pœnitentia expurgari oportebat. Morinus ait, quod *abſurdè admodum diceretur, ſi Leonis verba, & circumſtantias rei conſideremus, decretum iſtud de criminibus tantum publicis eſſe intelligendum.* Ego vero abſurde admodum id negari ſentio. Abſurde enim diceretur Leonem, qui publicam confeſſionem ex præcepto faciendam prohibuerat circa occulta peccata, eorumdem peccatorum præciperet publicam canonicam pœnitentiam, quam præcedere debuerat publica confeſſio, ut late diximus, & abunde probatum reliquimus. Pro fundamento ſuæ dubitationis, aut negationis aſſumit Morinus, quod Ruſticus Narbonenſis Epiſcopus cum ſuo Clero dubitare non poterat *publica crimina publice punienda.* Non dubitabat id Ruſticus, nec ſuæ conſultationis hæc dubitandi ratio erat. Dubitabat igitur, qua pœna, quave pœnitentia afficiendi eſſent qui ſolo convivio intererant, & eſcis immolatitiis uſi fuerant. Dubitabat, & merito, quia crimen illud ſpecies erat idololatriæ, huic crimini abſolute ſtatuta erat canonica pœnitentia. Sed quia hæc pœnitentia gravior viſa erat reſpectu criminis illius, ideo Leonem conſuluit; qui benignitate præ oculis habita, & attenta minoris criminis circumſtantia, mitiori pœnitentia illud expurgandum eſſe decrevit. Sed fallitur Morinus, dum ait, èam pœnitentiam ſecretam fuiſſe. Non ſecreta, ſed publica fuit; non tamen ſolemnis & canonica. Illa manuum impoſitio actio publica eſſe ſolebat, illa abſtentio a ſacramentis, durante pœnitentia, actio erat publicæ pœnitentiæ. Unde nihil aliud apparet, niſi illam publicam pœnitentiam non fuiſſe adeo ſolemnem, ſed publicam fuiſſe, proculdubio conſtat.

141 Addit aliud fundamentum, ſcilicet: „ Homicidia illa ſi pu„ blica fuiſſent, capitali ſupplicio vindicata fuiſſent, ac proinde nec „ pœnitentiæ publicæ, nec privatæ obnoxia. Intelligit ergo canonis „ auctor, occulta homicidia, quæ ſaltem notoria non erant, nec „ poterant ad forum civile deduci. Idem eſt de fornicationibus, & „ adulteriis judicium, cum mulieres ſpectant. Idem quoque de furtis, „ & latrociniis, aliiſque criminibus, quæ a Magiſtratu enſe animad„ vertuntur. Ut ipſe revincatur, ſat eſt eum adire in *cap.* 5. hujus libri, & alibi paſſim, ubi docet crimina publica publica pœnitentia caſtigari. Proinde in hoc numero ſe cohærenter non habet. Præterea in errores

impingit. Dicit capitalia delicta nec publicæ, nec privatæ pœnitentiæ ſubjacere, quia publico ſupplicio vindicantur. Ergo melioris conditionis erant in foro Eccleſiæ publici criminoſi, quam occulti peccatores? Primus error. Ergo reis puniendis in foro civili nec publica, nec privata expiatione ſubveniendum erat in foro pœnitentiali? Secundus error. Ergo non poterant de prædictis criminibus conſtare in foro Eccleſiæ quæ ad forum civile deduci non poterant? Tertius error. Ergo crimina, aliàs occulta, publica poſſent fieri per canonicam pœnitentiam, ut civilibus legibus percelli potuiſſent? Quartus error. Ergo poterant Epiſcopi addicere publicæ pœnitentiæ occultos peccatores abſque eo, quod crimen probatum fuiſſet? Quintus error. Sic vir doctiſſimus ſuæ publicæ pœnitentiæ, aut ſui rigoriſmi amore abductus tam facile intercipitur.

142 Sic ſimiliter dementatur, ut ſophiſmatibus involvat ejuſdem Leonis epiſtolam ad Epiſcopos Campaniæ. Miror hominem eruditum ſuamet ſubtilitate ſic deludi, ut ſyllogizandi artem perdidiſſe videatur. Sic philoſophatur: „ Cum enim de peccatorum occultorum confeſ„ ſione publica quæſtio mota eſſet, omnino improbabile eſt, eos, „ quos improbat, publicam occultorum criminum confeſſionem inſti„ tuiſſe, pœnitentiam verò privatam. En primum ſophiſma. Leo non improbat pœnitentes, ſed improbat Epiſcopos, qui pœnitentes adigebant ad publicam confeſſionem, & conſequenter ad publicam pœnitentiam. Neque aliquis noſtrûm tam cæcus arripitur, ut ſomniet, pœnitentes *inſtituiſſe publicam confeſſionem, pœnitentiam verò privatam.* Proſequitur: *Nam poſita confeſſione publica, ex occultis crimina fiunt publica, & conſequenter juxta Apoſtolum, & perpetuum Eccleſiæ morem publice corripienda.* En aliud ſophiſma. Siquidem ex eo ipſo, quod peccata occulta, per publicam confeſſionem detecta, publica pœnitentia caſtigarentur, non debuerant publice propalari, nec publice puniri; quia ex ipſa publica punitione reſultabat occulti delicti revelatio, & per infallibile conſequens infamia proximi omni jure prohibita. Sed non ſatis adhuc; ulterius parologizat in hunc modum: „ Sed in eorum praxi Sanctus Leo nihil aliud reprehendit, quam con„ feſſionis publicæ morem; pœnitentiam autem, quam illi capitali„ bus criminibus clam commiſſis, ſed palam confeſſis imponebant, „ intactam relinquit, decernitque tantum confeſſione ſecreta conten„ ti ſint. Aliud ſophiſma. Quomodo intactam relinquit, ſi adempta publica confeſſione adimebatur publica pœnitentia? Si peccata erant ſacramentaliter ſigillata, quomodo punirentur publica pœnitentia, ſi omnino ignorarentur? Concludit: „ Peccatorum igitur ſecreto con„ feſſorum pœnitentiam agere publicam mos erat Eccleſiæ catholicæ, „ quem ſola remotione, & defenſione confeſſionis publicæ criminum

„ occul-

„ occultorum valide confirmat. Quis talem inferendi artem uſquam novit! Pœnitentia publica, juxta ipſum, reſpiciebat peccata, quæ per publicam confeſſionem publica facta fuerant; hæc peccata, ſic publica facta, puniebantur per publicam pœnitentiam: ergo mos erat Eccleſiæ occulta peccata publica pœnitentia caſtigare? Si mos erat caſtigare publica pœnitentia peccata illa, quæ per publicam confeſſionem detegebantur; quomodo mos erat pœnitentia publica caſtigare peccata, quæ ſub ſigillo ignota latebant? Profecto non ſolum ridenda eſt tam inſubſiſtens illatio, ſed cachinis irridenda. Totum paralogiſmum alio confirmat. Siquidem illud Leonis: *Plures ad pœnitentiam poterunt provocari, ſi populi auribus non publicetur conſcientia pœnitentis*, ſic interpretatur: *De pœnitentia tantum publica intelligi poteſt.* Se ipſum fefellit. Si Leo, ut fatetur, ſolum agebat de confeſſione; quomodo nunc intelligendus eſt de publica pœnitentia? Quid moror in refellendis futilitatibus? Sanctus Pontifex agebat de Pœnitentiæ ſacramento: ad illud referenda ſunt illa verba; ejus quippe ſcopus erat, ne ab eo ſacramento tam proficuo arcerentur fideles timentes, quod ad publicam confeſſionem, publicamve pœnitentiam adigerentur. Id ſignificat in illis verbis: *De pœnitentia videlicet, quæ ita à fidelibus poſtulatur.... Sufficit enim illa confeſſio, quæ primum Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit.* Pro his occultis peccatoribus precatur ſolus Sacerdos; non precatur populus, ut erga publicos pœnitentes moris erat in Eccleſia.

143 Utitur ulterius authoritate Innocentii *epiſt.* 2. *cap.* 12. ad Victricium Rothomagenſem Epiſcopum ſic ſcribentis: *Quæ Chriſto ſpiritualiter nupſerunt, & velari à Sacerdote meruerunt, ſi poſtea vel publice nupſerint, vel ſe clanculo corruperint, admittendas non eſſe ad agendam pœnitentiam, niſi cui ſe junxerant, de ſæculo deceſſerit.* Ex qua auctoritate, deſumit illa verba: *Vel ſe clanculo corruperint*, ut oſtendat S. Innocentium *nullum diſcrimen facere in pœnitentiæ ſpecie, ſive crimen ſit publicum, ſive occultum: utrumque enim eodem faſce involvit.* Et ſic proponit: „ Propoſita illi fuerat quæſtio „ cum criminis diſtinctione: An Monialis clanculo corrupta ad pœ„ nitentiam publicam non eſſet ante admittenda, quam obiiſſet ipſius „ corruptor, qui ſe clam omnibus junxerat, ſicut id obſervabatur in „ publice nupta? Nulla privatæ, & publicæ pœnitentiæ diſtinctione „ facta, reſpondet eamdem eſſe utriuſque rationem. Nec etiam Ro„ thomagenſis Epiſcopus, qui quæſtionem propoſuerat, in pœniten„ tiæ modo nodum ſtrinxerat; erat enim omnibus exploratum, „ tantum crimen eſſe publica pœnitentia ſanandum, nec referre, „ publice ſit commiſſum, an occulte. Sed dubitaverat, an in pœni„ tentia imponenda eſſet expectanda mors conſcii criminis in furti-

„ va corruptione, ſicut in ea, quæ nuptiarum publica figura coho-
„ neſtatæ fuerant. Nec abs re dubitaverat, cum in poſteriore caſu
„ adultera juſtæ uxoris vicem civiliter haberet. Apte quidem ad decipiendum ignaros, & qui rei eccleſiaſticæ notitia omnino jejunant.

144 Igitur advertendum in primis eſt, eam lectionem dubiam eſſe, nam illa particula: Vel *ſe clanculo corruperint*, abeſt omnino in originali, & in Codice canonum, nec habetur in Concilio Taurinenſi. In epiſtolis verò Coloniæ, & Lutetiæ impreſſis ſic legitur: *Si poſtea nupſerint, vel publicè, vel occulte corruptæ fuerint.* Quæ quidem lectio diverſum ſenſum facit. Rationem dubitandi addit, quod Victricii conſultatio caſum occultæ corruptionis non exprimebat, nec eadem Innocentii epiſtola in principio eum proponit caſum, ſed generalem propoſitionem refert. Ait enim: *Quoſdam enim aſſeris extitiſſe, qui ſtatuta maiorum non tenentes, caſtitatem Eccleſiæ ſua præſumptione violant, populi favorem ſequentes, & Dei judicium non timentes.* Sciendum eſt etiam hæreticos cum Madeburgenſibus. *centur. 5. cap.* 10. in ſanctiſſimum Innocentium latrare ob quod ſacras virgines lapſas non reciperet ad pœnitentiam, niſi mortuo ſuæ turpitudinis ſocio. Sic ait Baronius: (30) *Quod vero Novatores dictam Innocentii Papæ ſuggillent epiſtolam, dum ipſe negat recipiendam eſſe pœnitentiam ſacræ virginis lapſæ, niſi defuncto viro, cui ſe titulo nuptiarum conjunxerat; objicientes inique actum differendo lapſæ pœnitentiam in obitum adulteri.* Idem refert Gibalinus in hæc verba: *Immorandum etiam non eſt in rejiciendis quæ adverſus Innocentium I. & ab eo conſtituta arguunt.... quod prohibuerit virginem velatam nubentem, aut fornicantem recipi ad pœnitentiam, niſi mortuo eo, cum quo peccavit.* Ipſis autem maior latrandi anſa præberetur, ſi Innocentius ob ſolam occultam fornicationem virgini lapſæ omnem pœnitentiæ aditum intercluderet vivente conſcio criminis. Maior præterea dubitandi, aut irridendi ratio fuiſſet, ſi Innocentius matrimonia procul dubio nulla, prout erat illud contractum cum virgine velata, atque Deo dicata, valida aliquo modo viſus eſſet judicare, quatenus conſciorum mortem expectaret, ſicut expectanda erat in aliis nuptiis, qui vivente viro ad publicam pœnitentiam non admittuntur, non ex alia ratione, ne ſcilicet in adulterii veniant ſuſpicionem. Dicendum ergo eſt, ne corylis irretiti deludamur, Victricium non dubitaſſe inceſtas nuptias, utpote crimen publicum, puniendas eſſe publica pœnitentia; nec etiam ei in mentem veniſſe, an clanculo corrupta Monialis, ſi occultum crimen eſſet, occulta pœnitentia expurgari debuiſſet? Id ex certis principiis exploratum erat; ſolùm quippe modernis Rigoriſtis mos ille ex ineptis conjecturis arridere potuerat. Inſuper nec ipſe, nec Innocentius ignorare quiverant, eas nuptias ſic contra-

(30) Tom. 5. ad an. 404. Pontific. Innoc. I. an. 3.

contractas inceſtuoſas eſſe, ac irritas. Neque etiam ibi agebatur de aliquo crimine occulto, ſed publico; licet enim Monialis illa virgo clanculum corrupta fuerit, poſtea publicum factum fuit; aliàs ſi occultum crimen eſſet, ipſum Victricium lateret, nec de illo interrogaret. Publicum autem factum fuiſſe, id adeo certum eſt, ut neque eumdem Morinum latere potuerit, quamvis ipſe celare intenderit, ſe enim ipſum miſerrime prodidit in illis verbis: *Nec abs re dubitaverat, cum in poſteriore caſu adultera juſtæ uxoris vicem civiliter haberet.* Quomodo occulte corrupta juſtæ uxoris vicem civiliter haberet, ſi corruptori ut civili marito non adhæreret? Quomodo civilis mariti mors expectaretur, ſi ipſe nuptias, licet inceſtuoſas, non contraxiſſet, & in conſortio civilis uxoris non permaneret? Ergo illud occultum delictum in publicum tranſierat ob civile initum conſortium.

145 His poſitis, neque Victricius, nec alius quiſpiam doctus dubitare valuit, illa matrimonia inceſtuoſa eſſe, & cogendos eſſe conjuges ad ſeparationem, atque ad publicam pœnitentiam, ſicut publicum fuerat delictum. Quæ ergo dubitandi ratio movit Victricium, ut Innocentium conſuleret? Quæ ratio Innocentium adegit, ut ſic decerneret? Quia illi inceſtuoſi ſub figura matrimonii conjuges ad ſeparationem adduci nequibant: illud matrimonium validum civiliter reputabatur; nam intolerabilis error irrepſerat, qui propter multitudinem peccantium facile emendari non poterat, nempe, nuptias tantummodo jure civili contrahendas, contractaſque ratas eſſe habendas. Quid ergo juris in hoc ancipiti caſu? Id prudentiſſime dubitabat Victricius, prudentiſſimeque reſolvit Innocentius, conſtituens, quòd habeatur ut adultera: *Nec ei agendæ pœnitentiæ licentia concedatur, niſi unus ex eis fuerit defunctus.* Quod autem clanculo corrupta Monialis poſtea nupſerit, id evidentiſſime patet ex verbis finalibus, cum de utraque dixerit: *Quanto, & magis illa tenenda eſt, quæ ante immortali ſe ſponſo conjunxerat, & poſtea ad humanas nuptias tranſmigravit?* Ratio autem, cur eos ſeparari non juſſit, ea eſt, quam ſupra ex Baronio diximus, & colligitur ex verbis ipſius Innocentii in principio epiſtolæ: *Extiterunt etiam nonnulli, qui ſtatuta maiorum non tenentes, caſtitatem Eccleſiæ ſua præſumptione violarent, populi favorem ſequentes, & Dei judicium non timentes.* Ad pœnitentiam autem non admittit ex duplici capite. Primum, quia cum illud matrimonium, licet ex errore, ſaltem civiliter validum reputaretur, ſi fœminæ illæ ad pœnitentiam admitterentur, haberentur ut adulteræ, & vel civilibus legibus percellerentur, vel à viris ſuis occiderentur, ac proinde ut aliæ nuptæ, ſolum mortuis viris, quibus conjunctæ erant, ad publicam canonicam pœnitentiam debebant admitti. Se-

Secundum erat, quia cum perſeverarent in illo inceſtuoſo matrimonio, nec inceſtuoſos viros vellent dimittere, indiſpoſitæ omnino erant, ut ad pœnitentiam admitterentur. Non mea hæc ratio eſt, ſed Baronii, & Giballini ubi ſupra. Baronius ſic habet: *Qui igitur in ejuſmodi nuptiis perſeverare decernerent, plane inhabiles penitus reddebantur, quibus pœnitentiæ remedio poſſet Eccleſia ſubvenire, niſi adultero conjugis loco habito morte ſublato.* Giballini autem ſententia hæc eſt: *Hæc objectio pravam Centuriatorum imperitiam arguit, cum ex ipſa epiſtolarum Innocentii, quas citant, lectione, conſtet ipſum agere de ſacris virginibus, quæ à ſuo adulterio ſeparari noluerint; quandiu enim cum illis degunt, in incontinentiæ præſenti, & continuo periculo, earum pœnitentia merito tamquam ſimulata rejicitur.* Corruit ergo argumentum ex Innocentio deductum, & tanta ſolertia fabricatum.

146 Maximo verborum apparatu Magni Baſilii canonem 34. de quo ſupra egimus, explicare contendit, & cum ſit ſuæ ſententiæ contrarius, mirè detorquetur, & violentiſſime ad ſuum ſenſum ab eo trahitur. Dicebat Baſilius ad Amphilochium: *Adulterio pollutas mulieres, & confitentes ob pietatem, vel quomodocumque convictas publicare quidem patres noſtri prohibuerunt, ne convictis mortis cauſam præbeamus, eas autem ſtare ſine communione juſſerunt, donec impleretur tempus pœnitentiæ.* Hic Baſilii locus evidenter loquitur de adulterio jam publico aut per ſpontaneam confeſſionem, aut per legitimam probationem. Sed quomodo Morinus explicat? Sic: *Primum vides adulterii manifeſtiſſime occulti ſpontaneam, & religioſam confeſſionem*, (tacet autem convictionem) *nec tamen expreſſe notatur, quod occultum eſſet.* Ridicula explicatio! Si crimen ſponte confeſſum, aut legitime probatum *evidentiſſime occultum eſt*, quod erit publicum? Fortaſſe occultum fuerat à principio, licet non admodum eſſet, quod teſtibus probari poterat, ſed poſt pubicam Epiſcopo factam confeſſionem, (nam ſi occulte ei confiteretur adultera, non poterat Epiſcopus pœnitentia publica animadvertere in crimen, quod probare non poſſet, ut ipſe Morinus fatetur) vel poſt convictionem in judicio jam non eſt occultum, ſed publicum. Baſilius autem non loquitur de adulterio clanculo commiſſo, & nondum publico, ſed de publico per confeſſionem, aut convictionem. Ad quid tamen opus erat notare, crimen occultum fuiſſe, ſi ad deciſionis rationem nihil referebat, an adulterium à principio occultum fuiſſet, necne? Ineptiſſimum, & fucatum omnino eſt quod addit: *Sed canonum, & Patrum antiquorum perpetuo more ſimpliciter edicitur, adulterio pollutas, &c.* Ad quid hæc ſimulatio? Patres, & canones non ſimpliciter edicunt publicare *adulterio pollutas*, ſed addito, *confitentes ob pietatem,*

tatem, vel quomodocumque convictas. Ergo non quæſtio erat de occulto, ſed de publico adulterio. Suæ inanis explicationis eam rationem adhibet: *Nihil enim ad pœnitentiæ rationem illo tempore referebat, crimen illud occultum eſſe, an manifeſtum.* Ratio ſua eſt, ſed concludenter nullatenus probatur. Adeo referebat, ut occultum adulterium nulla pœnitentia publica caſtigaretur; publicum autem ita caute, ut omnino Patres publicare vetuerint. Addit: *Sic & cæteri omnes canones de crimine quocumque ſive occulto, ſive publico interpretandi ſunt.* Optima interpretandi regula! Interpretatio ſcilicet contra juris & naturalis, & divini principia, contra intrinſecam ſacramenti inſtitutionem, contra illius amorem, & frequentiam, contra proximorum famam. Hæc Morino placere poterit, nequaquam nobis. Si autem hac canones interpretatione indigent: ergo non clari, non perſpicui, non evidentes ſunt circa occultorum delictorum publicam pœnitentiam. Nobis ergo liberum eſt ita interpretari, ut ſacramenti frequentiæ, & utilitati, proximorum favori, & famæ conſulamus. Omnes canones criminibus vel ſponte confeſſis, vel convictis, ac proinde publicis pœnitentias decernunt, occultis verò nullas expreſſione aliqua conſtituunt. Si cogitaſſent, expreſſiſſent. Non expreſſerunt: ergo non cogitarunt: ergo de illis nihil decreverunt.

147 Fallitur prætérea in ſequentibus; ait enim: *Deinde pœnitentiam publicam rigidiſſimam illi debere, non tamen infligi, ſed leviorem, publicam tamen.* Quis levitatem, aut nimiam inconſiderantiam hujus magni Scriptoris non mirabitur? Oh quam facile etiam maximi viri longe à ratione poſiti allucinantur! Ideo ſuo judicio, immo & noſtro remittendæ pœnitentiæ cauſa juſtiſſima fuit, ne adulteræ mulieres *pœnitentiæ rigore in adulterii ſuſpicionem veniant.* Hæc fuit mens canonum, hæc Patrum prudentiſſima cautela. Et tamen conſtituerunt pœnitentiam publicam, licet leviorem! An ſuſpicio plus oriretur ex gravitate pœnitentiæ, quam ex publicitate? Si rigidiſſima, occulta tamen pœnitentia gravarentur, nulli admiſſi criminis ſuſpicioni eſſent obnoxiæ. E' contra ſuſpicio etiam ex leviſſima, publicâ tamen, pœnitentia orietur. Quare ex illa graviſſima pœnitentia reſultaret adulterii ſuſpicio, niſi quia canones eluendo adulterii crimini eam conſtituerunt, ac proinde adulteræ mulieres ejuſmodi pœnitentiæ ſatisfacientes admiſſi criminis reæ proderentur. Idem certè judicium in pœnitentia publica, licet leviori. Scirent omnes eam pœnitentiam adulteris mulieribus conſtitutam fuiſſe, proindeque *præcipue ingenuæ* in illa pœnitentia explenda *adulterii facile ſuſpectæ eſſent.* Patres hanc ſuſpicionem, hanc periculi, ſeu mortis cauſam præcavere cogitarunt: ergo nullam publicam pœnitentiam, ex qua illa ſuſpicio reſultabat, conſtituerunt. Illa eis impoſita pœnitentia

tentia publica non erat, ſed communis omnibus fidelibus, aut etiam voluntariis pœnitentibus. Hujus rei nullum alium teſtem adveco, quam ipſum Morinum facile obliviſci ſolitum: ſic ait: *Ad conſiſtentiam igitur relegantur adulteræ mulieres, ne ſcelus detegatur, eo quod in eo ordine pœnitentes promiſcue ſubſiſtant cum fidelibus, & cum iis, qui privatim pœnitentiam ſive à Sacerdote injunctam, ſive ſpontaneam agebant.* Ergo illa pœnitentia publica non erat, eo ſcilicet modo, quo publicam, id eſt canonicam, pœnitentiam uſurpamus.

148 Neque omittendum quod, veluti pro argumenti confirmatione, adjicit in fine §. 8. *Cum autem* (inquit) *in viris pro quocumque crimine capitali, & in viduis pro fornicatione nulla cædis occaſio formidaretur, occulti adulterii agebant publicam, & rigidam pœnitentiam.* Si publica pœnitentia agebatur pro quolibet crimine capitali, jam ex ipſa pœnitentia reſultabat criminis ſuſpicio, & per conſequens aliquod cædis periculum; nam fortaſſe judices ſæculares, quibus de crimine, non autem de authore conſtaret, videntes illum publicum pœnitentem, ſpecialem inquiſitionem inſtituerent, & per conſequens aliquod periculum oriretur. Deinde illa pœnitentia publica canonica eſſe non poterat pro occulto delicto; quia ſi a Confeſſore imponebatur, ea erat ſolum privata; nam canonica ſolum ab Epiſcopo imponi poterat. Ergo pro crimine occulto non fiebat publica canonica pœnitentia. Sed demus non reſultare cædis periculum. Nonne dabatur manifeſta infamia? Nonne hoc ſufficiebat, ut publica pœnitentia peccatori occulto non injungeretur. Jure naturali ſic præcipiente, æqualiter vitari debet occaſio cædis, & infamiæ. Ponamus viduam honeſtam, ingenuam, aut puellam nobilem occulte labentem. Nunc utor iiſdem Morini verbis: *Quid enim criminis, ut plurimum, ingenua mulier præter fragilitatis culpam committere poteſt? Nihil furata eſt, neminem occidit, idola non adoravit. Quid igitur illam perpetraſſe veriſimile eſt?* Vir ſimiliter canonicæ pœnitentiæ addictus, non manebat irregularis? Non patiebatur infamiam? Quæ cauſa ſufficiens conſiderari poterat, quæ huic infamiæ præponderaret? Vertebatur aliquod damnum Reipublicæ, aliquod religionis detrimentum? Nonne ſalvari poterat peccator ille occultus, ſi non ageret publicam pœnitentiam? Non poterat Deo ſatisfacere per occultas pœnitentias à Sacerdote injunctas? Non ſufficerent lacrymæ, jejunia, cilicia, macerationes, abſtinentiæ, orationes, eleemoſynæ, peregrinationes, vigiliæ, flagella, & alia opera miſericordiæ? Ad quid ergo pœnitentia publica opus erat? Ut arcerentur fideles à ſacramento Pœnitentiæ, ut multa ſacrilegia committerentur, ut fieret duriſſimum onus Chriſti, aliàs ſuave, & leve? Arrideant hæc Rigoriſtis, nobis arridere non poſſunt.

149 Inu-

149 Inutiliter adducit explicationem Balſamonis, & Ariſtæni; ipſi namque nihil aliud faciunt, quam uberioribus verbis idem dicere, quod brevioribus canon ille. Cum tamen Balſamonem referat, cur reticet quod ille ait poſt canonem 59.? Ubi de pœnitentia, iis duobus canonibus conſtituta, ſic ait: *Etiamſi quæ præſentibus duobus canonibus decreta ſunt, quod ad dictionem attinet, clariſſima, ſed tamen quod ad praxim attinet, ſunt omnino difficillima. Nemo enim ea, quæ illic continetur, ratione curatur, & niſi eſſet inerrabilis clementis Dei miſericordia, omnis caro periiſſet.* Tacuit Morinus, quia omnino deſtruebat ſuam moris ab Eccleſia retenti, quem deprædicat, propoſitionem. Subinfert deinde: *Manifeſtum eſt igitur ſanctorum Patrum prudentia ita diſpenſatam fuiſſe mulieribus iſtis pœnitentiam, ut criminis ſecreti confeſſi nullum dari poſſet argumentum. Hoc igitur caſu excepto, & ſimilibus, ſiqui fuerunt, occultorum criminum quorumcumque pœnitentia publice ſecundum canonum rigorem agebatur.* Et cur Patres in aliis criminibus ſecreto confeſſis eadem prudentia non uterentur, cum procul dubio peccati confeſſi reſultaret argumentum, & proinde reſultare potuiſſent damna, quæ imminebant, ſupra ponderata? Et cur Morinus de crimine ſponte confeſſo, aut convicto, ait ſecreto fuiſſe confeſſum? Ut omnia confundat. Igitur in ſua fallaci deductione non logiſta viſus eſt, ſed parologiſta, dum ſic inferre videtur: *Mulieres adulterium ſponte confitentes, vel de eo convictæ pœnitentiam publicam non faciebant: ergo ei obnoxii erant cæteri occulti peccatores. A pœnitentia publica excipiebantur mulieres adulteræ de crimine convictæ, vel confeſſæ: ergo omnibus occultis peccatoribus illa publica pœnitentia erat peragenda.* Quis Logicus hanc deductionem non irrideret? Si omnes occulti peccatores publicam ſubire pœnitentiam juberentur, recte mulier ſecreto adultera exciperetur, non convicta, aut confeſſa. Sed canones id expreſſe non conſtituunt, ideo talis exceptio inconcinna eſſet. Sed quia canones publicos peccatores aut convictos, aut ſponte confeſſos ſubjiciunt publicæ pœnitentiæ, ideo ex hac regula excipiuntur mulieres adulteræ convictæ, aut ſponte confeſſæ: hæc eſt illius generalis regulæ deducenda exceptio.

150 Occurrere intendit difficultati, quæ oritur ex verbis: *Quomodocumque convictas*, ſed futiliter; quærit enim: *Eſſene poteſt crimen illud ſecretum, cujus mulier eſt convicta?* Et ſtatim reſpondit: *Poteſt quidem, cum pietate ducta confitetur: utroque tamen modo eam publicare prohibent canones, ſive ſponte confeſſam, ſive convictam.* Si canones utuntur disjunctiva, & duplicem caſum exprimunt, quomodo commiſcet unum cum alio? Et ſi poteſt eſſe convicta, quin ſponte confiteatur, quomodo tunc huic difficultati ſatisfacit? Hæc

Z convi-

convictio, ſeu hæc ſpontanea confeſſio forum externum reſpicit; nam in foro ſacramentali non poteſt conſiderari convictio per accuſationem, & teſtium depoſitionem, & ſimiliter confeſſio facta in foro interno, & ſacramentali non ea eſt, quam canones ſpontaneam dicunt, neque Epiſcopus pro peccato ei ſacramentaliter confeſſo poterat pœnitenti publicam indicere pœnitentiam; aperiret enim ſigillum, quod quidem nunquam licuit. Quomodo ergo erat ſecretum delictum ad forum Eccleſiæ deductum, & publicæ pœnitentiæ, ſi aliud non obſtaret, ſubjiciendum? Convicta dicitur mulier, ſecundum ipſum Morinum, *ſi accuſata, & convicta ab aliquo apud Epiſcopum, & presbyterium fuerit. Moris enim erat apud antiquos privatim, & ſecreto eos apud Epiſcopum accuſare, qui ſe ipſos non deferebant.* Certe non ſufficiebat accuſare, ſi non probarent; antequam enim crimen probetur, rei convicti non dicuntur. Quomodo ergo erat ſecretum crimen vel apud presbyterium confeſſum, vel per teſtes probatum? Et ſi publicum erat, quomodo publica pœnitentia non caſtigabatur? Erat igitur illud crimen & publicum, & ſecretum ſecundum diverſas acceptiones. Erat publicum apud Epiſcopum, & presbyterium, utpote ſponte confeſſum, aut concludenter probatum. Erat autem ſecretum extra judicium; ſiquidem illæ confeſſiones, vel depoſitiones ad publicum forum non deducebantur, ſed magna cautela ſuſcipiebantur, ſicut & hodie denuntiationes mulierum adulterarum ſecreto ſuſcipiuntur, nec extra cauſas producuntur, ne aperiatur occaſio maritis ad occidendas mulieres, vel judicibus ſæcularibus, ut in eas legum civilium ſeveritate animadvertant.

151 Refert deinde authoritatem Iſidori in exhortatione ad pœnitentiam. Sed Iſidorus aliter intelligendus eſt; nam ibi agit de pœnitentia ſacramentali, quæ pro gravibus peccatis neceſſario agenda eſt; ideo gravia a levibus contradiſtinguit: levia interna pœnitentia, & oratione expiantur; gravia verò per ſacramentalem confeſſionem. Sic optime explicat Franeolinus (31) eamdem Iſidori, & Auguſtini, & Gennadii ſententiam in his verbis: *Iſidorus ſolum docet gravia peccata non deleri per pœnitentiam internam, ita ut non teneatur pœnitens ea confiteri Miniſtro, qui ſolet publice in Eccleſia ſacramentum Pœnitentiæ adminiſtrare.* Qui ſenſus optime eruitur ex alio Iſidori loco, (32) quatenus ait: *Qui admonitus ſecrete de peccato, corrigi negligit, publice arguendus eſt, ut vulnus, quod occulte ſanari neſcit, manifeſte debeat emendari.* Ex qua ſententia clare liquet peccatorem prius ſecreto de peccato admonendum eſſe, ut emendetur, & ſolum publice puniendum, ſi ſecretæ admonitioni non obtemperet. Liquet deinde, quod ut publice emendetur opus eſt, ut publice arguatur, & quod ſolum manifeſte emendari debet quod occulte neſcit peccator

(31) Lib. 1. Veteris Eccleſiæ Calumn. 8. n. 19.

(32) Lib. 3. Sentent. cap. 46.

peccator ſanare. Quis autem dicere auſus erit neſcire ſanari, admonitionem contemnere, emendationem negligere, & incorrigibilem eſſe, qui occulte Sacerdotem quærit, & ſacramentalis confeſſionis ſalutare expetit medicamentum?

152 Tandem affert authoritatem S. Eligii, (33) quæ ſic habet: *Duos præterea, fratres mei, alloquimur, quos publica actio criminalis publicam coegit agere pœnitentiam. Unde unusquisque veſtrum ad ſe rediens conſideret, ſi per amaritudinem pœnitentiæ Deo ſatisfecerit pro ſuis offenſis, & delictorum maculis. Nam licet miniſterium reconciliandi Epiſcopali auctoritate in vobis complere velimus, tamen niſi Spiritus Sanctus, per cujus invocationem iſtud officium agitur, corda veſtra intrinſecus purificata invenerit, a reconciliationis gratia vacui remanebitis.... Quapropter ſi deinceps ad ea, quæ pœnituiſtis, redire non vultis, neque alia crimina, cuſtodiente, & protegente Deo, perpetrare in animo habetis, date nobis ſignum, quo cognoſcamus, quod magis cœleſtia, quam terrena ametis.* Hunc locum, qui nec leviſſime publicas canonicas pœnitentias pro occultis peccatis indigitat, violentiſſime detorquet Morinus. Si rite perpendatur, potius oſtendit, pœnitentias publicas ſolum publice convictis imponi conſueviſſe, & hos pœnitentes ſic convictos in tanta fidelium multitudine duos tantum fuiſſe; id enim innuunt illa verba: *Duos præterea, quos publica actio criminalis publicam coegit agere pœnitentiam.* Præterea nec ullum verbum eſt, ex quo colligatur diſtinguere inter publicos, & occultos peccatores, & inter pœnitentiam publicam a publicis, & publicam ab occultis fieri ſolitam. Et licet id ſignificaret, ex quibus verbis colligitur illam publicam pœnitentiam non fuiſſe omnino voluntariam, ſed a canonibus præceptam? Quomodo ergo auſus eſt dicere: *Nunc antem manifeſtiſſime duo pœnitentium publice genera diſtinguit, ſive duas pœnitendi publice cauſas: crimina publica, & crimina occulta*? Ubi eſt illud *manifeſtiſſime*, quod ſui ſecurus profert? Ulterius ſe ipſum evidenter contradicit, ſiquidem ſic ait: *Nam alii ad pœnitentiam publicam poteſtate externa cogi non poterant; ſponte, & ſola interiore animi pietate, & devotione ferebantur.* Ergo fruſtra defatigatur, oleumque, & operam perdit, dum probare contendit publicam pœnitentiam pro occultis delictis præceptam eſſe, & ad hoc probandum adducit Concilia, decreta, canones, & Patres, qui id non probant. Deinde falſo dicit ſanctum Epiſcopum omnes, quotquot aderant, pœnitentes compellaſſe; ſiquidem tota ejus oratio ad illos duos directa legitur. Simultate igitur agit. Demus tamen ſanctum Præſulem omnes allocutum fuiſſe. Quid inde? Sequitur omnes fuiſſe publicos pœnitentes? Non dubitabimus concedere, ſi id ſumamus eo modo, quo & nunc videmus in

(33) Homil. 16.

magna Eccleſiarum frequentia & lacrymari, & tundere pectora, humum deoſculari, Sacerdotumque pedibus ſe humiliter advolvere. Sed hos publicos pœnitentes eo modo, quo canones conſtituunt, dicere non poſſumus. Quid aliud in cœna Domini quotannis conſpicimus, niſi Epiſcopum, aut Parochum omnes communicaturos benedicere, & ſolemniter abſolvere? Quid in Communitatibus religioſis intuemur, niſi Prælatos virtute ſuorum indultorum a cenſuris, & irregularitatibus ſuos abſolvere ſubditos? Quid frequentiſſime experimur, niſi Sacerdotes ſacram Euchariſtiam diſtribuentes, omnibus eam ſumpturis prius benedicere, & quodammodo abſolvere? Quid frequentius ante oculos obverſatur, niſi fideles communicaturos ſigna doloris præbere, humiliare capita, & publice confiteri? Omnes hi ſunt publice pœnitentes, hæc ſigna expetebat Eligius, hoc conſueverat laudabiliter vetus Eccleſia, hoc & hodie laudabiliter obſervat. Sed hæc omnia quid conducunt ad probandas publicas pœnitentias, de quibus in præſenti ſermo eſt?

153 Late aſſumptum ſuum proſequitur, ſed nihil meo judicio concludenter probat. Multos canones in medium profert, ſed & nos ſupra protulimus, & quidquid ex iis arguendo perſuadere nititur, ex dictis faciliime refellitur. Ut plurimum futilitate maxima probare poteſt ea crimina, pro quibus ea pœnitentia publica indicebatur, a principio occulta fuiſſe. In hoc, ſi rite contempletur, totus ſuus ſcopus eſt. Sed hoc argumento quid ineptius? Id probare debuerat, ſcilicet ita publice puniri crimina illa, dum ſub occulto manebant. Id tamen non probat. His igitur occultis criminibus publica imponebatur pœnitentia; ſed quando? Quando publica fiebant vel per ſpontaneam confeſſionem, vel per legitimam probationem. Unde pœnitentia publica ea crimina ſpectabat, prout publica jam facta, non verò dum latebant. Latere autem, ac ſi a nemine ſcirentur, quæ ſacramentaliter confeſſa fuerant, nemo non neſcit. Sic homicidia, ſic furta, ſic alia crimina multoties occulte fiunt, dum poſtea tamen publicantur, legibus civilibus percelluntur. Ridiculus autem eſſet qui niteretur probare, ea crimina occulta civilibus legibus caſtigari, & capitali pœna puniri. Non diffitemur multos antiquitus, ſicut & hodie, publicas pro ſuis occultis delictis egiſſe pœnitentias aut ex devotione, aut ex conſilio Confeſſoris; id tamen non concludit, publicas pœnitentias pro peccatis occultis præceptas fuiſſe, nec aliter pœnitentes abſolvi conſueviſſe. Si fuit id aliquando factum, inconſulte nimis factum fuit. Non agimus de facto, ſed de jure. Quæ meræ voluntatis erant, non neceſſitatis dicenda fuerant. Multos videmus, qui in meliora commutati ad agendam pœnitentiam ſtrictiſſimas ingrediuntur religiones. An quia hoc factum videmus, recte diceremus peccatoribus ad pœnitentiam

tentiam agendam religionis ingreſſum præceptum inveniri? Ineptiſſime id proferre auderemus. Superſedeo igitur Albaſpineo, Juenino, Merbezio, & aliis in Morino refellendis.

154 Ad alia properare jam vellem, contineri tamen non valeo, quin eamdem ſententiam hucuſque propugnatam aliquotum Doctorum primæ notæ authoritate fultam relinquam. Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus, qui ſub initium ſæculi ſexti floruit, in ſuis homiliis ad populum multoties dat intelligere non fuiſſe peccatores ad canonicas pœnitentias compulſos, *hom.* I. hæc habet: *Et ille quidem, qui pœnitentiam publicam accepit, poterat eam ſecretius agere.* Si id poterat: ergo præcepta non erat. Petrus Lombardus, ille magnus vir Magiſter ſententiarum, a quo omnes Theologi didicerunt, in Conciliis, & Patribus verſatiſſimus, *diſt.* 20. expreſſe docet pœnitentiam ſolemnem ſolum fieri conſueviſſe pro criminibus atrocibus, quæ univerſam Eccleſiam commoverant. Petrus Pictavienſis in ſuo pœnitentiali ſic habet in fine: *Non videtur quod pro peccatis occultis debeat pœnitens aliquis arctari præciſe ad aliquod genus ſatisfactionis nolens, ſed redimere poteſt, vel aliter compenſare.* Sanctus Raymundus de Peñafort, Pontificum Pœnitentiarus, ſic habet: (34) *Species pœnitentiæ ſunt tres, nam alia eſt ſolemnis, alia publica, alia privata. Solemnis, quæ debet imponi pro crimine publico, & vulgatiſſimo, quæ totam commoverit urbem*, agens de publica dicit: *Nec ipſam debere imponi, niſi pro crimine enormi, & manifeſto.* Sanctus Antonius Paduanus, & Beatus Humbertus de Romanis nunquam exigunt publicam pœnitentiam, cum tamen de pœnitentiis latiſſime loquantur. Angelicus Doctor ſic ait: (35) *Non debet* (loquitur de ſolemni pœnitentia) *imponi, niſi pro peccato, quæ totam commoverit urbem*; & hæc eſt communis doctrina totius Thomiſticæ ſcholæ. Et poſtea docet: (36) *Videtur ſatis conveniens, quod Sacerdos non oneret pœnitentem gravi pondere ſatisfactionis*; grave autem pondus eſſet pœnitentia publica tam aſpera, tam longa, tam ſevera. Aſtephanus præclariſſimus Theologus in ſua Summa cum S. Thoma, S. Bonaventura, Alexandro Alleſi, Guillhelmo Anglico, Petro de Tarantaſia, Scoto, Innocentio, Hoſtienſi, Joanne Andrea, aliiſque antiquioris ævi primæ notæ Theologis *tit.* 18. ſic ait: „ Duodecimo, debet confeſſio eſſe ſecreta, ſcilicet, ut homo confiteatur uni ſoli „ Presbytero, & in ſecreto peccata ſua, niſi ſit peccatum adeo enorme, quod totam commoverit urbem, vel etiam totum orbem, „ quod quidem debet quis in publico confiteri, ut in publico ſolemnis ſibi pœnitentia imponatur, & reum ſe agnoſcat, vel fateatur. „ Confeſſio debet fieri in ſecreto unico Sacerdoti, ſicut expreſſe dicit „ illa Decretalis: Omnis utriuſque ſexus. Ratio eſt; quia ſi publice „ fieret,

(34) Lib. 3. de Pœnitent. & Remiſſ. §. 6.

(35) In 4. diſt. 14. q. 1. art. 5.

(36) Quodlib. 3. quæſt. 13.

„ fieret , infinita mala orirentur , puta , rixæ , diſcordiæ , & infamiæ: „ vel tunc confeſſio eſſet valde oneroſa , ignominioſa , & periculoſa , „ ut patet. Impoſſibile erat , quod Eccleſia ullo unquam tempore aut præciperet , aut conſueſceret id , ex quo tam ingens periculum immineret. Et tamen Novatores id perſuadere , id introducere cupiunt , & dum laudant Eccleſiæ veteris diſciplinam , eam procul dubio calumniantur. Poſtea idem Auctor *tit.* 21. aſſerit ſententiam aſſerentem nullum extitiſſe præceptum imponendi canonicas pœnitentias: *Communiorem eſſe , a conſuetudine approbatam , & tenendam.*

155 Petrus Paludanus primi ordinis Theologus , & Canoniſta , magni nominis , virtutibusque eximiis decoratus , ſic docet (37) circa imponendam pœnitentiam: *Quantum ad hoc eſt ſciendum , quod ſicut Medicus habet oculum dextrum ad naturam , ſiniſtrum ad morbum , & ulterius non vult ſic amovere ſubito morbum , quin velit etiam adhibere remedium contra recidivum in illum morbum , & etiam alios , ſic & iſte , qui debet injungere pœnitentiam ſalutarem , non quæ mortem animæ operetur: nunquam debet imponere pœnitentiam , niſi credat quod ille velit , & poſſit facere , alias ponit laqueum , & non antidotum , ſed venenum , propter quod non tantam imponat , quam ille deſperans totum dimittat , ſive propter debilitatem bonæ voluntatis , ſive corporis: parvus enim ignis , & ſcintilla una non eſt oneranda multis lignis , ſed paulatim fovenda , ne extinguatur. Debet etiam conſiderare recidivum , quia aliquando eſt peccatum gravius , ſed minus periculum recidivi , & debilius ſubjectum ad pœnitentiam , ſicut fornicatio juvenis, quam ſenis , ſed propter robur , & concupiſcentiam vigentem in juvene debet maior imponi. Igitur conſideratis omnibus circumſtantiis peccati , & peccantis , & corporis , & animæ , & maiorem , & minorem debet imponere , ſicut magis credit ſaluti ipſius expedire. Sed ne eum decipiat , ſi minorem debito imponat propter aliquam juſtam cauſam , debet illi innoteſcere , quod illa non eſt condigna , & quod meruiſſet ſeptennem pro quolibet mortali , & hujuſmodi, quod ſi non fecerit hic , faciet alibi graviorem , &c.* Liquet igitur ex hoc Doctore in ſacris canonibus verſato , pœnitentiæ imponendæ modum pendere ex arbitrio Sacerdotis prudentis , conſideratis circumſtantiis peccati , & perſonæ , & contritionis ; quod quidem non penderet , ſi publica , & determinata pœnitentia ex præcepto ineluctabili imponenda eſſet ; ſicut judices debent delinquentes afficere pœnis a jure conſtitutis: ſicut aliàs poſſunt , ſi pœnales leges non tam ſunt præceptivæ , quam directivæ , & judicantium relinquuntur prudenti arbitrio. Unde illæ canonum regulæ directivæ ſolum erant , nec præceptum continebant: aliàs injuſtæ eſſent , eo quod non proſpicientes utilitati peccantium , ſine delectu aliquo publicas graviſſimas pœnitentias

juberent

(37) Diſt. 20. de pœnit. q. 2. art. 1.

juberent æqualiter imponi ſenibus, & juvenibus, infirmis, & ſanis, illuſtribus, & plebeis, nuptis, & virginibus; hanc quippe diſtinctionem canones non faciunt.

156 De S. Nicolao Tolentino in proceſſu ſuæ canonizationis apud Eugenium IV. fertur, adeo benignum fuiſſe in pœnitentiis imponendis, quod *ad hoc, ut peccatores non diffiderent de immenſitate miſericordiæ divinæ, ferebant, quod pro magno delicto parvam pœnitentiam imponebat. Contentabatur namque, ut iidem peccatores ad cordis contritionem redirent.* Si canones aliud præciperent, ipſe legis transgreſſor eſſet, nec ejus benignitas adeo ad canonizationem laudaretur. Sic adminiſtrabat Pœnitentiæ ſacramentum ille, quem Eccleſia, ut ſanctum colit. Quam verò diverſa eſt horum Novatorum doctrina, quam diverſa charitas, quorum nullum in altaribus veneramur!

157 Ille magnus verbi Dei præco, animarum lucrator fervidus, pœnitentiæ miniſter admirabilis, de quo fertur viginti quinque millia Judæorum, octo millia Saracenorum, & plusquam centum millia peccatorum ad Deum convertiſſe, Sanctus, inquam, Vincentius Ferrer, qui multoties ad ſeveriſſimas pœnitentias peccatores exhortabatur, non ad publicas, & canonicas excitabat, ſed ad occultas, ad jejunia ſcilicet, ad flagellationes, aliasque carnis macerationes, neque putavit quandoque canones pœnitentiales eſſe executioni mandandos; immo ſemper peccatores benigniſſime ſuſcepit, aliosque Confeſſores ad eamdem viam hortatus eſt. Legantur ejus ſermones, qui æque ad doctrinam, atque ad ædificationem quam maxime conducunt. Sufficiat eum referre in *ſermone unico feriæ 5. poſt Letare*, ubi expendit cur Chriſtus ſuſcitaverit ſecreto puellam, publice verò filium Viduæ, ſic ait: *Siquis in corde ſuo ſecrete eſt ſuperbus, præſumptuoſus, elatus &c. & extra nihil oſtendit, tunc puella, id eſt anima, ſecrete jacet mortua. Modus reſurgendi eſt ſecrete humiliari per contritionem, confeſſionem, & orationem. Idem de avaro, qui ſecrete fecit furtum, uſuram &c. Sufficit ſecreta pœnitentia, ſcilicet conteri, & confiteri, & reſtituere ſecrete. Idem de luxurioſo, qui ſecrete peccat, ſed ad extra nihil ſcitur, immo reputatur bonus &c. Idem de invidia &c. Sed quia Chriſtus invenit iſtum juvenem mortuum publice, & notorie, & ideo publice coram omnibus ſuſcitavit. In quo oſtendit Chriſtus, quod peccatores publici, & notorii per publicam, & notoriam pœnitentiam ſunt ſuſcitandi de morte culpæ ad vitam gratiæ, quia talibus notorie peccatoribus non ſufficit ſecreta pœnitentia &c.* Sed quæ publica pœnitentia iſta erit? An quæ a rigidiſſimis Novatoribus intenditur? Minime; ſed publica emendatio. *Deponat ornamenta vana, cornua, & manicas, caudas, ut illi, qui de hoc fuerunt*

ſcanda-

Digitized by Google

ſcandalizati, bene ædificentur, dicentes: O benedictus Deus &c. publice expellere malam ſocietatem de domo &c. Videantur etiam ſermones S. Bernardini Senenſis, & doctrinæ S. Joannis de Capiſtrano, & S. Antonini, qui in eumdem ſcopum certe collimant multis in locis, quæ ad extenſum referre opus non eſt. Qui dubitat, legat, & intelliget.

158 Silveſter ſacri Palatii Magiſter (38) ſic expreſſe docet: *Pro gravi autem delicto, ſed occulto, etiamſi aliquibus notum eſſet, nec ſolemnis, nec publica pœnitentia debet imponi. Unde Raymundus reprobat conſuetudinem eorum, qui mulieribus pro oppreſſione puerorum in lecto imponunt pœnitentiam publicam. . . . . Non tamen tenetur homo ſecundum Al. pro quolibet peccato manifeſto manifeſtare pœnitentiam ſuam, ſed qui ſcandalizavit in communi, tenetur ad oſtenſionem boni exempli, ita quod præſumi debeat, eum de peccatis pœnitentiam egiſſe, & ſufficit.* Nihil expreſſius dici poterat. Cardinalis Bellarminus (39) etiam expreſſe idem habet: *Pœnitentia ſolemnis, quam Auguſtinus humillimam vocat in epiſt. 54. & Ambroſius, aliique Patres communiter publicam appellare ſolent, nonniſi pro graviſſimis criminibus, quæ totam civitatem conturbaſſent, magnumque ſcandalum attuliſſent, imponi conſueverat.*

(38) In verbo Pœnitentia num. 2.

(39) Lib. 1. de Pœnitent. cap. 21.

159 Joannes Polancus in Directorio agens de ſatisfactione, (40) ſic docet: *Nec etiam pro occulto peccato manifeſta pœnitentia dari debet, ex qua in ſuſpicionem illius veniri poſſit &c.* Egregius Canoniſta, & Doctor Martinus Navarrus in ſuo Manuali plurima docet ad rem concernentia, quæ omnia tranſcribere non vacat. Sufficiat ad intentum ejus verba referre: (41) *Frequenter rogati ſuper quantitate pœnitentiæ imponendæ, tandem concluſimus octo: Primum, quod Confeſſarius debet conari imponere pœnitentiam juſtam pœnitenti &c. 2. Illam eſſe pœnitentiam juſtam, quæ neque eſt major, neque minor merito &c. 3. Hanc ſoli Deo eſſe cognitam. 4 Vulgatum eſſe, unicuique peccato mortali juxta canones, pœnitentiam ſeptem annorum injungendam eſſe, in quod allegatur Gratianus in cap. Hoc ipſum §. 1. 33. q. 2. Pro quo nunquam nos textum reperire potuimus, ut dixi in d. cap. Falſos n. 14. &c. Quare contrarium putamus, tum quod id tenet Th. in 4. diſt. 20. q. 2. ante quem idem ſenſit Hieron. &c. Tum quia nec Gratianus dicit, Eccleſiam ſeptennem pœnitentiam in ſingula peccata ſtatuiſſe, ſed tantum pro graviſſimis peccatis injungi ſolitam fuiſſe in d. cap. Hoc ipſum. Tum quia dici poteſt illam pœnitentiam non fuiſſe taxatam pro foro interiori, ſed exteriori, ut probamus in d. cap. Falſos n. 14. Tum quia ibi oſtendimus illos 46. canones pœnitentiales, quos Hoſtienſ. in d. §. Quæ pœna colligit, ad forum exterius pertinere. Tum quia inepte poneretur pœnitentia ſeptennis pro unoquoque peccato ei, qui mille confiteretur. 5. Qualitatem, & quantitatem*

(40) Cap. 2. §. 5.

(41) Cap. 26. a n. 15.

tatem juſtæ pœnitentiæ nunc, & ſemper relinqui, relictamque fuiſſe prudentis Confeſſarii arbitrio, &c.

160 Eximius P. Suarius ſic docet: (42) *Dico* 1. *Nulla eſt certa ſatisfactionis menſura lege eccleſiaſtica taxata, quam Confeſſor imponere teneatur, ſed arbitrio illi utendum eſt. Hæc concluſio eſt certa, &c.* Quomodo eſſet certa, ſi aliqua publica pœnitentia fuiſſet præcepta? An Eximius Doctor, ſi id conſtaret, ignorare potuiſſet? Deinde ſibi objicit eadem decreta, eaſdem Patrum ſententias, eoſdem canones pœnitentiales, qui a Buchardo, Gratiano, & aliis Collectoribus traduntur, & quibus utuntur, ſeu abutuntur Novatores, & ſic ſe expedit: *Reſpondetur primo, illud, quod dicitur de ſeptenni pœnitentia pro ſingulis mortalibus, fabuloſum eſſe; nullibi enim extat tale decretum; immo nec illæ pœnitentiæ erant univerſales pro omnibus delictis, ſed pro quibuſdam gravioribus, & interdum erant breviores, interdum diuturniores: relinquebantur etiam interdum arbitrio Epiſcopi, ut videre licet in Concil. Carth. 3. cap. 31. Denique in eis magis conſulebatur ædificationi Eccleſiæ, quam neceſſitati pœnitentis. Secundo non conſtat, illas pertinuiſſe ad forum pœnitentiæ, ſed fortaſſe ſæpe ad forum externum Eccleſiaſticum. Et patet, quia interdum erat pœna depoſitionis, vel privationis eccleſiaſticæ dignitatis. Tertio, etiamſi aliquæ pertinerent ad forum pœnitentiæ, ſemper dabatur locus arbitrio Confeſſoris, ut conſtat ex decretis citatis: unde illa ſolum erat quædam regula directiva, ut illam Confeſſores ſequerentur, quantum expedire cenſerent.* Poſtea ſect. 6. quærit, an poſſit imponi pœnitentia publica, *ita ut ex illa colligi poſſit, Confeſſorem propter grave crimen illam impoſuiſſe?* Quod quidem videtur eſſe contra ſigillum, ut revera eſt meo, & optimorum Doctorum judicio. Eam rationem ſibi objicit idem Suarius, & reſolvit: *Communis opinio eſt, propter peccata occulta non debere imponi pœnitentias publicas, quia ſunt improportionatæ, & contra bonam famam pœnitentis.* Propter hæc occulta peccata impoſitas publicas pœnitentias revelari ſigillum, ſaltem generaliter, & indeterminate, nullus eſt, qui dubitet. Quoad peccata publica diſputatio eſt; unde omnes DD. qui a Morino, & aliis adducuntur ad negandum revelari ſigillum per impoſitionem pœnitentiæ publicæ, loquuntur ſolum quando peccatum publicum eſt. Circa hoc dicit Suarius: *Pro peccatis verò publicis imponendas eſſe.... Ad difficultatem verò de ſigillo reſpondet Durandus quæſt. 4. non revelari peccatum, quia eſt publicum. Sed contra; quia revelatur confeſſio ejus, quod non licet, ut ſupra dixi. Melius D. Th. negat eſſe revelationem, quia fit ex conſenſu pœnitentis. Urgebis, quia hic conſenſus eſt veluti coactus, & involuntarius. Propter hoc dico, ſi pœnitens habeat rationabilem cauſam ad non accepiendam hujuſmodi pœniten-*

(42) Tom. 4. in 3. part. D. Thom. diſp. 38. ſect. 4.

Aa *tiam,*

tiam, & illa non ſit neceſſaria ad tollendum ſcandalum aliquod, non eſſe obligandum.

161 Eamdem diſtinctionem facit Ægidius de Coninch, Academiæ Lovanienſis decus, agens de ſacramento Pœnitentiæ, (43) docensque abſolute, nunquam pro peccatis occultis publicam pœnitentiam injungendam eſſe; pro publicis verò tunc ſolum, *quando ſcandalum aliàs non ceſſaret,... quod ſi ad ſedandum ſcandalum, aut ob aliam cauſam non eſſet neceſſarium talem pœnitentiam injungere, tunc Confeſſarius, ſi judicaret hoc eſſe valde expediens, poſſet quidem pœnitenti non reluctanti ejuſmodi pœnitentiam injungere; inconſulte tamen faceret, ſi eam reluctanti injungeret, negando ei aliàs abſolutionem, quia tam duræ curationes, cum ſint valde periculoſæ, nunquam ſunt adhibendæ, quando aliter ſalus obtineri poteſt.* Hodierni verò Rigoriſtæ his periculis non conſulunt, his damnis vitandis non invigilant, huic animarum ſaluti non ſtudent, ſed ſuo rigori adhærentes, ſibi ſolis non rigidi, miſeris pœnitentibus laqueum injiciunt, eos in deſperationem adducunt, terrore concutiunt, a ſacramento arcent, & dum eos velle ſalvare fingunt, in gehennam detrudunt. Martinus Bonacina (44) idem docet: *Pro peccatis occultis* (inquit) *non eſt injungenda pœnitentia publica, pro peccatis verò publicis injungenda eſt publica pœnitentia.* In idem eſt Cardinalis de Lugo, Vincentius Candidus, Joannes a S. Thoma Cardinalis Brancatius, Bartholomæus Manſtrius, quorum authoritates non tranſcribo, ne faſtidioſus fiam. Videndi etiam ſunt Guillelmus Mercurius, Franciſcus Sylvius, Philippus Gamachæus, Nicolaus Yſambertus, Ludovicus Abelli, & multi alii. (45) Ultra hos facilius ad manum habetur P. Suarius Luſitanus *tract.* 8. *de Satisfact. diſp.* 2. *ſect.* 1. §. 4. *num.* 70. ſic dicens: *An poſſit imponi pœnitentia publica? Reſpondetur negative, ſi peccata ſint occulta; nam propter delicta occulta non eſt quis infamandus.*

(43) Diſp. 10. num. 74.

(44) Tract. de Sacram. diſp. 5. q. 5. ſect. 3. punct. 1. n. 14.

162 Caſtro Palao *de Sacram. Pœnit. tract.* 23. *diſp. unic. punct.* 20. §. 3. *n.* 5. ſic habet: *Sed an opus injunctum debeat eſſe ſecretum, an poſſit eſſe publicum, non conſentiunt DD. Et quidem ſi peccata ſecreta ſint, omnes conveniunt, injuſtiſſime cogi pœnitentem ad pœnitentiam publicam; cogeretur enim ad ea manifeſtanda.* Poſtea circa peccata publica referens diverſas DD. ſententias, ſic reſolvit: *Si verò pœnitentia publica neceſſaria non ſit ad ſatisfactionem ſcandali, raro expedire poteſt cogere pœnitentem ad illius acceptationem, & nolentem*

(45) De Lugo de Sacram. Pœnit. diſp.25. n.60. Candid.Diſquiſ. Moral. tom. 2. diſquiſ. 34. art. 35. dub. 17. d. S.Thom. de Sacram. Pœnit. cap. 9. §. 3. Brancat. tom. 3. diſp.22. art. 6. Manſtr. in 4. Sentent. diſp.2. quæſt. 5. Mercur.quæſt. 16. ſupplem. dub. 2. Sylv. in 3. part. D. Thom. q. 18. ſupplem. Gammach. de pœnit. cap. 24. Yſambert. tom. 3. in 3. part. de Sacram. Pœnit. diſp.28. & diſp. ult. n. 5. Abelli in Medul. Theolog. part. 2. ſect. 24. 25. & ult.

Digitized by Google

lentem acceptare inabſolutum dimittere; quia hoc ſacramento, illiuſque pœnitentiæ impoſitione bonum pœnitentis, quoad fieri poteſt, procurandum eſt, quod ex hac pœnitentiæ publicæ impoſitione, abſolutioniſque negatione nequaquam provenire poteſt.

163 Patres Salmanticenſes cum multis, quos referunt, ſic docent: (46) „ Si peccata ſecreta ſint, omnes conveniunt non eſſe cogendum „ pœnitentem ad pœnitentiam publicam. Si autem peccata publica „ ſint, & cum aliorum ſcandalo facta, non modo licite, ſed aliquando etiam neceſſario (ut quando ſcandalum aliàs non ceſſaret) pœnitentiæ publicæ pœnitentibus injunguntur.... Quod ſi talis publica pœnitentia non eſſet neceſſaria ad ſedandum ſcandalum, aut ob „ aliam cauſam, tunc Confeſſarius, ſi judicaret, quod eſſet valde expediens, poſſet quidem pœnitenti non reluctanti eam imponere; ſed „ non debet reluctanti; quia tam duræ curationes, cum ſint valde „ periculoſæ, non ſunt adhibendæ, quando aliter ſalus obtineri poteſt.

(46) Tract. 6. cap. 10. punct. 1. n. 39.

164 Anacletus Reiffenſtuel in Opere Morali (47) ita habet: „ Deinde notandum ex Rituali Romano, pro peccatis occultis, quantumvis gravioribus, non eſſe injungendam pœnitentiam publicam, „ utpote infamativam. Item nec talem, unde domeſtici poſſint devenire in cognitionem gravioris criminis, uti ſunt jejunia extraordinaria, diſciplinæ, ac hujuſmodi, niſi habeatur occaſio ſimiles pœnitentias ſecreto peragendi, vel ſaltem ſic, ut alii non advertant, „ ipſas ratione confeſſionis injunctas fuiſſe; nam urget eadem ratio. Eamdem ſententiam tuentur Tamborinus, Moya, Averſa, Dicaſtilhus, Diana, La-Croix, Wigant, Felix Poteſtas, & omnes ferè, demptis iis ſolum, qui rigoriſmum ſectantur.

(47) Tract. 14 diſtinct. 10. quæſt. 2. n. 26.

165 Pro coronide ad idem probandum multos poſſem adducere canones variarum Synodorum, quæ hanc doctrinam conſtituunt, ut ſunt Aurelianenſis, Colonienſis, Neocæſarienſis, Oxonienſis, Lingonienſis, Claramontenſis, & aliæ, ſed quia de his alibi fortaſſe ſermo erit, ſupervacaneum duco in iis referendis immorari. Præterea rigoriſmi ſectatores de hodierno more non dubitant, ſed plurimum carpunt, & antiquum innovare deſiderant; ideo præcipuus meus ſcopus fuit demonſtrare, talem morem in Eccleſia nunquam fuiſſe, quippe qui Sacramenti inſtitutioni, & fini repugnaret. Hunc morem neutiquam probari, nunquam viguiſſe, ſemper conformem fuiſſe hodiernis moribus; talè præceptum non extitiſſe, neque exiſtere potuiſſe. Pœnitentias publicas ſolum publicis peccatis conſtitutas fuiſſe, non occultis, & ſi quandoque factas legi, id non ex præcepto, ſed ex devotione, aut ex conſilio actum eſſe: has pœnitentias publicas eſſe, fuiſſeque ſemper periculoſiſſimas, ſi ex fervore pœnitentium non agebantur, neque a Confeſſoribus prudenter imponi conſueviſſe. Eaſ-

dem publicas pœnitentias pro peccatis occultis eſſe ſigilli infractivas, bonæ opinionis infamativas, ſcandalis aptas, ad arcendos fideles a Pœnitentiæ ſacramento opportunas, ideoque omnino extirpandas, & amoliendas: quod quidem omnes Theologi uno ore profitentur. Si tamen is mos aliquando fuit in Eccleſia veteri, id non univerſali Eccleſiæ tribuendum eſt, ſed aliquorum rigidiorum Confeſſorum imprudentiæ adſcribi debet. Non præteritis ſæculis vivimus, ſed præſentibus. Hodie, experientia optima Magiſtra id docente, compertum eſt, quanta damna ex publicarum pœnitentiarum impoſitione oriantur: ſuſcitari non debent antiqui abuſus in animarum perniciem, in religionis detrimentum. Sequamur ſanctiſſimos Confeſſores, Theologos inſignes, virtutibus claros, ſcientia pollentes, zelo animarum, earum directioni ac ſaluti invigilantes. Reſpuamus Novatores, etſi plus debito eruditos. Timeamus venena, quæ in floribus latent. Caveant igitur Confeſſarii, Prælati, Magiſtri Novitiorum, ne eis pœnitentias injungant, ex quibus ad cognitionem peccati quoquo modo, vel leviſſime deveniri poſſit, aliàs revelati ſigilli, infamati ſubditi, damni illati, ac ſacrilegarum confeſſionum rei apud Deum conſtituentur, in extremo judicio ſtrictiſſimam rationem reddituri.

CORUSCATIO QUARTA

Contra abuſum inquirendi nomina, habitationemve complicum, & alias ſimiles circumſtantias, in varios diviſa radios, clariſſime reſplendet.

HUcuſque in refellendis rigidiorum ſcriptorum noxiis opinionibus laboravi; licèt enim omnes fere a ſancta Sede vel directe, vel indirecte proſcriptæ inveniantur, ut ex damnatis propoſitionibus facile fit videre. Quia tamen ex ipſæ, quamvis in ſubſtantia eædem ſint, novis depictæ coloribus in publicum prodeunt adeo diſſimulatæ, ut novæ, immo & innocuæ videantur, æquum fuit eas omnibus viribus explodere. Præcipue cum in uſu, ſive intolerabili abuſu eſſe incepiſſent, & earum authores, quaſi veteris Eccleſiæ ſeveritatis æmulatores ſuſcitare non ambigerent, falſo putantes ſic reformandis corruptis moribus oportere. Neceſſarium ergo fuerat canonum, Conciliorum, Patrum coruſcationibus caligantes illuminare, ut ad viam veritatis redirent, nec amplius fierent cæcorum duces. Fortaſſe diffuſius rem egiſſe viſus ero: non abnuo; ſed cum præ manibus haberem aliquos diſciplinæ eccleſiaſticæ antiquæ indagatores, qui eam veterem Eccleſiæ praxim per calu-

mniam

niam attribuunt, & maxime commendant, ut noviter introducant, & id jam penes aliquos in maximum religionis damnum invaluiſſet, continere non potui, quin latentes inſidias aperirem. Quid enim religioni damnoſius eſſe potuit, quam quod ſtrictiſſima ſacri ſigilli lex divina ſub falſis reformationis prætextibus periclitaretur? Quid a vero dogmate alienius, quam quod conveniens reputaretur ſuperioribus occultos peccatores denuntiare? Quid famæ proximorum deſtruendæ opportunius, quam publicas occultorum criminum pœnitentias, ſeu potius pœnas introducere? Hæc non licere, nec unquam licuiſſe opus erat oſtendere, nec ſat erat, ut Muratorius fecerat, per ſumma capita recenſere. Hac de cauſa in longum protraxi diſſertationes meas; & tamen continui ſæpe calamum, & plura omiſi, quæ dicendi calore occurrebant. Qui non faſtidiat, legere poterit; qui nauſeat in promptu habet remedium, ſi deponat. Nunc ad quæſtionem propoſitam, in varias partes claritatis gratia dividendam, jam accedo.

RADIUS PRIMUS.

Pœnitenti non licet perſonam complicis, aut alicujus tertii peccatum manifeſtare.

1 HÆc reſolutio inter Theologos eſt certa. Eam agnoſcit Muratorius *cap.* 1. *n.* 2. in his verbis: *Non licet pœnitentibus nomen complicis revelare; ejus enim eſt peccata ſua, non aliena, accuſare. Peccato non caret, eoque interdum gravi, qui famæ proximi ſine ulla neceſſitate detrahit.* Optime, & laconice dictum! Nos etiam alibi eodem verborum compendio uſi fuimus. Sed neque ſua, neque noſtra authoritas, fortaſſe maior, ſat eſt, cum errores graſſantur, & Novatorum cavilloſis ſententiis, & detortis authoritatibus fulciuntur. Opus eſt & noſtra fundamenta ſtabilia figere, & aliena diſpergere; noſtram ſententiam fundare, & alienam fundere, ne veritatis ædificium ruat, & errorum moles in altum excreſcat. Abutebantur Rigoriſmi ſectatores aliquibus opinionibus ſuo rigori prima fronte faventibus, & generalem regulam, ut & Muratorius fecit, in aliquo caſu limitantibus; indeque, quod exceptio fuerat multo ſale temperanda, pro communi doctrina uſurpabant. Obtinuerat non ſine Authorum auxilio, (nulla ſiquidem dementia ſine patrono eſt) ut praxis frequens, licitum, utile, neceſſariumque eſſe aliena peccata Confeſſoribus detegere, ut vitarentur, & emendarentur. Quanta pernicies inde ſequutura timebatur, facile

facile eſt conjicere, hincque non leviter hæc res tractanda eſt, ſed radicitus evellenda.

2 Ea reſolutio plurimis in Synodis expreſſe habetur, quod ſufficit, ut prævaleat particularibus Doctoribus contrarium aſſerentibus. Synodus Colonienſis anno 1280. ſic conſtituit: *Et in principio confeſſionis Sacerdotes diſtricte inhibeant confitentibus, ne peccata aliorum confiteantur, vel revelent, & nomina eorum, quibus peccaverint, exprimant, ut ſupradictum eſt.* Synodus Nemauſenſis anno 1284. ſic præcipit: *Debet autem ſe ipſum confitens accuſare, non alium, nec perſonam nominatim exprimere, cum qua peccavit, nec Sacerdos quærere.* Synodus Leodicenſis anno 1405. ſic ait: *Et Sacerdotes primo inhibeant confitentibus, ne nomina illorum, cum quibus peccaverint exprimant, niſi forte, inveniatur deliquiſſe cum patre ſpirituali, vel carnali, aut aliquo caſu, ſine quo non poſſet plene confiteri. Et tunc confitens non dicat proprium nomen illius cum quo peccavit, ſed in genere dicat: Peccavi cum Sacerdote, Clerico, Monacho, Monacha, & ſimilibus.* Has nunc Synodos referre ſufficiat, alias poſtea referemus, & interim videri poterunt in Natali Alexandro, & in Giberto. (1)

3 Probatur deinde auctoritate DD. & primo P. Suarius Granatenſis, quem Rigoriſtæ in ſuum ſine jure, & cum tanti viri injuria adoptant, *de Pœnit. diſp. 34. ſect. 1.* hanc conſtituit concluſionem: *Dicendum eſt primo, revelare peccatum proximi in particulari, & cum infamia ejus, etiam in confeſſione, ex ſuo genere eſt peccatum mortale, ſi fiat ſine rationabili cauſa. Hæc eſt ſententia communis DD.* Poſtea hanc rationabilem cauſam in trutinam revocabimus. Additque Eximius Doctor id ſervandum eſſe, etiamſi complicis revelatio neceſſaria ſit ad materialem confeſſionis integritatem: *Quando non ſolum*, inquit Suarius, *ſequitur infamia proximi intrinſeca confeſſioni, ſed etiam timetur infamia extrinſeca per revelationem ſigilli: tunc enim ex ſententia omnium non poteſt pœnitens complicem revelare, neque ad hoc habet ullum jus; quia ſatis providet animæ ſuæ, confitendo alia, & ſervando integritatem formalem.*

4 Anacletus Reifenſtuel in Opere Morali *tr. 14. diſt. 7. q. 3. num. 59.* ſic docet: *Et ob eamdem cauſam ſi Confeſſarius adnimavertat, pœnitentem paratınn eſſe ad nominandum complicem circa ea peccata, quæ ſine complicis agnitione intelligi poſſunt, debet ipſum modeſte prohibere, quin etiam, ſi ad particularem perſonam deſcendat, increpare: ac multo minus ipſemet Confeſſarius curioſe inquirat de perſona complicis, uti notat D. Bonaventura cit. q. 3. & alii paſſim.*

5 Do-

(1) Natalis Theolog. Dogmat. lib. 2 de Sacram. Pœnit. reg. 23. & 24. Gi- [illegible]om. 3. tr. de Sacram. tit. 7. ſect. 3. n. 25.

5 Doctiſſimus Frater Bartholomæus Metina in Salmanticenſi Academia Primarius Theologiæ Profeſſor *in Inſtruct. Confeſſ. lib. 2. cap.* 4. idem docet. Hic Doctor Hiſpanico idiomate ſuam inſtructionem ſcripſit, ideo ejus verba in Latinum verſa ſermonem fideliter referam. Sic ait: *In uno ſolum caſu tenetur pœnitens complices, aut ſocios peccati, non tamen Confeſſori, ſed Judici, aut Prælato. E. g. ſi ſocius latronum, aut hæreticorum fuit, vel machinatus eſt cum aliis, ut altera die incendatur civitas. Poſtea pœnitentia ductus id Confeſſario revelat. Tunc is debet pœnitentem monere, ut complices, vel ſocios ad Judicem, vel ad Inquiſitores deferat.... Hoc præceptum non eſt nova obligatio a Confeſſario impoſita, ſed a Deo, qui ad id obligat. Ut quando pœnitenti ſub denegatione abſolutionis reſtitutionem facere jubet. Tenetur pœnitens non ſolum manifeſtare complices quando ipſe ſocius eſt, ſed etiam ſi ipſe ſocius non eſt, ſcit tamen delictum, in quo bonum commune periclitatur. Verum explicare ſocios apud Confeſſarium id nunquam verum eſt fieri poſſe.* Hic autem notandum eſt, hanc doctrinam Metinæ, & fere omnium, qui eam ſequuntur, procedere in crimine committendo, non verò in jam commiſſo, de quo noſtra principalis quæſtio eſt; hujus enim ſocii nullatenus declarandi ſunt Confeſſario, niſi in caſu infra referendo.

6 Frater Didacus Nugno Cabezudo *in addit. ad 3. part. D. Th. q. 11. art. 2. difficult. 2.* ſic reſpondet: *Ad quartum reſpondetur, illum caſum eſſe metaphyſicum.... & ita verificatur, quod ſcilicet perſona complicis nunquam eſt manifeſtanda in confeſſione.* Hanc eamdem ſententiam tenent Banhes, Lorca, Duvalius, Diana, & plures, quos ipſi referunt; & etiam omnes ii, qui docent pœnitentem poſſe, & teneri aut celare circumſtantiam peccati, quando Confeſſarius ex circumſtantia poſſet devenire in cognitionem complicis, aut alium adire Confeſſorem; & etiam ii, qui dicunt teneri in illo caſu non celare circumſtantiam peccati; exceptio enim firmat regulam in contrarium. Neque hæc quæſtio ad rem præſentem aliquid conducit; diverſiſſimum quippe eſt, an pœnitens ex juſta cauſa poſſit, aut debeat revelare complicem, an verò Confeſſarius poſſit adigere pœnitentem ad revelandum complicem, & ei denegare abſolutionem, ſi non declaret. Sufficiat pro regula tamquam certum ſtatuere, pœnitentem regulariter non debere complicem, id eſt ejus perſonam, declarare, niſi interveniente aliqua juſtiſſima cauſa, qualis apud aliquos habetur neceſſaria confeſſionis integritas, licet repugnent alii: vel etiam denuntiationis obligatio, quando aliàs fieri non poteſt, niſi mediante Confeſſario: vel etiam ad petendum conſilium, ut vult Muratorius *num.* 4. licet raro contingere poſſit, ut conſilium peti non valeat, quin nomen, & perſona complicis declaretur.

7 Simi-

facile eſt conjicere, hincque non leviter hæc res tractanda eſt, ſed radicitus evellenda.

2 Ea reſolutio plurimis in Synodis expreſſe habetur, quod ſufficit, ut prævaleat particularibus Doctoribus contrarium aſſerentibus. Synodus Colonienſis anno 1280. ſic conſtituit: *Et in principio confeſſionis Sacerdotes diſtricte inhibeant confitentibus, ne peccata aliorum confiteantur, vel revelent, & nomina eorum, quibus peccaverint, exprimant, ut ſupradictum eſt.* Synodus Nemauſenſis anno 1284. ſic præcipit: *Debet autem ſe ipſum confitens accuſare, non alium, nec perſonam nominatim exprimere, cum qua peccavit, nec Sacerdos quærere.* Synodus Leodicenſis anno 1405. ſic ait: *Et Sacerdotes primo inhibeant confitentibus, ne nomina illorum, cum quibus peccaverint exprimant, niſi forte, inveniatur deliquiſſe cum patre ſpirituali, vel carnali, aut aliquo caſu, ſine quo non poſſet plene confiteri. Et tunc confitens non dicat proprium nomen illius cum quo peccavit, ſed in genere dicat: Peccavi cum Sacerdote, Clerico, Monacho, Monacha, & ſimilibus.* Has nunc Synodos referre ſufficiat, alias poſtea referemus, & interim videri poterunt in Natali Alexandro, & in Giberto. (1)

3 Probatur deinde auctoritate DD. & primo P. Suarius Granatenſis, quem Rigoriſtæ in ſuum ſine jure, & cum tanti viri injuria adoptant, *de Pœnit. diſp. 34. ſect. 1.* hanc conſtituit concluſionem: *Dicendum eſt primo, revelare peccatum proximi in particulari, & cum infamia ejus, etiam in confeſſione, ex ſuo genere eſt peccatum mortale, ſi fiat ſine rationabili cauſa. Hæc eſt ſententia communis DD.* Poſtea hanc rationabilem cauſam in trutinam revocabimus. Additque Eximius Doctor id ſervandum eſſe, etiamſi complicis revelatio neceſſaria ſit ad materialem confeſſionis integritatem: *Quando non ſolum*, inquit Suarius, *ſequitur infamia proximi intrinſeca confeſſioni, ſed etiam timetur infamia extrinſeca per revelationem ſigilli: tunc enim ex ſententia omnium non poteſt pœnitens complicem revelare, neque ad hoc habet ullum jus; quia ſatis providet animæ ſuæ, confitendo alia, & ſervando integritatem formalem.*

4 Anacletus Reifenſtuel in Opere Morali *tr. 14. diſt. 7. q. 3. num. 59.* ſic docet: *Et ob eamdem cauſam ſi Confeſſarius animadvertat, pœnitentem paratum eſſe ad nominandum complicem circa ea peccata, quæ ſine complicis agnitione intelligi poſſunt, debet ipſum modeſte prohibere, quin etiam, ſi ad particularem perſonam deſcendat, increpare: ac multo minus ipſemet Confeſſarius curioſe inquirat de perſona complicis, uti notat D. Bonaventura cit. q. 3. & alii paſſim.*

5 Do-

(1) Natalis Theolog. Dogmat. lib. 2. de Sacram. Pœnit. reg. 23. & 24. Gi-
...om. 3. tr. de Sacram. tit. 7. ſect. 3. n. 25.

5 Doctiſſimus Frater Bartholomæus Merina in Salmanticenſi Academia Primarius Theologiæ Profeſſor *in Inſtruct. Confeſſ. lib. 2. cap.* 4. idem docet. Hic Doctor Hiſpanico idiomate ſuam inſtructionem ſcripſit, ideo ejus verba in Latinum verſa ſermonem fideliter referam. Sic ait: *In uno ſolum caſu tenetur pœnitens complices, aut ſocios peccati, non tamen Confeſſori, ſed Judici, aut Prælato. E. g. ſi ſocius latronum, aut hæreticorum fuit, vel machinatus eſt cum aliis, ut altera die incendatur civitas. Poſtea pœnitentia ductus id Confeſſario revelat. Tunc is debet pœnitentem monere, ut complices, vel ſocios ad Judicem, vel ad Inquiſitores deferat.... Hoc præceptum non eſt nova obligatio a Confeſſario impoſita, ſed a Deo, qui ad id obligat. Ut quando pœnitenti ſub denegatione abſolutionis reſtitutionem facere jubet. Tenetur pœnitens non ſolum manifeſtare complices quando ipſe ſocius eſt, ſed etiam ſi ipſe ſocius non eſt, ſcit tamen delictum, in quo bonum commune periclitatur. Verum explicare ſocios apud Confeſſarium id nunquam verum eſt fieri poſſe.* Hic autem notandum eſt, hanc doctrinam Merinæ, & fere omnium, qui eam ſequuntur, procedere in crimine committendo, non verò in jam commiſſo, de quo noſtra principalis quæſtio eſt; hujus enim ſocii nullatenus declarandi ſunt Confeſſario, niſi in caſu infra referendo.

6 Frater Didacus Nugno Cabezudo *in addit. ad 3. part. D. Th. q. 11. art. 2. difficult. 2.* ſic reſpondet: *Ad quartum reſpondetur, illum caſum eſſe metaphyſicum.... & ita verificatur, quod ſcilicet perſona complicis nunquam eſt manifeſtanda in confeſſione.* Hanc eamdem ſententiam tenent Banhes, Lorca, Duwalius, Diana, & plures, quos ipſi referunt; & etiam omnes ii, qui docent pœnitentem poſſe, & teneri aut celare circumſtantiam peccati, quando Confeſſarius ex circumſtantia poſſet devenire in cognitionem complicis, aut alium adire Confeſſorem; & etiam ii, qui dicunt teneri in illo caſu non celare circumſtantiam peccati; exceptio enim firmat regulam in contrarium. Neque hæc quæſtio ad rem præſentem aliquid conducit; diverſiſſimum quippe eſt, an pœnitens ex juſta cauſa poſſit, aut debeat revelare complicem, an verò Confeſſarius poſſit adigere pœnitentem ad revelandum complicem, & ei denegare abſolutionem, ſi non declaret. Sufficiat pro regula tamquam certum ſtatuere, pœnitentem regulariter non debere complicem, id eſt ejus perſonam, declarare, niſi interveniente aliqua juſtiſſima cauſa, qualis apud aliquos habetur neceſſaria confeſſionis integritas, licet repugnent alii: vel etiam denuntiationis obligatio, quando aliàs fieri non poteſt, niſi mediante Confeſſario: vel etiam ad petendum conſilium, ut vult Muratorius *num.* 4. licet raro contingere poſſit, ut conſilium peti non valeat, quin nomen, & perſona complicis declaretur.

7 Simi-

7 Similiter pro regula conſtituendum eſt, peccare pœnitentem, ſi complicem prodat abſque aliqua juſta cauſa, & detractonis reum eſſe ci; quod recte aſſerit Muratorius *num.* 2. ubi ſolidiſſimas rationes uno verbo claudit. Quia ſcilicet confeſſio ad propria, non ad aliena peccata inſtituta fuit; quia famæ proximi non eſt detrahendum; & quia principium juris naturalis eſt, quod ſibi quiſque vult, aliis præſtare. Illi igitur gratulamur, quod a veritate non deviaverit. Si clientuli ſui ſic obſervarent, omnis quæſtio ſopita foret. Fortaſſe nec ideo ſuis ipſis, quos defendit, plurimum placuit. Nos verò ſuum jus cuique tribuimus. A peccato autem excuſari pœnitentes, ſi vel per ignorantiam, vel ex juſta cauſa complicem detexerint, aſſerit idem ſcriptor numero ſequenti, cui libentiſſime adſcribimus.

8 Cum tamen in hanc quæſtionem inciderimus, opus eſt Morinum, & in eo alios ſuæ doctrinæ aſſeclas, & fortaſſe etiam Paulum Gabrielem, quem ad manum huc uſque habere non potui, eo quod ab Antiſigilliſtis inter ſuos latenter is liber ſparſus ſit, in quo doctrinæ, ut audio, ſuis abuſibus faventes conſpiciuntur. Dum tamen non publicam lucem videt, ſuſpectus is Author redditur; lucem enim odio habere demonſtrat qui diligit tenebras. Morinus igitur *de Adminiſtr. Sacram. lib.* 2. *cap.* 12. contra certam Theologorum ſententiam demonſtrare nititur, quod pœnitens in ſecreta confeſſione non modo ſe, ſed etiam criminis occulti participem ſecundum veteris Eccleſiæ morem accuſare debuiſſet. Ad quid hæc doctrina, niſi, ut etiam ſecundum mores noſtros hodie non ſolum id licitum eſſe, ſed neceſſarium, & admodum utile introducatur? Sic rationes ſuæ perſuadent. Si tunc enim licuit, & hodie licuiſſe neceſſe eſt: ſi nunc non licet, neque olim licitum eſſe potuit. Non ſumus in materia diſciplinæ, ſed adminiſtrationis ſacramenti, quæ eadem omni tempore eſſe debuit. Confeſſio, ut diximus ſupra, & fert Theologorum cohors, inſtituta fuit ad accuſanda propria peccata, non aliena. Illa juris naturalis regula ſupra poſita ſemper viguit tamquam primum invariabile principium. Proximi detractio ſemper prohibita fuit, neque unquam in Eccleſia permiſſa, aut tolerata. Quomodo ergo in Eccleſia licitum quandoque eſſe potuit quod naturali, divinoque jure prohibetur?

9 Ad id probandum ſubdolis, fucatis, & ad decipiendum aptiſſimis utitur rationibus, quæ ſi aliquid concludunt, etiam hodie adſtringunt. Prima ratio: *Quia ſic expedire videtur, ne crimen committatur, vel ceſſet commiſſum.* Vides larvam? Hæc eadem ficti zeli ſpecies, vel fallacium hominum, veluti Circis, ſuavis, ſed deceptoria, & incantatrix. cantinela, qua a longe Muratorius, veluti vehementi veneficio attractus, ſeſe circumvenire paſſus eſt. Quis alter ſonus noſtras ad aures frequentiſſime pervadit, niſi charitatis murmur, zeli ſuſ-

ſurrus,

ſurrus, reformationis ſtrepitus, ac vitandorum criminum fragor? Quo alio colore pingitur pernicioſa introducta praxis, quibus aliis pluſquam Theſſalicis carminibus delinimur, niſi iis, quibus faſcinantur ſpirituales viri arbitrantes, aut perſuadere contendentes utilem nimis eſſe morem interrogandi pœnitentes,& adigendi ad declarandos complices, ut vitentur committenda peccata, & puniantur commiſſa? Obtuſus erit, qui non capiat quanta fraus ſub hoc verborum lenocinio deliteſcat. At dices: Nonne optimum eſt vitare crimina, nocentesque punire? Quis negabit? Sed id congruis remediis agendum eſt: quæ leges præſcribunt, aſſignanda ſunt; non verò quæ plus nocent, quam proſunt. Sacramentalis confeſſio non ad eum finem inſtituta fuit. Plus damni Reipublicæ chriſtianæ, quam ſalutis affert ſacramento Pœnitentiæ tamquam medio abuti ad prædictos fines; nam nihil aliud inde provenit, quam odium, & injuria ſacramenti, quo ſublato, aut ſaltem exoſo, omnis penitus ruet religio, peccata augebuntur, & peccatores in deteriora demergentur: ſimili pharmaco non virtus, ſed virus ineſt. Fugiendus eſt, deteſtandus eſt; & cavendus Morinus, cavendi omnes, qui adeo noxium medicamen introducere cogitarunt.

10 Nihil proinde Morinus rationis ſternit, in quo fraus, deceptioque non lateat: ***Licuiſſe ſcilicet*** (ſubjicit ille) ***unicuique fideli, quem ſciebat reum criminis, ad Epiſcopum, vel Presbyterum deſſerre; reum verò ſic accuſatum, & convictum multo gravioribus, & diuturnioribus pœnis affectum fuiſſe, quam ſi ſponte ſe ipſum publice, aut privatim accuſaſſet.*** Aut deſipuit is Auctor, aut extra ſe ipſum raptus eſt. Quid commune habet delatio, & probatio criminis coram Epiſcopo per denuntiationem facta cum auriculari, & ſecreta confeſſione ſacramentali? Quid crimen judicialiter per teſtes probatum cum peccato occulto ſacramentaliter confeſſo commune habet? Epiſcopus pœnitentem per denuntiationem, & probationem in judicio factam jam publicum publicæ pœnitentiæ addicere poterat: an Confeſſarius complicem in confeſſione detectum poteſt aliqua publica pœna, aut pœnitentia, aut reprehenſione afficere? Certe non poteſt, & ſi id tentaverit, fracti ſigilli reus erit. Inaniſſima ergo de tribunali Epiſcopi, foroque judiciali ad forum ſacramentale fit converſio.

11 Id fieri in foro externo evidenter patet. Nam probatio facienda erat per teſtes, qui in foro ſacramentali non producuntur. Et vel illa denuntiatio fiebat Epiſcopo tamquam Confeſſori, cui denuntians ſacramentaliter confitebatur peccata ſua, & complicis; vel tamquam Patri ad correctionem fraternam, vel tamquam judici ad punitionem. Si tamquam Confeſſori, inutilis erat complicis proditio, quia Epiſcopus ad nullum finem illa notitia uti poterat, aliàs impingeret in prohibitam propoſitionem, licere ſcilicet ad gubernationem externam uti

notitia in confeſſione acquiſita, de qua ſupra egimus, & cui, licet caute nimis, Morinus adſtipulari viſus eſt. Si tamquam Patri, debuerat is ad paternas monitiones, ſi crimen occultum, & nulli nocivum erat, procedere cum omni charitate, & ſecreto, ne ſubditus calumniam aliquam pateretur; & ſi ipſe crimen negaret, nihil amplius Epiſcopus agere poterat. Si tamquam judici denuntiator, debebat offerre probationes, aliàs ut calumniator habebatur. (2) Hæc tamen in foro ſacramentali nullatenus verificari poſſunt, utpote ſecreto, & adeo privilegiato, ut nihil attentari poſſit, adeo ut nec violati ſigilli aliqua ſuſpicio oriri valeat. Ergo inutilis, & calumnioſa eſſet illa complicis proditio, ac proinde nunquam ab Eccleſia aut permiſſa, aut approbata.

(2) Vide de hoc Anacletum Reiffenſt. Pirinhg. & Schamalſgruab. ad tit. de Accuſationibus, & ad tit. de Calumniator.

12 Auget ſuum ſophiſma Morinus in hunc modum: *Hoc ſi unicuique privato, & criminis minime conſcio extra confeſſionem non modo licuit, ſed paſſim magna cum omnium laude uſurpatum eſt, multo magis id unicuique privato in confeſſione licuit.* Non valet argumentum, & clariſſima eſt diſcriminis ratio. Potuit unuſquiſque alicujus peccati conſcius, juxta correctionis fraternæ præceptum, vel monere, vel ad Prælatum deferre, ut ipſe paterne, & fructuoſe corrigeret; vel judicialiter denuntiare, ut crimen publice puniretur, & emendaretur; ita tamen ut probare poſſet, ne calumniator potius, quam denuntiator fieret. Ita & hodie correctionis fraternæ fideles adſtringuntur præcepto; poſſunt ſecreto ſuperioribus denuntiare, ut ipſi remedium conveniens adhibeant; poſſunt & judicialiter non per calumniam, non per invidiam, non per odium (ut perſæpe) ad publicam criminis vindictam, cum in publicum reipublicæ cedit detrimentum, denuntiare, immo & tenetur, præcipue inquiſiti vel in judicio, vel in viſitationibus, ſi probare poſſint; immo etſi non poſſint, in cauſis fidei ad id neceſſario tenentur. Aſt hanc denuntiationem in confeſſione fieri, nulla neceſſitas urget, nulla utilitas ſuadet. Ex revelatione complicis nihil aliud reſultat, niſi ejus ſugillatio apud ipſum Confeſſarium, qui proinde ejus peccatum, ſicut ipſius pœnitentis, celare debet, nec ea notitia aliquatenus uti. Unde nihil proſpicitur famæ proximi ea religioſa confeſſione, immo læditur apud illum Confeſſorem per inutilem detractionem, quæ etiam vitari debet reſpectu cujuſcumque perſonæ, cujus non intereſt illud peccatum, ſeu ejus complicem cognoſcere.

13 Pergit in hunc modum: *Quod ſi in privato criminis nullo modo participe, ſed tantum gnaro hoc laudabile fuit, multo magis in criminis participe. Quidni autem alterius peccatum, cujus particeps eſt, judici revelabit, cum ſuum ipſe revelet? Neceſſe non eſt chariorem illi eſſe alienam famam, quam ſuam.* Fallit in multis argumentum. Laudabile potuit eſſe, quod privatus quilibet crimen, quod probare poterat, & quod nocumentum bono communi, aut tertio afferre poterat,

poterat, denuntiaret; nunquam laudabile fuit, aut eſſe poterit, quod crimen ſub ſecreto cognitum, & cujus nullus alius quam denuntians conſcius eſt, nec aliàs probabile detegatur cum infamia ipſius delinquentis. Laudabile potuit eſſe, quod quiſque ad meliorem frugem converti deſiderans, & condignam agere pœnitentiam, ſe ipſum proderet, & publice ſuum occultum peccatum confiteretur; ſed non potuit eſſe laudabile, quod ſui peccati complicem etiam detegeret. Id nunquam licuit. Ideo legimus factum Nectarii, ab omni Eccleſia Orientali approbatum, improbantis, quod ex conſilio Pœnitentiarii mulier illa non ſolum ſe ipſam accuſaret, ſed etiam Diaconum complicem detegeret, ex quo ſecuta fuit infamia ipſius, ortumque populi ſcandalum. Tunc urget naturale, & divinum præceptum non infamandi proximum, & dum crimen occultum omnino eſt, proximus jus ad ſuam bonam famam illibatum conſervat. Unuſquiſque ſuæ, non alienæ, famæ dominus eſt: ſuæ præjudicium inferre poterit, non alienæ: immo nec ſuæ poterit præjudicare, ſi exinde vel ſibi, vel alicui tertio aliquod poſſit provenire detrimentum. Si matrona illuſtris, ſi nobilis, nubiliſque puella, ſi nupta honeſtiſſimæ reputationis in fragilitatis culpam lapſa fuerit, cur tenebitur, aut poterit ſe ipſam publice infamare cum ſuo, ſuorumque tam maximo nocumento, cum ſua, ſuorumque tam infallibili injuria? Si complex fuit vir omnium exiſtimatione bonus, ſi Religioſus gravis, ſi Parochus, ſi Prælatus, ſi Epiſcopus, quo jure infamandus erit? Si Morinus, qui, ut credo, impeccabilis non erat, ſi ejus aſſeclæ, ſi virtuoſi hujus temporis homines, qui impeccabiles non ſunt, miſerrime laberentur, laudarent, vellentque, quod fragilitas ſua panderetur? Certe ſi id contingeret, & acerrime negarent, & detractioni tribuerent, & ingentes ſpargerent querimonias. Hæc, quæ in foro externo obſervanda ſunt, multo fortius vigent in foro interno, in quo peccata tantum propria ſunt detegenda. In eo charior debet eſſe fama proximi, quam propria. Ipſe pœnitens ſibi charus eſt, ſuum aperiens peccatum, quia tenetur reconciliari Deo, ſi ſalvari vult, & per confeſſionem conſequitur maximum abſolutionis beneficium. Complex autem nullum bonum, nullam utilitatem conſequitur, ideo degendus non eſt. Abſit ergo Morini tam ſubdola doctrina, omninoque proſcribatur.

14 Addit deinde hæc verba: *Deinde falſum eſt, eum alteri obtrectare, qui aliquem defert extra confeſſionem, multo minus in confeſſione ad utriusque judicem, paſtorem, & principem, cujus præ cæteris intereſt ſubditorum crimina perſpecta habere, ut mature provideat, ne ex iis damnum aliquod capiat Reſpublica, ſive unaquæque Eccleſia illi commiſſa.* En iterum ad decipiendum uno faſce involvit forum internum, & forum externum, crimina occulta, & publica, delicta,

quæ vergunt in Reipublicæ, aut Eccleſiæ detrimentum, & quæ hoc damnum ſecum non afferunt. Certum eſt alteri non obtrectare, qui delictum, quod probari poteſt, & quod in Reipublicæ vertitur detrimentum, ad judicem, aut Prælatum defert. Id fatetur ipſe Morinus, cum paulo infra ait: *Ideo unusquisque cum proximum alicujus criminis conſcium reſciret, probationesque legitimas in promptu haberet*; alias ut calumnioſus caſtigaretur, & haberetur. (3) Sed hæc denuntiatio, ſeu proditio in confeſſione facta ad nihil prodeſt, etiamſi Epiſcopo fiat; ſigillo namque adſtrictus manet, ac ſi nihil ſciret: adeo ut ſecundum inconcuſſam Doctorum ſententiam, etiamſi ex confeſſione pœnitentis conjurationem, aut civitatis proditionem ſciat, & pœnitens denuntiare renuat, eum debeat inabſolutum remittere, ſed ipſe ſilere teneatur. Hinc recte ſuſpicari poſſumus Morinum in ea fuiſſe ſententia, licitum nempe eſſe uti notitia in confeſſione acquiſita, quod quidem, quam abſonum ſit, nemo neſcit.

(3) Cap. 2. de Calumniat. cap. Calumniator. cap. Qui non. 2. q. 3. l. Qui accuſare cod. de edendo & communiter DD.

15 Præterea per ſequentes §§. id nititur probare ex canonibus Baſilii 67. 75. & 79. quorum ſupra mentionem fecimus: ex antiquo Pœnitentiali Romano *tit.* 3. *cap.* 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 14. & ex Concilio Triburicenſi *cap.* 43. quod refertur a Gratiano *cap. penult. & ult.* 24. *q* 1. & ex Concilio Calcedonenſi, prout refertur a Gratiano *cap.* 2. 30. *q.* 4. & aliis locis. Deinde conatur oſtendere ea decreta non poſſe intelligi de peccatis publicis, ſed inconcludenter. Aliquibus utitur conjecturæ argumentis. Inquit 1. ***Rarum enim eſt cum ejuſmodi peccata publicare poſſunt.*** Ideo etiam raro pœnitentiæ publicæ fieri ſolebant: rari etiam publici pœnitentes. Neque Morinus aliud in tanta antiquitate probare poteſt. Pauci namque ſunt caſus, qui ab hiſtoricis referuntur. Rationem reddit: *Intra enim domeſticos parietes perpetrantur, & ſcelera occultandi, & perpetrandi facilitatem maximam præbet conſanguinitatis, & affinitatis propinquitas.* Etiam adulteria occultiſſime fiunt, etiam carnis peccata regulariter intra domeſticos parietes neſcientibus aliis complentur, etiam furta, & ſimilia fiunt occulte, & tamen multoties manifeſtantur, quia, ut eſt in proverbio, diabolus una manu tegit, detegit altera: dum occulta ſunt, dum non probantur, non puniuntur eorum rei, non pœnitentiæ publicæ addicuntur. Si ſub ſacramentali ſecreto declarantur, adhuc latent, nec aliquo modo propalari debent, neque Epiſcopus, cui ea forte ſub ſigillo confeſſa ſunt, poteſt prædictam publicam imponere pœnitentiam; quia, ut jam diximus, & Morinus habet, punitur ipſe, ſi imponat eam pœnitentiam, quin poſſit probare delictum; & quia ſacramentali ſigillo adſtrictus manet.

16 Sic inquit 2. *Deinde conſiderare lectorem oportet canones punire iſtorum criminum reos, nec diſtinguere, ſi ſæpius id commiſerint* *cum*

cum ſcandalo; immo ſæpius indicare pœnam crimini vel ſemel perpetrato infligendam eſſe. At ſane crimina illa omnia ex una, aut altera perpetratione aſpergi ſuſpicione non poſſunt, nedum divulgari. Frivola argumentatio! Etiam alii canones, etiam leges civiles pluribus criminibus pœnas ſtatuunt, nec diſtinguunt, ſi ſæpius, aut ſemel, ſi publice, aut occulte perpetrentur. Pœnas decernunt in delicta, & delinquentes, non dum latent, ſed cum probantur, aliàs exequi judices eas non poſſunt, nec in reos ſententiam dicere, dum non manifeſtantur. Reipublicæ intereſt, ne delicta maneant impunita, ideo cum delictum notum eſt, & latet delinquens, inſtituuntur inquiſitiones, ut detegatur delinquens, & probato crimine puniatur. Ideo, etſi non ſit publicum delictum, generales inquiſitiones fiunt, ut conſtet de delicto, & delinquente, & ſi conſtet, pœnis debitis plectatur. Si tamen adhuc lateant, nihil habet Reſpublica quod agat: Dei ſolum judicio eorum criminum punitio reſervatur. Aſt hodie, proh dolor! legum ſeveritas, quæ tantum delicta reſpicit plene probata, in occultos peccatores exercetur cum maxima juſtitiæ charitatis, & religionis injuria; & propterea cum graviſſimo peccato ex ea ſola depoſitione, quam Confeſſarius facit contra ſigilli legem, & ex ſola pœnitentis accuſatione, cui credendum non erat, in nocentes, & fortaſſe in innocentes animadvertitur. His injuriis, his injuſtitiis, his erroribus, & abuſibus favent Rigoriſtæ, Morinus viam aperit, & ſuis depictis, bracteatiſque ratiunculis aditum pandit latiſſimum, ſed dolis, vepribuſque venenoſis occulte ſtratum.

17 Inquit 3. *Crimina nonnulla tam iniqua ſunt, & horrenda, ut ſi eſſent publica, nullus eſt pœnitentiæ agendæ locus, nedum matrimoniis contrahendis, prohibendis, aut reſolvendis, ut præcipiunt canones; gladio enim judicum omnium horum occaſio amputaretur.* Falſificatum eſt argumentum. Aut Morinus dolo agit, aut Logicus non eſt. Ego autem ſic retorqueo. Ergo neque occultæ pœnitentiæ locus eſſet, etiamſi peccator vere contritus confiteretur. Probo ex Morino. Sacerdos non poterat abſolvere pœnitentem ob publica delicta, quin ipſe publicæ pœnitentiæ ſubjiceretur. Sic latiſſime ſuadet, & certum prædicat: pœnitentiæ publicæ agendæ locus non erat, quia judices gladio delinquentes punirent: ergo inabſoluti remanerent. Quid ſtultius? Quid crudelius? Præterea, benè poterant fieri publica in foro Eccleſiaſtico per denuntiationem, & probationem, & tamen judicibus ſæcularibus nota non eſſe. Deinde dum in publica degebant pœnitentia civili animadverſioni locus tunc non erat. Ulterius multa enormia ſunt crimina vel in foro eccleſiaſtico privative punienda, vel in quibus præventioni locus datur, ut lippis, & tonſoribus notum eſt. Tandem nihil vetat, quod crimina occultiſſime perpetrentur, &

poſtea

poſtea detegantur; nihil enim eſt adeo occultum, quod revelari non poſſit, &, ut fert adagium, etiam parietes oculos, & aures habent.

18 Sic §. concludit: *Denique occultiſſima eſſe crimina, ipſi canones allati apertiſſime teſtantur, cum diſerte aſſerant, & aſſumant, quorum aſſinium, vel conſanguineorum circa eamdem perſonam, etiam ipſis aſſinem, vel conſanguineam, crimen perpetrantium, neutrum alterius crimen cognoſcere.* Ut ratiocinatio iſta cavillationis convincatur, opus erit reaſſumere ipſos canones. Quomodo Amphilochius a Baſilio quæreret, qua pœna, aut pœnitentia caſtigandus eſſet coitus cum ſorore, aut cum noverca, niſi reſciret hæc peccata commiſſa fuiſſe? Quomodo Boetius ſic conſtitueret, ſi neſciviſſet prædicta crimina aliquando perpetrari? Occulta, & occultiſſima fuerant a principio, ut ſolent frequenter crimina fieri, ſed poſtea aliquo modo publica fieri potuerunt vel per denunciationem probatam, vel per ſpontaneam reorum confeſſionem, quibus poſitis locum jam habebant aut pœnæ, aut pœnitentiæ. Pœnitentiale Romanum *cap.* 12. ſic ait: *Quidam fornicatus eſt cum quadam muliere; poſtea filius neſciens patris factum ſtupravit eamdem. Quod cum pater reſciviſſet, de ſe, filioque confeſſus eſt.* Quomodo ſine dolo potuit Morinus aſſerere neutrum alterius crimen cognoviſſe, & hoc aſſumpſiſſe canonem illum? Quomodo reſcivit pater, ſi non cognoverat? Non cognovit a principio, ſed reſcivit poſtea. Occultum fuit a principio, poſtea cognitum; & quando cognitum, tunc per confeſſionem publicum, tunc ſtatuta pœnitentia; neque enim ea juberetur imponi, ſi crimen omnino lateret.

19 At dices, Ex eodem *cap.* 12. conſtat, patrem de ſe, & de filio confeſſum fuiſſe: ergo recte aſſerit Morinus, non ſolum proprium, ſed etiam alterius peccatum ad Confeſſorem deferendum eſſe. Quis ambigit multoties id obſervandum eſſe? Non exceptio pro regula accipienda eſt. Ita fieri debet cum peccatum, ut in dicto canone, aliiſque ſimilibus, ea circumſtantia veſtitur ut mutet ſpeciem; tunc enim ipſa circumſtantia declaranda eſt; ita tamen, ut perſona complicis, quantum fieri poſſit, occultanda ſit. Fortaſſe pater ille ignotus eſſet Confeſſario, aut Epiſcopo, & ſcrupulo agitatus confeſſus eſt, & quæſivit, an ipſe, vel filius ejus nuptias contrahere poſſent; hoc ipſum dubitaverat Confeſſarius, ut ipſa canonis conſtitutio ſuadet, & quæſivit quid agendum eſſet, quin complices declararet. Cui etiam patres reſponderunt, ipſis delinquentibus dignam agendam eſſe pœnitentiam, id eſt, publicam pro publico, occultam pro occulto, permittendaque conjugia, ne forte in deterius laberentur. Quid igitur inde concluditur, ut Morinus illam abſolutiſſimam, & generalem jaciat propoſitionem: *Manifeſtiſſime inſuper in peccatis occultiſſimis ſocium criminis in confeſſione detegendum eſſe?* Nonniſi, cum aut decipi, aut deci-

pere

pere cogitaſſe. Sic ſimiliter in aliis canonibus diſcurrendum eſt.

20 Proſequitur: *Verum fingamus tantisper crimina illa eſſe publica.* Cur hæc fictio? Non dicimus publice facta, ſed dicimus poſtea publice, hoc eſt, in judicio per legitimam probationem cognita: *Hinc permulta conſequentur abſurda.* Permulta dicit, ſed unum refert: *Nulli enim pœnæ tam horrenda peccata erunt obnoxia, niſi forte fortuna publicentur.* Et hoc eſt maximum abſurdum! Abſurdum maius, & maximum eſſet, ſi occultiſſima peccata publice punirentur. In quo delinquente punirentur, ſi occultus erat, nec in judicium deducebatur? Mitterentur in aëra pœnæ? Stultiſſima cogitatio! Ita quidem: *Nulli pœnæ publicæ tam horrenda peccata eſſent obnoxia*, dum occulta eſſent. Quid ergo? Erant ideo imponendæ in foro interno? Id intendit Morinus, id ſui aſſeclæ. Sed quam abſurdum! *Non habent publicam latentia peccata vindictam.* Maiora procul dubio damna inde orirentur. Panderetur ſigillum, naſcerentur odia, vindictæ, rixæ, ſcandala, contemneretur ſacramentum Pœnitentiæ, & fideles ab eo arcerentur. Hæc omnia contemnunt iſtiusmodi indolis homines. Hic Rigoriſmi ſcopus eſt. Declarentur complices, manifeſtentur occulta fragilitatis peccata, ferveat infamia, puniantur hi homines, interim in nobis ardeat ira, exæſtuet ſuperbia, redundet ambitio, deſpectus aliorum turgeat; virtutis, zeli, charitatis noſtræ creſcat opinio; homines zelotypi apud homines habeamur; noſtra ſint omnia. Nos inſontes, cæteri verò omnes ſontes, mundani, indigni deprædicentur.

21 Revertitur iterum ad eamdem ſolitam cantilenam, ſcilicet, quod canones non diſtinguant, an peccata publica, an occulta ſint; ſed indiſtinctè, & indiſcriminatim ſtatuant. Et nos coacti ad eamdem revertimur reſponſionem. Inutilis, immo & ridicula eſſet hæc diſtinctio, aut diſcriminatio. Noverant optime Patres occultos delinquentes publicis animadverſionibus non eſſe ſubjiciendos. Statuerunt pœnas. Decreverunt publicas pœnitentias ad omnia in genere peccata, ut notum eſſet quibus pœnis punienda forent, ſi de iis aliquando conſtaret, & per declaratas pœnitentias inſtruerentur de gravitate delicti ad occultas pœnitentias commenſurandas peccatis poſtea in ſacramentali foro confeſſis. Ad hunc finem, ut ſæpe explicatum eſt, tendebant illi canones quoad peccata occulta. Et utriſque conſulebant, publicis, ut publice emendarentur, occultis, ut occulte conveniens, & proportionata medicina adhiberetur. Unde in ima projicitur Morini ratio, & plene confunditur ejus mens. Ait: *Itaque ſi canones iſti de peccatis publicis tantum intelligendi ſunt, non autem de occultis, quæ a reis ſecreto ad Epiſcopum in confeſſione deferuntur, nulla erit ejuſmodi peccatis a canonibus impoſita pœna, quod eſt abſur-*

abſurdiſſimum. Quod eſt abſurdiſſimum illud ſolum eſt, quod Morinus intendit, & quod hodie uſurpatur pro doctrina, nempe publice punire peccata, quæ a reis ad Confeſſores ſecreto in confeſſione, & a Confeſſoribus cum revelatione ſigilli ad Epiſcopos deferuntur. Morinus volebat, & Jacobei hodie volunt, quod Epiſcopus peccata in confeſſione detecta publice puniantur, ut delicta maneant ſine debita pœna, & peccata vitentur; ſed reconditur in gramine ſerpens; hinc enim omnibus malis majus exoritur nocumentum, nempe ſigilli revelatio, & ſacramenti injuria.

22 Riſu dignum eſt propter maximam, quam continet, incohærentiam, quod Morinus ſtatim ſcribere non reformidavit: *Præterea,* inquit, *certum eſt, ut infra demonſtrabimus, cum Pœnitentiale Romanum conditum eſt pœnitentiam occultorum peccatorum fuiſſe occultam.* (Si ita conſtitutum eſt in Pœnitentiali Romano, ad quid deludat in perſua leado antiquo more?) *Sed eamdem, quæ pro publicis peccatis impoſita fuiſſet.* Eadem, & alia ſunt termini implicatorii. Publicum, & occultum inter ſe multum diſtant. Si hucuſque probare contendit pro peccatis occultis publicas conſtitutas fuiſſe pœnitentias, & nunc dicit has pœnitentias eſſe occultas, quomodo eædem ſunt? Antiquæ pœnitentiæ publicæ quatuor erant ſtationes, ſcilicet, fletus, ſubſtratio, auditio, conſiſtentia: id norunt omnes, qui vel leviſſimam hujus rei habent notitiam, ipſeque Morinus latiſſime expendit. Denegabatur illis ingreſſus Eccleſiæ, participatio ſacramentorum, & communicatio fidelium. Sic referunt Sozomenus, & alii hiſtoriæ antiquæ Scriptores, ſufficietque referre ex Concilio Agathenſi *cap.* 11. modum, quo in iis injungendis pœnitentiis Epiſcopi utebantur: *In capite quadrageſimæ omnes pœnitentes, qui publicam ſuſcipiunt, aut ſuſceperunt pœnitentiam, ante fores Eccleſiæ ſe repræſentent Epiſcopo civitatis, ſacco induti, nudis pedibus, vultibus ad terram proſtratis, reos ſe eſſe ipſa habitu, & vultu proclamantes. Ibi adeſſe debent Decani, & Presbyteri pœnitentium, qui eorum converſationem diligenter inſpicere debent, & ſecundum modum culpæ pœnitentiam per præfixos gradus injungant. Poſt hæc in Eccleſiam eos introducat, ut cum omni Clero ſeptem pœnitentiæ Pſalmos in terram proſtratus cum lacrymis pro eorum abſolutione decantet. Tunc ſurgens ab oratione, juxta quod canones jubent, manus eis imponat, aquam benedictam ſuper eos ſpargat, cinerem prius mittat: deinde cilicio capita eorum cooperiat, & cum gemitu, & crebris ſuſpiriis eis denuntiet, quod ſicut Adam projectus eſt de paradiſo, ita & ipſi ab Eccleſia pro peccatis abjiciuntur. Poſt hæc jubeat Miniſtris, ut eos extra Eccleſiam expellant, Clerus verò proſequatur eos cum reſponſorio: In ſudore vultus tui veſceris pane &c.* Nunc perpendat lector quam pauci ſacramento Pœnitentiæ ſubji-

ſubjicerentur, aut integre confiterentur, ſi eis ſubeunda eſt ea pœnitentia cum tanto dedecore, cum tanta infamia, quam procul dubio incurrebant cum tam aſperis laboribus. Conſideret, an aliquando æquum, ac benignitati Eccleſiæ potuit eſſe conſonum, quod peccator occultus remedium ſalutare pœnitentiæ quærens, ſic adigeretur, ut ſe in publico proderet, ſuum crimen, & complicis ſui, quod ipſe ſolus ſciebat, univerſæ Eccleſiæ patefaceret, nec antea ad Eccleſiam, ad reconciliationem, ad amicitiam Dei reſtitueretur: conſideret, perpendat, ruminetur, dum ego in Morinum conjicior, & ab eo ſciſcitor: An hic uſus, an hic rigor aliquando legatur in Eccleſia Romana uſurpatus? An hæc eadem ſit pœnitentia, qua Eccleſia uſa fuit, cum occultas præcipiebat pœnitentias pro occultis delictis? An hæc pœnitentia, quæ deſcripta manet, potuit quandoque dici occulta?

23 Sed illud magis mirandum eſt, quod ad ſuam enuntiationem probandam uno, quo contentus eſt, exemplo utatur, quod eſt ex diametro contrarium. Illud eſt, quod aſſumit ex eodem Pœnitentiali Romano *tit.* 3. *cap.* 26. ubi ſic habetur: *Siquis inceſtum occulte commiſerit, & Sacerdoti occulte confeſſionem fecerit, indicetur ei remedium canonicum, quod ſubire debuiſſet, ſi ejus facinus publicatum fuiſſet. Verum quia latet commiſſum, detur a Sacerdote conſilium, ut ad ſalutem animæ ſuæ pro occulta pœnitentia proficiat; hoc eſt, ut veraciter ex corde ſe graviter deliquiſſe confiteatur, & per jejunia, & eleemoſynas, vigiliasque, atque ſacras orationes cum lacrymis ſe purgare contendat.* Gratulamur Morino, quod in ſe præſtiterit arma, & fideliter retulerit cum quo abſque ſudore noſtro revinceretur. Eruitur ex citatis verbis, non aliter remedia canonica locum habuiſſe, niſi, *ſi ejus facinus*, pœnitentis ſcilicet, *publicatum fuiſſet*. Ergo dum latebat occultum, & ſola confeſſione revelatum publicæ pœnitentiæ non ſubjacebat. Ergo canones non occulta, ſed publica peccata reſpiciebant. Eruitur etiam, non fuiſſe coactos pœnitentes ad confeſſionem publicam, nec aliter potuiſſe abſolvi, quam ſi eam facerent; nam ex relatis verbis conſtat nihil tale a Confeſſario præceptum fuiſſe. Eruitur amplius, non fuiſſe neceſſarium declarare complicem in individuo, ſed ſuffeciſſe confiteri generice de inceſtu. Ulterius eruitur, ad eum finem reſpexiſſe canones peccata occulta, dum publicas pœnas conſtituebant, ut ſcilicet Confeſſarius ſciret, ut non ignoraret pœnitens quibus pœnis ſubjiciendus eſſet, ſi crimen ſuum aut publicum, aut *publicatum fuiſſet*, & ex hoc peccati enormitatem exhorreſceret. Eruitur tandem, ad abſolutionem ſacramentalem obtinendam non eſſe neceſſarium prius publicam facere pœnitentiam, ſed quod ex corde crimen ſuum agnoſcat, & confiteatur, & occultam ſuſcipiat pœnitentiam per jejunia &c. En quomodo canones, Patres, decreta a

Rigoriſtis allegantur, en quomodo detorquentur, en quomodo deturpantur. Sic in cæteris ſe habet Morinus, & per ſophiſticas explicat inductiones, ita ut maxima cautela legenti opus ſit, ut falſis doctrinis, quæ cum veris commiſcentur, non maneat irretitus.

24 Infert ex dicta authoritate diſtinctionem illam inter publica, & occulta peccata cum illius temporis conſuetudine ſubſiſtere non poſſe. Sed illam fecit Pœnitentiale Romanum, illam Pœnitentiale Theodori, illam ipſe Buchardus, quo pluries utitur, *lib. 19. cap. 36.* Illam Ivo *part. 15. cap. 53.* Illam D. Auguſtinus per eadem verba. Illam alia Concilia, quæ referunt iidem Buchardus, & Ivo. Illam primi nominis Theologi, & ſancti Patres, quos in antecedenti coruſcatione recenſuimus. Illa conformis eſt juris naturalis, divinique principiis, illa pietati Eccleſiæ conformis; at verò, quam perſuadere cupit, diſciplina his omnibus adverſatur: ergo argumentis ſuis fidendum non eſt. Reddit ad id, quod ſponte confeſſi longe mitioribus pœnis exceptos fuiſſe. Annuimus; ſunt etenim expreſſiſſimi canones, eſtque res tritiſſima. Pœna tamen illa, quamtumvis mitior, ſemper publica erat, & pro peccato, quod publica confeſſio publicum fecerat. Subinfert: *Ideo crimina quæque occulta multo promptius unumquemque ad Sacerdotem detuliſſe.* Credo tamen id potius feciſſe metu concuſſos, aut conſilio adactos, ut ſeveriores pœnas evaderent, neque alia crimina detuliſſe ad Sacerdotem publica illa confeſſione, quam quæ, licet occulta forent, per aliorum denuntiationem publica fieri potuiſſent. Sic hodie in hæreſi occulta, vel aliis criminibus ad Fidei Tribunal frequenter recurrunt rei, ut antequam ab aliis deferantur confeſſi, debitis crimini pœnis non plectantur. Sic delati ſponte confitentes mitius puniuntur, quam ſi judicialiter convincantur.

25 Ex his deſcendit ad demonſtrandum, quantum utilitatis ipſi confeſſo afferret accuſare etiam peccati ſui participem, quia ſi Sacerdos *criminis horrendam deformitatem ignoraſſet, conſequenter crimen qua tale impunitum dimiſiſſet: fornicationem pro inceſtu puniſſet, furtum pro ſacrilegio, vel quid ſimile..... His accedit, quod ſcholaſticorum maior pars in data hypotheſi propter confeſſionis integritatem hoc eſſe neceſſarium affirmat.* Ludit in literario orbe Morinus, & verbis ludit. Nemo ſui compos hucuſque dixit criminis deformitatem explicandam non eſſe, hoc eſt ſpeciem peccati. Hanc declarandam eſſe nemo non novit. Sed idem non eſt declarare ſpeciem, ac declarare complicem in individuo. Nonne ſufficit confiteri inceſtum, quin declaretur perſona, cum qua commiſſum fuit? Nonne ſatis erit confiteri adulterium, quin exprimatur quæ fuerit adultera? Nonne integritati confeſſionis ſatisfaciet qui confiteatur actus luxuriæ cum perſona adſtricta voto, quin ipſa perſona manifeſtetur? Certe ſufficit,

cit, certe id ita debet facere, aliter abſque ulla neceſſitate, aut utilitate proximum infamat. Id omne in quocumque ſcholaſtico, quod in materia aperiatur, videre eſt. Aſt Morinus inciviliter nimis complicem cum ſpecie confundit. Poterit fortaſſe ex circumſtantia peccati deveniri in complicis cognitionem, ſi pœnitens, ejuſque familiares ei noti ſint; hoc tamen per accidens ſe habet, nec tamen complex eſt ſpecifice propalandus, ſed tantum circumſtantia, ſemperque tam pœnitens, quam complex, eorumque pecatum ſub eodem ſigillo debet remanere reconditum. Scholaſtici (cum quibus reverentius ageret Morinus, ſi Theologos, ac Doctores nominaret) profecto docent (reclamantibus aliis) ad integritatem confeſſionis neceſſarium eſſe confiteri circumſtantiam, licet inde Confeſſarius deveniat in complicis cognitionem; ipſi tamen inſimul aſſerunt, pœnitentem, ſi poſſit, debere quærere Confeſſarium, cui ignotus ſit, ne perſonam complicis detegat; immo etiam ipſi docent, quod ſi ex detectione complicis aliquod damnum vel ipſi pœnitenti, vel etiam conſcio, aut etiam revelatio ſigilli timeatur, poſſe & debere pœnitentem illud peccatum non confiteri. Alii verò in omni caſu, quo Confeſſarius poſſit devenire in complicis cognitionem, celandum eſſe peccatum, totis viribus contendunt: & hæc opinio hodie eſt receptior, experientia docente ſic utilius eſſe ad alia vitanda damna, quæ ex tali manifeſtatione contingere ſolent.

26 Non tamen Morinum condemnaremus, quod eam ſequeretur doctrinam, ſi in ea ſiſteret. Sed §. ſequenti abſolute contendit ſemper conſcium eſſe revelandum, licet peccati ſpecies ſine complicis enuntiatione commode explicari poſſit. Sed hæc ſententia nulli unquam Theologo orthodoxo arriſit. Sic ſcribit: *Alicui forſan videbitur de peccatis, quæ hujuſmodi connexionem non habent, idem judicium non eſſe faciendum, irreligioſumque eſſe conſcium revelare, eum, eo tacito, & præterito, criminis ſpecies commode explicari poteſt.* Id non alicui forſan, ſed omnibus abſolute videtur, ſolumque ipſi, aliiſque ejuſdem rigoris placet: *Hoc tamen licitum fuiſſe, & paſſim antiquitus factum facile demonſtratur.* Sed an licitum potuerit eſſe contra juris naturalis regulam, an licite ab Eccleſia præcipi potuiſſet, an id ſacramenti Pœnitentiæ inſtitutioni conveniat, an ad id Pœnitentia ſacramentalis ordinata ſit, id neque demonſtravit, neque demonſtrare unquam poterit. Optaremus, quod ex tot canonibus, quos commemorat, unum aſſignaret conſtituentem, quod in confeſſione ſacramentali detegantur aliorum peccata. Fieret certe, ſi id permiſſum, aut præceptum eſſet, confeſſionis ſacramentum murmurationis lenocinium, detractionis officina, ſuſſurri academia, alienarum actionum fabella. Theatrum eſſet ſacrum Pœnitentiæ forum, in quo aliena verba, alieni defectus, aliena vitia, alienum genus, fortaſſe cum

 mendacio,

Digitized by Google

mendacio, & nunquam ſine aliorum injuria repreſentarentur. Id quandoque immaculata præciperet Eccleſia? Id paſſa eſſet? Delirat certe qui hæc aſſerit, & ſanctiſſimæ Matri hanc irrogat calumniam. Id fieri non potuiſſe agnovit Nectarius ille Conſtantinopolitanus Patriarcha. Id Leo vetavit, tot Concilia prohibuerunt, de quibus in antecedenti coruſcatione latiſſime egimus. Id tandem ſanctiſſimus D. N. Benedictus XIV. tamquam ſcandaloſum, & proximorum famæ, ac ſacramento injurioſum condemnavit. Quibus igitur credendum erit? Iſtis, an Morino, aliiſque ejuſdem farinæ? Nos orthodoxi, quibus ea fides eſt, ut intelligamus Pontifices ore Petri infallibili locutos fuiſſe, decretis Pontificiis adhæremus; adhæreant alii ſuis Authoribus, ut in aliquibus Diœceſibus factum fuiſſe dicitur.

27 Experiamur tamen quibus Conciliorum authoritatibus ſuam Morinus ſtabiliat ſententiam. Nullis protecto, ſi res ad trutinam revocetur. Nam quæ ex Pœnitentiali Bedæ, & Buchardi adducuntur, ut plurimum probant circumſtantias peccati neceſſario eſſe aperiendas, licet ex iis in cognitionem complicis deveniri contingat. Sed antequam id expendam, adnotare oportet 1. Rigoriſtas ſcriptores, ſuo zelo, ut fingunt, ductos, id ſemper deſiderare, ut antiqui pœnitentiales canones in uſum revocentur. Sufficiat recenſere Bonum Merbeſium in ſua Summa Chriſtiana *tom.* 2. *pag.* 182. *edition. Pariſienſ.* (Semper enim ab Aquilone panditur omne malum) qui ſic habet: ***Hi canones ſunt ſervandi***, (loquitur de pœnitentialibus) ***& in uſum, quantum fieri poterit, revocandi.*** Gennetus *tract.* 6. *de Sacram. Pœnit. cap.* 7. *q.* 20. ſic ſcribit: *Cum hujus temporis fideles ſanctiores non ſint primis Chriſtianis, cum idem ſit Deus, qui offenditur, & idem crimen, quod admittitur, æquum eſt, ut idem homo ſatisfaciat eidem Deo pro eodem crimine in eadem Eccleſia, & eodem modo.* Hic ad exemplum ſufficiat; nam cæteri omnes, eaſdem rigoris cauſas prætexunt, licet adeo ovina pelle ſe veſtiant, ut ſanas, temperataſque proferant ſententias, & tamen aliqua intermiſceant, quæ poſtea neceſſe eſt, ut multo ſale condiantur, ne earum corruptio legentes inficiat.

28 Adnotare oportet ſecundo, non omnes canones, quos Pœnitentiales dicunt AA. certam auctoritatem habuiſſe, aut habere: aliqui nullam, aliqui fere nullam, aliqui nunquam in tota Eccleſia viguerunt, alii verò ſolum in particularibus Eccleſiis obtinuerunt. Maximam auctoritatem aſſecuti ſunt canones Apoſtolorum non apochryphi, canones Nicæni, Ancyrani, Neocæſarienſes, & alii, quos commemorat S. Leo reprehendens Epiſcopos Britaniæ, quod pluris facerent ſententias Patrum, (ſic hodie pluris faciunt aliqui opiniones Auctorum, quam Pontificis conſtitutiones) quam Pontificum Bullas. Videatur in Decreto *cap. de Libellis diſt.* 20. *& cap. Si Romanorum diſt.* 19.

19. Hinc fit in aliquibus particularibus Eccleſiis aliquos canones plus æquo rigidiores conditos fuiſſe, quos univerſa Eccleſia nunquam probavit, multoſque legimus introductos mores aut propter juſtas cauſas diſſimulatos, aut a Pontificibus expreſſe reprehenſos. Talis eſt hic caſus detegendi complices ſine urgentiſſima, & neceſſaria cauſa, qui a tot Pontificibus expreſſe prohibetur, a nullo Concilio ſtatuitur, a nullo S. Patre expreſſe docetur, & a tot orthodoxis Theologis frequenter reſpuitur.

29 Unde licet Venerabilis Beda, licet Buchardus, licet alii id approbarent, neque ideo ut praxis in univerſa Eccleſia retenta aſſerenda eſſet; ſed ut plurimum ab aliquibus uſurpata. Sed ipſi neque id conſtituunt, neque id aſſerunt, eorumque auctoritates ad bonum ſenſum adaptandæ ſunt, non ad malum detorquendæ. Beda igitur arbitratus eſt ſpecialem deformitatem continere, quod uxoratus ancillam ſuam compreſſerit, & ſpecialem pœnitentiam ei peccato injungit. Sic ſimiliter in homicidio a ſervo perpetrato jubente domino, aut a libero jubente ſeniore, vel in perjuro. Unde *in dict. cap. 2. de Remed. Peccat.* has pœnitentias generaliter conſtituit, ſecundum diverſitatem criminum injungendas. Suppoſito igitur, quod prædictæ circumſtantiæ, augerent, aut minuerent notabiliter peccatum, ſeu pœnam ei debitam, & ſuppoſito, quod hæ circumſtantiæ neceſſario aperiendæ ſint, (quæ tamen opinio ſine optimis contradictoribus non currit) nil mirum, quod pœnitens eas declaret, & quod Confeſſarius, eo quod pœnitens ei notus eſſet, deveniret in complicis cognitionem; ſed fortaſſe etiam non deveniret; quia pœnitentem non cognoſceret. Ac proinde ex Bedæ authoritate ut plurimum colligi poteſt eam circumſtantiam eſſe aperiendam, non verò fuiſſe declarandum complicem. Sufficeret quod uxoratus diceret: Commiſi adulterium cum ancilla, quam vel volentem cognovi, vel invitam compreſſi. Vel ancilla diceret: Concubui cum domino, aut renuens, aut libenter conſentiens. Sic in aliis caſibus. Sed nominare dominum, declarare ancillam nec poterant, nec debebant pœnitentes, neque ſimili expreſſione opus erat.

30 Utitur exemplo ancillæ, *quæ ſi a ſervo, aut a libero, ſed in eam nullam habente poteſtatem violari paſſa fuerit, crimen magnum, & longa pœnitentia eluendum commiſit.* Utrum hoc peccatum circumſtantiam habeat mutantem ſpeciem, aut notabiliter aggravantem, quam neceſſario declarare opus eſſet, Moraliſtis relinquo cogitandum. Sed optarem, quod Morinus diceret, an non ſatis eſſet pœnitenti ancillæ conſiteri ſe cum homine ſervo, aut libero, in cujus poteſtate non erat, rem habuiſſe? Ad quid neceſſarium erat complicem exprimere, & ad notitiam Confeſſoris deferre? Certe ad nihil aliud, niſi ad infamandum proximum abſque ulla neceſſitate, aut juſta cauſa, quæ eam excu-

excuſaret. Supponamus tamen dominum fuiſſe complicem, & quod ex confeſſione ancillæ Confeſſor noverat quis peccati auctor eſſet. Quid inde? An ea notitia uti poterat ad accuſandum, ad reprehendendum, ad oſtendendum ſeveriorem vultum, ad aliud quid ſimile, ex quo vel revelati ſigilli, aut cogniti in confeſſione peccati ſuſpicio oriri poſſet? Morinus id permiſſum eſſe videtur ſenſiſſe, ſed contradicunt omnes.

31 Hic iterum eumdem comminutum ſilicem recoquit, nempe Chriſtianos omnes in more habuiſſe, *quemcumque de crimine quantumvis occulto apud Epiſcopum accuſandi, modo legitimis probationibus id evincere poſſent.* Hinc infert: *Quidni conſcios criminis ſecreto accuſaſſent, cum innocentium conſuetudo eſſet, criminis quoſcumque reos ad Epiſcopum deferre.* Et poſtea addit: *Sed quid dico licitum fuiſſe ſceleri participem accuſare? Tenebantur ad hoc nonnunquam univerſi fideles: nec modo participes criminis ad hanc revelationem tenebantur, ſed etiam, qui criminis quovis modo gnari erant. . . . Quis igitur hujus rei memor idem de conſciis, & particibus affirmare reformidabit?* Sed inquiro: Quomodo occultum, & occultiſſimum erat quod ſciebat accuſator, *& legitimis probationibus*, id eſt teſtibus, *convincere poterat*? Si autem crimen adeo occultum erat, ut ſolum complices illius conſcii erant, ad quid inſerviebat ea ad Epiſcopum delatio? Vel iſta erat publica, vel occulta? Si publica, ad quid inſerviebat, niſi ut infamaretur v. g. mulier honeſta? Ad quid, niſi ut accuſator, qui nec proprii criminis teſtis eſſe poterat, nec aliter probare valuiſſet, calumniatoris pœnas incurreret, aut injuriæ illatæ reus haberetur? Si occulta, ad quid, niſi ad inurendam complici infamiæ notam, ſaltem apud ipſum Epiſcopum? Is non poterat eam pœnitentiæ ſubjicere, dum convicta non eſſet. Ea non tenebatur ſe ipſam prodere, & infamare, neque ad id cogenda eſſet: occulta admonitio inutilis foret. Præterea, ſi id in more fuiſſet, aut in præcepto, quot falſis accuſationibus, quot infamationibus, quot jurgiis, quot odiis via panderetur? Quantæ inſimulationes periſtreperent, quantæ innocentes famæ aut ex odio, aut ex vindicta, aut ex malignitate deferentium paterentur? Argumentum autem ab innocente ad criminis conſcium nihil valet, nihili æſtimandum eſt. Innocens accuſare poteſt, & fidem poterit promereri. Nocens verò nec credendus eſt, nec aliquo modo ſe ipſum prodere tenetur. Sic jus naturæ dictat, ſic leges conſtituunt: iniquæ eſſent leges, iniqui canones, qui id generaliter, ni aliud ratio boni publici poſtulaverit, conſtituerent.

32 Falſum eſt ergo, quod criminis participes de lege ordinaria ad criminis, & complicis occulti revelationem adſtringerentur, præcipue in peccato, in quo verificatur complicitas; nam in cæteris, ut in furto,

in

in homicidio, ſocii, non complices, dicendi ſunt criminis. Regula notiſſima eſt neminem teneri ſuam propriam detegere turpitudinem. Hac propoſita inflatis buccis concrepitant ſancti Officii adverſarii, quia diſtinguere neſciunt; in eam apertiſſime impingere Morinus viſus eſt. Sed videamus an illa regula, *tenebantur univerſi fideles*, vera ſit. Hoc præceptum ab univerſa Eccleſia impoſitum cum tanta generalitate nuſquam legi, nec illud exhibet Morinus. Invenio ſic conſtitutum a Baſilio *can.* 78. Sed quibus, & pro quibus criminibus? Id dicet canon ipſe: *Qui uniuscujusque prædictorum peccatorum fuit conſcius.* Explicat Balſamon: *Qui opem, & auxilium tulit, vel doloſe conſuluit, vel eum, qui ſcit, & poteſt prohibere, & non prohibuit.* Crimina autem illa, ſcilicet, quæ publica pœnitentia neceſſario caſtiganda erant; prædicta nempe peccata publica, quibus emendandis publica fuerat in antecedentibus canonibus pœnitentia conſtituta. Reis autem occultorum delictorum, quæ omnino ignorata erant, nec probari poterant, hæc obligatio non imponebatur. In quo autem illa vetus diſciplina ab hodierna quoad ſubſtantiam diſcrepare dicenda eſt? An in criminibus cujus authores ignorantur, non vocantur teſtes, qui deponant, & teſtificentur, ſi forte ſciunt? Nonne in criminibus, quæ rempublicam lædere poſſunt, aut quæ religionem ſpectant, non tenetur quicumque, qui ſciat, denuntiare, etiam ſe probare non poſſit? Nihil communius. Nonne ad id cogendus eſt in foro conſcientiæ? Id Theologorum, & Canoniſtarum eſt commune placitum. Reus tamen alicujus peccati occulti, in quo nec commune reipublicæ bonum, nec religionis cauſa vertitur, cum periculo vitæ, aut bonorum, aut famæ nullatenus tenetur ſe ipſum prodere, nec ſuæ fragilitatis complicem. Id omnes DD. nullo reclamante teſtantur. Debuerat ergo Morinus non abſolutam proferre propoſitionem, ſed reſtrictam, & temperatam.

33 Quid autem circa hanc obligationem conſtituit ſancta Sedes antiquis illis temporibus? An complices coegit? An omnes univerſaliter fideles adſtrinxit? Minime. Lucem maximam huic aſſerto præſtat Euthichianus Papa anno 275. apud Buchardum *lib.* 1. *cap.* 91. qui non omnes hac obligatione oneravit, ſed aliquibus, ſeptemque ad minus Diaconos conſtituit, quibus ea cura imminerat, præſtito eis prius juramento, cujus forma hæc erat: „ Amodo in antea, quidquid noſti, aut audiviſti, aut poſtmodum inquiſiturus es, quod contra Dei „ voluntatem, & rectam chriſtianitatem, in iſta Parochia factum ſit, „ aut futurum erit, ſi in diebus tuis evenerit, tantum ut ad cognitio- „ nem tuam quocumque modo perveniat, ſi ſcis, aut tibi indicatum „ fuerit, ſynodalem cauſam eſſe, & ad miniſterium Epiſcopi pertine- „ re; quod tu nec propter amorem, nec propter timorem, nec pro-

„ pter

Digitized by Google

„ pter præmium, nec propter parentelam ullatenus celes Epiſcopum, „ aut ejus miſſum, cui hoc inquirere juſſerit quandocumque te de „ hoc interrogaverit. Sic te Deus adjuvet,& iſtæ Sanctorum reliquiæ. In idem eſt canon Concilii Rothomagenſis *cap. 9.* per hæc verba: „ Decani in civitatibus, & in vicis publicis, viri veraces, & Deum „ timentes conſtituantur, qui deſides, & negligentes commoneant, „ ut ad Dei ſervitium abſque occaſione properent, & ut ipſi Decani „ ſacramento adſtringantur, ut nulla interveniente cauſa, ſcilicet aut „ amoris, aut timoris, aut propinquitatis, aut muneris, negligen- „ tes, & tranſgreſſores reticeant, quin Sacerdotibus proprias eorum „ culpas manifeſtent: Sacerdotum autem erit eorum vitia zelo, & „ amore divino cum debita diſciplina corrigere &c. Eamdem lucem negotio feceſſit Alexandri Papæ decretum, quod refert Buchardus *lib. 19. cap.* 100. in hunc modum: „ Ut nemo Presbyterorum xenium, „ vel quodcumque emolumentum temporale a quocumque publice „ peccante, vel inceſtuoſo accipiat, ut Epiſcopo, vel Miniſtris ejus „ peccatum illius reticeat, nec pro reſpectu cujuscumque perſonæ, „ aut conſanguinitatis, vel familiaritatis alienis communicans pecca- „ tis hoc Epiſcopo innoteſcere detrectet.

34 Clariſſime liquet non omnibus eam denuntiandi obligationem impoſitam fuiſſe, neque pro omnibus criminibus occultis, neque ſemper, ſed pro criminibus, quæ *ſynodalem cauſam* ſpectarent, *& ad miniſterium Epiſcopi pertinerent*, nempe publicis, & quæ aliquod ſcandalum generarent; & hoc non ad libitum, ſed quando Epiſcopus vel inquiſierit, vel *inquirere juſſerit a miſſo*, ſeu viſitatore ſuo, & *quandocumque* de hoc interrogatus fuerit. Hoc autem obſervandum ſolum eſſe circa *publice peccantes*, *vel inceſtuoſos*, & ſimiles; alios autem ſolum commonendos juxta præceptum fraternæ correctionis, non obſcuris verbis ſuadent & Alexandri, & Concilii Rothomagenſis decreta. Quid aliud nunc in more habetur in viſitationibus, quæ quotannis fiunt, vel fieri jubentur? Non multum ergo diſcrepat hodierna ab antiqua Eccleſiæ diſciplina. Cur ergo antiquam adeo extollunt, hodiernamque deprimunt, niſi ut mordeant, ut lacerent, & qua arte poſſint, hæreticis faveant, qui in præſentem Eccleſiam invehuntur, ut ſuus ab ea receſſus honeſtetur. Stat ergo occultos peccatores nullo unquam tempore coactos fuiſſe ſua occulta peccata publice pandere, ſuos horum peccatorum complices accuſare, ſe, ſuosque conſcios ſimili infamia afficere, & dehoneſtare.

35 Si hoc rite perpenderet Morinus, tergiverſationibus non mentem, & ingenium aſſueſceret, ut ultra verum ſenſum canones interpretaretur. Sic ei accidit cum Pœnitentiali Romano *tit. 3. cap.* 11. in quo hæc regula conſtituitur: *Si homo fornicatus fuerit cum muliere, & frater*

& frater ejus eamdem duxerit uxorem, frater, eo quod fratri crimen celaverit, quatuor annos pœniteat. Et poſt pœnitentiam, ſi vult, nubat. Mulier autem uſque ad mortem pœniteat, & ſine ſpe conjugii maneat. Hinc diſcurrit Morinus: *Hæc omnia ſunt occulta, nec ſciri poſſunt niſi ſecreta confeſſione*: (veluti ſi poſtea aliter ſciri non poſſent, aut in eo aliqua daretur implicantia) *ſi publicum fuiſſet crimen, mulierem illam non duxiſſet frater, de quo agitur, neque hoc Epiſcopus, aut Parochus paſſus fuiſſet.* (Ita ſane, ſed nihil prohibuit, quod a principio occultum fuiſſet, & poſtea ſciretur) *Oportuit ergo crimen occultiſſimum eſſe.* (Sed nihil vetuit, ut poſtea ſciretur) *Fornicator igitur ille occultiſſimum illud crimen confitens, gravi pœna plectitur, eo quod fratri crimen ſuum non detexerit.* (Si crimen ſuum in ſecreta confeſſione detegeret, non pœna graviſſima plecteretur, ſed pœnitentia ſalutari curaretur, ac proinde ſi pœna gravi plectendus erat, confeſſio in foro externo facta fuerat, & crimen per hanc confeſſionem publicatum) *Ex quo canone duo evidenter colliguntur: prius fornicatorem illum fratris infamiam, & gloris crimen cum ſuo crimine Sacerdoti confeſſum fuiſſe. Poſterius ex diſciplina illius temporis fornicatorem debuiſſe extra confeſſionem fratrem de crimine mulieris, quam in uxorem poſtulabat, monere, atque ob id non præſtitum gravi pœnitentia mulctatum fuiſſe.* Ad idem adducit Buchardum *lib.* 19. docentem quomodo pœnitentes circa idem peccatum interrogandi ſunt; ſed nihil de ſuo addit Buchardus, niſi quod ediſcerat vel ex Concilio apud Vermerias, vel apud Compendium, vel ex Triburicenſi; ſed tamen aſſumptum non probat.

36 Illa confeſſio ſecreta potuit eſſe non fratris, ſed ipſius mulieris, quæ, accuſante conſcientia, eo quod in matrimonio nullo, ac proinde in perpetuo inceſtuoſo concubitu verſaretur, Confeſſorem adiit, ut ſuum peccatum confiteretur, & remedium, conſiliumque peteret, ne ulterius in illo peccaminoſo concubitu permaneret, & a nullo matrimonio recedere poſſet. Quod ita poſſet contingere, nemini dubitandum eſſe arbitror. Ergo non ex illo canone infallibiliter deducitur, fratrem illud crimen in ſecreta confeſſione detexiſſe, ut Morinus quaſi per neceſſariam deduxit conſequentiam. In prædicta hypotheſi ſupponamus mulierem, antequam illicitum matrimonium contraheret, vel de eo cogitaret, peccatum illud, quod tunc quando commiſſum fuerat, nullam habebat circumſtantiam, jam fuerat confeſſa. Nunc a Morino tam celebri Theologo inquirerem: Utrum mulier illa teneretur peccatum illud jam rite confeſſum iterum confiteri? Inquirerem ulterius: Sat non eſſet confiteri ſe eſſe in matrimonio nullo ob impedimentum affinitatis in primo gradu jam contracto, quando ſuum matrimonium contraxit? An neceſſum erat declarare ſe concubuiſſe ante matrimo-

nium contractum cum Sempronio fratre viri ſui? Supponamus tamen id inadvertenter, aut ignoranter ſic complicem fratrem indigitaſſe: An Confeſſarius poſſet Sempronium prædicta plectere pœnitentia? An poſſet denuntiare? An virum illiciti concubitus admonere, aut certum facere? An poſſet illos inceſtuoſos conjuges authoritate ſua ſeparare? Dubitabit qui hæc aſſerere audeat. Non mei inſtituti nunc eſt inſtruere Confeſſarium circa id, quod conſulere debuiſſet, ſed Morinum refellere. Certe etiam in foro externo negotium difficilis aleæ fuiſſet ad ſeparationem agere, nam ſolæ mulieris aſſertioni ſtandum non eſſet. Nec etiam fratris aſſertio quid conduceret juxta terminos textus expreſſiſſimi *in cap. de illo 3. de Eo, qui cognovit conſangin.* & deciſionem *text. in cap. fin. Qui matrimonium accuſare poſſunt.* Unde neceſſaria foret aliqua alia probatio, ſaltem per vehementem præſumptionem, ex dictis teſtium reſultantem, juxta terminos *text. in cap. Licet 14. de Probationibus*; quo in caſu jam crimen illud occultum dici non poterat, ſed ad forum externum deductum.

37. Sed ſupponamus ipſum fratrem, qui impedimentum fratri reticuerat, nec cum deberet, matrimonium impedierat, & quod illud cum muliere admiſſum peccatum jam antea confeſſus fuerat. Poſtea ſuum peccatum fratri reticuit, nec impedivit matrimonium, cujus facti pœnitens ad confeſſionem acceſſit. An neceſſarium erat omnem facti ſeriem Confeſſario aperire? An neceſſarium erat fratris uxorem infamare? Nonne ſatis erat ſe accuſare, dicereque ſe matrimonii contractum ob impedimentum affinitatis in primo gradu intercedens, quod ſciebat, non impediviſſe, immo nec denuntiaſſe, nec conjugi ignaro aperuiſſe? Quid huic confeſſioni deerat, ut integra foret? Sic debita pœnitentia a Confeſſario mulctaretur: ſic neceſſarium conſilium acciperet a Confeſſario circa id, quod operari debuiſſet ad illud inceſtuoſi conjugii periculum pro viribus vitandum, ſicque fratris, & putativæ uxoris famæ prudentius conſuleret. Ad quid opus igitur erat declarare uxorem fratris, & fratrem ipſum? Quid facere poſſet Confeſſarius ille ad vitandum contubernium illud, quod ipſe pœnitens facere non poſſet? Aut quæ fides ipſi Confeſſario danda eſſet, quæ tota in pœnitentem ipſum non refunderetur? An Confeſſor violare ſigillum poſſet? An admonere inceſtuoſos conjuges? An denuntiare nullum illud matrimonium? Nihil horum poterat: ergo nec primum evidenter colligitur, nempe, quod *ille fornicator occultiſſimum illud crimen confitens, & fratris infamiam, & gloris crimen cum ſuo crimine Sacerdoti confeſſum fuiſſe.* Neque ſecundum ſolæ diſciplinæ illius temporis attribuendum; nam etiam hodie (ad idque denuntiationes fieri ſolent) tenebatur frater ad aperiendum fratri impedimentum canonicum, ut matrimonium vitaret, vel ſi ipſe nollet aſſentire, ad

Parochum

Parochum extra confeſſionem deferre, ſicut quilibet alius, qui ſciat, tenetur impedimentum declarare. Neque tunc fama complicis in conſiderare eſſe debet, quia prævalet utilitas publica, quæ poſtulat, ne matrimonia nulla contrahantur, & religio ſacramenti, cujus injuria præ cæteris præponderare debet, ſervaretur. Hæc tamen per Confeſſarium inutiliter exequerentur, qui ſigillo adſtrictus ea notitia in confeſſione acquiſita ad impediendum matrimonium contrahendum, aut diſſolvendum jam contractum uti non poteſt.

38 Ad idem probandum aſſumit aliquas interrogationes, quas Buchardus *dict. lib.* 19. a Confeſſariis docet eſſe faciendas: inter quas illa utitur, ſcilicet: *Reticuiſti peccatum fratris tui, quod erat uſque ad mortem, neque corripuiſti eum, nec exhortatus es eum, ut reſipiſceret, nec ſuccurriſti fratri ſub onere jacenti? Si feciſti, tamdiu pœniteas, quamdiu reticuiſti.* Et poſtea veluti evidentiſſima demonſtratione uſus eſſet, ſic ſubjicit: *En quomodo non conſcios modo, ſive participes criminum accuſare tenebantur, ſed etiam quos criminis alicujus reos ſciebant, licet ipſi eſſent innocentes; atque id, niſi facerent, de hac re in foro conſcientiæ ſeſe accuſabant.* Erubeſcerem ſic inferre, ſic demonſtrare. Quid novi hæc Buchardi inſtructio, quid hæc pœnitentium obligatio affert, quæ etiam hodie in uſu non ſit? Ad quid aliud pertinent illæ interrogationes faciendæ, niſi ad præceptum correctionis fraternæ, aut corripiendi ſibi ſubditos, aut ſuccurrendi proximo (id enim *fratris* nomine ſignificatur) aliqua, aut temporali, aut ſpirituali neceſſitate laboranti? Quis dubitat, hæc, ſi omittantur, peccata eſſe aliquando gravia, & neceſſario in confeſſione aperienda, ac etiam a Confeſſario multoties interroganda? Cum autem, ut præceptum fraternæ correctionis, ſecundum Moraliſtas, obliget in conſcientia, multas intervenire circumſtantias neceſſe ſit, fit inde, ut infrequenter obliget, atque ad accuſandum adſtringat; præcipue cum peccata occultiſſima ſunt, & minime ſcandaloſa. Quis ergo ſui compos hinc inferat Confeſſariis complicum peccata, immo & aliorum non complicum detegenda eſſe, idque in veteri Eccleſia uſitatiſſimum fuiſſe? Nulli prudenti ambigendi locus erit ſufficere nunc, & antiquitus ſufficiſſe confiteri in genere peccatum ad hanc rem ſpectans, v. g. non ſatisfeci præcepto correctionis fraternæ, cum tenerer: non corripui filium, ſervum, ſubditum cum ad id obligarer: non coercui delictum, cum poſſem, & ex juſtitia, vel ex charitate adſtringerer: pœnis a jure conſtitutis, prout crimen poſtulabat, delinquentem non punivi &c. Forſan neceſſarium eſt dicere: Concubui cum Berta: non correxi hoc vel illud peccatum Titii: non accuſavi Sempronium adulterum, Petrum furem, Paulum homicidam: non denuntiavi ſuperiori impedimentum Joannis &c.? Certe neceſſarium non eſt, immo eſt

prohibitum. Ad quid ergo inſerviunt hæ adductæ probationes? Ut ſanis doctrinis (ut carpit ſanctiſſimus D. N.) abutantur, & perniciem animabus conſciſcant in ſigilli ſacramentalis damnum, in ſacramenti injuriam, & in proximorum infamiam.

39 Ut firmet ſuam abſolutam de detegendo complice concluſionem, ſibi objicit, quod dicent aliqui: *Socium criminis accuſandum eſſe, cum aliter peccati ſpecies explicari non poteſt, vel cum circumſtantiæ ita augent, vel minuunt peccatum, ut pœna peccato impoſita notabiliter augeatur, vel minuatur, ſaltem cum horum neutrum contingit, ſocius in confeſſione nullo modo eſt accuſandus.* Sed contra omnium ſententiam ipſe reſpondet: *Ex iis, quæ jam demonſtrata ſunt, evidens eſſe ſocii accuſationem paſſim in confeſſione uſurpatam fuiſſe.* Ex iis, quæ allegata ſunt, ut plurimum probatur detegendum eſſe complicem, quando ſpecies peccati, aut ejus circumſtantia non aliter explicari poteſt, ut, ni fallor, evidenter demonſtravi. Nullus eſt Theologus, qui ultra illos caſus complicis revelationem permittat, aut licitam eſſe doceat. In illo caſu etiam multi limitant, cum aliquod timetur periculum, ut ſi v. g. complex ſit mater, ſoror, aut conſanguinea Confeſſarii, tunc enim docent tacendum eſſe illud peccatum Confeſſario illi, vel ſi prudenter timetur revelatio ſigilli. Alii verò abſolute ſequuntur non eſſe obligationem revelandi circumſtantiam peccati, cum ex ea Confeſſarius neceſſario deventurus eſt in cognitionem complicis, quia præceptum non infamandi proximum plus ſtringit, quam præceptum faciendi integram materialiter confeſſionem. Multos pro hac ſententia refert, & ſequitur Diana, qui non ſolum negant hanc obligationem, ſed ponunt contrariam. Sic habet: (4) *Pœnitens non poteſt confiteri peccatum, aut circumſtantiam manifeſtativam complicis, etiamſi ex hoc nullum ſequatur damnum complici, propter infamiam apud Confeſſarium, qui illum tenetur celare ſub ſigillo; nam præceptum non infamandi alterum fortius eſt præcepto integrandi confeſſionem.* Hæc opinio hodie eſt communiſſima, timeoque, ne contraria ſit contra Bullam *Suprema*, & Conſtitutionem *Ubi primum*, & *Ad eradicandam* S. D. N. Benedicti XIV. qui ideo prohibet complicum declarationem, quia famæ proximorum eſt injurioſa.

(4) Dian. 1. p. tr. 7. reſol. 47.

40 Dato tamen, quod revelari debeat complex, quando id neceſſarium eſt ad confeſſionis integritatem, ut optimorum Theologorum fert ſententia, cui nullatenus contradico; nullatenus tamen ea declaratio extendenda eſt ad alios caſus, nec pro regula conſtitui *ſocii accuſationem paſſim in confeſſione uſurpatam fuiſſe*; non enim credendum eſt Eccleſiam unquam approbaſſe quod tot Concilia expreſſe prohibent, quod certa praxis nunquam obſervat, quod omnes Theologi minime faciendum docent. Immo Franciſcus Amato Pouget, qui

(5) qui aliàs multis in locis Morinum laudat, & ſequitur, & qui in omni antiquitatis ſtudio verſatus oſtenditur, non tam late obligationem aut uſum detegendi complices approbat, ſed ſolum in prædicto caſu: *Siquis,* (inquit is Author) ***nulla neceſſitate cogente, inter confitendum aliena peccata detegat, imprudenter aget peccando contra charitatem. Nulla, inquam, neceſſitate cogente; nam quandoque neceſſarium eſt aliena peccata detegere, ſi verbi gratia non poſſet peccati gravitas omnino patefieri, quin particeps ſceleris detegatur.*** Aliam ponit limitationem, quam non probo, ſcilicet: *Cum orietur in mente Sacerdotis perverſa ſuſpicio de homine innocente, niſi reum patefeceris.* Non probo, inquam, quia, hic caſus eſt metaphyſicus, & nunquam ea neceſſitas dari poteſt; nam perverſa mentis ſuſpicio, quam Confeſſarius concipit, non facile pœnitenti cognoſcibilis erit, & caſu, quod ſit, ſatis ei occurſum fiet, ſi pœnitens ſuſpicionem omnino illudat aſſerendo illum innocentem, de quo Confeſſarius ſuſpicatur, complicem non fuiſſe.

(5) Inſtit. Cathol. tom. 2. cap. 5. de Sacram. Pœnit. §. 10. pag. mihi 317.

41 Fundamentum Morini ad prædictam generalem concluſionem ſtabiliendam eſt futiliſſimum. Arguit enim a paritate ejus, qui poſt ſpretam admonitionem ſecretam juxta præceptum correctionis fraternæ tenebatur nocentem ad Eccleſiam deferre. Inde infert, quod ***tenebatur reus, aut ſaltem unicuique reo licebat, criminis participem, cum ad bonum publicum, aut privatum aliquod crimen vitandum id expedire judicabat, in confeſſione accuſare.*** In multis argumentum peccat. 1. Quia ſupponit complicem peccati actionem habere ad correctionem, ſeu reprehenſionem peccati, cujus ipſe etiam reus eſt. Nulla alia correptio circa peccatum commiſſum eſt neceſſaria, quam ipſa rei emendatio, (6) ſi enim ipſe nolit, alter cum eo non peccabit; ſi autem ad iterum peccandum alliciat, ſufficit, quod ipſe renuat, quod fugiat, quod ſecreto reprehendat. 2. Quia hoc complicis peccatum non tenetur deferre ad Eccleſiam, quin ſuum ipſum prodat; ad id autem minime tenetur, (7) niſi in caſibus exceptis, in quibus publicam cauſam propriæ anteferre debet. 3. Quia maxima eſt diſparitas inter denuntiationem in foro externo, & denuntiationem in foro interno faciendam, quam ſupra explicavimus. 4. Quia ad damnum publicum, vel privatum vitandum non eſt medium aptum ſacramentalis confeſſio, cum peccatum illud etiam ſub ſigillo cadat, & Confeſſarius nullum poſſit adhibere remedium; neque ad illud vitandum neceſſaria eſt in confeſſione ſpecifica complicis revelatio, ſed tantum dicere damnum, quod imminens eſt, & quod Confeſſarius ſine delinquentis expreſſione jubere debet manifeſtare judicibus competentibus, aut monere privatum, cui damnum imminet, ut vitare poſſit. Et caſu quod per viam Confeſſarii id faciendum ſit, ſat erit, immo conſultius, quod extra con-

(6) Vide Palaum de charit. tract. 6. diſp. 3. p. 4. alios allegant. Salmatic. tract. 21. cap. 7. p. 4. §. 2. n. 49.

(7) Palaus ubi ſupr. punct. 14. n. 7.

Digitized by Google

confeſſionem declaretur, adhibitis cautelis, quas DD. docent. Aliud exemplum etiam non concludit. Monachus poteſt, charitate ducente, ſervato prius correctionis fraternæ ordine, (quod tamen in Religionibus vix obtinet, ut docent Sanches *lib. 6. Moral. cap.* 18. *n.*46. Caſtro Palao *de Charit. tract. 6. diſp.*3. *p.* 10. *num.* 2. & multi alii, de quo tamen videndi *Salmantic. ſupr. p.* 4. *n.* 73.) ſuperiorem ſecreto monere, ut ipſe ſubditum paterne corripiat, neque id quiſque jure damnare poterit; dummodo culpam non ſciat ſub ſigillo, aut ſub ſecreto naturali, ut docent Sanches, & Caſtro Palao ubi ſupra, P. Suarius *de Relig. tom.* 4. *lib.* 10. *cap.* 9. *n.* 11. & eſt communis. Aſt id facere in confeſſione inutile eſt, tum quia Prælatus ea notitia uti non valet ad aliquod opus externum, ut eſt expreſſa Clementis VIII. conſtitutio, tum quia illud, quod in confeſſione detegitur, extra confeſſionem utilius aperitur, ut Prælatus abſque revelatione ſigilli, aut ipſius fracti ſuſpicione conveniens adhibeat remedium.

42 Multa congerit capitibus ſequentibus ad idem aſſumptum, ad quod involvit obligationem denuntiandi publice complices, quam dicit habere, qui ſuum crimen publice confitebatur ad publicam pœnitentiam. Hæc tamen omnia ad detectionem complicum in confeſſione ſacramentali per viam regulæ faciendam nihil probant. Diverſiſſimum eſt judicium confeſſionis, aut denuntiationis judicialis ad confeſſionem ſacramentalem, & a diverſis non recte fit illatio. Quando crimen eſt publicum, aut etiam occultum, ſi vergat in damnum commune aut reipublicæ, aut religionis, tenetur, qui conſcius eſt, aut accuſare, ſi probare poteſt, aut denuntiare occulte, ut conveniens remedium adhibeatur; ſicut etiam ſi vergat delictum committendum in damnum tertii, quod aliter vitare non poteſt. Si crimen ab aliis accuſatur, & ipſe criminis vel convictus, vel confeſſus eſt, in judicio tenetur ſocios criminis detegere, & ad id cogi poteſt. Sed hæc locum non habent in confeſſione ſacramentali, ac ita perperam adducuntur, & commiſcentur.

43 Sed quia Morinus rem omnem confundit, & fortaſſe, ut par erat, non explicat, non inutile prorſus erit diſtinguere inter accuſationem, & denuntiationem, & ſimiliter hanc dividere in judicialem, & evangelicam. Accuſatio proprie tendit ad publicam criminis vindictam. Sic omnes tam Theologi, quam Juriſtæ. Porro crimen aut eſt publicum, aut occultum; & ſimiliter vel eſt commiſſum, vel committendum, & ulterius vel vergit in damnum commune, aut tertii damnum, aut ſoli peccanti eſt nocivum. His poſitis, regula eſt, quod nemo invitus accuſare tenetur. *L. un. Cod. Ut nemo invitus. D. Thom.* 2. 2. *q.* 68. *a n.* 1. Hæc tamen regula limitatur in crimine, quod vergat in damnum commune vel ſpirituale, vel temporale, ad cujus accuſa-

accuſationem etiam cum damno proprio tenetur quilibet privatus, ſi aliter illud vitare non poteſt; quia quilibet tenetur illud damnum avertere, & bono publico poſtponere bonum privatum, *cap.* 4. *de Furtis cap.* 47. *de Sent. excom. l.* 1. §. 8. *ff. de S. C. Silanian. l.* 5. §. 6. *ff. ad l. Jul. Majeſt.* alias puniendus eſt. (8) Quod intelligendum eſt, ſi probare poteſt, alias enim calumniator haberetur, & calumniatorum pœnis ſubjiceretur, & etiam talionis. (9) Advertendum tamen eſt, quod ſi crimen jam commiſſum eſt, & ipſe author, vel ſocius eſt, non teneatur ſe ipſum prodere; neque alios cum ſui periculo; licet alias damnum illatum in foro conſcientiæ reſarcire teneatur. Si tamen accuſatus ſit, tenebitur legitime interrogatus veritatem fateri, & ſocios detegere. Sic in re communis.

44 Iterum denuntiatio aut eſt judicialis, aut evangelica. Denuntiatio judicialis, quæ vel fieri poteſt in judicio ſæculari, vel in eccleſiaſtico, etiam regulariter tendit in vindictam publicam, licet etiam inſtitui poſſit civiliter, ut accuſatio; & fere in omnibus quoad effectum convenit cum accuſatione; tenetur tamen denuntiator ſtatim offerre probationes promptas, alias licet pœnam talionis non incurret, ut calumniator puniri poteſt juxta ſupra dicta, nec tunc tenetur denuntiare quod probare non poteſt, nec judex poteſt recipere denuntiationem. (10) Quod intellige quando crimen, licet occultum, non vergit in præjudicium communitatis, vel tertii; nam ſi vergat, denuntiandum eſt delictum, licet probari non poſſit, ut judex ad inquiſitionem procedere poſſit. Ipſe tamen reus ſe ipſum denuntiare non tenetur, neque ſe tradere, niſi quando ratio boni publici, quod ſemper privato præfertur, aliud expoſcat. Hæ doctrinæ obviam paſſim habentur tum in Theologis, tum in Canoniſtis. Hi ſequendi; & ſi Morinus aliud intendit, non eſt audiendus, neque alius quicumque; nunquam enim perſuadere poterit aliud ab Eccleſia factum fuiſſe contra juſtitiæ, & naturalis juris dictamen.

45 Denuntiatio evangelica eſt illa quæ dirigitur ad bonum ſpirituale denuntiati, ejusque emendationem, ac proinde eſt illa quæ fit ſuperiori tamquam patri, non ad vindictam publicam, ſed ad emendationem. Quæ quidem denuntiatio procul dubio eſt in præcepto non ſolum naturali in quantum quisque jure naturæ debet fratrem ſuum, ſi poteſt, a malo avertere, ſed etiam divino ut habetur *Matth. cap.* 8. *& referentur in cap. Si peccaverit* 19. 2. *q.* 1. Idem habetur

ex

(8) Cap. Si forte de Pœnit. l. 1. ff. ad L. Pomp. de Parric.

(9) Cap. Superhis 16. de Accuſat. cap. 3. cap. 4. 2. q. 8. Conſtit. Cum primum S. B. Pii V. cap. 2. de Calumniator. cap. 2. cap. 3. 2. q. 3. cum aliis.

(10) Amenor in praxi crimin. tit. 9. §. Denuntiatio §. 1. Reifenſt. ad tit. de Accuſat. §. 2. n. 89. & communis, & eſt reſolutio text. in cap. 2. & 3. 6. q. 2. cap. 4. 24. q. 8. l. 8. L. fin. cod. de Calumniator.

ex Eccleſ. cap. 19. Hoc præceptum eſt affirmativum, ac proinde non pro ſemper obligat, (11) ſed quando neceſſitas expoſcit, & data opportunitate. Hinc provenit 1. quod quando peccatum eſt emendatum, jam non eſt obligatio correctionis, ac proinde neque denuntiationis. (12) Provenit 2. quod ſi abſit periculum reincidentiæ, ſecundum aliquos non detur obligatio correctionis, & ſecundum alios, ſi moraliter non conſtet peccatorem non eſſe emendatum, (13) ac proinde, ſi non eſt certum peccatum adhuc exiſtere, non datur illa obligatio. Provenit 3. non dari obligationem correctionis, quando corrigenti imminet aliquod damnum grave, quod prudenter timetur. (14)

46 Omiſſis aliis, quæ circa præceptum correctionis fraternæ DD. cumulant, provenit quarto, quod in præcepto correctionis obſervando debet ſervari ordo a Chriſto Domino conſtitutus, ita ut teneatur quis prius ſecreto corrigere; ſi fructum non capiat, debet adhibere teſtes; ſi nihil horum proſit, debet denuntiare ſuperiori. Conſtat expreſſe ex eodem Chriſti præcepto. Hinc profluit peccare contra juſtitiam, & charitatem proximi, & ejus famam debere reſtituere, qui eumdem ordinem non ſervaverit, & ad alium detulerit correcturum, dum ipſe non corrigat; & ratio eſt, quia unuſquiſque tenetur bono proximi conſulere quantum poſſit cum ejus minori incomodo; & quia regulariter ex talibus delationibus oriuntur rixæ, diſcordiæ, odia, & ſimultates, præcipue in Religionibus, quæ omnia præcaveri, & vitari debent. (15) Hoc tamen intelligendum eſt de peccato occulto, & reipublicæ, aut tertio præjudicium non afferente.

47 His præjactis, refellendus venit Morinus, dum arguit de accuſatione, aut denuntiatione in foro judiciali aut civili, aut eccleſiaſtico facienda ad criminis vindictam, ad denuntiationem euangelicam, aut delationem complicis apud Confeſſarium; peccatores publicos, & occultos eodem implicat nodo; peccata reipublicæ, aut tertio præjudicioſa, & peccata ſolis peccantibus nociva eâdem virga metitur; crimen jam commiſſum, & adhuc committendum eodem intendit dirigere præcepto. Conſcius criminis, non tamen particeps, poteſt in foro judiciali accuſare delinquentem, aut etiam denuntiare, ſi probare poteſt. Si probare non poteſt, nullatenus tenetur, ne ſe talionis, aut calumniæ pœnis ſubjiciat. Si tamen crimen vergat in damnum reipu-

(11) D. Thom. 2. 2. q. 33. art. 7. &8. & alii, quos ſequitur Curſ. Salmaut. tract. 21. cap. 7. p. 4. n. 70. & 71.
(12) D. Thom. Soto, Prado, Tapia, & alii apud Salmant. ubi ſup. n. 49.
(13) Salmantic. ſupra.
(14) Iidem tract. 21. cap. 6. p. 3. a n. 29. & alii ibi relati.
(15) Bannes, Ladeſma, Trullench, a Spirit.Sancto, Palao, Girago, Ledeſma, Joannes a Cruce, Abulenſis, Navarrus, Lorca, Sayrus apud Salmanticenſ. ubi ſup. p. 4 num. 73. & 81. Dian. in coordin. tom. 7. tract. 4. reſol. 50. & 51. ubi plures refert. Reifenſt. ad tit. de Accuſat. §. 2.

reipublicæ, aut tertii tenetur denuntiare, non tamquam monitor, ut caveatur damnum, quod ſupereſt committendum, & præcipue in cauſis Fidei, in quibus denuntiare debet, etſi probare non valeat. Idem dicendum etiam quando ſocius eſt; quia tunc cauſa publica etiam prævalere debet ſuo commodo privato. Sic communiter DD. ſupra relati.

48 Similiter peccatorem occultum, cujus ipſe ſolus conſcius eſt, denuntiare euangelice tenetur; ſic tamen ut prius ſervet ordinem correctionis fraternæ, ſi hæc profutura prævidetur, aut ex ea aliquod attendibile gravamen non timetur; ſi enim aut timeatur hoc damnum, aut non profutura rationabiliter judicetur, prædictum ordinem ſervare non tenebitur, ſed poterit ad denuntiationem euangelicam ad finem correctionis procedere, ut ſcilicet, ea mediante, Deo lucretur fratrem ſuum. Sic etiam communiter DD. Si ipſe eſt ſocius criminis jam commiſſi, ex quo jam damnum ſequutum fuit, non tenetur accuſare ſocios, neque ſe ipſum, quia ſequeretur ſui ipſius traditio, ad quam regulariter nemo tenetur, & ſolum teneretur reſarcire damnum illatum, & monere ſocios, ut pro ſua parte reſarciant. Si verò adhuc damnum ſuperſit inferendum, debet, etiam cum ſui præjudicio, omnem curam, omne remedium adhibere, ut ſocii avertantur a damno inferendo. Si verò ipſe eſt rigoroſe complex, & peccatum ipſis ſolis peccantibus eſt nocivum, & aliàs eſt occultum, ut regulariter hujus generis ſunt peccata, neque ad correctionem fraternam, neque ad denuntiationem euangelicam adſtrictus eſt. Ratio eſt evidens; quia tam correctio, quam denuntiatio tendunt ad emendationem peccati commiſſi, ſeu ad vitandum peccatum committendum. Complex non poteſt reprehendere peccatum, cujus eſt complex, quin alius in ipſum correctionem retorquere poſſit; & præterea periculoſiſſimum eſt, quod complex complicem ſecrete moneat; exponuntur enim, ut in eumdem peccatum occaſione quæſita relabantur. Adhibere teſtes, ſeu dicere Eccleſiæ, etiam non licet; quia præterquamquod non teneatur ſuam detegere turpitudinem, eſſet ea denuntiatio infamare ſe ipſum, & proximum abſque neceſſitate. Quod autem nulla detur neceſſitas, patet; quia ſi complex eſt emendatus, & cum animo amplius non peccandi cum alio complice, neceſſario ejus complex eſt etiam emendatus quoad illud peccatum, nec habet periculum relabendi. Unde ceſſat obligatio correctionis ceſſante ejus fine, cum in complice emendato detur omnimoda certitudo, quod illud peccatum ſit emendatum, & quod non amplius ſit committendum, nec poſſit dari moralis certitudo alium complicem peccati commiſſi non pœnitere. Si autem ipſe perſeveret in ſuadendo, aut ſolicitando ad reincidentiam, poterit jam emendatus adhibere convenientia remedia, ut alter reprehendatur, aut coerceatur,

49 Hæc omnia, quæ in foro externo ſecundum caſuum varietatem obſervari debent, in foro ſacramentali nullatenus habent locum: ſiquidem neque confeſſio ſacramentalis eſt ordinata ad hos fines, tamquam diverſi ordinis, (16) neque Confeſſarius reſpectu complicis eſt judex, aut ſuperior, aut teſtis; & licet talis eſſet, nunquam tali notitia uti poſſet ob ſigillum, quo adſtringitur, ut eſt inconcuſſa Theologorum doctrina, ac proinde eſſet omnino inutilis ea complicis declaratio, & ſolum apta ad infamandum proximum; quæ omnia poſtea diffuſius tractanda ſunt. Pro nunc ſatis eſt ea attingere, ut cognoſcatur non recte aſſerere Morinum conſcios, aut ſocios criminum ad Epiſcopum neceſſario deferendos eſſe, ſaltem ſecreto, ut ipſe eorum ſpirituali conſulat ſaluti; nam præceptum correctionis fraternæ omni tempore, & eodem modo viguit, ac propterea ſemper ejus ordo ſervandus fuerat.

50 Eſto tamen, quod teneretur ad Epiſcopum deferre; nec inde fieri poteſt argumentum ad confeſſionem ſacramentalem; nam Epiſcopus virtute ſecretæ denuntiationis poterat ſubditum corrigere, & Confeſſarius non poteſt, neque unquam potuit propter ſigillum, quo ſemper eſt adſtrictus. Morinus aſſumit pro fundamento, quod pœnitens tenebatur peccatum ſuum publice confiteri, & quod, cum publice pœnitentes confitebantur, ſoliti eſſent criminis occulti complices nominare. Primum aſſumptum falſum eſt, ut late jam probavimus. Secundum etiam non eſt verum; immo ſi fieret, eſſet contra juris naturalis regulas infamare proximum, quod nunquam licuit. Neque ipſe id concludenter probat; nam unum, vel aliud exemplum nec probat tot ſæculorum conſuetudinem, neque licite factum fuiſſe concludit. Aliquando ita uſurpatum eſſe, non dubitamus, ſed non rite obſervatum contendimus. Ideo, ut jam diximus, Nectarius illum morem abrogavit; ideo S. Leo ut irrationabilem conſuetudinem prohibuit; ideo Eccleſia nunquam probavit.

51 Exempla a Morino allata nihil convincunt. Nam mulieres deceptæ a Marco Hæreſiarca, prout referunt Irinæus, & Epiphanius, & Epiſcopus Novato manus imponens, & Confeſſores ipſius Novati verſutias aperientes, ut refert Euſebius, ad id tenebantur non ſolum, quia illa peccata erant publica, & ſcandaloſa, ſed etiam quia verſabantur circa fidem, cujus publica cauſa poſtulat, ut crimina eam offendentia apud competentes judices propalentur, ac proinde inſulſe ex his ad alia peccata occulta fit argumentum.

52 Sic etiam ad intentum non probant verba Gregorii Niſſeni ad

(16) Bañes, quem refert, & ſequitur Nugno in addit. ad 3. p. D. Thom. q. 11. art. 2. dif. 2. Lorca, Duvalius, Texeda, quos ſequitur Dian. in coordin. reſol. 49. §. 1. & 2.

ad Leroivm, quæ ſic habent: *Qui autem in malo deprehenſus eſt, vel propter aliquam ſuſpicionem, vel accuſationem invitus convictus eſt, longius illi converſionis tempus detur.* Ex ipſis verbis clare patet reum convictum fuiſſe, quod ex ſola ſuſpicione, ſecundum juris regulas, dici non poterat. Unde ſuſpiciones tales fuerunt, ut ad inquiſitionem procederetur, & apparerent probationes, ex quibus convinceretur. Quis autem Morinum certum fecit, illum reum ab aliquo accuſatum fuiſſe ob ſolam ſuſpicionem, accuſatoremque non fuiſſe aliis probationibus inſtructum? Sed concedamus omnia, prout Morino placuerit. Sequitur forſan accuſantem ad id teneri in crimine occulto, cujus ipſe ſolus conſcius eſt, aliterque probare non poteſt, aut ad id adſtringi in crimine, cujus ipſe complex eſt? Minime gentium. Et quid inde? Ergo etiam in confeſſione tenetur complicem detegere? Inſulſa illatio! Confeſſus eſt ſuum fragilitatis peccatum: ergo etiam tenetur aperire cum quo peccavit? Ad quid? Ut complex corrigatur? Quomodo, ſi peccatum probare non poteſt? Alter negat, & conſequenter corrigi non debet, & ipſe proximum calumniatur. En omne bonum, quod intendit Morini doctrina. Tandem, ut plurimum, probat argumentum potuiſſe conſcium accuſare delinquentem in foro externo; in confeſſione ſacramentali id potuiſſe nunquam probabit.

53 Similiter nihil ad rem facit illud, quod refertur in *Epiſt* 72. S. Cypriani ad Pomponium Epiſcopum. Ibi non virgines illæ, non maſculi ſe accuſaverunt, aut ad invicem denuntiaverunt, ſed ab aliis intenta fuit accuſatio, & detectum fuit crimen eo uſque occultum, aut ab Epiſcopo ignoratum. Inſtituta fuit criminis inquiſitio, interrogatæ fuerunt virgines illæ, confeſſæ ſunt crimen, de quo accuſabantur, detexerunt complices, quia legitime interrogatæ ad id tenebantur. Quid hæc omnia commune habent cum quæſtione, de qua agimus, & quam Morinus probare intendit? Nihil profecto.

54 Ejuſdem furfuris eſt illud, quod adducitur virginis lapſæ, ad quam ſcripſit S. Ambroſius. Nam Morinus fatetur eam detectam fuiſſe, ac publicatam: ergo non agitur de confeſſione ſecreta, ſed de publica denuntiatione, aut accuſatione, aut etiam publica confeſſione; quia tamen adhuc crimen corruptoris non plene probatum fuerat, ideo Ambroſius ad eum ſcripſit, increpans eum, & monens, ut publicam peteret pœnitentiam.

55 Non plus ponderis habet quod ſcribit ex Concilio Salegunſtadienſi *can.* 7. prout refertur a Gratiano *cap.* 24. 2. *q.* 5. nam ibi agitur de denuntiatione judiciali, non ab ipſis adulteris, ſed ab aliquo tertio facta, non tamen plene probata, aliàs purgatio canonica non indiceretur neganti crimen. Certum eſt, utrumque in caſu ibi propoſito accuſatum fuiſſe; neque enim adulterii accuſari poſſent, niſi adul-

teri denuntiarentur: igitur unus profeſſus eſt delictum, alius negavit; ſed quia adhuc probatio non erat plena reſpectu negantis, ideo juſſus eſt juramento purgari. Quid hæc ad rem? Morinus duo deducit: *Prius* ſcilicet, *confitentem criminis participem publice accuſaſſe: aliter enim rem eveniſſe, ne fingi quidem poteſt. Poſterius id etiam in aliis caſibus fieri licuiſſe.* Sed non bene deducit, remque aliter eveniſſe non fingitur, ſed oſtenditur, ipſe verò ad ſuum intentum fingit. Nam ex contextu conſtat, unum ex adulteris non accuſaſſe, ſed accuſatum confeſſum fuiſſe crimen, ex qua confeſſione non inducitur accuſatio criminis occulti, ſed confeſſio criminis, & conſcii, qui etiam ab alio accuſatus inſimul fuerat cum ipſo confitente. Id autem fieri licuiſſe in aliis caſibus, ſi facti ſpecies ita contingeret, nemini ambigendum eſt. Sed neque dubitandum id ad confeſſionem ſecretam nihil probare.

56 Suam adeo diffuſe probatam doctrinam ſic reſtringit: *Verum quod admodum periculoſa ſit hæc publica criminis proprii, ut & alieni denuntiatio, Eccleſia diligenter ab ipſis incunabilis ſuis proſpexit, nequid inde ſcandali contingeret.* Si proſpexit, quomodo permiſit, quomodo præcepit publicas occultorum delictorum confeſſiones, publicas pœnitentias? Quomodo pœnitentibus non modo licitum, ſed etiam præceptum fuit detegere ſuorum occultorum peccatorum complices non ſolum in publica, ſed etiam in ſecreta confeſſione? Cur hucusque inſudavit Auctor iſte in aſſerenda hac doctrina, in probando hoc antiquo Eccleſiæ more, ſi periculoſa nimis ſemper fuit *hæc publica criminis proprii, ut & alieni denuntiatio*? Fatetur, *multa ſcandaloſa inde oriri poſſe.*; Eccleſia autem nunquam præcepit, nunquam probavit, quod ſcandaloſum quandoque fieri conſuevit. Ideo Sanctiſ. D. N. complicum interrogationes, quæ fieri ſolebant, nunc prohibuit. Exemplum ponit Morinus in muliere viri illuſtris cum aliquo adulterium committente. Supponamus non fuiſſe uxorem viri illuſtris, ſed nobilis, aut etiam plebei. Supponamus non fuiſſe adulterium, ſed ſimplicem libidinis actum cum puella, aut vidua honeſta. Supponamus fuiſſe Monialem. Supponamus complicem fuiſſe Clericum, Monachum, juvenem honeſtum, nobilem, bene morigeratum, virum communiter notum &c. Nonne his omnibus ſua fama eſt? Nonne ſemper in Eccleſia ſcandalum crearet? Nonne & ſibi, & complici, & familiæ ſuæ periculum attuliſſet? Apud Deum non eſt acceptio perſonarum. Præceptum vitandi ſcandalum, non infamandi proximum generale eſt ſine aliqua perſonarum exceptione. Tam proximus eſt nobilis, quam plebeius. Unusquisque, etiam abjectus, ſuæ famæ dominus eſt, jusque habet ad eam conſervandam. Peccata complicis ſemper ſecum afferunt hanc infamiæ notam, hoc famæ periculum, hoc ſcandulum: ergo

nunquam

nunquam licuit in Eccleſia peccata cum complice commiſſa, eumdemque complicem publicare. Ex hac complicum declaratione ſemper, aut fere ſemper oriuntur rixæ, odia, infamiæ, & ſcandala, & ſic per viam regulæ fieri non debet.

57 Ait, illi præcepto deferendi complices duplici cautela occurſum fuiſſe. Prior cautio erat circa crimina, quæ enſe, faſcibus, aut alia homogenea pœna vindicantur. Non invenio hanc in canonibus pœnitentialibus adhibitam cautionem. Ea ſola reperitur facta circa adulterium in Baſilio ad Amphilochium *cap.* 34. ſed aſſerit eam cautionem extendendam eſſe ex identitate rationis ad omnia crimina, quæ legibus plectuntur. Non repugno. Suomet tamen gladio jugulatur. Omnia crimina, quibus canonicæ pœnæ infligebantur, huic erant periculo obnoxia. Homicidium, furtum, adulterium, virginis Deo dicatæ corruptio, conſpiratio, lapſus a fide, idololatria, aliaque ſimilia civilibus legibus capitis pœna mulctantur. Hæc omnia canonicæ pœnitentiæ reſpiciebant. Infallibiliter inde eruitur illas pœnas crimina jam publica reſpexiſſe, non occulta, ne reis cauſam mortis, aut publicæ infamiæ attuliſſent; ac proinde nunquam cogi potuiſſe delinquentes, ut ea publice confiterentur. Addit tamen, id impedimento non fuiſſe, quominus ageretur in pœnitentes non confeſſos, ſed auditis teſtibus in presbyterio convictos, ut publicæ pœnitentiæ addicerentur. Sane ſe ipſum in terminis implicare, nemo, qui rem medullitus introſpiciat, diffitebitur.

58 Sed magis ridiculum eſt quod ſubjicit, & obiter conſiderandum eſſe monet: *Obiter*, inquit, *conſidera, lector, quam diligenter, & ut ita dicam ſcrupuloſe, ſigillum, ut nunc vocant, confeſſionis obſervabant, cum etiam in lege agentibus, & convictis, ne periculum aliquod civile ex Pœnitentiæ ſacramento oboriretur, idem ſecretum conſervarent.* Optimum ſecretum! Reus coram Eccleſia agebatur, audiebantur teſtes, proferebatur ſententia, delinquens ad publicam pœnitentiam adigebatur, & tamen *ſcrupuloſe* confeſſionis ſigillum obſervabatur! Reus non confitebatur delictum, ſed teſtibus in preſbyterio convincebatur, & tamen conſiderat Morinus Pœnitentiæ ſacramentum! Ubi hoc invenit Morinus ſacramentum, in quo neque pœnitentis integra confeſſio, nec contritio, quam ipſa criminis negatio reſpuit, neque abſolutio, ſed tantum teſtium depoſitio, criminis probatio in presbyterio facta, & ſententia in foro presbyterii lata interceſſerunt? Non rideamus; ſed miremur hominem eruditiſſimum ſic loquentem.

50 *Poſterior cautio*, proſequitur, *ab iis obſervata eſt, nemini licuiſſe, crimen aliquod ſecretum ſive ſuum, ſive alienum, cujus erat particeps, publice confiteri, quin prius illud cum Sacerdote non communicaſſet, ne imprudens crimen aliquod, quod eſſet Eccleſiæ ſcandalo,*

lo, non autem ædificationi. Libere id dictum, nec unquam efficaciter probandum. Crimen alienum ad confeſſionem ſacramentalem non ſpectat. Crimen, quodcumque illud ſit, ſemper, ſi publicum fiat, ſcandalum ſecum affert, non ædificationem. Ædificabuntur fideles peracta pœnitentia; ſed aliquorum ædificatio non tollit infamiam ortam ex crimine detecto, & ex publica pœnitentia. Quando delictum publicum fuit, publica debet eſſe pœnitentia, ut hæc exemplo ſit omnibus, quibus illud fuerat ſcandalo. Si publicum erat, publice erat denuntiandum, publice pœnitentia eluendum. Si erat occultum, ſed tamen pernicioſum, etiam erat denuntiandum juxta regulas ſupra explicatas. Illud verò aperire Sacerdoti in confeſſione, niſi quando neceſſarium id eſſet ad integritatem illius, & declarare complicem, niſi data eadem neceſſitate, neque licitum, neque neceſſarium erat: & ſi quandoque opus eſſet conſilium petere, poterat id pœnitens conſequi abſque complicis manifeſtatione. Quod autem addit, nempe, *manifeſtiſſimum eſſe, ſecretam confeſſionem præceſſiſſe ſemper publicam, cum confeſſionis publicæ ratio, modus, & regula fuerit privata confeſſio*, falſum eſſe, jam ſupra ſat, ſuperabundeque demonſtratum eſt, ideoque huic quæſtioni omnino arbitror ſuperſedendum.

60 *Cap.* 14. Totus eſt, ut oſtendat canones, legesve conſtituentes neminem de ſe confeſſo credendum eſſe contra alios, niſi prius innocentes probarentur, non procedere in confeſſione publica, quam ſacramentalem dicit, neque in denuntiatione euangelica ad correctionem, & ad bonum animæ inſtituta. Quidquid de hoc ſit. Non dubitamus multum diſcriminis intercedere inter denuntiationem judicialem, & euangelicam. Minime ambigimus poſſe fideles, immo & criminis participes euangelice denuntiare, immo ad id teneri ex præcepto Chriſti Domini. Ad id tamen neceſſarium eſt, quod interveniant circumſtantiæ, quæ a Theologis aſſignantur, ut debito modo fieri poſſit, ne aliàs proximus injuſte infametur. Has autem circumſtantias, quibus non intervenientibus, illicite fieret denuntiatio, ſemper, & omni tempore, & omni Eccleſiæ diſciplina attenta, interveniſſe neceſſe fuit: & ita opus erat etiam in veteri Eccleſia, quod ſervaretur ordo a Chriſto Domino præſcriptus, qui omni tempore eodem modo procul dubio obligavit. Id igitur conſtanter adſtruimus, nempe, peccatores, qui pietate, & pœnitentia ducti peccata ſua publice in preſbyterio confitebantur, non teneri, immo nec licite potuiſſe complices ſuos occultos enuntiare, niſi ſervato correctionis ordine, & ſi daretur probabilis emendationis ſpes; aliàs ſine neceſſitate infamaretur. Ideo Nectarius, ideo S. Leo improbarunt abuſum illum, ut ſæpius dictum eſt. Quod autem ſic enuntianti peccata aliena omnimoda fides non adhiberetur, idem Morinus teſtis eſt ex Auguſtini authoritatibus,

non

(17) non enim aliqua pœnitentia mulctabatur complex, aut criminis particeps, ſi aut ille ſponte non confitebatur, aut non convincebatur. Ex hoc autem procedendi modo in publica confeſſione nullum argumentum, nulla probatio fieri poteſt ad confeſſionem ſecretam, & auricularem, in qua complicis denuntiatio per viam regulæ fieri non poteſt ob efficaciſſimas rationes, quas ſupra expoſuimus, & frequenter docent Theologi.

(17) Aug. in Levit. cap. 5. & ſerm. 16. de Verb. Domini. & homin. 49. & 50.

61 Illud hic non prætereundum arbitror, quod Morinus aſſerit *n.* 7. in his verbis: *Pœna, quas Eccleſia, ſive Epiſcopus perſequitur,* (loquitur de publicis pœnitentiis) *medicinales ſunt, ſalutiferæ, deſiderabiles, & prorſus* (nota) ***ante mortem peccatori neceſſariæ, ut vitam æternam conſequatur.*** Quæ propoſitio, multis aliis locis repetita, aut cenſura, aut certe maximo temperamento intelligenda eſt; videtur quippe Morinus conſtituere, ſine publicis pœnitentiis non poſſe, aut non potuiſſe peccatores vitam æternam promereri. Id Theologis diſcutiendum relinquo. Vel Morinus loquitur de pœnitentia, prout ſacramentum eſt, vel prout eſt pars ſatisfactoria ipſius ſacramenti. Quocumque modo non recte dixiſſe, credo non ambigendum. Si loquitur de pœnitentia, prout ſacramentum eſt, videtur inſinuare non ſufficere confeſſionem ſacramentalem ſecretam, quod eſt falſum. Si loquitur de ſatisfactione ſacramentali, etiam falſum eſt non ſufficere ſecretam a Sacerdote injunctam, & a pœnitente adimpletam. Fidei dogma eſt Pœnitentiæ ſacramentum neceſſarium eſſe ad ſalutem. Sed etiam de fide eſt vere confeſſum, & contritum ſic decedentem ſalvum fieri, licet pro pœna temporali peccato debita in hoc mundo non ſatisfeciſſet, ſatisfacturus in Purgatorio, ut Dei viſionem promereatur. Etiam inter Theologos eſt certum teneri pœnitentem acceptare ſatisfactionem, (18) aliter non eſſe rite diſpoſitum, dummodo non adſit juxta aliqua cauſa eam non acceptandi, ſaltem omnem, quæ ei impoſita fuit. (19) Sed pœnitentias publicas eſſe ad vitam æternam conſequendam prorſus neceſſarias ſolum in Morino hucusque legi. Quam recte, dicent orthodoxi!

(18) Cap. omnis de Pœnit. & Remiſſ. Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 3. & canon. 3.

62 Sequenti *cap.* explicat qua ratione Epiſcopus puniret crimen, de quo quis erat infamatus, aut quod ſolus per confeſſionem noverat, aut extra confeſſionem. Hæc tamen ad noſtrum inſtitutum non ſpectant. Sed adnotatum cupio ex ipſo Morino, quod ſi Epiſcopus peccatum, quod ipſe ſolus a Titio v.g. perpetratum fuiſſe, vel ex viſu, vel ex ſecreta relatione ſciebat, publica pœnitentia punire non poterat, ſed ad plurimum pœnitentem occulte monere ad voluntariam publicam pœnitentiam ei licitum erat; quomodo id poſſet Confeſſarius,

cui

(19) Prout deducitur ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 8. Marchant. tom. S. Tribunal. tract. 4. tit. 7. Herincx. diſp. 4. de Satiſfact. Sandig. d. 12. q. 2. & alii.

cui peccatum omnino occultum ex confeſſione ſecreta notum erat? Quomodo poſſet complicem corrigere? Si Epiſcopo non credebatur aſſerenti ſibi crimen cognitum eſſe, quomodo Confeſſori hodie credebatur non ſolum ad correctionem occultam, ſed ad pœnas, & ſupplicia infligenda? Si Epiſcopus graviter peccabat puniendo delictum ſibi ſoli cognitum, immo & puniebatur, ut eſt *canon* 5. *Carthagin.* 7. & *African.* 9. qui refertur a Gratiano *in cap. Placuit* 6. *q.* 2. quam graviter peccabunt qui ex ſola relatione Confeſſarii cum evidenti ſigilli fractione, maximaque ſacramenti injuria alicujus peccati reos publica mulctare pœna conſueverant? Etiam advertendum volo, quod dum in *d.cap. Placuit* aſſeritur, *ut ſi aliquando Epiſcopus dicit aliquem ſibi ſoli proprium crimen eſſe confeſſum*, nullatenus debet intelligi de confeſſione ſacramentali; alias diceremus Epiſcopum fregiſſe ſigillum; peccatum enim ſacramentaliter confeſſum, ſecundum ipſius ſigilli obligationem, non eſt aliquatenus aperiendum.

63 Idem Morinus ſequentibus capitibus deſudat, ut oſtendat quam plurimas utilitates, quæ ex complicum revelatione in pœnitentes, in criminis participes, & in Eccleſiam ipſam redundant. Nos verò aſſerimus nullam utilitatem prævalere unquam potuiſſe utilitati, quæ provenit ex ſtrictiſſima ſigilli obligatione; plus enim attendi debet, debuitque ſemper, ne fiat injuria ſacramento, neque hoc fidelibus odioſum reddatur; immo ſuave fiat, & frequens. Hæc eſt vera utilitas, quæ in pœnitentes, in complices, in fideles omnes, in ipſamque effunditur Eccleſiam, in cujus comparatione cæteræ depictæ utilitates nihili pendendæ ſunt. Regula ſupra poſita firmiter ſtatuenda eſt. Quia tamen aliquas pati poteſt, quæ a DD. proponuntur, exceptiones, ut certa ab incertis ſeparemus, aliquas concluſiones prælibabimus, & quæ a DD. proponuntur, æqua lance pendemus.

RADIUS SECUNDUS

Limitationes, & opiniones varias circa materiam vel illuſtrat, vel diſſipat.

1 PRiuſquam ad privatas concluſiones deſcendam, non inutile prorſus erit eas perpendere utilitates, quas Morinus contemplatur. Monet 1. antiquos Patres cum impiis communicare admodum reformidaſſe, ne operum tenebrarum participes fierent. Quid laudis ad antiquos Patres referre poteſt, quod moderníoribus etiam referendum non ſit? An etiam hodie Patres, ac fideles Deum timentes id ipſum non reformidant?

Sed

Sed qui ſtatim impii dicendi ſunt? An peccatores occulti, qui fortaſſe in aliquod, vel aliqua fragilitatis crimina prolabuntur? Dicerentur impii omnes fere homines, pauci enim ſunt, qui in tota vita ſua in aliquod peccatum non dilabantur? Non de his loquitur D. Paulus, (1) neque hos declinare jubet; quomodo enim declinandi ſunt peccatores occulti, quorum crimina neſciuntur? Loquitur de his, *qui diſſenſiones, aut offendicula præter doctrinam traditam faciunt*, quales ſunt publici peccatores. Similiter alio in loco (2) non dicit non communicandum eſſe cum peccatoribus occultis, ea ſcilicet communicatione omnibus fidelibus communi, & jure naturali debita, ſed non eſſe communicandum *operibus infructuoſis tenebrarum*. Hoc præceptum, hoc ſtudium non ſolum in veteri, ſed etiam hodierna Eccleſia obſervandum eſt. An jure dicemus hodie non obſervari, quia in confeſſione complices non deteguntur? Quam abſonum, quam abſurdum hoc ſit, nemo non videt. Igitur ea utilitatis præponderatio ad doctrinam, quæ in Eccleſia hodie recipitur, nihil facit.

(1) Rom 16. verſ. 17.

(2) Epheſ. 5. 11.

2 Ex prædicta ratione inquit, *obſervaſſe eos, qui impie vitam inſtituebant, & ardenti zelo eoſdem vel ad Senatum eccleſiaſticum publice detuliſſe, ſi probationibus legitimis inſtructi eſſent, aut ſi his fideles deſtituerentur, Epiſcopum privatim vel in confeſſione, vel extra confeſſionem de impiorum iſtorum moribus monuiſſe.* Etiam hodie boni Epiſcopi, Parochi boni ſuper gregem ſuum invigilant, viſitant, inquirunt, ut impios obſervent, puniant, moneant, & emendent. Quid igitur antiquæ Eccleſiæ invidendum? Si aliqui deſides in hoc munere exequendo inveniuntur, id non modernæ diſciplinæ eccleſiaſticæ tribuendum, ſed negligentiæ, & forte quia non omnia in publicum deducere fas eſt, atque etiam quia & delinquentium multitudo, & potentia aliquam diſſimulationem expoſcit circa occulta delicta. Sed publica, vel quæ ad Epiſcopos, aut Senatum eccleſiaſticum deferuntur, pro temporum more, & juxta canonicas ſanctiones caſtigantur. Etiam accuſationes, etiam denuntiationes aut publicæ, aut ſecretæ, etiam correctiones fraternæ, admonitioneſque ſecretæ in uſu ſunt. Et licet benignius aliquando agatur, ſic charitas per prudentiam gubernata nunc expoſcit. Sed quid? Num in Eccleſia veteri ordo correctionis a Chriſto præceptus non obſervabatur? Nonne attendendæ erant circumſtantiæ, quæ intervenire opus erat, ut illæ delationes locum haberent. Certe idem tunc præceptum erat, eædem moratoris regulæ. Eaſdem tunc ſervari credendum eſt, nec contrariæ divinationes ſunt admittendæ. Has autem denuntiationes intra ſacramentalem confeſſionem fieri conſueviſſe neque certum ſit, neque fieri poteſt. Aliquas factas fuiſſe, ſicut & hodie imprudenter fortaſſe fiunt, non ambigimus. Sed ad finem correctionis inutiles fuiſſe judi-

camus; nam Epiſcopus ea in confeſſione habita notitia uti non poterat propter ſigilli obligationem, quæ cum ipſo Pœnitentiæ ſacramento ortum habuit.

3 Addit, tunc temporis confeſſiones illas ſolis Epiſcopis, eorum Vicariis, atque Parochis fieri conſueviſſe. Id ipſum movet, ut difficilius peccata occulta complicum, ſeu complices ipſi panderentur; plus enim tunc periclitabatur proximorum fama; faciliores eſſent falſæ, odioſæque denuntiationes, innocentesque apud Epiſcopos ſuos impune, aut ex invidia, aut ex livore, aut ex mala intentione ſugillarentur, ideoque hæ ſecretiſſimæ denuntiationes, aut inſimulationes cautius admittendæ eſſent, ne occaſionem præberent emergentibus periculis, quæ exinde pullulare potuiſſent. Auree depingit Confeſſores ut patres, ut judices, ut Medicos, ut Principes. Patres nempe de filiorum educatione ſolicitos; judices de emendandis plebibus anxios; Medicos in applicandis neceſſariis remediis vigilantes; Principes ſuorum civium incolumitati providentes. Ita quidem fieri ſemper oportuit: ſic & hodie has curas habere debent, ut ſuo muneri ſatisfaciant. Invigilent, inquirant, doceant, arguant, reprehendant, vitia comprimant, virtutes promoveant, ſed convenientibus mediis, non imprudentibus. Notitia ex confeſſione acquiſita nunquam aptum remedium fuit ad curandos animarum morbos, neque ea uti licitum quandoque fuit, ideoque ea ſententia a Clemente VIII. fuit proſcripta. Qui eam ſequitur, qui laudat, qui redivivam reſtituere ambit, in eamdem prohibitam propoſitionem nunc impingit.

4 Certum eſt, quod ſi Epiſcopi, ſeu Parochi poſſent ex revelatione pœnitentis in ſubditos animadvertere, aut ſaltem eos corripere, procul dubio illa ſacramentali notitia uterentur. Si hoc licitum, ſi utile, ſi non damnoſum fuiſſet, nunquam a S. P. prohiberetur: non poterat tamen non prohiberi, quia inde revelatio ſigilli, injuria ſacramenti, & fidelium ſcandalum frequentiſſime ſuccreſcerent. Proponit ipſe difficultatem, quæ ex ſtrictiſſima ſigilli obligatione palam proficiſcitur, ſolvitque ſumma facilitate, aſſerendo id ab aliquibus Theologis inventum fuiſſe, quod non feciſſent, ſi ob oculos ſibi veterem diſciplinam propoſuiſſent. Hanc tamen temeritatem, huncque contemptum erga Theoreticæ Theologiæ profeſſores jam alibi reſpui, & exploſi. An etiam Clemens, dum eam propoſitionem prohibuit, ſolum his metaphyſicis rationibus ducebatur? An Patres, canones, Eccleſiæve diſciplinam præ oculis non habuit? An lex ſigilli primis ſæculis laxior fuit? An Innocentius XI. cum prohibuit uſum notitiæ ſacramentalis cum qualicumque pœnitentis gravamine, etiam ſine aliqua vel directa, vel indirecta ſigilli revelatione, omnino illius antiqui utiliſſimi moris oblitus fuit? Sed de hoc jam late a nobis tractatum eſt *coruſcat.* 3. *fulmin.*

2. &

2. & 3. Id ſolum a Morino quærerem: An Epiſcopi uterentur, vel non uterentur ea notitia? Si utebantur, cum injuria ſacramenti id agebant, quia ſigillum non ſervabant. Si non utebantur, inutilis erat ea complicum accuſatio intra confeſſionem facta. Audacter igitur in Theologos invehitur Morinus, & dum eos mordet, etiam Synodorum Patres, & Summos Pontifices ſic conſtituentes dilaniat. Ejus ſcopus eſt antiquam Eccleſiæ diſciplinam *ex antiquis monumentis redivivam coram lectoribus ſiſtere*. Hæc tamen omnium Rigoriſtarum eadem mens eſt, eadem omnium, qui Baii, Janſeniique, ac Illuminatorum veſtigia premunt: quam devia hæc ſint; & in abrupta ferantur, agnoſcunt orthodoxi, deplorat Eccleſia. Illum morem ab hodierna inſignium Theologorum doctrina non abhorrere, ſatagit demonſtrare. Si ab antiqua diſciplina non diſcrepat hodierna, atque hodie nullatenus permiſſus ſit notitiæ ſacramentalis uſus, nec olim licuiſſe compertum redditur. Ut illud comprobet, inſignium Theologorum ſententias in medium profert, & ſex ſtatuit propoſitiones. Nos imitabitur. Sciendum tamen eſt, antiquos aliquos DD. liberius in hac materia opinatos fuiſſe, ut aiunt La-Croix, & Caſnedi, & multas antiquas opiniones proſcriptas fuiſſe, apud omnes certum eſt. Quo poſito,

5 Dico primo. Anceps plurimum, laborioſeque nimis agitata quæſtio eſt: Utrum de licentia pœnitentis poſſit Confeſſarius uti notitia per confeſſionem habita? Hanc ancipitem diſputationem, ſuo laconiſmo utens, ſed in regulis exponendis fere ſemper innocens, tetigit Muratorius *d. cap.* 1. *num.* 6. ubi rectiſſime ait, (jus ſuum unicuique tribuimus) tot diverſos caſus occurrere poſſe, ut certa regula ſtatui non queat, pro illorum ſiquidem diverſitate prudenter, vel imprudenter in tali uſu Confeſſor ſe habebit. Affirmativam ſententiam docent cum S. Bonaventura, & D. Thoma omnes fere ejuſdem ſcholæ ſectatores. Negativam defendunt Alenſis, Scotus, Durandus, Vaſques, Maſtrius, & Scotiſtæ omnes, & ultra hos multi recentiores Thomiſtæ, ut Cabeçudo, Bañes, Lorca, Octavius Maria, & alii. Utraque ſententia probabilis eſt; negativa ſecurior, & ſacramento plus favens; & hac de cauſa in praxi potius admittenda, ut vitentur pericula, quæ inde timentur, omniſque violati ſigilli ſuſpicio amputetur. Quod quidem amplectitur etiam Muratorius *cap.* 3. *ad finem.*

6 Dico ſecundo. Etiam ſuppoſita affirmativa ſententia, qui eam docent, non abſolute, & univerſaliter ſequuntur, ſed variis adhibitis moderationibus. Nam imprimis licentiam pœnitentis requirunt expreſſam, & ſpontaneam, quod etiam P. Paulus Gabriel Antonius (quem tandem videre potui) *in ſuo tom.* 3. *pag.* 258. §. *Dixi* 1. (licet aliàs non probandus in aliis) expreſſè fatetur, & etiam Muratorius *cap.* 3. Requirunt etiam juſtam, & legitimam cauſam. Id tantum conceduntur

cedunt quando talis uſus neceſſarius eſt ad bonum ipſius pœnitentis, aut complicis. Monent tamen Confeſſarium, ne tali notitia utatur, niſi maxima urgeat neceſſitas, propter pericula, & damna, quæ frequenter emergere ſoleant, quæ omnia expendenda poſtea ſunt.

7 Hinc liquet non recte a Morino *d. cap. 16. n. 4.* hanc univerſalem proponi concluſionem: *Sacerdos, cui facta eſt confeſſio peccatorum, poteſt de licentia confitentis de rebus in confeſſione auditis & cum eo colloqui, & cum qualibet alia perſona.* Neque bona fide multos ad id Theologos refert; illa enim ultima particula, *& cum qualibet alia perſona*, non ſic apud citatos abſoluta habetur, neque probari unquam potuit, utpote ſacramento injurioſa, & ſigilli revelationi obnoxia. Unum, vel alterum ſufficiat exponere, ut ejus mala fides agnoſcatur. Citat D. Bonaventuram *in 4. diſt. 21. part. 2. art. 2. q. 2.* Sed S. Doctor ſic habet: *Melius eſt, quod pœnitens ipſe, quando ſibi videtur neceſſarium, vel opportunum, pro bono proprio, vel alieno, manifeſtet aliis peccata ſua, quam ut Confeſſarius ſe ingerat in periculo, & ſuſpicionibus, & maxime in re dubia, in qua conſulere debet reverentiæ ſacramenti, & communi utilitati potius, quam privatæ voluntati pœnitentis; ſic enim vitatur, & non corrumpitur ſigillum confeſſionis.* Quis hanc S. Doctoris ſententiam legat, & dicat eum abſolutæ Morini propoſitioni procul dubio faviſſe?

8 Angelicus Doctor *loco citat.* loqui intelligendus eſt de peccatis ipſius pœnitentis, & in ordine ad bonum ipſius, non autem ita abſolute, ut doceat, quod, poſita pœnitentis licentia, poſſit Confeſſarius de rebus in confeſſione auditis cum qualibet alia perſona colloqui, ut Morinus aſſerit; tum quia talis abſoluta licentia nunquam data cenſeri poteſt; tum quia ſi Confeſſarius ſic loqui poſſet, quin id dirigeretur ad bonum pœnitentis, eum procul dubio infamaret, quod nunquam S. D. docere potuit; ac proinde ad illam abſolutam propoſitionem comprobandam male utitur Angelici Doctoris authoritate. Ulteriusque id probatur; quia ipſe S. D. aliis in locis docet complicem in confeſſione revelandum non eſſe: *De expreſſione autem perſonæ*, (ait ille opuſ. 12. q. 6.) *cum qua aliquis peccavit, videtur mihi quod non ſit in confeſſione facienda, quando poteſt vitari. Primo quidem, quia prodere crimen alterius, & lædere famam eſt peccatum, quod maxime vitandum eſt in confeſſione, per quam quis quærit præterita peccata delere. Secundo, quia a Domino* (Matth. 18.) *eſt forma denuntiandi peccatum proximi deſcripta, contra quam agere non licet. Tertio, quia in confeſſione eſt credendum peccatori confitenti, & pro ſe, & contra ſe; ſed contra alium nullomodo eſt ei credendum: alioquin daretur multis occaſio fictæ confeſſionis, & fraudulentæ infamationis. Et ideo ſi poteſt ſpeciem peccati confiteri non innoteſcendo perſonam,*

ſonam, cum qua peccavit, peccat eam exprimendo; niſi forte ſalvato correctionis ordine, quem Dominus ſtatuit. Quæ ultima verba ſic optime explicat Bujardin. *de Offic. Sacerd. ſect.* 9. §. 3. in hunc modum: *Subintellige, eam exprimit Confeſſario, uti fratri, vel Prælato, quod eſt revelare extra confeſſionem. . . . Non eſt licitum pœnitenti, ob rationes allegatas a S. Thoma manifeſtare perſonam complicis in confeſſione, ſive Confeſſario ut tali.* Male igitur Angelicus Doctor allegatur ad probandam illam generalem propoſitionem: ſic adducuntur, & alleganıur cæteri.

9 De P. Suario poſtea ſermonem inſtituemus. P. Vaſquius, & Navarrus adeo prædictæ propoſitioni non adſtipulantur, ut ſint omnino contrarii. Covasruvias *de Sponſalib. p.* 2. *cap.* 8. §. 12. *n.* 24. ſic habet ad intentum: *Cum in qualibet re, & materia Sacerdos ex licentia confitentis poſſit palam pro nere, quæ ei in ſacramentali confeſſione fuere dicta, quia ipſe pœnitens ſigillum illud ſecreti ex proprio conſenſu diſſolvit, ac remittit: qua ratione idem notant. . . dicentes, hanc opinionem communem eſſe, quam aſſerunt D. Thom. &c.* Huc uſque Morino favere videtur Covasruvias; ſed quæ ſequuntur nobis favent: *Quod equidem* (inquit) *non eſt paſſim admittendum, ſed tunc demum quando hic expreſſus confitentis conſenſus ad ſuam, vel alterius non parvam utilitatem temporalem, vel ſpiritualem præſtatur, ſicuti docent, & diligenter admonent Soto. . . Martin. Navarr. . . Licet Scot. Durand. Maior. . . . Almain. . . poſt Alex. Halenſem. . . . contrarium probare conentur, dicentes ſecretum confeſſionis nec ex licentia expreſſa confitentis detegendum fore: & idem aſſerit Collect. in d. cap. Omnis utriusque n.* 63. *Sed quamvis D. Thomæ opinio, & ſequacium frequentiori calamo recepta ſit, ac magnis rationibus, & argumentis comprobetur ita efficaciter, ut & verior ſit judicanda; opinor tamen Chriſtianæ religioni, & ſacramento Pœnitentiæ potius expedire hoc confeſſionis ſecretum, nec ex conſenſu expreſſo pœnitentis revelandum eſſe. Niſi id fiat maxima ex cauſa, boni, & cautiſſimi viri arbitrio, ad ipſius pœnitentis ſalutare conſilium, & medelam, maximamque utilitatem, quæ maturo judicio erit perpendenda, ne temere revelatio fiat &c.* Vides jam lector, quantum Morinus abutatur Authoribus, eorumque ſententiis? Communis D. Thom. & Thomiſtarum ſententia non abſoluta, & generalis eſt, ut Confeſſor poſſit quando, & quomodocumque voluerit, & cum quacumque perſona, ut Morinus aſſerit, in maximum ſigilli damnum, ſed ut id valeat cum ipſo pœnitente, & in ipſius non parvam utilitatem, vel cum alio ad eumdem finem, idque cum maxima prudentia, & ponderatione, ne ſigillum vel leviſſimo periculo exponatur. Hac de cauſa

10 Dico tertio. Etiam ſuppoſita licentia pœnitentis, regulariter Confeſſario

Confeſſario non expedit uti ea licentia, quia fere ſemper reſultare poteſt ſuſpicio de violato ſigillo, & inde oriri aliqua ſacramenti injuria; neque enim omnes ſciunt eam licentiam conceſſam fuiſſe, neque Confeſſario id aſſerenti credere tenentur, & fortaſſe aliqua vel pœnitentis, vel aliorum infamia reſultare poterit: *Ego ſane*, (ait P. Caſnedi) (3) *etſi aliunde, quam in confeſſione ſacramentali ſcirem rei, & ſociorum delictum in rempublicam valde pernicioſum, tenerer ex lege charitatis in bonum publicum rei, & ſociorum crimen deferre perſonis, quæ dictum damnum præcavere poſſent: attamen audita rei confeſſione, etſi cum ejus permiſſu; nunquam tale onus ſuſciperem; ſemper enim timerem non quidem ſigilli revelationem, quia reus dedit licentiam utendi notitia ſacramentali, ſed ſuſpicionem alienam cuique obviam de violato ſacramentali ſigillo; hanc enim ingerere ſuſpicionem nunquam ex ulla cauſa licet*, ut ſcite P. Vaſques *tom.* 4. *in* 3. *p. q.* 93. *art.* 4. & P. Moya *tom.* 2. *tract.* 2. *diſp.* 3. *q.* 3. *art.* 1. *Quod vero hæc ſuſpicio ingereretur, vix negari poteſt, quia plerique rudiſſimi ſunt, & cum neſciant licentiam a reo datam &c.*

(3) Caſned. Criſ. Theolog. tom. 5. d. 12. ſect. 4. §. 4.

11 Marchantius, qui plurima inconvenientia ex uſu notitiæ ſacramentalis emanantia expertus fuerat, ſic ait: (4) *Non poteſt Confeſſarius abſque peccato ſacrilegii uti ſcientia in confeſſione accepta, etiam de licentia pœnitentis, nec licentiam dare poteſt pœnitens. Ratio mea eſt; quia non ſolum in favorem pœnitentis* (hæc ratio mihi propemodum certa eſt) *hoc ſigillo celatum voluit Chriſtus hoc tribunal, ſed etiam in reverentiam tribunalis divini, & ſacramentalis, quod utique eſt forum Dei inviſibilis, in quo viſibilibus quidem ſignis, inviſibiliter tamen, & inſenſibiliter anima judicatur, in quo conſcientiarum ſolus inſpector Deus per Sacerdotem judicat. Eſt enim* (*teſte Baſilio in Aſceticis q.* 288.) *unum ex myſteriis Dei abſconditis, quorum œconomia, ſeu præfectura Sacerdoti eſt concredita. Igitur in poteſtate pœnitentis non eſt diſpenſare; & dato quod cedat juri, quod habet in famam propriam; ſicut tamen nullum jus habet in bonum ſacramenti, & myſterium, ſic nec in ſigillum, quo ſuum tribunal ſigillavit Deus. Unde Leo Papa epiſt.* 57. *alias* 80. *ad univerſos Epiſcopos Campaniæ condemnat quorumdam morem pœnitentium, qui ſua peccata publice confiteantur, vocans* præſumptionem contra regulam Apoſtolicam illicitam uſurpationem, & vituperabilem conſuetudinem: *quod verum non eſſet, ſi cedendo juri ſuo pœnitens relaxationem ſigilli permittere licite poſſet.* Et paulo infra in hæc verba prorumpit maxime memoriæ commendanda, & a Confeſſariis advertenda: *Fugite, quæſo, peſtem illam non tantum ut malorum originem, ſed ut per ſe illicitam, & Chriſti inſtitutioni contrariam. Nec ſibi blandiatur quiſpiam de opere charitatis, & quod in bonum pœnitentis,*

(4) In Tribun. Sacram. tom. 1. tr. 4. tit. 6. q. 6. append. 2. concl. 3.

Digitized by Google

tentis, vel tertii utatur; ille enim abuſus eſt: & tibi quidem permittitur pœnitentis bonum intra limites, & jura ſacramenti quærere, non autem foris illa notitia, & ſigillo uti: conſule, ſiquæ conſulenda habes, adhibe in ſacramento, ſiquid potes: extra ſacramentum ſicut tu non es judex, ſic nec ſacramentalis conſultor in iis, quæ in ſolò ſacramento ſunt poſita: ſiquid ſoris agendum eſt, media non deſunt tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus negotiis, & pertractandis, & dirigendis; unicuique juxta rei conditionem ſua ſtat via, ſuum forum absque ſacramento, vel notitia in ſacramento accepta. Excuſet lector, ſi frequentius hæc proſequor; ſcio enim quanta mala ex profano illo abuſu proveniant.

12 Doctiſſimus Fr. Franciſcus Henno (5) ſic docet: *Ubi non poteſt, aut non vult pœnitens obligationem ſuam per ſe exequi, vult tamen per alium, non debere Confeſſarium, ne revelationis ſuſpicio oriatur, onus illud in ſe aſſumere, etiamſi pœnitens illum enixe deprecatur, quia non deſunt alii, qui id exequi poſſint.* Idem docet Tanerus: (6) *Probabilius videtur etiam per ſe, & ſecluſo ſcandalo, aliove incommodo, illicitum eſſe ex ſola pœnitentis licentia ita uti notitia confeſſionis ad corrigendam complicem, ut complicis peccatum reveletur, vel ejuſmodi uſus complici, aut aliis innoteſcat.* Innumeri alii idem docent, quorum aliqui poſtea ad alium finem referendi ſunt, ideo eorum authoritatibus tranſcribendis nunc ſuperſedeo. Illud certum eſt, inter tot Theologos in materia latiſſime ſcribentes plurimos eſſe, qui dicant poſſe Confeſſarium in aliquo urgenti caſu uti licentia habita; nullum verò, qui doceat ad id teneri; eſſet enim intolerabile onus imponere Confeſſori, & miniſterium illud intolerabile reddere.

(5) Tract. de Pœnit. diſp. 10. q. 5. concl. 3.

(6) Diſp. 6. de Pœnit. q. 9. dub. 6. n. 147.

13 Hæc ſupra poſita doctrina firmior, indiſputabiliorque redditur tum ex decreto Epiſcoporum Belgii anno 1667. in illis verbis: *Neque denique faciat quidquam unde vel pœnitens, vel complex aliquod gravamen accipiat*; certum eſt autem, quod licentia pœnitentis non poteſt tollere gravamen, aut pudorem, quod complex ex uſu notitiæ accepturus eſt. Tum ex decreto Clementis VIII. quod confirmarunt Paulus V. Gregorius XV. & Urbanus VIII. dum jubet, quod: *Tam ſuperiores pro tempore exiſtentes, quam Confeſſarii, qui poſtea ad ſuperioris gradum fuerint promoti, caveant diligentiſſime, ne ex notitia, quam de aliorum peccatis in confeſſione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.* Cum etiam & fortius ex decreto Innocentii XI. prohibentis hanc propoſitionem: *Scientia ex confeſſione acquiſita uti licet, modo fiat ſine directa, aut indirecta revelatione, & gravamine pœnitentis &c.* Neque hujus decreti vim illudere valent, qui adſtruant, illud non eſſe intelligendum quando intervenit licentia pœnitentis. Siquidem, ut recte aiunt P. Viva, & P. Caſnedi

locis

locis ſupra citatis, tota ratio prohibitionis fuit: *Ne ex uſu ſcientiæ habitæ in confeſſione redderetur odioſa, & formidabilis confeſſio.* Licet autem non fieret odioſa pœnitenti ob licentiam ſponte datam, ſemper redderetur formidabilis aliis, qui viderent permiſſum uſum talis notitiæ, ex quo ſaltem reſultaret ſuſpicio violati ſigilli, quæ ſemper vitanda eſt, ut ex iiſdem DD. aliiſque multis evidenter probatur. Præterea ſi rite perpendatur ſupradictum decretum, procul dubio prohibet abſolute uſum notitiæ, etiam ſemota omni ſigilli revelatione, omnique gravamine pœnitentis. Licentia autem pœnitentis ut plurimum ſolum poteſt auferre ſigilli obligationem, non verò facere licitum quod S. P. ex dictis cauſis juſtiſſime prohibuit. Unde poſito tali decreto, ut inquiunt Sanches, de Lugo, Salmanticenſes, & alii, contraria opinio amplius doceri, aut defendi non poteſt, quæ licet eſſet ſpeculative probabilis, jam amplius non eſt practice probabilis, ut docent Cardenas, Viva, Caſnedi, & alii.

14 Hinc patet 1. erraſſe P. Paulum Gabrielem *d. tom.* 3. *pag.* 268. (& neſcio quem alium doctiſſimum Theologum, qui prædictum Authorem ab omni cenſura immunem oſtendere nititur) dum abſolute conſtituit, quod *Confeſſarius cum licentia expreſſa pœnitentis debet uti notitia peccati complicis, vel alterius.* Dato enim, & non conceſſo, quod non reveletur ſigillum, neque fiat injuria complici, ſemper ex tali uſu reſultat ſuſpicio violati ſigilli, cujus vitatio prævalere debet aliis bonis ex tali uſu provenientibus, & per conſequens injuria ſacramenti, timorque in illud conceptus. Præcipue cum prædicta propoſitio ſic generaliter concepta non ſolum pœnitentes ad eas anguſtias reducet, ut illud peccatum celent; ſed etiam quia Confeſſores decipiet, & ad ipſius ſacramenti abuſum invitabit; arbitrabuntur enim multoties ad id teneri, & ſcrupulis agitati a penitentibus obtinere frequenter eas licentias cogitabunt, ut muneri, obligationique ſuæ ſatisfaciant, quod abſurdiſſimum, ac mille periculis eſſet expoſitum. Sed de hoc infra.

15 Patet 2. omnino abolendam, aut ſaltem explicandam eſſe illam Morini abſolutam propoſitionem, de qua *d. cap.* 16. *n.* 5. nempe: *Poteſt Confeſſor in multis caſibus, nulla a pœnitente petita venia, licite uti notitia per confeſſionem ſecretam comparata, modo nullum ſit revelandæ confeſſionis periculum.* Hæc propoſitio abſolute prolata eſt eadem, ac illa ab Innocentio XI. & ſacra Romana Inquiſitione prohibita. Licet autem vera ſit in exemplis adductis eodem *n.* 5. nempe ad effectum orandi pro pœnitente, petendi conſilium, cuſtodiendi res ſuas cum maiori diligentia, & ſimilium; attamen quoad alia exempla, quæ adducit *num.* 6. poſt prædictum decretum Clementis VIII. & aliud Innocentii XI. nullatenus ſuſtinenda eſt, quidquid eam antecedenter

denter ut ſpeculative probabilem defenderent tot inſignes DD. non attingentes rationem, quæ poſtea demonſtravit eam nec ſpeculative, nec practice probabilem. Aliquos AA. referre libet.

16 Salmanticenſes (7) multis citatis ſic reſolvunt: *Sed quid, ſi Confeſſarius privaret ſubditum officio ad nutum amovibili, vel negaret ſuffragium ei, quem ex ſola confeſſione ſcit indignum eſſe, caſu, quo nulla eſſet probabilis ſuſpicio uſus talis ſcientiæ? Licere tunc uti ſcientia confeſſionis, tenent aliqui Magiſtri... Sed prorſus contraria ſententia tenenda eſt, quam multis firmat Sanches.... Probatur primo; quia tali uſu arcerentur homines a peccatis manifeſtandis in confeſſione, timentes, ne ob eorum manifeſtationem privandi eſſent commoditatibus, honoribus, Ordinibus, Euchariſtia, officiis, vel beneficiis, reddereturque confeſſio nimis difficilis, oneroſa, & odioſa. Nihil enim eam talem ita reddit, quam ſi peccatores intelligant, poſſe Confeſſorem ob ſolius confeſſionis notitiam ipſos privare Ordinibus, Euchariſtia, officiis honorificis, negare ſuffragia ad obtinenda officia, vel beneficia; cum hæc omnia tanti homines faciant, merito ergo negandum eſt id licere. Secundo; quia ſicut ob ſecuritatem, & levamen hujus ſacramenti inſtitutum eſt tale ſigillum, quo non liceat revelare peccata; ita quoque putandum eſt, ut non liceat aliquid facere moleſtum, & incommodum ipſi pœnitenti: & ſicut non licet revelare confeſſionem, ſublata penitus ſuſpicione, quod pœnitens id eſſet ſciturus, ita nec licebit gravare pœnitentem, utendo tali notitia, adhuc caſu, quo nulla eſſet probabilis ſuſpicio uſus talis ſcientiæ. Tertio probatur ex decreto Clementis VIII. edito die 26. Maii anno 1594. & confirmato ab Urbano VIII. conſt. 26. tenoris ſequentis.... Ex quo decreto videtur neceſſario colligi doctrina univerſalis. Unde Lugus diſp. 23. n. 93. & Dicaſtillus diſp. 12. num. 140. merito dicunt, neſcire ſe, quomodo poſt decretum Clementis poſſit oppoſita ſententia ſuſtineri.*

(7) Tract. 6. cap. 14. a n. 47.

17 Quæſtionem optime tractat P. Sanches, (8) qui fundamenta, & AA. pro utraque parte adducit, & circa præſentem materiam ſic reſolvit: *Verum nullo modo licebit ob indignitatem in confeſſione cognitam removere ab officio ad nutum amovibili, vel negare Euchariſtiam, aut Ordines, aut beneficium, aut ſuffragium, quamvis hæc voluntaria ſint; quia inde confundetur pœnitens, & retrahetur a confeſſione; hæc enim ſunt exprobatio quædam, & virtualis objectio peccati detecti in confeſſione: & ita Armilla verb. Confeſſor num. 7. &c.* Et poſtea *num.* 5. reſpondens ad argumenta contraria, ſic ait: *Ad 5. fateor, illam ſcientiam eſſe aliquo modo humanam, & ita poſſe Confeſſorem illa uti, quando eſt ſine aliqua injuria pœnitentis; irrogatur tamen ei maxima, non eo quod negetur res indebita, ſed ratione modi negandi, quia infidelis eſt Confeſſor, dum res ſibi commiſſas ſub con-*

(8) Lib. 3. diſp. 16. per tot.

feſſionis ſigillo ad eum forum occultum virtualiter exprobat, & objicit pœnitenti, ac in ejus temporale damnum convertit. Et hoc nocumentum magni momenti eſt, quia retrahet homines a confeſſione, & valde odioſam eam reddet; nec Sacerdos utitur jure ſuo, dum ob audita in confeſſione negat, & hoc non provenit ex ſolo pœnitentis diſcurſu; ſed etiam ex Sacerdotis actione, quando ejuſmodi circumſtantiæ concurrent, ut merito poſſet id ſuſpicari pœnitens, & quando non poſſet id ſuſpicari, ſatis eſt noſſe, poſſe inde provenire, idque Sacerdotibus licere, ut homines odioſam habeant confeſſionem, & ab illa retrahantur.

(9) Tract. 23. disp. unic. punct. 19. num. 20.

18 Caſtro Palaus (9) ſic ait: *Nihilominus verius exiſtimo, nullo modo licere uti notitia confeſſionis, pœnitente non conſentiente, ad prædictas actiones exercendas, ſcilicet ad removendum ſubditum de officio, & loco, negandumque ſecreto ſacramentum, ſuffragium, & ſimilia; tametſi nullus alius, præter pœnitentem, ſuſpicetur ob confeſſionem fieri. . . . cui ſententiæ favere intendit Clemens VIII. in ſupra dicto decreto. Si enim ſolum vellet obſervari, quod aliàs jure divino certum eſt obſervari debere, non verbis præceptivis, utpote ſuperfluis, ſed commendatiis uteretur. Cum ergo Clemens ſpeciale præceptum tulerit, ne regulares ſuperiores notitia ex confeſſione accepta uterentur ad exteriorem gubernationem, manifeſte indicavit prohibere voluiſſe illum uſum, qui aliàs ſub opinione poſitus erat, licere. . . . Ratio concluſionis præcipua eſt; quia ex ſigillo obligatur Confeſſarius, ut non ſolum aliis, ſed nec pœnitenti peccata objiciat, exprobet; aut in memoriam reducat. At ſi ſumpta occaſione confeſſionis pœnitentem removet ab officio, & loco, in quo antea erat, vel officium, & locum procuratum, & petitum denegat, ſatis cenſetur peccatum confeſſum objicere: ſiquidem præſtat pœnitenti ſufficiens fundamentum ſuſpicandi, ob confeſſionem prædicta fieri. Ergo &c. Deinde hoc uſu (ſi licitus eſſet) arcerentur homines a peccatis manifeſtandis, timentes, ne ob eorum manifeſtationem privandi eſſent commoditatibus, & honoribus, quos haberent, reddereturque confeſſio nimis odioſa. Adde quod caſuum reſervatio humanæ fragilitati intolerabilis eſſet: quomodo enim Clericus ſuo Epiſcopo auderet peccatum fateri, ex cujus manifeſtatione cognoſcit, poſſe ſibi Ordines, & beneficia denegari? Item eſſet inutilis; non enim cum gravi ſuo detrimento obligari poteſt ſubditus peccata Prælato manifeſtare, ob quorum manifeſtationem probabiliter timet a beneficiorum, & officiorum conſecutione removendum eſſe, ſicut late proſequitur Coninch diſp. 9. dub. 4. a n. 64.* Hinc liquet quantum erraverint ſuperiores, qui a Confeſſariis ſuis accipiebant ſigna, ut ex iis cognoſcerent, qui pœnitentes Ordinibus indigni eſſent; id enim nunquam fieri potuit

absque

abſque expreſſa ſigilli revelatione, abſque graviſſimo pœnitentium nocumento, & abſque maxima injuria ſacramenti, ac proinde cum graviſſimo peccato. Liquet etiam quantum erraverit quidam Præſul, dum Confeſſoribus ſuis præciperet abſolute, quod uterentur Authoribus, & eorum ſententiis, cum tamen multæ proſcriptæ ſint, & ad praxim nullatenus deducendæ, ſolumque Pontificis decretis ſtandum ſit.

19 Omitto alios referre AA. omnes enim fere poſt prædictum Clementis decretum eam improbant propoſitionem; quam Morinus ex antiquis ſtabilire non reformidavit, fortaſſe eorum indolem ſecutus, qui Pontificias conſtitutiones non plurimi æſtimant, ſuosque pro antiquis ſcriptoribus calculos addunt. Sic fecerunt aliqui poſt prædictum decretum, & ne illud omnino deſpicerent, eam propoſitionem adinvenerunt, quam, ut diximus, prohibuit Innocentius, circa quam ſcripſit optime dictus P. Viva loco ſupra relato, ubi lato calamo oſtendit illicitum ſemper fuiſſe talem uſum, & contrarium inſtitutioni ſacramenti, ejusque fini, & ſuum §. 7. poſt reſponſiones datas ad argumenta contraria ſic concludit: *Authoritates in favorem ſententiæ oppoſitæ adductæ Angelici, & aliorum intelligendæ ſunt, quod poſſit Confeſſarius uti ſcientia ex confeſſione acquiſita pro eo dumtaxat caſu, quo nullum redundet gravamen pœnitenti. Authores vero, qui aliud expreſſe docuerint, non ſunt audiendi.* De hoc uſu notitiæ ſacramentalis ſupra late dixi, ideo non ulterius immoror.

20 Illud, quod Morinus addit ex P. Suario, (10) vel ad rem non facit, vel nullatenus eſt attendendum: *Negat ille ullam eſſe obligationem denegandi ſuffragii.* Cur non eſt obligatio denegandi ſuffragii? Ea obligatio datur quoties ſuffragaturus ſcit eligendum eſſe indignum; quæ obligatio ex jure divino, & naturali deſcendit. Nulla aſſignari poteſt, niſi quia tunc aliud præceptum attendibilius urget, quale eſt jam ſæpius ponderatum, & quia non debet in iis, quæ agit, ut homo, ea notitia uti, quam habet, ut Deus. Diſtinguit autem Suarius inter occultas, & publicas electiones, utrarumque autem eadem eſt prohibitionis ratio, ac proinde poſt Innocentii decretum ea diſtinctio eſt penitus reſpuenda. Ait, ſolutionem Suarii ad objectionem ſibi propoſitam commode explicare negotioſiores difficultates, quæ adverſus publicas occultorum delictorum pœnitentias objici poſſunt. Vereor, quod ſuo pœnitentiæ publicæ amore deceptus Suarium non intellexerit. Docet ille, & quidem recte, non violari ſigillum, ſi Confeſſor pœnitenti præcipiat è domo ejicere proximam peccandi occaſionem, dimittere beneficium, quod titulo injuſto, & nullo poſſidet, cedere officio, in quo peccati occaſionem habet, aliaque ſimilia. Hæc tamen nihil commune habent cum ſupra poſita quæſtione. Ad ea tenetur pœnitens,

(10) Tom. 4. in 3. part. diſp. 33. ſect. 1. n. 12.

nitens, aliter indiſpoſitus cenſendus eſt, ſi ea non adimpleat, ad quæ tenetur, neque inde ſequitur revelatio ſigilli; nemo enim ſcit, ea a Confeſſario præcepta fuiſſe. Aſt, inquit Morinus, eadem olim ratio habebatur in imponenda publica pœnitentia. Non diſputamus quid juris eſſet quando ipſe pœnitens lubens, & volens eam acceptabat. An teneretur, an rite cogeretur, id convincendum ſupererat. Quantum verò diſcriminis interſit, primo in proſpectu ſeſe offert. Nullum præceptum aut naturale, aut divinum, nec etiam eccleſiaſticum, quod cum tanto onere adſtringeret, demonſtrabitur. Ex publica pœnitentia aliquod peccatum grave, ſaltem in genere, commiſſum fuiſſe apertiſſime cognoſcebatur. Unde ad id cogi non poſſe abſque aliqua ſigilli offenſione certum eſt.

21 Quod adjicit ex Joanne de Friburgo, & S.Raymundò, ad rem non concludit; nihil enim aliud docent, niſi poſſe Confeſſarium uti notitia ſacramentali ſine aliqua ſigilli revelatione, vel incommodo pœnitentis ad vitandum aliquod damnum imminens. Hanc doctrinam, ſi cum debita fiat prudentia, non reſpuimus, nec reſpuunt Recentiores, nec ea Pontificio Innocentii decreto advertatur.

22 Aliud addit ex Guillelmo Altiſiodorenſi, (11) ut oſtendat antiquos Magiſtros Pariſienſes ſigilli ſtrictiſſimam obligationem minus preſſiſſe. Sed ad quid hæc Morinus? An recte docuerunt, an minus recte? Si recte docuiſſe contendat, erroris eorum convincitur particeps; ſi non recte, cur laudat? Altiſiodorenſis eas propoſuit hypotheſes: An ſcilicet Sacerdos qui ſub ſigillo ſciebat impedimentum ad contrahendum matrimonium, poſſet eos ſic impeditos matrimonio conjungere, & obtemperare Epiſcopo ſic jubenti? Et utrum poſita excommunicatione, qua ligantur omnes, qui ſcientes impedimentum non enuntiaverint, ipſe Sacerdos ſigillo adſtrictus teneretur, ne excommunicationi ſuccumberet, impedimentum enuntiare? Altiſiodorenſis ipſe in favorem ſigilli ſententiam ſequutus fuit, idque faceret Theologus quicumque, qui neceſſitatem, & utilitatem ſacramentalis ſigilli ex certis principiis apprime caleret. Morinus verò odio in ſcholaſticos Theologos concepto ſic irridet: *Scholaſtices novitius, qui eam proſpexit tantum, & a limine ſalutavit, ambages iſtas vix ſe dignas nunc reputaret.* Scholaſtices novitio, ut difficultatum nodos extricaret, ſinuatoſque flexus illuderet, ſufficeret unus P. Sanches, maior certe Morino, ſecuriorque Theologus, loco ſupra laudato. Sed quid ad quæſtionem reſponderunt Magiſtri illi, quos ſapientiſſimos vocat? Sic ſe habet ſententia ſua: *Ad hoc ſolent dicere Magiſtri, quod in hoc debet Sacerdos revelare confeſſionem, & non infringit ſigillum confeſſionis, ſed aperit; quia infringere importat deformitatem; eſt enim infringere, indebite revelare. Et ad ultimum objectum dicunt,* *quod*

(11) In Summa lib. 4. tract. 6. q. 4.

quod damnum accidit, ſi taceat. Fit enim quiddam, quod eſt contra Deum; & ſi ſcirent illi, qui conjunguntur, deberent ſe ſeparare. Et hi erant ſapientiſſimi Magiſtri, qui ſic erraverant? Quis unquam licitum, & neceſſarium eſſe duxit aperire ſigillum, ut peccatum vitaretur? Nullus certe orthodoxus. Quis ſcholaſtices novitius in has erroneas propoſitiones laberetur? Profectò potius vellem his novitiis, quam talibus profeſſis, aut profeſſoribus adnumerari.

23 Fatetur Morinus, Altiſiodorenſem, & Magiſtros, qui ſequuti ſunt, favorabilius pro ſigilli obligatione reſpondiſſe: *Prudenter enim aditus omnes ad ſigilli apertionem tendentes Eccleſia ſemper intercluſit, eique praxi lubentius favit, quæ certiorem confeſſioni ſecuritatem præſtitit.* Nunquam igitur Eccleſiæ mos fuit peccatis occultis publicas indicere pœnitentias; tendebat enim hæc praxis ad apertionem ſigilli, cui univerſalis Eccleſia aliquando faviſſe nunquam probabitur. Omni tempore luxuriantium ingeniorum opiniones pullularunt, ſtrictiores unæ, laxiores aliæ, quædam plus ſubtilitate, quam veritate ſubnixæ, quædam verò dogmata certa indefectibiliter amplectentes: quædam nimium ſemper rigorem affectarunt, aliæ verò plus benignitatem ſunt ſecutæ. Non una, eademque ætate veritas ſine umbris reſplenduit. Experientia multa edocuit non ſequenda, quæ antiquitus probabiliora viſa fuerant. His adhærere debemus, & præcipue Pontificiis decretis. Cum autem habeamus expreſſa circa uſum ſacramentalis notitiæ, ab eis recedere propter antiquas Doctorum opiniones fas non erit.

24 Dico 4. Quæſtio eſt inter DD. Utrum pœnitens teneatur declarare complicem, quando ejus explicatio ad integritatem confeſſionis neceſſaria eſt: an verò poſſit omittere ex eo motivo, quod Confeſſarius ex declaratione ſibi facta in complicis cognitionem veniat? Dicunt aliqui cum Diana, & Navarro, (12) non teneri ex eo fundamento, quod præceptum non infamandi proximum fortius eſt præcepto integrandi confeſſionem. Teneri autem ſentiunt alii. (13) Utraque ſententia habet maximos patronos, primaque eſt valde probabilis; ideoque non eſt improbandus, neque urgendus pœnitens, ſi ea confiſus eam taceat circumſtantiam, eam aperiendus quoties apud alium Confeſſarium illud infamationis periculum non timeatur. Et ſane graviſſimum forte erit, quod fœmina nobilis, & illuſtris bene Confeſſario nota apud ipſum infametur peccati cum filio, aut fratre, aut patre

(12) Dian. p. 1. tract. 7. reſolut. 50. Navar. in Manual. cap. 7. n. 49. & alii ppud Palaum infra.

(13) D. Bonavent. Maſtrius Sannig. Suares. Laiman apud Reifenſt. in Oper. Moral. tract. 14. d. 7 q 3. n. 57. D. Thom. Paludan. Caietan. Vaſq. Suar. Coninch, Laiman apud Caſtro Palaum tract. 23, diſp. un. p. 12. n. 7. Multi alii apud Salmantic. tract. 6. cap. 8. p. 5. n. 127.

tre commiſſi; ſicque in aliis caſibus ſimilibus diſcurrendum erit, in quibus circumſtantiæ occurrentes ſuadebunt aut declarationem circumſtantiæ mutantis ſpeciem, aut ſilentium. Illud certum eſt apud omnes, quod pœnitens tenetur, ſi commode poteſt, alium Confeſſorem adire, cui complex ignotus ſit. Unde non aſſentio Muratorio dicenti graves Theologos opinari id conſilium eſſe, non præceptum; ſiquidem præceptum eſt famæ proximi conſulere, cum id commode fieri poteſt, Doctoreſque, cum id aſſerunt, loquuntur per verba neceſſitatem importantia, ut videre eſt in citato Reitenſtuel *num.* 59. ſic dicente: *Nam ſi id poteſt, tenetur pœnitens alium Confeſſarium adire, ne ſine cauſa proſtituat bonam famam, atque exiſtimationem complicis apud Confeſſarium. Lugo diſp. 16. de Pœnit. n. 391. & ſequent. cum aliis.* Palaus ubi ſupra *n.* 5. ſic habet: *Illud eſt certum, ſi abſque gravi incommodo vitare potes damnum ſive temporale, ſive ſpirituale, alium Confeſſarium adeundo, vel aliquantulum confeſſionem differendo, ſine dubio teneris.* Wigant (13) ſic docet: *Ante reſponſionem ſupponitur ut certum, quod ſi talis pœnitens poſſit habere Confeſſarium, cui perſona complicis non eſt nota, vel ſi poſſit coram eo, cui eſt nota, veſtem, aut vocem mutando, ita ſe occultare, ut non noſcatur, ad id tenetur.* Per eadem verba loquuntur omnes.

(13) Exam. Conf. tract. 11. exam. 6. n. 107.

25 Supra dictam affirmativam ſententiam limitant communiter ipſi ejus aſſertores in aliquibus caſibus, quoties pœnitens vel prudenter timet rationabili motivo Confeſſarium ſecretum confeſſionis eſſe revelaturum, vel aliquod grave damnum ſibi, aut complici ſequi veretur, ut ſi v. g. complex eſſet mater, aut ſoror, aut conſanguinea Confeſſoris. Salmanticenſes *n.* 126. ſic aiunt: *Hic caſus non habet locum quando talis commode poteſt alicui confiteri, cui ignotus eſt; tunc enim tenetur huic integre confiteri; quia hoc ſine incommodo facere poteſt. Neque etiam habet locum quando prudenter timeret pœnitens, Confeſſarium inde ſumpturum occaſionem complicem male tractandi, vel infamandi, aliudve grave damnum inferendi; certum eſt enim, ut ex dictis conſtat, tunc pœnitentem debere illius peccatum celare.* Et *num.* 121. per hæc verba: *Poſſe, & debere confiteri ſua peccata, tacito peccato, de quo probabiliter timet grave incommodum.* Caſtro Palaus ubi ſupra *num.* 3. ſic docet: *Secundus eſt propter impotentiam moralem, quæ cenſetur adeſſe, quoties abſque gravi incommodo, confeſſioni extrinſeco, vitæ, honoris & fortunarum proprio, nequit integram facere confeſſionem; quia cum integritas confeſſionis ſit ex jure poſitivo, non cenſetur gravi jactura interveniente obligare... Id, quod dictum eſt de damno proprio, extendi debet ad alterum: quippe lege charitatis teneris proximum diligere, ſicut te ipſum.* Et poſtea *n.* 6. *Nam ſi prudenter timeres, Confeſſarium inde ſumpturum occaſio-*

nem

nem complicem male tractandi, vel infamandi, aliudve damnum inferendi, certum eſt, ut ex ſupradictis conſtat, te debere illius peccatum celare. Wigant ubi ſupra ſic ſuam limitat concluſionem: *Si enim ſimul ſit morale periculum, quod Confeſſor fracturus ſit ſigillum, & complicem extra confeſſionem diffamaturus, aut aliud grave malum illaturus in bonis corporis, aut fortunarum, &c. pœnitens non debet eum nominare.* Ardechin, (14) qui etiam negativam amplectitur ſententiam, ſic aſſerit: *Non tenetur aliquis peccatum confiteri cum gravi periculo animæ, famæ, corporis &c. Ratio; quia tunc poſitiva lex de confeſſionis integritate merito cedit juri naturali charitatis propriæ. Intellige, ſi alius Confeſſarius adiri non poſſit, vel confeſſio ſine gravi incommodo differri. Si fama complicis graviter lædenda ſit apud Confeſſarium, nec facile alius poſſit accedi, reticeri debet peccatum, vel ſaltem circumſtantia, aut executio peccati, quatenus neceſſe eſt, ut complicis peccatum tegatur, cum onere alteri poſtea confitendi, quod omiſſum eſt. Quia præceptum naturale non infamandi prævalet præcepto poſitivo integræ confeſſionis. Ita Valent. Bañes, Præpoſitus, Navarrus cap. 7. quamvis contrariam ſententiam ſequi liceat.*

(14) Tom. 2. p. 2. tract. 3. cap. 2. §. 1. num. 11. & 12.

26 Nunc juvat Dianam referre *d. reſolut.* 50. ſic ille proponit quæſtionem: *Utrum in confeſſione aperienda ſit circumſtantia complicis, ſi ex hac nullum damnum ſequatur complici præter infamiam apud Confeſſarium?* Refert *n.* 1. affirmativam ſententiam, & poſtea *num.* 2. ſic reſolvit: *Hæc ſententia eſt probabilis; ſed probabilior contraria mihi videtur, quam docent noviſſime Villalobos..... Quibus etiam adde Joan. de la Cruz in Director. Conſcient. p.2. de Sacrament. Pœnit. q.3. dub. 5. concl. 3. ubi ſic aſſerit: (Pœnitens non poteſt confiteri peccatum, aut circumſtantiam manifeſtativam complicis, etiamſi ex hoc nullum damnum ſequatur complici præter infamiam apud Confeſſorem, qui illud tenetur celare ſub ſigillo confeſſionis. Nam præceptum non infamandi alterum fortius eſt præcepto integrandi confeſſionem. Nec reputatur iſta levis infamia, ſi aliàs Confeſſor non ſciebat de complice ſimilia peccata.) Ita ille. Et hanc ſententiam ita veram aliqui exiſtimant, ut doceant, nec etiam in articulo mortis poſſe quemquam licite talem circumſtantiam confiteri. Ita docent.... Reſtat modo reſpondere ad argumenta contraria. Ad primum dico, quod ſi ex dicta manifeſtatione complicis detrimentum non eſſet grave, poſſet pœnitens, etiam habita opportunitate alterius Confeſſarii, confiteri ei, qui ad notitiam complicis deventurus creditur; ſed hoc eſt abſurdum: ergo, &c. Ad alterum verò, quod Confeſſarius id noſcit ſub ſigillo, reſpondetur, quod judicium temerarium non redditur gravius, quia alteri ſit manifeſtandum, ſed ex hoc præciſe, quod quis pravam formet de altero æſtimationem: ergo parum facit, quod Sacerdos debeat*

beat ſubticere circumſtantiam complicis explicatam, &c. Et *reſol.* 51. ſic quærit: *An peccatum ſit explicandum in confeſſione, non obſtante, quod Confeſſarius cognoſcat complicem?* Refert affirmativam ſententiam, & poſtea *num.* 2. ſic reſolvit: *Sed alibi pro negativa ſententia plures Doctores magni nominis etiam adduxi, quibus nunc addo Pittigianum in 4. Sent. tom. 2. diſt. 21. q. 2. art. 8. concl. 1. & Fabrum de Pœnit. in 4. Sent. 17. q. un. diſp. 24. cap. 5. n. 97. ubi inſurgit contra Suares, & ad omnia argumenta, quæ ipſe pro affirmativa ſententia adducit, reſpondet. Mihi hæc ſecunda opinio probabilior videtur.* Et *reſol.* 53. inquirens, an pœnitens in caſu propoſito teneatur alium adire Confeſſarium, ſic reſolvit: *Etiam ſtando in opinione, quod pœnitens poſſit, & debeat explicare in confeſſione complicem ſui peccati, adhuc ad caſum propoſitum affirmative reſpondent DD. &c.* P. Marin (15) reſolvit in hunc modum: *Certum eſt, quod ſi pœnitens non poteſt dare integram notitiam ſui peccati, quin declaret complicem, tenetur ſub levi illam tacere.* Et alii multi dicunt teneri ſub gravi. (16)

(15) De Sacram. Pœnit. diſp. 4. ſect. 4.

(16) De Lugo de Sacram. Pœnit. diſp. 16. ſect. 7. n. 192. Wiggers de Juſt. & Jur. tr. 4. cap. 1. dub. 4. n. 16. Trullench in Decalog. tom. 2. lib. 7. cap. 10. dub. 11. & alii multi.

27 Quibus ſic ſtabilitis, abſolute Muratorio aſſentiri non poſſum, dum ſic generaliter ſtatuit: *Ad integritatem confeſſionis licite poteſt, ac debet Sacerdos pœnitentem interrogare de complice, cum videlicet occurrere poſſit circumſtantia aggravans, & ſpeciem peccati mutans.* Melius diceret, poſſe interrogare de circumſtantia, quam, *interrogare de complice.* Sed non ludamus verbis. Si pœnitens juxta probabiliſſimam opinionem poteſt, & debet in aliquibus caſibus celare circumſtantiam, ne Confeſſarius veniat in cognitionem complicis, neque poteſt, neque debet Confeſſarius eum urgere, ut circumſtantiam declaret. Poteſt fortaſſe pœnitens non aliter aperire circumſtantiam, quin Confeſſarius cognoſcat complicem; poteſt non aliter aperire circumſtantiam, quin veniatur in cognitionem alicujus tertii non complicis, in quo caſu tenetur celare circumſtantiam: *Si enim* (nunc utor verbis Wigant) (17) *totum peccatum fiat ſine culpa alterius, ut ſiquis ſuum ſuperiorem diffamavit de peccato, revera quidem commiſſo, ſed occulto, & juſte occultando: vel ſiquis ſuæ matri dedit pharmacum ad extinguendam prolem ex adulterio conceptam. In hoc conveniunt omnes, quod pœnitens non debeat nominare complicem. Similiter ſi frater commiſit inceſtum cum matre, vel ſorore non conſentiente, ſed eam vi opprimendo, (ut Gonet docet) ſatisfacit, ſi dicat ſe peccaſſe cum conſanguinea eam opprimendo, etſi circumſtantiam perſonæ non exprimat.* Idem, & a fortiori dicendum, ſi pœnitens ſit Sacerdos, & non poſſit declarare circumſtantiam, quin ſigillum adaperiat; tunc enim eam celare procul dubio tenetur. Unde in his caſibus, & ſimilibus prudenter ſe gerere debet Confeſſarius, ſi

(17) Dict. exam. 6.

Digitized by Google

pœnitens circumſtantiam taceat, & conſiderare debet, an pœnitens ei notus ſit, vel penitus ignotus. Si eum minime cognoſcat, tunc interrogare poterit circumſtantiam, quia tunc non datur periculum infamationis. Si verò eum cognoſcat, & pœnitens de circumſtantia interrogatus vel taceat, vel reſpondeat non poſſe revelare circumſtantiam, non ulterius progrediatur ad inquiſitionem, ne pœnitentem periculo exponat alicujus novi peccati. Caſu autem, quo poſſit, & debeat inquirere circumſtantiam, bene advertit Muratorius, quod Confeſſarius non debeat, nec poſſit interrogare de nomine, aut domo, aut aliis ſignis, ex quibus in pleniorem complicis cognitionem devenire contingat; tunc enim, ut recte ait, gravis peccati reus procul dubio efficietur.

28 Unde venit etiam reſpuendus Morinus, dum *num.* 10. ſic generaliter conſtituit: ***Licet nulla ſit utilitas ex confeſſionis revelatione emerſura ſive in pœnitentem, ſive in conſcium, aut tertiam perſonam, tamen non modo licet, ſed etiam tenetur pœnitens conſcium Confeſſori revelare propter ſolam confeſſionis integritatem, licet Confeſſor ex ea revelatione conſcium ſit in particulari cogniturus.*** Ea ſiquidem propoſito abſolute prolata fallit in pluribus caſibus ſupra relatis, & ſimilibus: & præterea omnes fere DD. quos in ſuam affert ſententiam, loquuntur quando alterius Confeſſoris copia non habetur, ut dictum eſt, vel quando probabiliter nullum damnum timetur. Unde debuerat Morinus non ſic generaliter pronuntiare, nec AA. adducere, quin limitationes ab ipſis explicatas in medium proferret. Et etiam falſum eſt contrariam ſententiam a pauciſſimis defendi, cum illam defendant multi, magnique nominis Theologi, adeo ut eorum opinio, ut vidimus ex Diana, communior ſit, & probabilior, eamque ex maxima parte amplectantur recentiores, qui rem poſt antiquiores profundius, & intenſius proſpexerunt.

29 Similiter non eſt audiendus, dum *num.* 11. docet, quod ***filius propinans venenum matri gravidæ ex illicito concubitu, tenetur addere matrem ex illicito concubitu concepiſſe, hancque fuiſſe criminis a ſe perpetrati occaſionem.*** Nihil aptius ad infamandam matrem, ſi ipſa Confeſſari nota erat. Non diſputo, an circumſtantiæ notabiliter aggravantes, aut minuentes neceſſario ſint in confeſſione aperiendæ. Utraque ſententia multos, optimoſque habet patronos. Negativa mihi probabilior, & utilior videtur, utpote non adeo gravans pœnitentes in examinandis circumſtantiis, quæ ſpeciem non mutant, nec ita oneroſum reddens Confeſſariorum munus. Præcipue in circumſtantiis diminuentibus potius videntur quærere excuſationes in peccatis, quam peccata ſynceriſſime confiteri. Sua cuique opinio libera ſit. Quod attinet ad ſupradictam propoſitionem; cum pœnitens pro ſe habeat pro-

babiliſſimam, ſecuriſſimamque opinionem, non recte abſolute aſſeritur ad id teneri, etiamſi exinde deveniatur ad cognitionem peccati tertiæ perſonæ, quæ peccati confeſſi complex non fuit. Idque efficaciter probatur; nam ex una parte ſtat certa obligatio infamiæ proximi vitandæ, cum neceſſitas non urget: ex alia parte ſolum datur dubia, & controverſa opinio; ac proinde in tali caſu debet prævalere, ut fortior, certiorque, prima obligatio. Unde etiam ſtando in opinione affirmativa ſufficeret dicere: Propinavi venenum matri meæ, ſed ex cauſa peccati gravitatem minuente, nec eſſet neceſſarium exprimere in individuo cauſam, & illicitum matris concubitum. Sic ſatisfacit integritati, (etiam dato, quod ejus circumſtantiæ confeſſio requireretur ad integritatem confeſſionis) ſic matris famæ conſulit, & ſuam non prodigit, ut inepte conſiderat Morinus; nam pœnitentis infamia ſtat in actu matricidii a ſe perpetrati, non verò in circumſtantia; immo ipſa circumſtancia convertitur in infamiam ipſius filii, in quem matris infamia redundat, ut certe contingit, ſi habeatur ut filius adulteræ, aut meretricis. Id autem, quod conſiderat circa gravitatem, aut levitatem pœnitentiæ imponendæ, eſt frivolum, ut enim ait Reifenſtuel: (18) (qui meo, & optimorum judicio quæſtionibus definiendis ſecuram ſemper manum appoſuit, nullatenuſque unquam laxitati immiſit habenas) *Sufficit, ut Confeſſarius judicet de gravitate culpæ ſecundum ſpeciem ſuam moralem, ſicque proportionatam pœnitentiam injungat; nec opus eſt, ut judicet de tantitate, ſeu intentione culpæ intra eamdem ſpeciem moris. Sive (ut alii loquuntur) ſufficit ad judicium ſacramentale, quod judex ſit informatus quoad omnia ſubſtantialia, inter quæ ſunt circumſtantiæ ſpeciem mutantes; licet non quoad omnia accidentalia, qualia ſunt circumſtantiæ ſolum aggravantes.*

(18) Dict. tract. 14. diſt. 7. q. 3. n. 50.

30 Dico 5. Quoties aut complicis, aut tertii fama periclitatur, tacendus eſt, & non revelandus in confeſſione ipſe complex, aut tertius. Periclitari autem ſaltem apud Confeſſarium omnium fere eſt ſententia, & hanc attendendam eſſe, nulli in dubium venire potuit. Hæc ſententia non ſolum eſt nonnullorum Theologorum, ut ait Morinus, ſed fere omnium. Siquidem etiam ii, qui aſſerunt, in aliquibus caſibus poſſe revelari conſcium, non dubitant concedere, ſi non interſit juſta cauſa, infamari conſcium apud Confeſſarium. Si recenſerem omnes, longiſſimam DD. ſeriem confeciſſem. Ipſe ſanctiſſimus D. N. in ſuo Brevi *Suprema* hujus infamiæ vitandæ rationem habuit in illis verbis: *Ac tam famæ proximorum.* Hanc cauſam miratur Morinus *cap.* 17. *a paucis objici, & a multis, ut ab ea ſe extricent, nonnihil ſudari.* Ea cauſa non a paucis, ſed a multis objicitur, a paucis, ſive a nullis, quamvis plurimum deſudent, extricatur. Tunc ſo-

lum

Digitized by Google

lum efficaciter ſolvitur, quando revera vel complex jus ad famam ſuam jam amiſerat, vel quando aliud præceptum fortius prævalebat. At reſpectu peccati occulti, de quo omnis quæſtio eſt, nec complex famæ ſuæ etiam apud confitentis Confeſſarium jus amiſit, neque concurrit aliud præceptum fortius; immo datur ſtrictior obligatio in contrarium, ut infra dicturi ſumus.

31 Pro nunc in eo ſiſtimus ut oſtendamus,ejus fundamentum ineptum eſſe & abſurdiſſimum. Reddit igitur ad ſuam antiquæ eccleſiaſticæ praxis cantilenam, & ait: *Complicem, ſicut alium criminis reum tum temporis in confeſſione accuſaſſe, modo pœnitens optimo fine, atque in illius perſonæ bonum, præſertim ſpirituale, vergente moveretur, famæ fuiſſe detractionem, a recta ratione, & ab omnium gentium ſentiendi, & loquendi uſu quotidiano, ſibi videri alienum.* Sic ad decipiendum depingit, & declamat. Tota perorationis fraus in illa particula, *in confeſſione accuſaſſe*, mirifice explanata deliteſcit. Idem non detrahendi præceptum, quod nunc datur, viguit ſemper. Idem ſigilli præceptum ab initio Confeſſarios omnes adſtrinxit, neque in hoc hodierna praxis ab antiquiori diſcrepat diſciplina. Poſſe aliquando bonum ſpirituale, immo temporale proximi anteferri illius famæ; ſeu potius, nec ſemper detractionem reputari proſpicere alicui communi, aut privato bono etiam cum peccati manifeſtatione, & multoties ad id fideles teneri, non modo antiqua tenuit diſciplina, ſed etiam hodierna; nam præceptum correctionis fraternæ eodem ſemper modo obligavit. Quod hæ accuſationes in ſacramentali confeſſione fieri potuiſſent, quod ſacramentum Pœnitentiæ aptum medium fuiſſet ad eas denuntiationes inſtituendas, quod ii fines media confeſſione opportune intenderentur, quod Confeſſarii ad eos fines aſſequendos uti poſſent ſacramentali notitia, id neque hucuſque probatum fuit, neque probabitur aliquando, (aliquibus caſibus exceptis, qui poſtea explicabuntur) nullo unquam tempore licitum fuit uti notitia ſacramentali etiam eo colorato prætextu tot aſſequendarum utilitatum; ideo ille uſus non ab Eccleſia, ſed ab aliquibus non recte opinantibus introductus, prohibitus fuit, ut ſæpe diximus, quia malus, non verò malus, quia prohibitus: ideo ſanctiſ. D. N. Benedictus XIV. horum bonorum colligendorum prætextus callido humani generis hoſti attribuit, & ſcandalis, ac ſigilli fractioni opportunos, ac ad introducendum ſacramenti odium aptiſſimos declarat, & condemnat. Hæc intrinſeca ratio ſemper viguit, vigebitque ſemper. Neque aliud Auguſtinus, aut Hugo de S. Victore, eum explicans, docere potuerunt. Accuſationes judiciales, aut denuntiationes euangelicæ, cum opus fuit, ſemper laudabiles, ſemper utiles, ſemper præceptæ ſunt, non ſolum poſitivo, ſed naturali jure id expoſcente: media autem fieri

Digitized by Google

ſacramentali confeſſione, id fieri licuit nunquam.

32 Id probari, ni plurimum fallatur, evidenti ratione nititur edocere; ſed fallitur, plurimumque fallitur. Utitur igitur argumento fori judicialis externi, in quo hæ denuntiationes, & accuſationes fieri conſueſcunt: ſubſumit: Atqui forum internum ad ſimilitudinem fori externi inſtitutum fuit. Infert: Ergo potuerunt hæ fieri denuntiationes in ſacramentali confeſſione. Quam ridicula illatio! Non plurimum immorabor in ea refellenda. Si de uno ad aliud forum valet argumentum; inferam ego: Igitur unuſquiſque occulti criminis ſe ipſum in judicio tenebitur accuſare. Correlativorum eadem eſt diſciplina: ſi non valet argumentum in hac materia de interno ad externum forum; de externo ad internum utique non valebit. Clariſſimum, & etiam cæcis oculis palpabile eſt diſcrimen. Forum externum ad judicandos alios, non ad judicandum accuſatorem inſtitutum fuiſſe; forum verò internum ad judicandum accuſatorem inſimul à ſe ipſo accuſatum, non verò ad accuſandum alios dirigi, nemini ignotum eſt. Siquis reum accuſaret in foro omnino extraneo, ubi nulla in reum accuſatum jurisdictio, audiendus non eſſet. Forum ſacramentale ad ſolos pœnitentes ſe ipſos accuſantes Deo reconciliandos a Chriſto Domino fuit conſtitutum, non verò, ut alii accuſarentur. Id etiam ignorantes non ignorant.

33 Quotquot utilitates ſibi fingat, aurèque pingat Morinus, naturæ, atque fini ſacramenti cedere debent. Non eſt cur diſtinguat inter antiquam, & hodiernam diſciplinam. Ab initio Pœnitentiæ ſacramentum ad id ſolum tetendit, ut curarentur pœnitentes, non alii, hi ſiquidem, cum ad pœnitentiam accedant, prout morbus ſua popoſcerit, curabuntur. Non inſtitutum fuit, ut per illud aliorum ſcirentur mores, non ut alii propter notitiam in ſacramento habitam corriperentur, ſed ut pœnitentibus reconciliatio cum Deo, ſalutaribus pharmacis adhibitis, largiretur. Quod addit *num.* 3. ad nihil aliud inſervit, niſi ad vera falſis immiſcenda. Teneri Sacerdotem, ut pœnitenti opportuna applicet medicamenta, ea omnia inquirere, quæ ad plenam peccati cognitionem attinent, nemo dubitat; quod verò de conſciis, de eorum mente, & animo interrogare teneatur, id ſacramenti inſtitutioni repugnat, id prohibet, id damnat S. P. Huic adhærere debemus, non Morino. Quod debeat ſaluti pœnitentis proſpicere, id natura ſacramenti expoſcit; quod verò aliis ex notitia ſacramentali conſulere teneatur, id propter maiora inconvenientia, quæ timentur, neutiquam placet. Quod verò tunc Confeſſarii eſſent ſoli Epiſcopi, aut Parochi, nihil negotii faceſſit. Paſtoribus equidem pro grege ſuo invigilare opportere, ut in pace regatur, eique ſalutaria paſcua miniſtrentur, nemo inficias ibit; ſed id conſequi per accuſationes ſecretas in con-

confeſſione factas, negabunt omnes; nihil enim minus ſcit Confeſſor, quam quod per confeſſionem ſcit, ut aiebat Auguſtinus. Quid ea per confeſſionem ſcire juvabat, ſi nihil propterea abſque revelati ſigilli periculo agere poterat? Quot ſcandala, quot oblocutiones, quot murmura, quot confeſſiones ſacrilegæ exinde ſuborirentur? Quantum fideles a ſalutari ſacramento abſterrerentur? Inquirant Epiſcopi, inquirant Parochi, invigilent quantum libeat, & liceat, ſed media confeſſione aliorum vitas, mores, habitus, vitiaque perſcrutari, id abhorreant.

34 Diſtinguit inter confeſſiones factas Monachis, & Parochis. Neſcio an illud vulnus alat venis, quod in Regulares aliquorum invidia aperit, neque unquam extergit. Suſpicionibus tamen aditum intercludamus, ne alio vulnere ſauciemur. An diverſum eſt ſacramentum Pœnitentiæ, diverſa ejus miniſtrandi ratio, diverſa ejus obligatio, diverſa ſigilli neceſſitas, cum Regularibus, aut cum Parochis ſit confeſſio? Momentaneam dicit Monachorum juriſdictionem; cur momentanea? Quia audita confeſſione ſuo munere functi ſunt, nihilque ſupereſt, quod amplius faciant. Hac ratione etiam momentanea eſt Parochorum juriſdictio, quod attinet ad auditam confeſſionem; ea enim completa, quid amplius agere in pœnitentem circa peccata confeſſa non relinquitur? Immo plus periculi habet complicum nominatio Parochis facta, quam Monachis; fortaſſe enim nec complex, nec pœnitens Confeſſario notus erit. Non ſic in Parocho; ideoque complicis nominatio cautius eſt prætermittenda, utpote maioribus periculis obnoxia. Cætera, in quæ, ut Gallorum mos eſt, omnibus Rhetorices lenociniis profunditur, ad quæſtionem præſentem non faciunt, atque ex dictis facili negotio refelluntur. Intendit, quod id moris ante quadringentos annos obſervatum fuiſſet, ſed multa retulimus jam Concilia, poſtea iterum referenda quæ eam ætatem multis ſæculis anteceſſerant, in quibus Confeſſariis prohibetur inquiſitio complicum, commendaturque, confitentes moneant, ne declarent. Mirum quod Morinus poſtea eas omnes utilitates, ea argumenta inveniret, quæ antiquis Patribus latuerunt, aliàs non ſic conſtituturis, ſi ea in conſideratione haberent.

35 Dico 6. Licet quandoque licitum pœnitentibus poſſit eſſe declarare complices, attamen per viam regulæ id non licet, & multo minus ad finem eos corrigendi: multoque minus aſſeri ſine errore poteſt, eos ad id teneri. Multa continet hæc propoſitio. Prima pars ideo proponitur, ut explicemus tertiam Morini propoſitionem *d. cap. 15. num. 9.* ſic habet: *Licitum eſt in confeſſione conſcium ſceleris ex legitima cauſa Confeſſori revelare.* Suppoſita legitima, & neceſſaria cauſa, contradicit nemo. Sed quæ ſit hæc legitima, & neceſſaria cauſa, inveſti-

inveſtigandum ſupereſt; non enim omnia, quæ expenduntur, ita legitima, & neceſſaria ſunt, ut nobis perſuadentur, raroque verificantur. Et in primis ut pœnitens conſiliis, & monitis Confeſſarii à complicis importunis precibus ſe liberet, non eſt neceſſaria expreſſa complicis declaratio. Raro pœnitens, ſi ex animo cupiat liberari, his conſiliis indigebit; raro ipſe non poterit convenientia remedia adhibere, & fortaſſe melius, quam ipſe Confeſſarius. Supponamus tamen aliquem ſic importunum eſſe domeſticum, eſſe magnatem potentiſſimum, eſſe audacem quemlibet violentiam illaturum. Quid opus eſt ſtatim nominare complicem in individuo, ut conſilium accipiat? Nonne ſufficit in genere dicere domeſticum eſſe, magnatem, hominem audacem, à quo violentiam pati veretur? Similiter ad finem orandi pro aliquo peccatore, aut in evidenti peccati periculo conſtituto neceſſe non eſt, ut ſtatim declaretur, quis ille ſit, ejusque nomen Confeſſario exprimatur; ſufficit enim eas petere orationes pro quodam proximo, in aliquo peccati periculo verſante: ſic in aliis ſimilibus caſibus, quos DD. commemorant. Non tamen ideo pœnitentes aut ex zelo, & charitate nomina complicum per inadvertentiam bono animo declarantes, detractionis culpa innodatos conſtituam, licet aliquando imprudenter agant, cum bonum finem intentum ſine hac declaratione conſequi valeant. Obiter hic adnotandum eſt, in his, & ſimilibus caſibus non agi de peccato complicis cum ipſo pœnitente, ſed de peccato tertii alicujus, quod peccator vitare intendit, & quod fortaſſe timet ſibi nociturum.

36 Quod attinet ad peccata, quorum pœnitens non verus complex, ſed ſolum conſcius eſt, regulariter licitum non eſt eorum delinquentes apud Confeſſarium aperire, ſi peccatum jam ſit commiſſum. Nam confeſſio inſtituta eſt, ut peccator ſua, non verò aliena peccata detegat, ut ſæpe diximus, & fert communis Theologorum, idemque Muratorius fatetur *cap.* 1. *n.* 12. neque liberari facile poterit à peccato, niſi aliter per ignorantiam, ſeu inadvertentiam id fecerit; quia ſine aliqua juſta cauſa ea revelatio detractionem damnabilem involvit, ut eſt doctrina D. Thomæ regulariter ab adverſariis adducta *opuſc.* 12. *q.* 6. per hæc verba: *Primum quidem, quia prodere crimen alterius, & lædere famam eſt peccatum, quod maxime vitandum eſt in confeſſione, per quam quis quærit peccata præterita delere.* Neque ea revelatio excuſari poterit prætextu correctionis, aut denuntiationis faciendæ, quam Confeſſarius in ſe ſuſcipere non debet propter maxima incommoda, & ſcandala, quæ oriri poſſunt, & quia ſecundum communiorem, & tutiorem ſententiam pœnitens quoad peccata tertii, aut complicis licentiam præſtare nequit, ut ſupra diximus.

37 Si

37 Si autem agamus de peccato committendo, quod vitare intendit pœnitens, utpote vergente in damnum communitatis, aut tertii, etiam rariſſime licebit declarare complicis, aut cujuscumque tertii nomen. Si enim pœnitens intendit accuſationem, aut denuntiationem criminis publici, hoc eſt, publica vindicta caſtigandi, ut ſunt proditio civitatis, in regem conſpiratio, incendium, quod intenditur, aliaque ſimilia, non eſt medium aptum Confeſſarius, qui his accuſationibus ſe immiſcere non debet. Excipe denuntiationes ubi religionis cauſa vertitur, in ſacro Fidei Tribunali faciendas; has enim, ſi pœnitens commode non poteſt, habita prius ejus licentia, (& conſultius extra confeſſionem conceſſa) poteſt Confeſſarius in ſe ſuſcipere, & aliquando debet, quia occultiſſimæ ſunt. Si verò intenditur ſola admonitio, ut rector civitatis, aut princeps periculi imminentis certus fiat, & cautelas adhibeat, ut damnum vitetur, aut inquirat diligenter, ut delinquentes detegat, etiam neceſſarium non eſt, quod ipſi Confeſſori manifeſtentur, quippe qui ea individuali notitia uti non poteſt. Si verò à pœnitente intenditur cum probabili ſpe fructus (aliter inutilis erit complicis declaratio) delinquentis correctio fraterna, non ſtatim complicem, aut delinquentem declarare tenetur, aut licite poteſt; prius enim exponere debet neceſſitatem correctionis, probabilem ſpem fructus, ſi per ipſum Confeſſarium fiat, ab eo ſcire, ſi hoc onus in ſe ſuſcipere velit, & tunc annuente Confeſſario poterit complicem declarare, utiliusque erit, ut extra confeſſionem declaret: ſi autem Confeſſarius eam obligationem ſuſcipere nolit, ut fere ſemper ob rationes dictas prudentius recuſabit, tacere debet pœnitens complicis nomen, ne eum inutiliter apud Confeſſarium infamet.

38 Si autem pœnitens illius peccati committendi, & vergentis in damnum tertii, aut communitatis complex ſit, plus cautius Confeſſor ſe gerere debet, ne cogat pœnitentem ſuum peccatum ad conſequentiam peccati complicis ſimul prodigere. Sed monere pœnitentem ſuæ obligationis debet, & ei dicere, teneri vel ad procurandam complicis emendationem, ut ſcilicet deſiſtat ab opere intento, & hac obligatione adſtrictum eſſe, ſervato ordine correctionis fraternæ, ſi prudenter ſperet per eam emendandum eſſe complicem, aut ſi id non credat profuturum, eum doceat obligatum eſſe judicibus competentibus denuntiare, ut damnum vitent; ſi proponat id exequuturum, eum abſolvat, dummodo prudenter non judicet utilius eſſe ei abſolutionem differre, donec denuntict. Si renuat, dicat indiſpoſitum eſſe, dum ſuæ obligationi non ſatisfaciat; ſed nullatenus permittat ſibi declarari complicem, neque ſe offerat ad correctionem faciendam, neque perſuadeat, ut ſibi hanc correctionem committat, neque inſinuet ad id teneri, neque etiam, id permittente pœnitente, illud onus in ſe ſuſcipiat propter

pter ſuſpicionem violati ſigilli, & propter ſcandala, quæ communiter accidere ſolent; ſed totum in tali caſu Deo relinquat. Hæcque fortius militant in peccato jam commiſſo, & quod ſolum damnum pœnitenti, & complici attulit.

39 Innumera ſunt in hanc rem Doctorum teſtimonia. Ardeſchin (19) ſic ait: *Quid agendum, ſiquis conſiteretur peccatum occultæ conſpirationis in grave damnum, & injuriam alicujus perſonæ, aut reipublicæ etiam hæreticæ? Reſpondeo, negandam illi eſſe abſolutionem, niſi præſtet promiſſionem firmiſſimam ab illa conſpiratione penitus abſtinendi, eamque pro viribus impediendi. Unde patet confeſſionem ſacramentalem non tantum reipublicæ non eſſe noxiam, ut aliqui calumniantur, ſed etiam maxime utilem, ac ſalutarem.*

(19) Tom. 2. p. 2. tract. 3. cap. 4. n. 23.

40 Diana (20) ſic inquirit: *An ſit licita fractio ſigilli quando caſus eſt talis, quod pœnitens teneatur conſentire?* Et ſic reſolvit: *Quoad primum, certum eſt etiam in tali caſu obligare ſigillum. Ut ſi v. g. pœnitens confitetur in quadam domo eſſe conventicula hæreticorum, in tali caſu conſenſus pœnitentis eſt quidem debitus, ſed à renuente pœnitente hoc minime Confeſſarius exigere poteſt. Sed quid facere debet in tali caſu Confeſſarius? Certum eſt non eſſe abſolvendum, ſi omnino ſit liquidum, quod teneatur conſentire in iſtiuſmodi revelationem. Et neque ipſe revelare velit, neque in revelationem per Confeſſarium faciendam conſentire,* (hic continetur caſus metaphyſicus, de quo poſtea) *ſecus ſi promittat ſe revelaturum prima opportunitate, & malum, quod per revelationem avertendum eſt, tale ſit, ut merito ejuſmodi dilatio pœnitenti indulgeatur. Erit etiam abſolvendus, ſi aliquo modo probabilis ſit opinio ipſius pœnitentis, quia putet ſibi non incumbere ullam obligationem hujus revelationis faciendæ, aut concedendæ hic, & nunc, cum iſtiuſmodi ſuis, quæ veriſimiliter timet, incommodis, de quibus prudenter pœnitentiarius judicabit. Quod obtinet etiam quando eſt liquidum licere, ſufficit probabile eſſe non teneri. Cum autem conſenſus extortus non ſit pro conſenſu habendus, ut ſupra diximus, videat Confeſſarius, ne utatur conſenſu pœnitentis, quando eum indebite coegit, nolens abſolvere, niſi det ſibi licentiam peccati revelandi.*

(20) In Coord. tom. 1. tr. 8. reſol. 26.

Nota.

41 P. Caſnedi jam alibi relatus, (22) & nunc ad intentum iterum referendus, ſic terminanter ait: *Ego ſane, etſi aliunde, quam in confeſſione ſacramentali, ſcirem rei, & ſociorum delictum in rempublicam valde pernicioſum, tenerer ex lege charitatis in bonum publicum rei, & ſociorum crimen deferre perſonis, quæ dictum damnum præcavere poſſent; attamen audita rei confeſſione, etſi cum ejus permiſſu nunquam tale onus ſuſciperem; ſemper enim timerem non quidem ſigilli violationem, quia reus dedit licentiam utendi notitia ſacramentali;*

(21) Tom. 5. Crit. Theolog. diſp. 12. ſect. 4. §. 4.

cramentali, ſed ſuſpicionem alienam cuiqui obviam de violato ſacramentali ſigillo; hanc enim ſuſpicionem ingerere nunquam ex ulla cauſa licet, ut ſcite P. Vaſques *tom.* 4. *in* 3. *part. q.* 93. *art.* 4. & Pater Moya *tom.* 2. *tract.* 2. *diſp.* 3. *q.* 3. *à n.* 1. Et paulo infra: *Eliminanda igitur omnis occaſio de ſuſpicione culpæ in confeſſione auditæ. Hoc enim damnum, quod eſt ſuſpicio de violato ſigillo, quæ ſemper adeſt, ſi Confeſſor teneatur de licentia pœnitentis revelare criminis ſocios, & crimen pœnitentis, inſtante ex occultatione graviſſimo damno, quod in catholicam rempublicam cadere poteſt. Primo, quia pleroſque à ſacramento Pœnitentiæ averteret. Secundo, quia ſi ſemel ex boni publici fine hoc liceret, ſæpiſſime liceret, quin liceret ex fine boni privati; charitas enim æque obligat avertere malum perſonæ publicæ, ac privatæ. Tertio, quia ſicut nunquam licet violatio ſacramentalis, etſi per eam ſummum reipublicæ malum averti poſſet, quia ea violatio quatenus eſt contra præceptum divinum, & ſacramentum, eſt maius malum, quam ſit omne aliud damnum, etſi contra legem naturalem, aut ſupernaturalem, imminens reipublicæ, non violato ſigillo; ita quoque ex nulla cauſa licet dare ſuſpicionem de violato ſigillo, quam ſemper dat Confeſſor utens, etſi de pœnitentis permiſſione, notitia ſacramentali.*

42 P. Medina (22) eſt expreſſus in materia. Hiſpanico ſermone ſcripſit, Latino eum reddo fideliſſime: *In uno ſolum caſu tenetur pœnitens complices detegere, aut ſocios peccati; non tamen Confeſſori, ſed judici, aut Prælato, ut ſi v. g. unus fuerit ſocius latronum, aut hæreticorum, aut cum aliis tractatum habuerit de incendio civitatis; hic enim ſi pœnitentia ductus accedit ad confeſſionem, & Confeſſori id declarat in confeſſione, tunc Confeſſor jubeat, ut denuntiet ſocios judicibus, vel Inquiſitoribus.... Hoc autem non eſt aliquod novum præceptum à Confeſſore impoſitum, ſed à Deo ad id obligante: ſicut quando ei dicit, niſi reſtituas ablatum, non poſſum te abſolvere. Eſt igitur pœnitens obligatus ad detegendos complices, non ſolum ſi ipſe ſocius eſt, ſed etiam ſi complex non ſit, ſufficit quod ſciat conſpirationem, ſeu tractatum contra bonum commune. Sed hoc, quod eſt declarare complices, nunquam eſt verum, quod Confeſſori faciendum ſit.*

(22) Inſtruct. Confeſſor. lib. 2. cap. 4

43 Marchantius (23) ſic reſolvit: *Etſi pœnitens teneatur per tertiam perſonam crimen alicujus tertii foris manifeſtare; non facile Confeſſarius id debet in ſe aſſumere. Ratio eſt; quia inde ſuſpiciones contra ſigillum apud infirmos, & ignorantes gigni poſſunt. Unde & confeſſio redditur odioſa, ac detractionibus malevolorum exponitur: præterquamquod, ut ſupra notavi, malevola, vel malevolus aliquis mendaciis aliquando Confeſſarium dementet, ut alteri noceat: exempla fere diebus ſingulis occurrunt. Honor itaque ſigilli ſacri omnibus*

(23) Tribun. Sacrament. tom. 1. tr. 4. tit. 6. q. 5. append. 2. concluſ. 3.

(24) In Summ. lib. 5. Pœnit. cap. 21. n. 11.

bus iſtis ſecundariis emolumentis præferendus eſt. Henriques (24) ſic docet: *In foro pœnitentiæ nunquam pœnitens compellitur directe manifeſtare perſonam complicis; aut alterius delinquentis.... Quia Confeſſarius nullum in eo foro jus habet corrigendi, puniendi, aut denuntiandi reos.*

(25) De Sacram. Pœnit. tr. 5. diſp. 8. ſect. 2. §. 17.

44 Frater Antonius à Spiritu Sancto (25) ſic ait: *Quæ conditiones cum raro poſſint accidere, raro talis obligatio à Confeſſoribus accipienda eſt; quia itum enim fieri poteſt, ab hoc onere ſe debet Confeſſor eximere, quando delictum alterius eſt in perniciem religionis, vel in damnum tertii, vel contra bonum commune, ut ipſe proximum corripiat, vel denuntiet prælato, vel ſibi revelet extra confeſſionem, ut de remedio provideatur: quod ſi nihil horum nolit, non eum abſolvat, & nunquam tale onus accipiat intra confeſſionem, niſi raro, & in urgentiſſimo caſu, & habendo prius depoſitionem pœnitentis in ſcriptis, quæ conditiones, ſi non adſint, totum Deo relinquat. Melius eſt enim plura peccata ſecreto Dei judicio relinquere, quam exponere tot inconvenientibus ſanctiſſimum ſacramentum Pœnitentiæ.* Eamdem ſententiam ſequuntur Banes, Lorca, Roſela, & multi alii, quos recenſere opus non eſt.

45 Non me latet, Cardinalem de Lugo, Dianam, & alios aſſerere poſſe dari caſum, in quo pœnitens teneatur Confeſſario declarare complicem, quando ſcilicet ex occultatione ſequi poteſt aliquod damnum, quod reipublicæ, aut communitati imminet, & nulla alia via reparari poteſt, quam per ipſum Confeſſarium. Hic caſus eſt metaphyſicus, ac proinde pro regula generali attendendus non eſt; ſolum poterit eſſe ſpeculative, non tamen practice probabilis; neque in praxi admittendus; aperiretur namque feneſtra, ut ad exemplum pro delectu Confeſſariorum traheretur ad ſimiles caſus, & imprudentes Confeſſarii aliquoties judicarent, illud remedium ſolum per ſe ipſos applicari poſſe. Unde opportunius eſt illum caſum rariſſimum, & ſpeculativum potius, quam practicum, in generali diſpoſitione comprehendi, quam abuſui inquirendi complices, & cogendi pœnitentes ad eos declarandos, vel tenuiſſimam rimulam apertam relinquere. Optime ad rem facit quod ait P. Viva *dict.* §. 8. ſic ſcribentis, licet ad aliud intentum: *Quia ſi via aperiretur ad hoc permittendum pro eo caſu, quo quis putet evidens eſſe, quod non poſſit alia via damnum graviſſimum declinari, facile quilibet perſuaderet ſibi, hic, & nunc id ſibi licere; quod certe ingentem ferret reipublicæ perturbationem. Idemque dicas de iis omnibus, in quibus facile homo poteſt præ paſſione hallucinari; ſatius enim eſt, quod in his caſibus privatus patiatur quodcumque damnum, quam viam illam aperire, quæ ingens damnum afferret reipublicæ. In caſu noſtro, ſi licitum eſſet uti notitia confeſſionis cum aliquali gravamine*

pœniten-

pœnitentis, quando hoc deſervit ad impediendum grave damnum maius, facile ſuperiores præ zelo obſervantiæ perſuaderent ſibi hic, & nunc licitum eſſe talem uſum: & idcirco debuit jure naturali, & divino talis uſus pro quolibet caſu interdici; quia ſi hæc via aperiretur, ingens damnum bono publico eveniret, & magna ſacramento Pœnitentiæ irreverentia. Idemque dicas, ſi pro caſu aliquo rariſſimo (puta ad declinandam mortem, aut urbis proditionem) liceret confeſſionis revelatio. Nota.

46 Confirmatur hæc doctrina circa decretum Clementis VIII. noſtræ quæſtioni aptiſſime applicandum ex ſententia P. Suarii Granatenſis, (26) quem adverſarii ſuum faciunt; poſtquam enim ſtatuerat non eſſe licitum uti notitia peccati complicis ad aliquem actum, *quo poſſit ejus perſona prodi* absque licentia pœnitentis, ſtatim *num. 2.* id limitat caſu, quo ex tali notitia reſultet aliqua manifeſtatio complicis ipſi, vel aliis, & etiam caſu, quo uſus notitiæ complicis ſit prohibitus, ut de facto eſſe aſſerit per tale decretum. Verba eximii Doctoris hæc ſunt: *Addenda verò hic limitatio ſuperius poſita, nimirum hoc procedere ex natura rei, ſeu ſacramenti, & ſecluſa prohibitione poſitiva; nam etiam hic uſus poſſet aliquando per illam prohiberi, vel limitari: & de facto limitatus, & prohibitus eſt a S. D. N. Clemente VIII. quoad exteriorem gubernationem. Quam prohibitionem extendendam cenſeo etiam ad cognitionem complicis; nam licet ſolum loquatur de illa notitia, quam de aliorum peccatis in confeſſione habuerunt Confeſſores, quæ verba poſſent ad ſolos ipſos pœnitentes referri; tamen ſimplicius, & verius intelligi cenſeo de omnibus peccatis tam pœnitentium, quam ſociorum criminum; quia eadem eſt notitia, & relativum*, aliorum, *ad omnes referri poteſt, & debet.* Et ſimiliter ex eadem ratione decretum Innocentii XI. tam de pœnitentibus, quam de complicibus generaliter, & in omni caſu accipiendum eſt; nullo enim refragante Theologo, tam pœnitentis, quam complicis peccata ſub eodem ſigillo clauduntur.

(26) Dict. diſp. 34. ſect. 3. aſſert. 2. n. 2.

47 Et ſane mihi perſuadere non poſſum, cur in illo caſu metaphyſico adigendus ſit pœnitens, ut Confeſſori declaret complicis nomen, aliter non abſolvendus, non autem eodem modo teneatur, cum vertitur damnum alicui privato imminens? In hoc ſecundo caſu damni privati conſentiunt omnes non teneri pœnitentem (licet aliàs ſecundum aliquorum opinionem licite poſſit) complicem Confeſſario declarare, neque ad id cogendum eſſe, ſecus in primo. Rationem autem differentiæ neque DD. adducunt, nec eam percipere poſſum. Fingunt hypotheſim, nullum aliud remedium dari ad vitandum damnum, niſi per revelationem Confeſſario factam, nec ullum alium, qui imminenti periculo occurrere valeat, niſi ipſum Confeſſarium inveniri

 poſſe.

poſſe. Fingamus etiam tantiſper, & rem ad ultimas anguſtias redigamus. Supponamus Titium ſcire Sempronio inſidias ad mortem ab aliquo machinari, in cujus machinatione ipſe ſocius eſt. Jacet in lecto morti proximus in eremo, aut ſolitudine ſine familiaribus, vel cum illis, quibus rem tantam committere non poſſit, ſolumque Confeſſarium aptum habere ad illud vitandum periculum. Ipſe per ſe non poteſt nec corripere complicem, nec Sempronium monere. Tenebitur igitur Confeſſori declarare complicem, aut à Confeſſario compelli, ut ſibi declaret? Poterit Confeſſarius ea uti notitia ſic extorta, aut perſuaſionibus acquiſita? Conſentiunt fere omnes non teneri. Cur igitur tenebitur ad vitandum periculum communitati imminens? Charitatis præceptum æque urget ad vitandum damnum particulare, quam commune. Si uno caſu non obligat, neque in alio obligare dicendum erit.

48 Ratio diſparitatis nulla ſufficiens aſſignari poteſt: ſiquidem obligatio ſigilli ſervandi, & vitandi ſuſpicionem de eo violato, eſt altioris ordinis, & maius bonum continet, quam omne aliud bonum ſive privatum, ſive commune, etiam totius mundi, ut omnes unanimiter fatentur. Ergo ſive vertatur bonum commune, cujus damnum vitare intenditur, ſive vertatur bonum privatum, cui occurrere neceſſe ſit, ſemper ratio fortior non fragendi ſigillum, ſive vitandi ejus fractionis ſuſpicionem æque militat in utroque caſu, & potius attendi debet. Favor ſacramenti, periculum illud reddendi pœnitentibus formidoſolum, neceſſitas illud reddendi ſuave, dulce, amabile, æqualiter in quolibet caſu vigent. Quod licentia ad revelationem debeat eſſe omnino libera, & ſpontanea, & quod talis judicari non poſſit, quæ vi, metu, dolo, importunis precibus, ſuavibus ſuaſionibus, aut etiam metu reverentiali Confeſſoris acquiſita ſit, nemo eſt qui inficias eat; neceſſariam etiam eſſe licentiam complicis, & favorem ſigilli non ſolum reſpicere pœnitentem ipſum, ſed etiam complicem, & principaliter ipſam ſacramenti reverentiam, opinio eſt communiſſima, & potius amplectenda, quia ſacramento favorabilior. Hæc omnia non plus in uno, quam in alio metaphyſico caſu procedere, ambigendum non eſt. Igitur vel illa limitatio ad omnes ſimiles caſus extendenda eſt, vel in nullo admittenda. Si extendamus, fruſtrantur omnino Pontificiæ conſtitutiones, periclitatur ſacramenti religio, fovetur confeſſionis timor. Ne igitur id admittamus, prædicta doctrina venit omnino explodenda.

49 Unde cavendus eſt Muratorius, aut ſaltem explicandus, dum *d. cap.* 1. *n.* 10. ſic ait: *Accidere interdum poteſt, ut adigendus ſit pœnitens ad revelandum complicem, cum nempe agitur de gravibus malis vitandis, quæ in perniciem reipublicæ vergere poſſunt, ſicuti accideret, ſi vita Principis periclitaretur, ſi aqua mortifera populo propi-*

propinaretur, aut ex farina, cui gypſum miſtum foret, conficeretur. Ut impediatur, ſi fieri poteſt, hoc malum, obligatur pœnitens ad exquirendum conſilium Confeſſarii, qui pro ſua prudentia aut per ſe, aut per ipſum pœnitentem remedia conquirat. Niſi revelare velit pœnitens, minime eſt abſolvendus; nam ex lege non minus juſtitiæ, quam charitatis tenetur ille pro virili curare, ut in tuto ſit publica ſalus. De damno vitando, quod privatæ alicui perſonæ imminere poteſt, non loquor; nam fere ſemper ſuppreſſis complicum nominibus conſilium præbere poteſt Sacerdos. Si Muratorius loquitur de obligatione, quam pœnitens habet accuſandi, aut denuntiandi delinquentem judicibus, aut Magiſtratibus, cum agitur de prædictis, aut ſimilibus malis vitandis, nemo ambigit id poſſe, immo & teneri aliquando, ſi aliter vitari non poteſt. Si autem loquitur de revelatione complicis facienda ipſi Confeſſario, (ut exceptio poſita in fine perſuadet) falſum dicit; nam Confeſſor ad id compellere nequit; nec ea compulſio aliquem utilem effectum producere valet; quò enim plus adigatur pœnitens, eò plus interdicitur ejus notitiæ uſus; deficit tunc enim ſpontaneitas requiſita, ut talis uſus, etiam in ſententia eorum, qui ex licentia pœnitentis talem uſum admittunt, permiſſus ſit.

50 Verum etiam abſolute non eſt, quod obligetur pœnitens ad exquirendum conſilium Confeſſarii, ut Confeſſarii; nam ipſe per ſe poterit prudenter remedium adhibere vel admonendo delinquentes, ut abſtineant, ſi commode id poſſit, vel quærendo aliquam perſonam, de cujus efficacia confidat, utiliter id facere poſſe, vel denuntiando Magiſtratibus, qui damnum impediant, vel etiam accuſando. Caſu autem metaphyſico, quod ipſe per ſe non poſſit, ſaltem per epiſtolam, nec detur alia perſona, per quam id faciat, niſi Confeſſarius, non eſt opus, ut eum adeat preciſe, ut Confeſſarium, ſed ut conſiliarium, virumque prudentem, qui tunc ea notitia ſecurius uti poterit, prout viderit expedire; ſi autem eum adeat ut Confeſſarium, ut peccatum illud, cujus complex eſt, fateatur, & abſolutionem apud Deum conſequi valeat, tunc ſuæ obligationis eum monere debet: ſi proponat motiva, quæ eum impediant, judicabit Confeſſarius, an attendibilia ſint, conſilium dabit, ut occurrat damnis, quæ ex denuntiatione timet pœnitens: ſi adhuc ipſe pœnitens non acquieſcat, conſulat, ut id faciat per tertiam perſonam; & licet cognoſcat nullam aliam dari poſſe, niſi ſe ipſum, nullatenus ad id ſe offerat; ſiquidem ipſa inſinuatio liberrimum tollit conſenſum. Si autem pœnitens dicat ſe nullam aliam tertiam perſonam habere, per quam commode ſuam obligationem exequatur, niſi ipſum Confeſſarium, tunc ei conſilium dabit, ut extra confeſſionem eum adeat; ſi acquieſcat, eum abſolvere poterit; ſi renuat, inabſolutum dimittat. Sed caveat ſemper, ne pœnitens complicem,

cem, aut complices declaret; id enim neque eſt neceſſarium, neque conveniens. Perpendat, ac ſecum ruminet Confeſſarius, an ſibi expediat illud onus in ſe ſuſcipere. Videat, ac ſecum deliberet, an eum, ſuumque ſacerdotalem ſtatum deceat capitalium criminum reos ad Principes, civileſque deferre Magiſtratus? Si hoc turpe, nefaſque erit per notitiam in confeſſione habitam exercere, cur nomen, & perſonas complicum, etiam in illo nunquam verificabili caſu, inquirere, ac extorquere fas eſſe judicabitur? Cur ad id licite ſuadendus, adigenduſque erit pœnitens? Si eæ premunt anguſtiæ, aut neceſſe ſit, ut pœnitens non ſolum complices, ſed etiam, ſi opus fuerit, ſe ipſum prodat, ad id adigat, neque abſolvat, ſi non adimpleat, aut veraciter promittat adimplere. Sed quod Confeſſario complicum nomina declaret, vel alia ſigna ad ejus manifeſtationem conducentia præbeat, nullatenus ei conſulendum, aut perſuadendum eſt.

51 Hujus manifeſtationis, hujuſmodique notitiæ uſus nullam utilitatem, plurimaque pericula ſecum affert. Revelatio, aut ſaltem revelati ſigilli ſuſpicio primo in proſpectu ſeſe offert præ omnibus attendenda. Interdum (quod experientia docet) pœnitens, non verè pœnitens, ſed aſſuetus verſare dolos, odio, aut vindictæ ſtimulis agitatus, medio Confeſſario has querelas in damnum innocentis machinatur, ut ipſo incolumi, & abſque talionis, aut falſitatis, aut calumniæ timore, ille ſic calumnioſe detectus incommoda multa, damnaque patiatur. Utilitas nulla ex tali manifeſtatione complicis inde reſultat; Confeſſarius enim, ſecundum ſecuriorem opinionem, ea uti non poteſt, & præcipue poſt præfata Pontificum decreta. Et licet ipſe Magiſtratibus denuntiet, hæc ſimplex denuntiatio non eſt ſufficiens, ut judices ad inquiſitionem procedant, & multo minus ad coercitionem. (27) Unde nihil aliud ſupereſt agendum Confeſſario, niſi ut plurimum ex licentia pœnitentis, Magiſtratus, aut Principem imminentis periculi monere, ut præcaveatur.

52 Ad id, quod ultimo loco dicit circa damnum, quod privatæ perſonæ imminet, non attingo, quare poſſit Confeſſarius conſilium præbere ſuppreſſis complicum nominibus, & id non poſſit quando damnum eſt commune. Par eſt ratio, quomodocumque rem conſideremus, ſive reſpiciamus ad nudum conſilium, ſive ad effectum avertendi damni, ſive ad periculum revelati ſigilli, vel tandem ad finem correctionis fraternæ. Immo ſi ad hanc fiat complicum inquiſitio, aut compulſio, aut abſolutionis denegatio, neceſſe eſt, ut incidamus in damna-

(27) Reifenſt. ad tit. de Confeſſ. §. 6. num. 132. Caſtro Palao d. tract 23. p. 19. n. 12. Soto in 4. diſt. 18. q. 4. art. 6. Farinac, Criminal. lib. 2. q. 47. n. 96. Menoch. de Præſump. lib. 2. n. 96. Bald. in L. Archigerontes cod. de Epiſcop. audient. cum aliis.

damnatam doctrinam, ac praxim, quam S. D. N. Benedictus XIV. expreſſe proſcripſit, ac damnavit. Hinc etiam non admitto quod Muratorius ſupponit *num.* 11. in illis verbis: *Abſque juſta neceſſitate*, meo ſiquidem judicio, & conſiderato attente illo adverbio *penitus*, quod in iiſdem Conſtitutionibus habetur, nullo unquam caſu, reluctante pœnitente, juſta eſſe poteſt prædicta compulſio.

53 Ex quibus explicandum venit, quod ipſe Muratorius ſcripſit ſtatim in principio capitis tertii. In primis enim bene dicit, quod in dicta Decretali *Suprema*, damnata invenitur *omnis Confeſſariorum curioſitas, quæ neceſſaria non ſit, aut utilis pœnitentibus. Hoc eſt quacumque arte exquirere nomen, & habitationem complicis.* Deinde eum laudo, quod cum referret Decretalis verba, omiſerit adverbium *paſſim*, quaſi optime noverit, illud adverbium ad relationem facti, non verò ad Decretalis damnationem attinere, neque calculum ſuum addiderit perverſæ illorum interpretationi, qui judicant S. D. N. ſolum prohibuiſſe frequentiam, non verò ipſam interrogandi, & adigendi complices introductam doctrinam. Non verò laudo in iis, quæ ſequuntur; videntur enim mihi aut obſcura, aut quodammodo æquivoca. Sic ait: *Quibus verbis praxis eorum proſcribitur, qui nullum juſtum titulum habentes, complicum nomina ſcrutantur, & indebitæ curioſitatis reos ſe ſtatuunt.* Supponit igitur poſſe dari juſtum titulum ad complicum nomina inquirenda in confeſſione, quod falſum eſſe jam probavimus. Huicque ſententiæ ipſe adſtipulatur paulo infra in illis verbis: *Omiſſo tamen nomine, & loco habitationis, ſi fieri poteſt.* Nunquam autem fieri non poteſt, ut omittatur nomen, & locus habitationis; id enim, quod attinet ad confeſſionis miniſterium, inutile prorſus judico. Supponit iterum Confeſſarios ſic interrogantes ſolummodo curioſitatis reos ſe ſtatuere; quod etiam jam præmiſerat *cap.* 2. *n.* 8. ubi ſic ſcriptum reliquerat: *Ulterior Confeſſarii interrogatio ad peccaminoſam curioſitatem eſt referenda.* Quaſi ſic materiam diſponat ad poſtea rectiſſimo ſanctæ Inquiſitionis Tribunali detrahendum: cum tamen prædicta praxis non tam indebitæ curioſitati eſſet adſcribenda, ſed errori in doctrina; quaſi ſibi licere putaverint, eam ad bonum correctionis finem frequentiſſime introducere: ſemperque in ſe contineret ipſa praxis & proximorum infamiam, & maximam ſacramenti irreverentiam; quibus malis occurrere Tribunal illud *pro munere, vigilantiaque ſua*, & poterat, & debuerat. Sed de hoc ſuo loco.

54 Quod autem addit, nempe, quod *ſapientiſſimus Pontifex damnationem ad eos caſus non extendit, in quibus aut integritas confeſſionis, aut publica neceſſitas, aut pœnitentis conſcientia exigit, ut complicem revelet*, intelligendum eſt de complicis revelatione generica ad cognoſcendam ſpeciem peccati juxta ea, quæ ſupra expendimus;

aut

aut de ſpecifica; non tamen Confeſſori facienda in confeſſione, ſed illis, quibus vitandi ea damna publica ſolicitudo demandata eſt; quæ quidem à Confeſſario conſulenda, aut jubenda erit etiam cum abſolutionis denegatione, quando neceſſaria ex circumſtantiis occurrentibus viſa fuerit. Sanctiſſimus Pontifex, cujus mens ex verbis, ratione, & fine ſuæ Decretalis deſumenda eſt, ſuam conſtitutionem extendit ad omnes caſus, in quibus interrogatio complicum fiat, & ejus conſenſus extorqueatur, licet alicujus boni finis prætextu, aut ad uſum notitiæ habitæ in confeſſione, aut cum infamia proximi, vel cum injuria ſacramenti, aut cum periculo arcendi fideles à ſacramenti frequentia. Hæc eſt regula firma, & immutabilis, per quam ſanctiſſimi Pontificis Conſtitutiones intelligendæ ſunt, omnino prætermiſſis Doctorum ſententiis liberius opinantium, quas ipſe falſas dicit, aut male applicatas. Si autem quod *Chriſti Vicarius damnavit, jam antea concordibus votis Theologi improbarant*, quæ erant falſæ doctrinæ, quas ipſe condemnat, niſi quæ has complicum ſpecificas inquiſitiones in aliquibus caſibus ſuadebant, & quibus adhuc hodie, ut Pontificia decreta illudant, & ſiniſtre interpretentur, illius praxis ſectatores innituntur? Omnes iſtiusmodi opiniones, in quibus complicum ſpecificæ inquiſitioni laxantur habenæ, quidquid alii diverſimode contendant, proſcribendæ ſunt. De opinione eximii Suarii poſtea ſermo erit.

RADIUS TERTIUS

Aliquas doctrinas P. Pauli Gabrielis Antonii, & cujusdam ejus defenſoris omnino deſtruit.

1 IS Author, alioquin orthodoxus, varias Theologiæ materias in quatuor libellulos diviſit, & conciſe pertractavit: quorum tertia pars, ubi agit de Sacramento Pœnitentiæ à *pag.* 258. aliquas continet propoſitiones, quæ licet in ſano ſenſu accipi poſſint, attamen poſt Bullam *Suprema* aliqua indigent cenſura; præcipue cum hi libri à reprobatæ praxis introductoribus à Reviſorum ſancti Officii examine ſubtracti, inter ſuos ſpargerentur. Hinc in eos juſta ſuſpicio exorta eſt; & ne ſub melle venena lateant, ideo eas doctrinas placuit in trutinam revocare. Et proſequendo concluſiones, quas in antecedenti radio conſtitueram,

2 Dico ſeptimo. Pœnitens non tenetur præſtare licentiam ad uſum notitiæ in confeſſione habitæ, nec etiam ad id cogendus eſt tam reſpectu ſui, quam reſpectu complicis. Hæc concluſio abunde ex dictis fulcitur, & ex dicendis abundantius probabitur. Contrariam tamen ſenten-

ſententiam tenuiſſe videtur prædictus P. Antonius Gabriel *dict. pag.* 258.§. *Dixi* 1. ubi ſic habet: *Dixi* 1. *ſine conſenſu pœnitentis; nam eo ſponte dato, licet juſta de cauſa uti notitia in confeſſione acquiſita. Quia cum obligatio ſigilli ſit in favorem pœnitentis, poteſt is ſuo jure cedere, & dare facultatem revelandi aliquid in confeſſione declaratum: poteſtque per alium facere, quod per ſe ipſum poteſt. Et aliquando ad id tenetur, v. g. ad avertendum damnum reipublicæ, vel tertii; ac proinde ſi eam deneget, non debet abſolvi.*

3 Hæc concluſio duas habet partes: prima, ſi à ſecunda ſegregatam conſideremus, condemnari non poteſt. Licet enim Scotus, ejusque ſchola, & complurimi DD. teneant cum P. Vaſquio ſupra relato præceptum ſigilli reſpicere primario favorem ſacramenti, cui pœnitentis conſenſus præjudicare non poteſt; in tantum enim pœnitentem reſpicit, in quantum ſacramenti ſecretum ex lege naturali, & divina, & poſitiva, & humana eſt inviolabile, ne ſcilicet reddatur oneroſum, & odioſum, quæ ratio tranſcendentaliter ſe habet ad omnes fideles: & quamvis hæc ſententia, utpote ſigillo favens, potius amplectenda ſit, ac per conſequens ſolum poſſit Confeſſarius de licentia pœnitentis cum ipſo colloqui de auditis in confeſſione; attamen cum contraria ſententia optimos habeat patronos, improbari non debet, neque à S. D. N. in ſuis Conſtitutionibus damnata reperitur, ut bene advertit. Muratorius *d. cap.* 3. *pag.* 17.

4 Cum verò illa P. Pauli Gabrielis concluſio ſit generaliter, & abſolute concepta, neque aliquatenus diſtinguat inter peccata ipſius pœnitentis, & peccata complicis, & aliàs frequentiſſime ad confeſſionem deferantur peccata cum complice commiſſa, nec ipſe ſeparet quæſtiones, violenter nimis ejus defenſor nititur perſuadere, eum in *dict.* §. ſolum agere de uſu notitiæ in ordine ad ipſum pœnitentem, non verò in ordine ad complicem. Neque ad eam generalem propoſitionem ſalvandam aliquid concludit, quod Author ille doceat, correctionem fraternam, dum poteſt fieri ab ipſo pœnitente, non eſſe per alium faciendam: ſiquidem cum non poteſt per ſe ipſum, debet per alium corrigere, ſervato ſecundo gradu correctionis juxta doctrinam Angelici Doctoris, & communem. Unde non illidit ſuſpicionem, quam gignit univerſalis illa theſis, ratio ab eo aſſignata, nempe quod poſſit per alium facere, qui poteſt per ſe ipſum; ſiquidem illa ratio non tollit, quod poſſit, & debeat per alium, quando non poſſit per ſe ipſum.

5 Neque eum à cenſura eximit, quod nec verbum quidem loquatur de correctione fraterna. Siquidem ſuppoſita univerſalitate propoſitionis abſolute permittentis uſum notitiæ ſacramentalis de licentia pœnitentis, ille uſus permiſſus vel neceſſario debet intelligi de uſu in

 ordine

ordine ad correctionem, vel in alium deteriorem impingit errorem. Si enim ille uſus ad correctionem non dirigitur, ad quid aliud inſervire poſſet, niſi ad detractionem, & infamationem ipſius complicis, quæ nullatenus licita eſſe poteſt, nec licentia pœnitentis ad illum effectum aliquid operari valet, immo eſt omnino inutilis, & graviter peccaminoſa, & non ſolum pœnitenti, ſed etiam ſacramento valde injurioſa? Ergo, ne hujus craſſiſſimi erroris Authorem illum reum faciamus, neceſſario eum agere de uſu notitiæ ad correctionem (in qua ſententia patronos habet) conſtituere debemus.

6 Comprehendiſſe autem hunc uſum notitiæ ſacramentalis ad prædictum correctionis finem, ex eo liquet, nec tergiverſatione aliqua celari poteſt, quod in fine (& hæc ſecunda illius theſis pars) addiderit illam explicationem: *Et aliquando tenetur &c.* Quomodo verificatur, aut verificari poteſt, ſolum de pœnitente locutum fuiſſe, ſi incidit in Scyllam cupiens vitare Carybdim? Errorem manifeſtiſſimum docuiſſe opus eſt ut fateamur, ſi de pœnitente ſuam theſim intelligere velimus. Pœnitens ſuum proprium delictum detegere non tenetur. Vel crimen, de quo confeſſus eſt, jam fuerat perpetratum, vel ſolum Confeſſori detexit pravum, & deliberatum animum committendi illud? Si primum, cum jam damnum vitari non poſſit, non poteſt à Confeſſore adigi, ut ſe reum, aliàs occultum, coram judice ſiſtat, ut vitæ, aut alicujus gravis pœnæ diſpendium patiatur. Si autem ſecundum, etiam certum eſt minime teneri ſuum animum declarare; ſufficit quod contritus deponat illum, & fideli promiſſione certum faciat Confeſſarium, ſe, jam mutatis conſiliis, ab intento opere abſtinendum. Ergo præciſe loquitur non de ſolo pœnitente, ſed de pœnitente, qui ſocium, aut ſocios habebat, cum quibus ſuper eo flagitio inferendo communibus votis, communibus auxiliis deliberaverat, & quam deliberationem in confeſſione aperuerat, ut eam pœnitentia ductus omnino deteſtaretur.

7 Sic firmato, quod dictus A. non poteſt in tali §. ſimpliciter intelligi de ſolo peccato pœnitentis, ſed præciſe etiam de peccato complicis, aut ſocii, nullatenus ejus doctrina conſona eſt ſententiæ D.Thomæ *diſt.* 21. *q.* 3. Siquidem S. D. expreſſe loquitur de peccato proprio ipſius pœnitentis, & de ejus licentia ad uſum notitiæ ſui peccati, ut ejus verba clare demonſtrant; ait enim: *Præt. Qui poteſt aliquid facere per ſe, poteſt etiam per alterum; ſed confitens poteſt per ſe peccatum ſuum, quod fecit, revelare: ergo poteſt internuntium Sacerdotem facere.* Neque ultra progreditur S. D. ad docendum pœnitentem ad id teneri, & ſi non faciat, abſolvendum non eſſe. Ergo vel dictus A. loquitur de ſolo pœnitentis peccato; & tunc non cohæret D. Thomæ, qui talem pœnitenti obligationem non imponit; vel loquitur

de

de peccato pœnitentis, cujus habet complicem; & tunc non conſonat eidem S. Doctori, qui ſolum agit de peccato ſolius pœnitentis, aliàs non poſſet verificari ratio D. Thomæ; nam pœnitens peccati alieni neque internuntium poteſt facere Sacerdotem, nec ipſe poteſt pro libito declarare abſque eo, quod detractionis reus efficiatur. Non eſt igitur P. Pauli Gabrielis, & Angelici Doctoris eadem ſententia. Unde, ſicut hæreticorum mos eſt S. Auguſtinum in ſuum, ſi poſſunt, adoptare, ita horum Theologorum eſt ſtudium ſuas minus ſanas, aut ſaltem ambiguas concluſiones Angelico Doctori attribuere.

8 Non tamen adeo rigidus cenſor ego ſum, ut ſtatim conſtituam illam theſim expreſſe continere doctrinam à S. D. N. reprobatam. Neque enim aliquis ſyncerus lector adeo tetricus Ariſtarchus erit, ut aſſerat, P. Paulum Gabrielem citato loco docuiſſe licitum eſſe inquirere complices, pœnitentes ad eos declarandos adigere, & ſi non fecerint, indiſpoſitos ab abſolutionem ſacramentalem eſſe cenſendos. Si verò hæc expreſſe non docet, id ſcribit, ex quo non occaſione accepta, ſed data, eam ipſam doctrinam ſuſpicari quis poteſt. Quid aliud enim per legitimam conſequentiam deduci poteſt ex præjacta indefinita propoſitione, quam fundamentum quoddam, ex quo infertur pœnitentes adigi poſſe aliquando, ut complices Confeſſariis manifeſtent, atque ea notitia ipſos Confeſſarios uti poſſe? Argumentum non ineptè ſic damnatæ praxis ſectatores conficere non dubitabunt. Pœnitentes poſſunt, immo & aliquando tenentur præſtare licentiam Confeſſariis, ut loquantur de peccatis in confeſſione auditis; atqui peccata audita in confeſſione erant peccata cum complice commiſſa: ergo pœnitentes, poſſunt dare Confeſſariis facultatem loquendi de peccatis complicum. Hæc conſequentia eſt falſa, & aliquo modo in damnatione, vel in ejus ratione comprehenſa; ſiquidem tendit ad infamiam proximi, & injuriam ſacramenti, quatenus illud ipſis complicibus odioſum reddit. Nunc ex illa propoſitione pullulat iſta. Pœnitens cogi poteſt à Confeſſario ad id, ad quod tenetur; ideo enim v g. poteſt cogi ad reſtitutionem, quia tenetur reſtituere; atqui pœnitens aliquando tenetur complices declarare, & dare licentiam Confeſſariis, ut utantur notitia in confeſſione habita: ergo cogi poſſunt, ut declarent complices, & præſtent prædictam licentiam, aliàs non ſunt abſolvendi. Quæ deductio S. Pontificis Conſtitutionibus procul dubio adverſatur.

9 Dicent, eam propoſitionem in bono ſenſu accipi poſſe, ac ita, ut contrariam reprobatæ doctrinæ, obliterandam non eſſe. Non renuo. Sed dico, quod poſita damnata doctrina, & reprobata praxi, ut omnis vitetur errandi occaſio, aut eluendam eſſe, aut explicandam. Præcipue, cum prædicta propoſitio, licet non opponatur directe damnationi, quæ continetur in prædictis Conſtitutionibus, quodammo-

do adverſetur præfatæ Clementis VIII Conſtitutioni juxta ſententiam ipſius P. Suarii, quam ſupra retulimus, qui licet loco ſupra citato (1) dicat *num.* 1. Confeſſarium poſſe ex licentia pœnitentis uti notitia peccati complicis, ſtatim *num.* 2. limitat eamdem doctrinam, dummodo ex tali uſu nulla reſultet manifeſtatio complicis nec ipſi, nec aliis. In eamdem ſententiam conſpirant Tanerus, Henus, Maſtrius, Bañes, Lorca, Wigant, & alii poſtea ad literam recenſendi.

10 Accedit, quod prædictus A. aſſerit, pœnitentem ad eam licentiam præſtandam teneri ob vitandum damnum tertii; non eſt autem ratio cur potius teneatur damnum tertii vitare, non teneatur verò vitare damnum complicis. Hoc autem damnum non ſolum temporale eſſe poteſt, ſed etiam ſpirituale, quod ob altiorem ordinem attendibilius eſt. Fit conſequens prædictam licentiam extendendam eſſe ad finem vitandi damni ſpiritualis. En prætextus à S. D. N. expreſſe exploſus in illis verbis: *Quam illi quidem intolerandam imprudentiam tum procurandæ complicis correctionis, aliorumque bonorum colligendorum ſpecioſo prætextu colorare.* Et quidem neſcio ad quid ea licentia adeo præciſe concedenda ſit, ut aliter indiſpoſitus habeatur pœnitens, ſi non concedat. In tantum Confeſſarius adigere poſſet pœnitentem, in quantum vel id pœnitenti liceret, vel Confeſſarius ea licentia licite uti poſſet. Pœnitenti id non licet, nempe in *confeſſione Confeſſario manifeſtare perſonam complicis ob ſolum finem correctionis fraternæ, vel denuntiationis, vel ob bonam gubernationem communitatis.... quia licet pœnitens poſſit Confeſſario dare licentiam loquendi de peccatis propriis non tamen de alienis.* (2) Et merito ſiquidem *peccata ſecreta tam complicis, quam non complicis in confeſſione narrata clauduntur ſigillo, & quidem ſic clauduntur, ut ſine complicis aut illius alterius peccatoris licentia, eſto habeat conſenſum à pœnitente, Confeſſor ea revelare non poſſit.* (3) Quod quidem ita obſervari oportet: *Ut etiam per ſe, & ſecluſo ſcandalo, aliove incommodo illicitum ſit ex ſola pœnitentis licentia ita uti notitia confeſſionis ad corrigendum complicem, ut complicis peccatum reveletur, vel ejuſmodi uſus complici, aut aliis innoteſcat.... ad peccatum complicis coram ipſo, aut aliis detegendum ex notitia confeſſionis non ſufficit licentia pœnitentis, qui juri complicis præjudicare non poteſt, neque in ejus præjudicium illam Confeſſario licentiam concedere, ſed opus eſt etiam licentia complicis.* (4) Hæcque doctrina communis eſt non ſolum in ſchola Scoti, ſed etiam Thomiſtarum, quos refert Diana ubi ſupra *reſol.* 47. apud quem *reſol.* 151. videndus Kelliſonius.

11 Ex his, & aliis apud citatos videndis credo admittendum non eſſe Muratorium *dict. cap.* 3. §. *Immo*, qui agens de modo, quo ſe habere debeat Confeſſarius cum pœnitente ſibi noto, ſic ait: *Itidem ſi filius-*

(1) Diſp. 34. ſect. 3. aſſert. 2.

(2) Wigant in Tribun. Confeſſ. tr. 13. exam. 7. n. 16.

(3) Diana in Coordin. tract. 8. reſol. 48.

(4) Tanerus diſp. 16. de Pœnit. q. 9. dub. 6. n. 147.

lius familias pœnitens in pari caſu ſe poſitum interrogatus fateatur poterit Conſeſſarius ab eo rogatus adire illius patrem, & non crimine, ſed periculo dumtaxat filii expoſito, monere, ut occaſione aliqua arrepta ancillam dimittat. Huic conſilio nullatenus acquieſco; omnia enim pericula, quæ ſtatim ipſe commemorat, contrariæ ſententiæ ſuffragantur. Neque video, cur *ad corripiendum directe complicem (ſponte à penitente revelatum) potior videatur ea ſententia, fere nunquam immiſcere ſe debere Confeſſarios in procuranda complicum emendatione*, ſe autem debeat immiſcere ad dejectionem ancillæ, adeundo patrem, & filii periculum exponendo. Nonne inde reſultat indirecta ſigilli revelatio? Adeo ſimplex erit pater, ut non ſuſpicetur & filii, & ancillæ peccatum? Nonne maius damnum patitur ancilla in eo, quod ejiciatur è domo, fortaſſe cum aliquo dedecore, vel infamia, quam quod ſecretò ab ipſo Confeſſario corripiatur? Nonne conſultius erit, quod filius aut patrem, aut matrem ſui periculi admoneat, quam quod Confeſſarius id faciat, ſuſpicioni revelati ſigilli ſe exponens? Nonne alia ſuppetunt remedia à Theologis aſſignata? Jam Muratorius obliviſcitur *delicatæ ſigilli ſacramentalis cuſtodiæ, ut vel ab umbris abſtinendum ſit, quæ illius fracturam olere poſſint*? Et quid ſi peccatum fuerit filiæ cum famulo? Quid ſi uxoris? Quid ſi mariti? Conſultius ergo erit, ut abſtineat, neque eam admonitionis ſarcinam, etiam rogatus, in ſe ſuſcipiat. Pœnitentem doceat, quæ facturus ſit, non ad alias interrogationes procedat, ex quibus individualem complicis notitiam conſequatur; quod quidem ad illam admonitionem patri faciendam fortaſſe neceſſarium erit; poterit enim plures ancillas habere, ac proinde opus erit ſcire ejus complicis nomen, quæ è domo pellenda inſinuetur.

12 Sed magis explodendi ſunt quidam Theologi aſſerentes, peccata alicujus tertii in confeſſione, aut imprudenter, aut occaſionaliter declarata, ſub ſacramentali non cadere ſigillo, & inquiſitionem illorum à Confeſſario factam ſub Decretalis *Suprema* damnatione non contineri. Quoad primam partem ſufficiat allegare Lorcam Thomiſtam, Henum Scotiſtam, & Dianam neutralem. Lorca (5) ſic ait: *Dicendum eſt ſecundo. Nullo modo licet Sacerdoti diſquirere peccatum alterius, & inducere pœnitentem, ut illud manifeſtet, etiamſi blanda perſuaſione inducat. Probatur; quia inquirere peccata, quæ quis corrigat, illicitum eſt, ut ſupra probavimus, etiam extra confeſſionem: ergo multo fortius in confeſſione. Nam ultra inordinationem, & deformitatem, quam continet hæc inquiſitio, ſi fiat in confeſſione, injuria fit ſacramento, quo utitur ut medio ad rem illicitam; & quod odioſum, & oneroſum reddit tam ipſis pœnitentibus, quam aliis hominibus, qui graviter ferent actiones ſuas, & negotia media confeſſione*

(5) In 1. 2. D. Thom. q. 33. art. 6. ſect. 3. diſp. 45. n. 20.

ſione manifeſtari, & præbetur occaſio, ut abſterreant alios à confeſſione.

(6) De Pœnit. diſp. 9. q. 5. concl. 2.

13 Henus ſic docet: (6) *A fortiori nec licet Confeſſario perſonam complicis, aut alterius tertii in confeſſione nominatim inquirere; quia vel inquiritur notitia perſonæ complicis ex motivo correctionis ipſi faciendæ, vel ex inordinata paſſione ipſum cognoſcendi. Si primum: intendit fractionem ſigilli, cum perſona complicis, etiam per inadvertentiam à pœnitente nominata, ſit ſigillata, ut ante diximus: ergo à fortiori ex profeſſo inquiſita. Si ſecundum: concurrit ad detractionem enormem, injuriam facit ſacramento, quo utitur ad notitiam ſacrilegam, redditque hoc tribunal odioſum; cum multi pœnitentes, ſi ſcirent nominandos eſſe complices, nunquam ſua peccata declararent.... Sacrilegos eſſe Confeſſarios, qui complicem, aut tertiam perſonam monent, corrigunt, examinant, denuntiant &c. ſub prætextu confeſſionis ſibi in confeſſionali factæ; vel enim ſequuntur ſententiam Scoti, & ſunt ſigilli infractores, nam non ſufficit licentia pœnitentis: vel ſententiam D. Thomæ, & equidem ſunt ſacramento injurioſi, ac contrarii inſtitutioni Chriſti, qui ſacramentum inſtituit non ad fraternam correctionem, ſed ad peccatorum abſolutionem, & pœnitentis emendationem.*

(7) Dict. tract. 8. reſol. 49. n. 2.

14 Diana ultra locum ſupra relatum ſic reſolvit: (7) *Dico ſecundo. Nullo modo licet Sacerdoti diſquirere peccatum alterius, & inducere pœnitentem, ut manifeſtet illud, etiamſi ſola blanda perſuaſione inducat. Probatur; quia inquirere peccata, quæ quis corrigat, illicitum eſt, ut ſupra probavimus, etiam extra confeſſionem: ergo multo potius in confeſſione. Nam ultra inordinationem, & deformitatem, quam continet hæc inquiſitio, ſi fiat in confeſſione, injuria fit ſacramento, quo utitur ut medio ad rem illicitam, & quod odioſum, & oneroſum illud reddit tum ipſis pœnitentibus, quam aliis hominibus, qui graviter ferent actiones ſuas, & negotia media confeſſione manifeſtari, & præbetur occaſio, ut abſterreant alios à confeſſione.* Innumeros recenſere poſſem, hi ſufficiant.

15 Pateſcit hinc inconcuſſa probatio ad ſecundam partem aſſerti ſupra poſiti. Siquidem maiorem deformitatem continet inquirere, & declarare peccata tertii, quam ipſius complicis, quæ nulla excuſatione tegi poteſt, nec neceſſaria eſt ad cognoſcendam circumſtantiam peccati. Deinde omnes rationes, quas expendunt DD. non aliæ ſunt, quam ex ipſæ, quæ S. D. N. impulerunt, ut complicum interrogationes, ac earum praxim penitus reprobaverit, atque damnaverit; neque aut complicis, aut tertiæ perſonæ diſquiſitio alium finem diverſum habere poteſt, quam aut peccaminoſam curioſitatem, aut correctionis, ac aliorum bonorum aſſecutionem, quam imprudentes Confeſſarii

feſſarii prætexunt. Deinde ex interrogatione tertii ad eoſdem fines jure merito poſſunt timeri *oblocutiones*, *& ſcandala*, *& non miniſtrorum tantum*, *ſed ſacri etiam ipſius miniſterii odium*, *& animarum ingens conturbatio in populo fideli*. Certum eſt autem, quod ſub lege comprehenditur quidquid ſub ejus intrinſeca ratione continetur. (8) Et ideo ſub ejus Decretalis condemnatione includitur quæcumque opinio, ex cujus praxi ſequi poſſint ſcandala, oblocutiones, conturbatio fidelium, ſacramenti odium, ſigilli revelatio aut directa, aut indirecta, aut ejus ſuſpicio, aut proximi infamia. Præcipue cum Sanctiſſimus nihil revera de novo prohibuerit, ſed quod jam de jure naturæ, & divino ſigilli præcepto, atque ex inſtitutione ſacramenti prohibitum erat.

16 Hæc regula adeo certa eſt, ut mirari non deſinam, Theologum quemdam hanc comprehenſionem reſpuere ex eo fundamento, quod prædicta Decretalis odioſa ſit, & quod leges odioſæ extenſionem non admittant. Utrumque aſſertum falſum eſt. Prædicta Decretalis nec odioſa, nec exorbitans dici poteſt; immo eſt favorabilis, & conformis diſpoſitionibus juris, atque naturali, & divino juri ſumme conſona. Neque ex parte materiæ, neque ex parte finis aliud reſpicit, aliudve continet, quam favorem ſacramenti, ut rite adminiſtretur, favorem fidelium, ut à tam neceſſario ſacramento non abſterreantur, favorem pœnitentium, ut ſacramentalis pœnitentia eis oneroſa non fiat, favorem omnium, ut eorum famæ conſulatur; immo & favorem Confeſſariorum, quatenus ab onere ſimilium interrogationum, quo, licet per errorem, gravati exiſtimabantur, eximuntur, & edocentur quid facere debeant, ne innumeris peccatis in adminiſtranda ſacra pœnitentia innodentur. Quod diſponit, jam in jure Canonico, in Conciliiſque diſpoſitum invenitur. Condemnat equidem pravum abuſum inſtitutioni ſacramenti, & ſacris canonibus contrarium: ſed in hoc nihil odii verſatur; aliàs diceremus omnia Concilia, omnes canones, omnes leges, in quibus damnantur hæreſes, prohibentur peccata, corriguntur errores, hominesque ad recte operandum diriguntur, materiam odioſam continere; quod quam abſonum, quam abſurdum, quam à ratione, Doctorumque ſententiis alienum ſit, nemo non videt. Legantur Theologi, & Juriſconſulti tam civilis, quam canonicæ ſcientiæ profeſſores; tædet enim in re tam nota tempus, oleumque perdere.

17 Non omittam tamen recenſere eximium Suarium, qui in hac materia textus eſt. Sic ait: (9) *Sic enim valde probabile eſt, omnem legem prohibentem aliquid per ſe malum, vel præcipientem aliquid bone-*

(8) Cap. Conſuetudo diſt. 1. L. Ideo ff. de Legib. L. Illud ff. ad l. Aquil. videatur. Barboſ. axiom. 197. Reifenſt. ad tit. de Conſt. §. 16. n. 388. & 410. cum ſeq. & regulariter ſcribentes ad titulos de Legibus, & de Conſtitutionib.

(9) Lib. 5. de Legib. cap. 2. num. 6.

honeſtum, non nimis grave, aut oneroſum, ſed moderatum, & communi modo vivendi hominum conſentaneum, eſſe favorabilem, quia revera eſt magnum beneficium hominum, dum eos ſuaviter, & efficaciter dirigit ad operandum bonum, & vitandum malum. Unde nec ſola ratio obligationis, aut vinculi conſcientiæ, nec periculum reatus, quod ad præceptum ſequi videtur, ſufficit, ut cenſeatur lex non continere purum favorem, ſed mixtum, tum quia hoc commune eſt omni legi, & ideo non mutat rationes particularium legum. Tum etiam quia difficultas intrinſeca ipſi virtuti non impedit, quominus virtus ipſa maximus favor ſit: ergo eadem ratione lex, quæ eſt regula virtutis, quatenus vinculum imponit cum moderatione debita, gratia eſt, & favor ſecundum rectam rationem ſpectata, licet inferiori portioni gravamen eſſe interdum appareat. Tum denique, quia ſiquid eſt periculi alicujus mali ob tranſgreſſionem legis, illud non naſcitur ex ipſa lege, ſed ex hominis imperfectione; & ideo non impedit, quominus lex hujusmodi purum favorem contineat. Nulla certe aptior authoritas reperiri poterat ad probandum intentum, atque ad convincendum Theologum, aut Theologos, qui prædictam Decretalem odioſam aſſerere non dubitarunt.

18 Fundamentum, quod aſſumunt, eſt, quod, ut lex dicatur odioſa, aut favorabilis, attendenda eſt materia legis ex doctrina Caſtr. Pal. (10) Alii, & fortaſſe melius, ex fine legis id deducunt. Sed quidquid de hoc ſit. Demonſtravimus jam omnem illius Decretalis materiam eſſe favorabilem; quæ quidem reſolutio non ſolum convincitur ex ipſa materia, uti ſupra expoſuimus, ſed etiam ex proœmio ipſius Decretalis, ex quo, ut docet dictus P. Suarius, & communis, legis interpretatio ſumenda eſt. Ex illo igitur conſtat ſupremum Paſtorem *pro univerſi Dominici gregis cura advigilantem principaliter intendiſſe periculis animarum opportune occurrere, ut fides, religioque floreant*; atque *charitatis ſtudio conſulere* ipſis fidelibus, *ne callidus humani generis hoſtis, ut per inſidias molitur, ementita boni ſpecie incautis illudat*, & animabus afferat detrimentum. Et poſtea ejus mens, animusque fuit *nullatenus deeſſe miniſterio ſuo*, ut gravi *animarum diſcrimini* pro munere ſuo ſubveniret. Et tandem ejus ſcopus fuit, non pati *ovibus ibi offendiculum parari, ubi ſalus à Chriſto poſita eſt*. Ideo totus fuit in edocendis veris doctrinis, reprobandis noxiis, ac veris à falſis diſcernendis. Quis ſui compos audebit pronuntiare in his omnibus odium, aut aliquam odii ſpeciem vel leviſſime reperiri?

(10) Tract. 3. de Legib. diſp. 1. punct. 2.

19 Conſtituiſſe audio Theologum illum rationem odii in eo, quod Doctorum ſententias damnaret, introductam praxim rejiceret, & ejuſdem praxis aſſertores graviſſimis comminatis cenſuris cohiberet. Ergo damnare doctrinas ſaluti animarum noxias, & quæ nunquam licitæ

citæ eſſe potuerunt, odium eſt. Ergo omnia Concilia, hæreſes damnantia, odioſa dicenda ſunt. Quis umquam non dico aſſeruit, ſed neque ſomniavit hoc delirium? Hæretici ſolum damnati, aut hæreſum fautores id proferre non reformidarent. Idem judicium faciendum eſt circa praxis erroneæ, & ſcandaloſæ condemnationem. Sed quid de cenſuris comminatis contra eos, qui adhuc poſt Pontificias Conſtitutiones adeo tenaces ſint, ut falſæ doctrinæ, ac erroneæ praxi contumaciter adhæreant? Neque ideo prædictæ Conſtitutiones odioſæ dicebuntur. Et in primis Decretalis *Suprema* tota eſt in ſacramenti, ac fidelium favorem; nullasque infligit cenſuras, & Conſtitutio *Ubi primum* principaliter tendit ad eumdem finem, & ad confirmandam antecedentem Decretalem, ſolumque in contumaces fulmina vibrat; ac proinde neque ex ea cauſa odioſæ legis ſortitur naturam; ſequitur namque intentionem legislatoris, qui bonum commune principaliter reſpexit: „ Quando lex diverſis reſpectibus eſt favorabilis, & odioſa, „ non ſemper favorem odio, aut odium favori eſſe præferendum, ſed „ prudenter penſanda eſſe omnia, ſcilicet intentionem legislatoris, „ rationem boni communis, & alias circumſtantias materiæ, & verborum, ut illud præferatur, quod videtur eſſe gravius, & honeſtati, ac juſtitiæ legis magis conſentaneum.... Quia favor magis per „ ſe intendi poteſt, odium verò, ſeu gravamen minime, ſed propter „ inſtantem neceſſitatem. Et ideo per ſe loquendo, ac cæteris paribus, favor eſt præferendus: nihilominus tanta poteſt eſſe neceſſitas „ imponendi gravamen, ut imponendum ſit, vel augendum propter „ maius bonum. Atque ſic ſentiunt qui cenſent canonem *Siquis ſuadente* eſſe legem favorabilem, & eſſe extendendum, etiamſi cenſura extendi conſequenter videatur, quia eſt favor religionis, & „ requirit illum rigorem, ut ſtabilis perſeveret.... Et ratio eſt facilis „ ex dictis; quia lex per ſe, & quaſi ſponte ſua inducit favorem; „ odium verò quaſi ex accidenti, & coacte ob neceſſitatem; id autem, „ quod eſt per ſe, præfertur ei, quod eſt accidentarium, cæteris paribus, ac proinde etiam in dubio. Explicatur hoc amplius; quia „ odium non intenditur, niſi ut tandem cedat in aliquod commodum, „ quod vel ſit favor, vel ut favor reputetur; favor autem non eſt propter odium; immo ex genere ſuo eſt per ſe: ergo magis intenditur „ favor ex ſuo genere. Nam propter quod unumquodque tale, & „ illud magis: ergo in dubio, ac cæteris paribus favor præfertur. (11)

20 Unde nec damnatio doctrinarum falſarum, nec cenſura adjecta contra contumaces in iis defendendis, aut practicandis odioſas reddunt prædictas conſtitutiones. Et ſane ineptiſſimum erit affirmare Decreta ſupra relata Clementis VIII. & Innocentii XI. eſſe odioſa, cum tamen reprobent graviſſimorum Doctorum ſententias, quæ antea

(11) Dict. P. Suar. ubi ſupr. n. 12. & 13.

ut probabiles admittebantur, & ad omnes extendantur, atque ad omnem uſum notitiæ ex confeſſione acquiſitæ, ut ſupra ex Salmanticenſibus, Palao, de Lugo, & aliis oſtendimus. Similiter ridiculum erit aſſerere *text. in cap. Sacerdos de Pœnit. diſt.* 1. & *in cap. Omnis utriusque ſexus de Pœnit. & Remiſſ.* eſſe odioſos, quia pœnam tranſgreſſoribus minitantur. Sic in aliis plurimis canonibus, in quibus animarum ſalus, pietas, & religio præ oculis primo, & principaliter à Summis Pontificibus habentur.

21 Sed dato, quod prædictæ Decretales aliquo reſpectu odioſæ dici poſſent, quis neſcit, etiam leges odioſas, immo & exorbitantes extendi poſſe extenſione, ſcilicet, quam Doctores vocant comprehenſivam, quando ratio eſt eadem intrinſeca, & adæquata, præcipue ſi ipſa ratio fundetur in aliquo principio naturali, ex quo ipſa obligatio impoſita oriatur: „ Nam ſi lex hominis tantum ſit declarativa rationis naturalis, ſine dubio tantum extenderetur, quantum ipſa ratio. Nec „ de hoc poteſt eſſe controverſia..... (12) Secundo principaliter dicendum eſt, ex identitate rationis recte fieri extenſionem comprehenſivam legis ad caſum non comprehenſum in verbis, ſi conſtiterit „ rationem illam eſſe adæquatam, ſolumque animum legiſlatoris induxiſſe, quod ex materia, & circumſtantiis, ac verbis legis inſpiciendum „ eſt &c. (13) At verò quando ratio legis eſt talis, ut in ea habeant „ connexionem, tam quæ in lege exprimuntur, quam quæ videntur „ omiſſa, tunc recte ex vi rationis intelliguntur omnia comprehenſa, „ ut probat optime exemplum adductum ex L. Cum mulier, & ſimilia „ &c. (14) Unde infero, eo modo, quo lex recipit extenſionem comprehenſivam ex ſola identitate rationis, non ſolum habere locum in „ lege favorabili, aut non pœnali, ſed etiam in pœnali.... Atque ex „ prædicto fundamento ſequitur, idem eſſe dicendum etiam in lege correctoria... Hanc extenſionem habere locum in pœnalibus, correctoriis, & exorbitantibus, quando aliqui ſunt favorabiles.... Nam „ ſi extenſio eſt comprehenſiva, & neceſſaria ad juſtitiam, & plenam „ obſervantiam legis, juxta vim rationis ejus tunc generaliter ſervanda „ eſt regula in quacumque lege quomodocumque exorbitante, dummodo vera lex ſit: ſi verò ratio non cogat ſimiliter ad talem extenſionem, tantamque comprehenſionem, tunc licet in aliis pœnalibus „ vitanda ſit extenſio, in his privilegiatis (ut ita dicam) admitti poteſt, & interdum debet, quia (ut ſupra dixi) licet lex pœnalis ſit, „ vel odioſa ex uno capite, poteſt ex alio tantum continere favorem, „ tantique momenti, ut in ea ſervanda ſint principia legis favorabilis „ potius quam odioſæ.... Alius modus extenſionis eſt per radicationem plurium caſuum in eodem principio, ſeu radice, nam una „ etiam lege prohibentur &c. (15) Quis autem ambigere poterit omnes

(12) Idem Suar. lib. 6. cap. 3. n. 3.

(13) Idem ubi ſupr. n. 16.

(14) Idem num. 22.

(15) Idem cap. 4. per varios numeros uſque ad 8.

omnes caſus, qui conſiderari ſolent, radicari in iiſdem principiis naturalibus, & divinis non infamandi proximum, non aperiendi ſigillum, non faciendi odioſum ſacramentum Pœnitentiæ?

22 Hæc tanti Doctoris ſententia ſatis erat, & fortaſſe etiam ſufficeret mea, qui alibi ex profeſſo materiam extenſionis legis latiſſime pertractavi, non quia mea, ſed quia in textibus, & Doctoribus fundata. Ex ſuperabundanti aliquos referam. Reifenſtuel (16) varias in materia conſtituit regulas, & limitationes. „ Regula VIII. Ubi „ eadem eſt ratio, eadem eſt juris diſpoſitio.... Regula XII. Leges „ exorbitantes à jure communi ſunt ſtrictæ interpretationis.... Limitatur hæc regula 1. in æquiparatis; quia æquiparatorum eadem eſt „ diſpoſitio.... Limitatur ulterius ob identitatem rationis in lege ex„ preſſæ.... Limitatur 3. in illis, ubi agitur de favore publicæ utili„ tatis.... Limitatur rurſus data regula ob favorem animæ, ſeu cau„ ſæ piæ.... Regula XIII. Lex pœnalis, & omnis alia odioſa in du„ bio ſtricte interpretanda eſt.... Dicitur ulterius: Nec regulariter „ extendenda ultra caſus, & perſonas expreſſas; quia licet hujusmo„ di extenſio regulariter, ac ordinarie non ſit facienda in materia odio„ ſa, & pœnali, ſicut nec in illis, quæ exorbitant à jure communi, „ ut proxime dictum eſt; nihilominus iſta regula fallit inter alia ob „ identitatem rationis in lege expreſſæ. Siquidem extenſio legis non „ tantum favorabilis, ſed etiam odioſæ, aut pœnalis, ob adæquatæ „ rationis in lege expreſſæ ſimilitudinem, ſeu identitatem, tam intra, „ quam extra judicium recte fieri poteſt, ac debet..... Quæres, „ quænam materia cenſeatur favorabilis, & quænam odioſa?.... „ Reſp. 1. Quotiescumque favor, & odium ſecerni, atque adin„ vicem ſeparari poſſunt, cenſetur ejusmodi materiæ lex, ſeu quæ„ cumque alia diſpoſitio partim favorabilis, & partim odioſa, ac pro„ inde pro qua parte eſt favorabilis, debet late explicari; & qua par„ te odioſa, debet cenſeri ſtrictæ interpretationis.... Reſp. 2. Quan„ do conſtitutio partim eſt favorabilis, partim odioſa, ſimulque fa„ vor ab odio ſecerni nequit, tunc ad dignoſcendum, an ea ſit favo„ rabilis, necne, oportet attendere ad principalem intentionem diſ„ ponentis, ſeu legislatoris. Et ſiquidem lex principaliter in favorem „ alicuius ſtatuta ſit, (quod tum ex verbis ipſius, tum ex materia „ ſubjecta deſumi poteſt) lex, ſive conſtitutio, aut quævis alia „ diſpoſitio cenſetur omnino favorabilis, ſicque late interpretanda... „ Reſp. 3. Quando non apparet, an principaliter conſtitutio ſit facta „ propter favorem, an verò propter odium, tunc magis attenditur „ favor, quam odium, &c. In idem ſunt Pirinh. Scalmalſgrueber, Schimier, Pichler, Leurenius, & cæteri Paratlitarii *ad tit. de Conſtit.* ubi invenientur innumeri AA. in materia. Unde, licet aliquod daretur

(16) Ad tit. de Conſtit. §. 16. & 17. à n. 410. uſq. ad n. 441.

tur dubium in propoſito, ſemper prædictæ conſtitutiones favorabiles dicendæ eſſent. Et ut plurimum Conſtitutio *Ubi primum*, qua parte eſt pœnalis, reſtringenda foret quoad pœnam, ſemper tamen extendenda eſt ad omnem caſum, in quo vertatur aut infamia proximi, aut injuria ſacramenti, quæ ſunt rationes adæquatæ illarum conſtitutionum. Abſint ergo omnino eæ opiniones, quæ ad prædicta damna anſam præbeant; pudeatque Theologos eas defendere, patrocinari, tueri; nihil enim aliud faciunt, quam damnatæ praxi aditum aperire, & ejus aſſeclis ſcutum miniſtrare, ut ſub prætextu earum opinionum (quod S. P. reprobat) ſe defendant, aſſerentes, ſe in caſibus à Doctoribus aſſignatis tantumodo interrogare.

23 Ex his aut explicanda, aut omnino eliminanda venit alia propoſitio ejusdem P. Pauli Gabrielis *pag.* 264. §. *Reſpond.* 1. Sic ſe habet: *Licet uti cum licentia expreſſa pœnitentis ſponte ab ipſo in ipſius, vel alterius utilitatem data.* Diximus ſupra regulariter id Confeſſori non licere ob maxima inconvenientia, quæ ex hoc uſu oriri ſolent, & ob ſuſpicionem revelati ſigilli, quæ æqualiter vitari debet, ac ipſa revelatio; ex hac enim etiam ſacramentum Pœnitentiæ regulariter odioſum redditur. Unde ratio ab eo allata non concludit, nempe: *Quia ratio ſigilli eſt, ne confeſſio reddatur odioſa.* Atqui licet non reddatur odioſa pœnitenti licentiam danti, redditur tamen odioſa ipſi complici, & etiam aliis, qui neſciunt, eam licentia datam fuiſſe. Cautius ſe habet Tournely *D. Sorbonicus in Prælection. Theolog. tom.* 9. *de Sacram. Pœnit. pag.* 228. ubi dicit: *Quod etſi ſpeculative loquendo, poſſit Sacerdos, conſentiente pœnitente, ejus ſecretum revelare; in praxi tamen parce, & multa cum prudentia utendum eſſe hac pœnitentis licentia propter graviſſima, quæ inde naſci poſſunt, incommoda.* Ejus, inquit, ſcilicet pœnitentis; nam alterius ſecretum non debet eſſe in manu ipſius. Ejus, inquit, ſed ita caute, ut raro id liceat; quod idem eſt, ac dicere, non licere; regulariter enim non licet, quod maximis incommodis eſt expoſitum. His autem incommodis ſubjicitur ſemper uſus notitiæ reſpectu complicis. Ergo ſemper eadem ratio viget, ac proinde imprudenter operabuntur qui ea licentia utantur. Non autem licet quod imprudenter fit. Pergit prædictus Gabriel in hunc modum: *Et tunc non poteſt inde confeſſio reddi odioſa, cum quisque ſciat ſuam ſibi relinqui libertatem concedendi, vel negandi licentiam, & eam pro libito limitandi.* Si non redderetur ſibi, redderetur aliis, quod ſufficit. Quomodo autem ſua cuique relinqueretur libertas, ſi teneretur, ut poſtea adjicit?

24 Sic addit: *Et tunc pœnitens ponit conditionem, qua poſita, præceptum divinum non obligat; nam ſolum erat præceptum non revelandi, nec utendi notitia illa ſine licentia expreſſa pœnitentis.* Ubi-

nam

nam expreſſa hæc conditio? Ubinam hæc præcepti illius reſtrictio? In ſententia aliquorum ſic opinantium. Tunc pœnitens ponit conditionem reſpectu ſui; ſed non ponit conditionem reſpectu aliorum; nam ratio non reddendi odioſum ſacramentum, non eſt reſtricta ad pœnitentes, ſed tranſcendens ad omnes fideles. Præceptum illud non ſolum comprehendit revelationem ſigilli, ſed etiam ſuſpicionem; ſiquidem etiam hæc ſuſpicio illud odioſum reddit, ut late diximus.

25 Hæc tamen diſſimulari poſſunt; verum in reſiduo propoſitionis omne venenum latet. Sic enim concludit: *Tenetur autem pœnitens ad uſum iſtius notitiæ, quoties neceſſarius eſt ad bonum commune, ad tollendam occaſionem peccati, ad avertendum grave damnum ſpirituale, vel temporale alicujus privati, & ad alia, quæ juſtitia, vel charitas exigit, alioqui abſolutione indignus eſt.* Non capio quomodo hæc propoſitio generalis à cenſura eximi poſſit, aut quæ faſcinatio aliquos Theologos deluſit, ut eam innocentem eſſe, nec Lydio lapide indigere arbitrarentur. Si tenetur: ergo ad id à Confeſſario cogi poteſt; cogendus enim eſt ad omne id, ad quod tenetur. Ergo poteſt ei negari abſolutio, immo & debet, quoties non declaraverit complicem, & non præſtiterit licentiam ad uſum illius notitiæ: quid autem aliud prohibet, & condemnat S. P. niſi cogere pœnitentem ad declarandum complicem, & ad permittendum uſum notitiæ ſacramentalis? Supereſt, ut inconcuſſe teneamus illam propoſitionem generaliter conceptam, quantumvis larvatam, opponi Pontificiis Conſtitutionibus.

26 Theologi, qui P. Paulum Gabrielem tueri adnituntur, primo in eo laborant, ut propoſitionem illam quoad primam partem communem Jeſuitarum dicant, neque eumdem Authorem condemnatam praxim edocuiſſe. Facile convenio in hac parte; non tamen probo ejus generalitatem. Equidem multi magni nominis Theologi inclytæ, ſemperque venerabilis Societatis JESU eam ſententiam tenuere; ſed multi alii contrariam ſecuti ſunt propter ſtrictiſſimam ſigilli neceſſitatem, & periculum illud frangendi, quod ante oculos ſemper obverſari debet. P. Vaſques, P. Moya, P. Viva, P. Caſnedi, P. Sanches, P. Baſſeo, P. del Rio, & omnes fere ſcribentes poſt Decreta Clementis, & Innocentii in eamdem conſpirant ſententiam. Sed ipſi antiquiores Societatis DD. non eam proferunt abſolutam propoſitionem; ſed ita modificatam, & reſtrictam, ut pene contingere caſus poſſit, ut ea ad praxim deduci poſſit. Sufficiat ejus opinionis Antеſignanum inter ſacræ Societatis Patres recenſere. Is eſt eximius Suarius. Et in primis aſſerit, (17) quod ille, cum quo Confeſſarius loquitur de auditis in confeſſione, eodem ſacramentali ſigillo adſtrictus remanet. Ejus verba ſunt: *Per facultatem ergo, de qua agimus, ſcilicet loquendi cum alio de auditis in confeſſione, non datur nova notitia ad extendendam illam*

(17) De Pœnit. diſp. 33. ſect. 5.

lam eamdem ad alium: ergo extenditur ad illum ſub eodem ſigillo. Ergo illa licentia, illeque uſus non eſt liber, & abſolutus, ſed reſtrictus, & modificatus. Ergo eximio Suario non cohæret ille Author.

(18) Ubi ſupra n. 14.

27 Deinde idem P. Suarius (18) circa uſum notitiæ ſacramentalis, & licentiam præſtitam aliqua requirit: ,, Ultimo circa hanc facultatem (*ait ille*) ad uſum ejus ex eorumdem DD. ſententia nonnulla obſervanda ſunt; primum ut ſit ſatis expreſſa, & declarata; ,, nam in re tam gravi non utendum præſumptione; quia alias hoc ,, ſigillum exponeretur periculo cum incommodo ipſius ſacramenti. ,, Unde minus erit ſufficiens ratihabitio de futuro, & multo minus ,, ſufficiet, quod pœnitens hanc licentiam dare teneatur, (ſi id contingere interdum poſſet) quia ſi de facto illam non concedit, illud non ,, ſatis eſt, quia ſemper manet integra materia præcepti, nec nobis licet agere contra jus alterius; etiam ſi ipſe male illo utatur. Secundum eſt, oportere hanc licentiam eſſe ſpontaneam, ſine vi, metu, ,, aut deceptione obtentam; quia ſi involuntaria ſit, erit invalida; non ,, ſolum quia eſt per injuriam extorta, ſed etiam, quia cederet in magnam irreverentiam ſacramenti. *Et poſtea* (19) *ſic docet*: Ut autem ,, ita fiat (debito modo) hæc ſervanda videntur. Primum, ut Confeſſor non propter hunc finem correctionis interroget in particulari ,, perſonam complicis, niſi pœnitens ſua ſponte illam declaret; quia ,, exponeret ſe periculo infamandi proximum ſine cauſa; poteſt tamen ,, generaliter interrogare, an complex ſit in periculo, vel ope ipſius ,, pœnitentis, ſeu correctione indigeat; & juxta reſponſionem pœnitentis poterit generaliter illum monere, ut ſuæ obligationi ſatisfaciat. ,, Unde ſecundo obſervare debet, ne ſe ſtatim invitet ad correctionem ,, faciendam, etiamſi intelligat eſſe convenientem, vel neceſſariam: ,, primum ne ſcandalum aliquod præbeat pœnitenti, vel occaſionem ,, revelandi complicem ſine neceſſitate; fortaſſe enim pœnitens ipſe ,, per ſe ipſum poteſt correctionem facere, aut certe vult facere per ,, alium, quem reputat aptiorem. Deinde, quia hoc ipſo, quod Confeſſor ſe offert ad illud munus, pœnitens non tam libere, & ſpontanee procedit in hoc negotio, ſicut par eſt. Tertio maxime debet ,, cavere Confeſſor, ne aliquid exigat à pœnitente tamquam debitum ,, ex obligatione præcepti, quod revera non ſit; ſed vere, & fideliter ,, illi proponat quid ex præcepto agere teneatur, quid verò tantum ,, liceat; alioquin graviter deciperet pœnitentem, ſi ſub titulo ficto, ,, & non vero neceſſitatis, aut præcepti eum cogeret ad revelandum ,, complicem, vel ad dandam facultatem corripiendi illum, aut aliquid ſimile; & conſequenter graviter peccaret contra juſtitiam, vel ,, contra ſigillum.

Nota.

Nota.

(19) Diſp. 34. ſect. 3. n. 2.

(20) Dict. diſp. 33. ſect. 7. num. 2.

28 Idem P. Suarius (20) ait, uſum notitiæ ſacramentalis cum morali

morali periculo revelationis directæ, vel indirectæ nunquam eſſe licitum. Et poſtea (21) aſſerit, quod revelare peccatum proximi, etiam in confeſſione, eſſet peccatum mortale ex ſuo genere, ſi fiat ſine juſta cauſa, hancque dicit eſſe ſententiam communem. Et paucis interjectis addit, quod quando timetur infamia intrinſeca per revelationem ſigilli, ex omnium ſententia non poſſit pœnitens revelare complicem, nec ad id aliquod jus habeat. Poſtea docet, Sacerdotem eodem ſigillo teneri circa peccatum complicis. Tandem prædictus Doctor (22) plura requirit, ut pœnitens poſſit declarare complicem in confeſſione; primo enim requirit, quod ipſe teneatur ad correctionem, quod raro verificatur. Secundo, quod non poſſit eam facere per ſe ipſum; dum enim id per ſe facere poteſt, non debet id exequi per alium. Tertio, quod non poſſit timeri revelatio ſigilli etiam reſpectu ipſius complicis. Quarto, quod detur probabilis certitudo, quod correctio profutura ſit, & prudenter per illam perſonam ſperetur emendatio. Quinto, quod illius uſus fiat cum maximo ſecreto. Omitto alias circumſtancias. Tandem idem Suarius, ut ſupra retuli, qui ſtando in meris principiis aſſeruit id pœnitenti ſub prædictis circumſtantiis aliquando licere, poſtea id limitat, ſi de facto uſus notitiæ circa peccatum complicis non ſit aliqua lege prohibitus, ut ſuo judicio cenſet poſt conſtitutionem Clementis VIII. quod fortius judicaret poſt decretum Innocentii XI.

(21) Diſp. 34. ſect. 1.

(22) Dict. diſp. 34. ſect. 1.

25 En vides quanta neceſſaria ſint ex parte pœnitentis, ut illa licentia juſta ſit, & valida? Et quot neceſſaria ſunt, ut Sacerdos ea licentia uti valeat? Omnes fere DD. conveniunt, id Confeſſariis propter pericula, quibus ſe exponunt, & damna frequenter emergentia, excepto aliquo urgentiſſimo caſu, non licere. Mirare ergo qua facilitate, qua generalitate Author ille nihil aliud requirat, quam ſpontaneam licentiam pœnitentis, ſtatimque abſolute conſtituat illum uſum licitum eſſe ad quamcumque alterius utilitatem, quin id ſaltem reſtringat ad pœnitentis, aut complicis commodum, aut videat, non ſufficere alterius utilitatem, ſi aliquod inde damnum, aliquis rubor, aliqua revelationis ſuſpicio oriatur. Generalis igitur illa propoſitio noxia cenſenda eſt; aperit enim viam, ut facillime Confeſſarii data licentia utantur, vel abutantur. Ideoque non Suario ſpeculative ratiocinanti, ſed Innocentio omnem uſum ſcientiæ acquiſitæ in confeſſione, etiam ſecluſa revelatione, practice prohibenti ſtandum eſt.

30 Miratus es jam quantum diſtet Doctoris Suarii ſententia, adeo reſtricta, adeo modificata, à ſententia Pauli Gabrielis, adeo generali, adeo abſoluta, adeo totius explicationis experti? Miratus es quam inepte ex Suario patrocinium ei impertiri cogitent iſti Theologi ejus defenſores? Plus nunc miraberis, quod ſuam ſententiam eamdem eſſe Angelici Doctoris, aſſerere non addubitent. Sic Antiſigilliſtæ Confeſſarii,

(23) Opuſcul. 12. q. 6.

rii, ejuſque patroni obſtrepebant. D. Thomas (23) loco ab adverſariis aſſignato ait in hunc modum: *Prodere crimen alterius, & lædere famam eſt peccatum, quod maxime vitandum eſt in confeſſione, per quam quis quærit præterita peccata delere.... Tertio, quia in confeſſione eſt credendum peccatori & pro ſe, & contra ſe; ſed contra alium nullo modo eſt ei credendum; alioquin daretur multis occaſio fictæ confeſſionis, & fraudulentæ infamationis; & ideo ſi poteſt ſpeciem peccati confiteri non innoteſcendo perſonam, cum qua peccavit, peccat eam exprimendo, niſi forte ſalvato correctionis ordine, quam Dominus ſtatuit.* Hæc Præceptoris Angelici doctrina. Nunc æquiſſimo utamur parallelo, unamque ſententiam cum alia conferamus. D. Thomas nec verbum loquitur de Confeſſario; Paulus Gabriel de eo loquitur, quatenus ei licere dicit uſum ſacramentalis notitiæ. S. D. minime agit de hac licentia, neque de hac notitia, neque de hoc uſu; ſecus A. ille. S. D. aſſerit non eſſe prodendum proximum, & multo minus in confeſſione: neque credendum eſſe ei niſi pro ſe, & contra ſe. Prædictus A. neceſſario requirit, quod ei credatur, quatenus poſita ea notitia expreſſe docet licitum eſſe Confeſſario uti ea notitia à pœnitente data. S. D. docet vitandam eſſe omnem occaſionem fictæ, aut fraudulentæ confeſſionis. Author ille videtur eam foviſſe, quatenus Confeſſario permittit illum uſum. S. D. non dicit pœnitentem teneri ad detegendum complicem, aut ad permittendum uſum notitiæ ſacramentalis ad correctionis, vel aliorum bonorum colligendorum finem, alioquin non eſſe abſolvendum. Prædictus verò A. id incunctanter reſolvit. Notabilis certe analogia inter unam, aliamque ſententiam! Mirabilis ſimilitudo, quam identitatem deprædicat illius Authoris defenſor!

31 Revertamur ad D. Thomam, ut ejus verum ſenſum, ab illius praxis ſectatoribus deturpatum, aperiamus. S. D. citato loco nihil quærit, nihil aliud docet, niſi pœnitentem peccare, ſi in confeſſione complicem declaret. Hanc doctrinam limitat quando pœnitens id facit ſervato ordine correctionis fraternæ; ſicut enim is non peccat, ſi eo ordine ſervato, aliam quamcumque idoneam perſonam ad eum finem eligat, ita etiam non peccat, ſi eligat Confeſſarium, quem idoneum reputat. Quid affinitatis habet hæc concluſio cum illa alia: Utrum Confeſſarius licite utatur ea notitia, & in ſe aſſumat correctionis onus? Et cum illa alia: Utrum pœnitens illud medium teneatur eligere? Utrum teneatur permittere illius notitiæ uſum? Utrum, ſi hæc non faciat, indiſpoſitus cenſendus ſit, & abſolutione privandus?

(24) De Offic. Sacerdot. in ſacramento Pœnit. ſect. 9. §. 3.

32 Non mea hæc eſt genuina illius ſententiæ explicatio, ſed Patris Bujardin, (24) jam alibi à me relati, nunc reperendi. Ad illa verba: *Salvato correctionis ordine*, ſic habet: *Subintellige, eam exprimat,*

primat, ac revelet Confeſſario, uti fratri, vel Prælato, quod eſt revelare extra confeſſionem.... Non eſt licitum pœnitenti ob rationes allegatas à S. Thom. manifeſtare perſonam complicis in confeſſione, ſive Confeſſario ut tali: ergo nec Confeſſario licet in illam inquirere, obligando, vel etiam invitando pœnitentem, ut perſonam complicis manifeſtet in confeſſione, ſive ſibi ut Confeſſario. Conſequentia patet; quia aliàs liceret obligare, vel invitare pœnitentem ad aliquid illicitum. Hanc fuiſſe D. Thom. mentem vel ex eo patet, quod eodem loco afferat eam notitiam dandam non eſſe in confeſſione, ne occaſio aperiatur fictis, fraudulentiſque confeſſionibus. In hunc eumdem ſenſum conſpirant Suarius, Fagundes, & alii, ſi rite perpendantur conditiones, & circumſtantiæ, quas ipſi requirunt.

33 Neque diſcrepat Diana, (25) (quem injuſte hic prædicti Authoris propugnator Jeſuitarum contradictorem facit) cujus integer §. non allegatur ab iſto ſuo defenſore, quia quæ ſequuntur non plurimum juvant. Sic ait Diana: *Pœnitenti tunc licet manifeſtare complicem in confeſſione fine correctionis, quando extra confeſſionem id facere poſſet, ſervando ſecundum gradum ordinis in corripiendo; tunc enim ſi velit confeſſione uti, & Confeſſarium adhibere ut miniſtrum aptum correctionis, non eſt per ſe illicitum. Et hoc probat fundamentum prioris ſententiæ, & hoc ſolum D. Thom. & alii AA. concedunt.* Perſpicuum eſt illam ſententiam nihil aliud docere, quam non eſſe per ſe illicitum, quod pœnitens utatur Confeſſario tamquam medio apto ad correctionem, quando aliàs tenetur ad illum ſecundum correctionis gradum. Quod autem Confeſſarius licite poſſit uti ea notitia ſub ſigillo data, id non dicit D. Thomas. Videamus quæ proſequatur Diana: *Verumtamen cum ſecundus ille gradus ordinis in correctione ſervandi raro habeat locum, & cum poſſit extra confeſſionem fieri, & magis expediat quod extra confeſſionem fiat, quia nonnihil odii in ſacramento generat, & cum moralia moraliter definienda ſint, potius aſſerendum eſt non licere hoc medio uti ad correctionem fraternam, quam licere. Porro quamvis pœnitens valeat manifeſtare complicem hoc fine, non inde infertur, Sacerdotem interrogare poſſe, aut inducere; quia licet non inducat ad rem illicitam, ipſa tamen inductio, & inquiſitio ſibi prohibita eſt, ut ex dictis conſtat.* Optime dictum, & inconcuſſe tenendum. Res moralis moraliter definienda eſt. Et cum rariſſime poſſit accidere, quod Confeſſarius, etiam data licentia pœnitentis, poſſit uti notitia ſacramentali reſpectu complicis, immo numquam propter pericula, quibus exponitur, ideo debebat Author ille potius ſtatuere non licere, quam licere; non enim deſumi debet propoſitio generalis affirmativa, quæ in caſu tantum rariſſimo verificari poterit; & debet ſtabiliri negativa pro eo, quod regulariter accide-

(25) In Coordin. reſol. 49. §. 3.

re ſolet, prout conſtituunt omnes fere DD. Ideo reſpuenda eſt illa abſoluta propoſitio, quæ latiſſimum referat aditum, ut Confeſſarii ea ducti opinione, ſibi ratum habeant, eum uſum, ſemel quod à pœnitentibus eam licentiam obtineant, eis licere; cum tamen inveniatur prohibitus, etiam ſecluſa omni ſigilli revelatione.

34 Unde, tametſi illa propoſitio, quatenus aſſerit licitum eſſe uſum notitiæ ſacramentalis cum licentia pœnitentis, in utilitatem ſpiritualem complicis non ſit expreſſe contra S. D. N. Conſtitutiones, ſemper quodammodo ſe opponit prohibitioni Sanctiſſimi Innocentii XI. quæ ex identitate rationis, communi recentiorum calculo, ſe extendit ad uſum notitiæ cum aliquali complicis gravamine, cum etiam confeſſio redderetur odioſa, ſi videret peccatum ſuum occultum ei exprobari, aut reprehendi, aut ad ſuperiores deferri ex vi notitiæ habitæ in confeſſione; hincque in querelas erumperet, ſigillum fractum ſuſpicaretur, & Sacerdotem veluti ſigilli proditorem accuſaret; quod certe maximum dedecus ſacramento attuliſſet: quæ omnia vitare debet prudens Confeſſarius, neque ſe immiſcere falſo zelo ductus his correctionibus faciendis, licet pœnitens libenter annuat; & conſequenter admittendæ non ſunt doctrinæ, quæ his abuſibus, & periculis favent.

35 Defatigatur (ut veriſſimis informationibus certioratus ſum) is Pauli Gabrielis acerrimus tutor in oſtendendo, ab ipſo A. praxim damnatam omnino reprobari; ac proinde longiſſime abeſſe, quod eam prædicto loco edoceret. Ad id probandum adducit quod ipſe A. docuerat *tom.* 1. *tract. de Virt. Theolog. cauſ.* 5. *de Correct. fratern.* Nunc in examen non revoco illa verba: *Ut proximum corrigamus ſine detrimento illius famæ, ſi fieri poſſit*; de qua conditione adjecta quæſtionem movere poteramus. Sed bona pace demus eam doctrinam. Certum eſt ibi ſolum agere Authorem illum de præcepto correctionis fraternæ, & de circumſtantiis ad eam neceſſariis. Sed hoc quid commune habet cum altera quæſtione: Utrum ſcilicet Confeſſarius licite fieri poſſit hujus correctionis miniſter ex notitia in confeſſione habita? Ipſe illius doctrinæ defenſor paulo infra, etiam in caſu, quo pœnitens teneretur ad ſecundum gradum confeſſionis, & eligeret ad id muneris Confeſſarium, aſſerit male, & imprudentiſſime operaturum, ſi inquireret nomen complicis, & peius, ſi cum denegatione abſolutionis ad id compelleret; fateturque illum caſum rariſſime contingere poſſe. Quomodo ergo licet Confeſſario uti notitia illa, etiam cum facultate ſpontanea, ſi ea utendo male, imprudenterque operaretur? Fateor hos paralogiſmos componere me neſcire.

36 Ut prædictum Authorem Pontificiæ menti conſonum exhibeat, exponit Decretalis *Suprema* verba illa: *Ut videlicet ſi forte in*

pœni-

pœnitentes incidiſſent ſocium criminis habentes, ab iiſdem pœnitentibus ſocii hujusmodi, ſeu complicis nomen paſſim exquirerent &c. Hic ſub prætextu protegendi Authorem illum, Paſtoralium Eborenſium in ſuo celeberrimo *Paſſim* tutelam ſuſcipit, & reſtrictioni abſolutiſſimæ damnationis calculos addit expreſſiſſime. Ea explicatio jam tot anteactis concertationibus exploſa conſpicitur, poſteaque iterum refutabitur.

37 Non diffitetur ipſe caſum illum eſſe rariſſimum: (ſi etiam vocaret metaphyſicum, & ſolum ſpeculationi, non praxi applicandum, non erraret) quo jure ergo Decretalem, quæ praxim omnino reſpicit, ad caſum metaphyſicum, & ſolum ſpeculative ſuſtinendum ſic explicare intendit, ut non generaliter, & abſolute praxim prohibeat, ſed ſolum frequentiam, ſalvis caſibus, in quibus licitum judicat de complicibus inquirere? Nonne ſic explicare eſt Confeſſariis interrogantibus favere? Via certe panditur, ut iſti ſe defendant aſſerentes, ſe interrogaſſe in caſibus permiſſis; & ſic illudendæ ſuperſunt Pontificiæ conſtitutiones. Ne plus immorer, repetendas moneo doctrinas in hac coruſcatione ſparſim traditas, & præcipue quas coruſcatione 3. §. *Inferunt* 8. ſcriptas relinquo.

38 Dicit, praxim condemnatam in eo conſiſtere, quod ſi forte ad Confeſſarium accederet pœnitens cum peccato, in quo complicem haberet, ipſe Confeſſarius ſine aliqua alia indagatione de nomine complicis interrogaret ad finem eum corrigendi &c. Sed illa clauſula: *Sine aliqua alia indagatione*, ex propria penu producitur; in prædicta ſiquidem Decretali non invenitur. Neque recte id colligitur ex adverbio *Paſſim*, quod procul dubio eſt relativum frequentiæ, quæ ſcandalis cauſam dederat, & quæ ad eas Conſtitutiones edendas impulſiva cauſa fuerat; non verò eſt inductivum reſolutionis reſtrictæ ad eam frequentiam, cum procul dubio damnatio ſit abſoluta, explicataque per adverbium *Penitus*, directum ad actus interrogandi, & excluſivum cujuſcumque interrogationis complicum ad finem correctionis; quam interrogationem vocat S. P. intolerandam imprudentiam. Unde quoties habeamus hanc imprudentiam, habebimus etiam damnatam praxim. Cum autem etiam in illo caſu rariſſimo fateatur Theologus iſte imprudenter facturum Confeſſarium, qui de complice interrogaret, etiam in illo caſu rariſſimo verificari damnationem, quod fateatur neceſſe ſit.

39 Neque ad reconventionem indigeo aliis argumentis, quam quæ ipſe nobis præbet. In terminis propoſitis, etiam præſcindendo ab aliis erroribus, quos committebant illius praxis ſectatores, inquit, quod in illis interrogandi actibus verificantur cenſuræ omnes, quibus S. P. illam praxim reprobat, & condemnat; quia ſupponit compli-

cem jam eſſe emendatum: ſupponit pœnitentem poſſe per ſe ipſum cum ſpe fructus corrigere complicem: ſupponit aliam dari perſonam, per quam correctionis præcepto ſatisfaciat: ſupponit, quod ex correctione non ſperatur probabiliter fructus. Concludit, in his circumſtantiis peccare pœnitentem detegendo complicem, & peccare Confeſſarium eum ad id inducentem. Hincque infert illius interrogationis praxim eſſe injurioſam ſacramento propter peccatum, quod Confeſſarius in ejus adminiſtratione incurrit: ſcandaloſam, quia inducit pœnitentem ad peccandum: famæ proximi nocivam, cujus peccatum ſine aliqua neceſſitate detegitur: offenſivam ſigilli, quia utitur Confeſſarius notitia ſigilli cum licentia, quam pœnitens præſtare non poterat: & tandem inductivam odii in ſacramento, à quo fideles ob illum uſum faciliime avertentur. Optime dictum.

40 Nunc contrahamus ſermonem ad caſum metaphyſicum. Sic depingitur: *Accedit pœnitens cum peccatis complicis: agnoſcit Confeſſor ex generalibus inquiſitionibus complicem indigere correctione: monet pœnitentem ſuæ obligationis: pœnitens ſic admonitus eum eligit correctionis miniſtrum: ipſe Confeſſarius tunc de nomine interrogat, ut correctionem dare poſſit.* En caſus. Quid reſolvit Theologus ille? Male, & imprudenter feciſſe Confeſſarium interrogando de complice. Hunc caſum non frequenter accidere potuiſſe, quia raro verificatur in praxi ille caſus. Sed quid refert, quod non ſit frequens ille caſus, ſi quotiescumque contingat, imprudenter operabitur Confeſſarius inquirendo nomen complicis? Ergo ſemper ille caſus in condemnata praxi cenſebitur comprehenſus. Et ratio eſt evidens; quia ille caſus, qui nobis obtruditur ut rarus, frequentiſſimus erit, & frequentiſſime ad praxim reducetur.

41 Redeamus ad caſum propoſitum, ut res clarior fiat. Accedit pœnitens ad Confeſſarium cum multis peccatis complicum. Quid frequentius in confeſſionibus? Statim Confeſſarius zelo ductus faciet, ut fingunt, inquiſitionem generalem, an ſcilicet complex indigeat correctione? Quid hac interrogatione ineptius? Complex tunc indiget correctione, ſi emendatus non ſit, ut emendetur. Si pœnitens venit contritus, & veraciter promittit amplius non peccare, jam præſumitur emendatus, & per neceſſariam conſequentiam quoad illud peccatum velit, nolit, emendandus venit complex, qui cum pœnitente amplius peccaturus non eſt, ſi pœnitens cum illo amplius non peccaverit. Quod ergo Confeſſarius, ut prudenter ſe habeat, gerere debet, eſt emendare pœnitentem; non verò inquirere, an complex correctione indigeat; id enim ad illud forum ſacramentale non ſpectat. Ecce jam imprudenter Confeſſarius interrogat; neque ſua inquiſitio ad aliud inſervit, quam ad moleſtandum pœnitentem, qui fortaſſe neſcit ad interrogata

terrogata reſpondere; atque pedetentim, & caviloſe per neceſſarias conſequentias tandem eum adducere, ut declaret complicem ad finem correctionis.

42 Ulterius: Quis Confeſſarium probabiliter certum facit complicem fructuoſe corrigendum? Ut id aſſequatur, quot impertinentes interrogationes faciet, quibus adactus, ſive deceptus pœnitens, ut appoſite reſpondeat, complicem inadvertenter declarabit? En jam habemus, quod Confeſſarius ſuis interrogationibus pœnitentem adegit, ut complicis notitiam præberet, quod illicitum fatetur is Theologus. Deinde Confeſſarius bene advertere debuerat pœnitentem per ſe ipſum illam correctionem exequi non poſſe propter pericula, quæ ſecum affert illa ipſa occulta correctio facta complici ab ipſo pœnitente, ac proinde cum tanto periculo proprio ad eam non teneri, neque aliquo jure fulciri: qui etenim complex, reusque peccati commiſſi cognoſcitur, actionem non habet, ut alium reprehendat. Scire etiam debuerat Confeſſarius, neque per alium teneri pœnitentem ad correctionem faciendam; quia id aſſequi non poſſet, quin vel directe, vel indirecte ſuam propriam turpitudinem alteri detegeret, ad quod certe nemo tenetur, niſi in caſibus exceptis, inter quos hic caſus non comprehenditur. Inutiliter ergo hæ generales fierent inquiſitiones, aptiſſimæ ſolum, ut per iſtas ambages Confeſſarius ad individualem complicis cognitionem devenire poſſit. Falſo igitur pœnitentem Confeſſarius admonet obligationis, quam non habet, & per conſequens quæcumque declaratio complicis fiat, peccaminoſa eſt; quæcumque licentia poſtea data ad uſum notitiæ ſacramentalis eſt injuſta, & proinde nulla. Repeto verba P. Suarii ſupra relata: *Tertio maxime debet cavere Confeſſor, ne aliquid exigat à pœnitente tamquam debitum ex obligatione præcepti, quod revera non ſit; ſed vere, & fideliter illi proponat quid ex præcepto agere teneatur, quid verò tantum liceat: alioquin graviter deciperet pœnitentem, ſi ſub titulo ficto, & non vero neceſſitatis, aut præcepti eum cogeret ad revelandum complicem, vel ad dandam facultatem corripiendi illum, aut aliquid ſimile; & conſequenter graviter peccaret contra juſtitiam, vel contra ſigillum.*

43 Vides jam illum caſum ad decipiendos Confeſſarios aptiſſimum, non ſolum eſſe rarum, ſed inverificabilem? Sed ſtringamus illum. Supponamus Confeſſarium ſibi perſuaſum habere, pœnitentem circa illud cum complice admiſſum peccatum ad correctionem vel per ſe, vel per alium faciendam, adſtrictum eſſe; & pœnitentem ſic admonitum vel acquieſcere monitis, vel renuere. Si acquieſcit, videns, quod melius illi eſt eam licentiam præſtare Confeſſario, qui jam ſuæ fragilitatis conſcius invenitur, quam alteri cuilibet perſonæ, ipſi

ipſi Confeſſario declarat complicem, & ei eam præſtat correctionis faciendæ facultatem. An ſtatim licebit Confeſſario ea uti licentia? Ipſi Confeſſarii fortaſſe affirmabunt, idque ſuadet is Theologus. Sed ego reſolutivè dico non licere. Siquidem, ut licentia illa valida ſit, debet eſſe juſta; talis autem non eſt deceptorie adepta; nam in præfata hypotheſi pœnitens neque per ſe, neque per alium, immo & fortius neque per Confeſſarium ad eam tenetur. Videantur P. Caſnedi, P. Medina, Marchantius, Fr. Antonius à Spiritu Sancto ſupra relati. Debet eſſe etiam omnino libera, qualis non eſt, ſi ei proponatur obligatio, quam vel certe, vel probabiliter non habeat, vel ſi ad eam dandam etiam leviſſime inducatur.

44 Aliquos AA. liceat recenſere. P. Suarius Granatenſis ubi ſupra: *Secundum eſt, oportere hanc licentiam eſſe ſpontaneam, ſine vi, metu, aut deceptione obtentam; quia ſi involuntaria ſit, erit invalida non ſolum, quia eſt per injuriam extorta, ſed etiam quia cederet in injuriam ſacramenti.... Tertio maxime cavere debet Confeſſor &c.* quæ ſupra proxime retuli. Henno (26) loquens de hac licentia ſic ait: *Invalida eſt primo, ſi pœnitens det illam ſub prætextu obligationis ſibi à Confeſſario inculcatæ; quia vix eſt caſus reperibilis, ut ad id teneatur pœnitens pro facienda aliorum correctione.... Sicque intercedit fraus. Invalida eſt ſecundo, ſi eam concedat, ne injuſte denegetur ſibi abſolutio; quia intervenit metus.* Petrus Lorca: (27) *Pœnitens non tenetur reſpondere Sacerdoti interroganti. Et ſi Sacerdos fraude, aut vi, aut importunis precibus extorqueat à pœnitente manifeſtationem complicis, & licentiam revelandi confeſſionem, absque dubio graviter peccat.... Dicendum eſt ſecundo: nullo modo licet Sacerdoti diſquirere peccatum alterius, etiamſi ſola blanda perſuaſione inducat. Probatur; quia inquirere peccata, quæ quis corrigat, illicitum eſt, ut ſupra probavimus, etiam extra confeſſionem: ergo multo fortius in confeſſione. Nam ultra inordinationem, & deformitatem, quam continet hæc inquiſitio, ſi fiat in confeſſione, injuria fit ſacramento, quo utitur ut medio ad rem illicitam, & quod odioſum, & onerosum reddit tam ipſis pœnitentibus, quam aliis hominibus, qui graviter ferent, actiones ſuas, & negotia media confeſſione manifeſtari, & præberetur occaſio, ut abſterreant alios à confeſſione.* In eamdem ſententiam concurrunt unanimiter Caſtro Pal. Henriq. Fagundes, Filliuc. Bonac. Malder. Tanner. Diana, & omnes fere. Cur igitur circa rem communiſſimam diutius in referendis auctoritatibus immorabor?

(26) Tract. de Pœnit. diſp. 10. q. 4. concl. 3.

(27) In 2. 2. D. Thom. q. 33. art. 6. ſect. 3. diſp. 45. n. 20.

45 Fortaſſe reponent Theologi iſti, ut reponunt, hanc DD. ſententiam procedere quando pœnitens complicem detegere non tenetur, ſecus ſi teneatur. Ex dictis facilis eſt retorſio. Negatur ſiquidem hæc

obligatio

obligatio quoad finem correctionis fraternæ, etiam in caſu propoſito; quia nullatenus, ut diximus, verificari poteſt. Etenim in materia correctionis omnes inconcuſſe ſtatuunt non teneri quem ad præceptum correctionis cum aliquo gravi ſui periculo, aut detrimento, aut ſine morali neceſſitate. In facta hypotheſi dari periculum pœnitentis, ut per ſe corrigat, jam demonſtravimus. Dari detrimentum grave in eo, quod per alium corrigat, id per ſe patet; non enim hoc medio uti valet abſque eo, quod peccatum ſuum alteri pandat. Non dari moralem neceſſitatem, eſt evidens; quia, emendato pœnitente, complex quoad illud peccatum ſine alia correctione emendandus venit. Deinde dari periculum revelandi ſigilli, & reddendi odioſum ſacramentum, & infamandi proximum abſque neceſſitate ad id cogente, ſolus cæcus non viderit. Ergo neque pœnitenti licet ad illum correctionis finem revelare complicem, neque Confeſſario licitum erit per illas interrogationes generales inducere pœnitentem, ut tandem complicem declaret; ipſa enim inductio omnimodam requiſitam tollit libertatem. Ergo nunquam licitum erit uti illa licentia ad illum finem; quia non eſt aſſignabilis caſus, in quo talis obligatio verificari queat. Ergo ille caſus metaphyſicus, & nullatenus in praxi verificandus in damnata praxi comprehenditur, utpote in quo contingere poſſunt omnia ea damna, quæ S. P. in ſuis Conſtitutionibus vitare intendit.

46 Hinc liquet, prædictum Theologum non recte ſolviſſe argumentum in P. Pauli Gabrielis propoſitionem adductum, nempe non eſſe aſſignabilem caſum, in quo ejus doctrina ad praxim reducatur, quin in damnatam praxim incidamus. Nam caſus, quem aſſignat, & quem jam propoſuimus, in praxi non eſt verificabilis ex fundamentis ſupra ponderatis. Si Confeſſor pœnitentem hortetur ſuadendo ſe teneri ſui peccati occulti complicem per tertiam perſonam corrigere, eum decipit; quia vel abſolute non tenetur, vel ſecundum ſecuriorem DD. ſententiam ad id aſtringi non poteſt: qua poſita deceptione, jam licentia, etſi concedatur, eſt inutilis, & reputanda erit, ac ſi data non eſſet, ac propterea jam Confeſſarius adigit ad id, quod pœnitens facere non debet, ac proinde ea licentia uti licite non quibit. Deinde ſupponamus pœnitentem ſic admonitum, & aliàs ſuæ obligationis non ignarum, Confeſſario reſpondere, ſe per ſe ipſum abſque ſui periculo eam correctionem facere non poſſe, neque per alium cum ſuæ opinionis detrimento ad id teneri; inſiſtet adhuc imprudens Confeſſarius in ea obligatione ſuadenda? Male profecto operabitur; pœnitentis enim opinioni probabiliori, & probabiliſſimæ ſe tenetur accommodare. Supponamus autem adhuc inſiſtere Confeſſarium, cognoſcereque pœnitentem ex dictis, nullam aliam perſonam habere ad illud correctionis miniſterium, niſi ipſum Confeſſarium: An ipſe, quin ſe offerat

offerat, inſiſtere poteſt in ſuadendo, teneri pœnitentem eligere tertiam perſonam, quam aptam judicaverit, aliàs indiſpoſitum eſſe? Certe captioſa erit ſimilis ſuaſio; nam Confeſſarius jam ignorare non poteſt nullum alium reſtare eligendum, niſi ſe ipſum. Et pœnitens jam metu reverentiali, & timore denegandæ abſolutionis adactus, nec libere complicem nominat, nec ſpontanee licentiam concedit. Ergo falſo Theologus iſte aſſerit eam licentiam eſſe omnino ſpontaneam, & talem, qualem DD. requirunt, ut valida, & juſta cenſeatur. Supponamus benigniorem hypotheſim, nempe pœnitentem ſtatim monitis obtemperare, & libenter eligere Confeſſarium: An ſtatim ipſe illud correctionis onus licite in ſe ſuſcipiet? Quis eum probabiliter certum facit, ſua correctione complici profuturum? Quis eum ſecurum reddit, complicem non eſſe ſcandalizandum? Quis ſponſor erit, ut complici confeſſio odioſa non reddatur; aut quod ex ejus correctione revelati ſigilli apud ipſum complicem, apud vel eos, quibus ipſe imprudentiam Confeſſarii querulus patefaciat, ſuſpicio non oriatur. Ergo imprudentiſſime operabitur Confeſſarius, ſi prædicto oneri humeros ſupponat. Si autem ſupponere non debet, fruſtra pœnitentem monet, & ſuis monitis adducit, ut complicem libenter declaret, & præſtet licentiam ad uſum notitiæ ſacramentalis. Ergo neque licite Confeſſarius ea licentia uti poterit, neque ille caſus, tot conſequentiis pernicioſis expoſitus, eſt practice admittendus, & proinde in condemnata praxi ex intrinſeca, & adæquata ratione continetur.

47 Solvere nititur idem Theologus aliud argumentum ortum ex verbis prædicti A. ſeu ex ratione, quam ille præſtat, ad ſtabiliendam ſuam doctrinam, nempe: *Cum quiſque ſciat ſuam ſibi relinqui libertatem concedendi, vel negandi licentiam.* Quæ verba (intendebat objectio) oſtendunt licentiam petitam; ac proinde jam talis licentia non poterat dici ſpontanea juxta ſententiam Fagundes (28) ſic dicentis: *Sola præſentia, & authoritas Confeſſarii ſine minis, & vultuum inverſionibus ſufficit ad inducendum metum reverentialem, & ut non valeat licentia data.* Si hoc ſufficit, quomodo non ſufficiet ipſa Confeſſarii monitio aſſerentis pœnitentem teneri aliquam tertiam perſonam eligere ad correctionem, aliàs indiſpoſitum eſſe? Id relinquo aliis cogitandum. Ad objectionem primo reſpondet, Authorem illum minus proprie loquutum fuiſſe, atque verbis inhærendum non eſſe, ſed vero ſenſui. Facile juxta regulas tritas id admitto. Sed aliam viam carpo; & quæro: Quomodo ſua cuique relinquitur libertas concedendi, vel non concedendi licentiam, ſi in eo caſu pœnitens ad eam concedendam tenetur, alioquin non abſolvendus, ut poſtea, continuato eodem themate, proſequitur idem Author? Neceſſitas præſtandæ licentiæ cum libertate concedendi, vel non concedendi nullatenus compatitur.

(28) Præcept. 2. lib. 4. col. 1. n. 21.

48 Reſ-

48 Reſpondet ſecundo, DD. improbantes licentias à Confeſſariis petitas in ordine ad correctionem, aut revelationem ſigilli loqui de lege ordinaria, ſalvis ſemper aliquibus caſibus, in quibus tales licentiæ licite peti poſſunt, quin hæc licita petitio tollat ſpontaneitatem neceſſariam. Fundamentum aſſumit ex modificatione, qua DD. utuntur, quando de his licentiis ſermonem inſtituunt. Citat Dianam, La Croix, Vivam, & Tamborinum, & alios etiam referre potuiſſet. Fere omnes agunt de licentiis ad loquendum cum ipſis pœnitentibus extra confeſſionem, & circa eorum peccata in confeſſione detecta. Neque aliud intelligi poteſt, ut licentia licite petatur; nam ut loquatur cum aliis Confeſſarius de auditis in confeſſione, nunquam ſpontanea poteſt eſſe licentia; nullus enim erit, qui non erubeſcat peccata ſua coram aliis, præter ipſum Confeſſarium, propalari.

49 Nullatenus addubito aliquos poſſe dari caſus, in quibus hæc licentia licite peti poſſit, & ſpontanee data judicetur. Ut v. g. in caſu aliàs, ut ait ex P. Sanches P. Viva, metaphyſico, ſcilicet: *Si ille,* (verba ſunt dicti P. Viva) (29) *cui ſolitus ſum confiteri, fateatur mihi in confeſſione, ſe non eſſe Sacerdotem, licet aliàs teneor eidem confiteri exterius, ne dedecus aliquod, aut gravamen in illum redundaret, nec aliter vitare poſſim confeſſionis revelationem indirectam*; licite tamen poſſum ab eo petere licentiam ad vitandum ſacrilegium, ut uti poſſim ea notitia: ***Et eſt moraliter impoſſibile, quod hujuſmodi pœnitens non conſentiat ſponte.*** Alius caſus poteſt eſſe, cum Confeſſarius advertens poſt confeſſionem aliquid neceſſarium omiſiſſe in adminiſtrando ſacramento, ab ipſo pœnitente petat licentiam loquendi cum illo de auditis in confeſſione ad utilitatem ipſius. Et tunc neque hæc petitio erit injuſta, neque licentia data dici poterit aliquo modo involuntaria, ut communiter docent Theologi cum Fagundes. (30) Alius caſus eſt, cum Confeſſarius neſcit reſolvere quid agendum, indigetque conſilio, petitque licentiam, ut ab alio doctiori conſilium petat, & ei peccatum confeſſum ſub eodem ſigillo proponat. Alii ſimiles caſus excogitari poſſunt. Sed hi trahendi non ſunt ad complicum inquiſitionem, & licentiam petitam ad finem correctionis ipſius complicis; hæc enim neque à pœnitente licite datur, nec à Confeſſario licite exigitur; & quæcumque ſuaſio explodenda eſt: nec admittendus eſt aliquis caſus; ſi enim admittatur, Pontificiæ Conſtitutiones faciliſſime illudentur: *Nam ſi hæc via aperiretur, facile quilibet perſuadere ſibi poſſet, hic, & nunc id ſibi licere: unde confeſſio redderetur odioſa; atque adeo pro nullo unquam caſu id licet.* (31) Ac proinde reſpuenda omnino venit quæcumque generalis doctrina, quæ hanc januam Confeſſariis adaperiat.

50 Ut ejus licentiæ ſpontaneitatem inducant, præſupponunt ca-

Nn ſum,

(29) Dict. §. 9. verſ. Fit 5.

(30) Præcep. 2. lib. 6. cap. 4. n. 23.

(31) Dict. P. Viva ubi ſup.

ſum, in quo pœnitens ad eam præſtandam teneatur. Sed hæc præſuppoſitio eſt falſa; nunquam enim pœnitens ad eam præſtandam tenetur. Tum propter probabiliſſimam, communiſſimamque ſententiam aſſerentem, quod pœnitens hanc licentiam præſtare non poteſt quoad peccata complicis. Tum propter periculum infamandi proximum. Tum propter ſuſpicionem revelati ſigilli, quæ ſemper vitari debet. Tum quia neque pœnitens, neque Confeſſarii probabiliter ſcire poſſunt correctionem profuturam eſſe. Tum denique, quia ſi pœnitens non poteſt per ſe ipſum facere correctionem, neque tenetur cum ſui incommodo id per alium facere, neque adſtrictus eſt, ut per Confeſſarium neceſſario faciat. Jam, ſi non fallor, Dianam retuli, nunc iterum tranſcribo. Sic ait (32) ex Maldero, quem tranſcribit: *Quare ſi revelatio complicis non ſit neceſſaria ad explicandum proprium peccatum, non poteſt Sacerdos ad ullum alium finem eum urgere, præcipue cum nec liceat pœnitenti eam facere, & ut faciat, ſicut jam ſupra diximus, ſecretum Confeſſarius id ſervare debeat. Certe neque proprium nomen, ut aliis monuimus, tenetur pœnitens dicere, multo minus ſui complicis, ſi non aliud accedat. Si autem eſt neceſſaria, poteſt pœnitens Confeſſario complicem ſecundum dicta ſuperius revelare in eum finem, ut ſe accuſet; ſed omitti debet omnis correctio, monitio, punitio complicis ex hac revelatione; quia hæc non eſt neceſſaria ad explicandum, & emendandum proprium peccatum. Secundo; quia fieret etiam injuria complici, quia etiamſi merito corripiendus ſit, non eſt tamen corripiendus, niſi ordine a Chriſto præſcripto, cui ordini repugnat ipſum corripi ex ſacramentali confeſſione, cum ipſius ſecretum hactenus etiam in favorem complicis redundet, ut non poſſit ipſe ullo modo prodi per illud, niſi quatenus neceſſarium eſt ad explicationem peccati ipſius pœnitentis. Quare etiam in caſu, quo pœnitens tenetur corripere Petrum de peccato ſuo, non eſt conveniens medium, ut Confeſſario ſuo revelet peccatum Petri in illum finem, ut ipſius opera fiat correptio; ſi enim alio modo corripere, aut ad correptionem non venire poteſt, non tenetur corripere, ſi poteſt, tenetur illum alium modum adhibere hoc relicto. Quamvis enim hic modus ſit ſecretus, non tamen eſt licitus, quia in injuriam cedit ſacramenti, & quomodo corripiendus ſit proximus, alium modum Chriſtus conſtituit. Si licitus eſſet modus, qui eſt per confeſſionem, correptio ordinarie pro ſecretiori via amplectenda tentaretur per confeſſionem, quod eſſet inſigne gravamen ſacramenti. Deinde diximus ſupra, peccata illa ſecreta alterius tam complicis, quam non complicis in confeſſione narrata, claudi ſigillo, & quidem ſic claudi, ut ſine complicis, aut illius alterius peccatoris licentia, eſto habeat conſenſum a pœnitente, Confeſſor ea revelare non poſſit: non ergo poteſt de illis Confeſſor corripere. Adverte ergo,* Confeſſor,

(32) Tom. 1. tract. 8. reſol. 48.

Confeſſor, non tibi recte revelari ad correptionem, quia ſecretum ſervare debes, cum eo minus poſſis corripere, quo magis ſecreto teneris. Præterea confeſſio non eſt inſtituta, ut corripias alium, ſed ut te ipſum, ſi non corripiendo, aut corripiendo, aut aliter peccaveris, accuſes. Et hæc omnia docet Malderus ubi ſupra: in quibus miſerrime ſcio quemdam Confeſſarium olim cum aliorum ſcandalo ſæpius deliquiſſe. Olim cujuſdam erat error, nunc multorum. Et tamen adhuc patronos habet ſua doctrina, ejusque praxi his ſententiis aditus aperitur.

51 Poſtea idem Diana *reſol.* 49. ſic reſolvit: *Dico primo. Pœnitens non tenetur manifeſtare complicem, ut corripiatur, nec Sacerdos tenetur interrogare, aut inducere pœnitentem, ut manifeſtet. Probatur evidenter. Et quidem pœnitentem non teneri conſtat. Quia non ſemper, ſed raro tenetur ſecundum gradum correptionis ſervare adhibendo tertium, qui corripiat, & ſi incidat articulus, quo ad id teneatur, non tenetur media confeſſione facere, cum poſſit extra confeſſionem, nec tenetur potius Sacerdotem, cui confitetur, quam alium ad hoc munus eligere; eſt enim moraliter impoſſibile, ut ille ſolus ſit, qui poſſit prodeſſe illi, qui correptione indiget. At verò nec Sacerdotem teneri ad interrogandum, & inquirendum de complice, manifeſtum eſt. Quia nemo tenetur inquirere alterius peccatum, ut corrigat, ut ex ſupradictis conſtat. Et quamvis Prælati aliquatenus inquirere teneantur, ſed non tenentur uti tam exquiſito medio. Et ſi Sacerdos fraude, aut vi, aut importunis precibus extorqueat a pœnitente manifeſtationem complicis, aut licentiam revelandi confeſſionem, absque dubio graviter peccat.*

52 Wigant (33) ſic reſolvit: *Pœnitenti nunquam licet in confeſſione Confeſſario manifeſtare perſonam complicis ob ſolum finem correctionis fraternæ, vel denuntiationis, vel ad bonam gubernationem communitatis. Ratio: Tum quia confeſſio per ſe non ordinatur ad correctionem fraternam. Tum quia licet pœnitens poſſit Confeſſario dare licentiam loquendi de peccatis propriis, non tamen de alienis.*

(33) Tribun. Confeſſ. tr. 13. exam. 7. n. 121.

53 Fr. Antonius à Spiritu Sancto (34) ſic ſcribit: *Hinc fit multum errare Confeſſarios, qui zelo indiſcreto, & ignorantia extorquent complices è pœnitentibus ad eos corripiendos; nam etiamſi pœnitens teneatur corripere complicem, non eſt medium conveniens, ut Confeſſario ſuo revelet peccatum complicis in eum finem, ut ipſius opera fiat correctio; ſi enim alio modo corripere illum non poteſt, non tenetur corripere, ſi poteſt, tenetur illum alium modum adhibere hoc relicto: quamvis enim hic modus ſit ſecretus, non tamen eſt licitus, quia in injuriam cedit ſacramenti, & quomodo corripiendus ſit proximus, alium modum Chriſtus inſtituit. Adverte ergo, Confeſſor, non*

(34) De Sacram. Pœnit. tr. 5. diſp. 8. ſect. 4. n. 529.

tibi recte revelari peccatum complicis ad correctionem, quia ſecretum ſervare debes, cum eo minus poſſis corripere, quo magis ſecreto teneris. Præterea confeſſio eſt inſtituta, non ut alium corripias, ſed ut pœnitens corripiatur; & ſi in hoc ſæculo hæc feneſtra aperiretur, multæ criminatrices Prælato venialia ſua confiterentur, ut aliorum mortalia corripienda proderent. Abſit ergo iſte abuſus ab Eccleſia; licet enim confitenti oporteat credere pro ſe, & contra ſe; tamen contra alium non eſt credendum in confeſſione, ne detur occaſio fictæ confeſſionis, & fraudulentæ infamationis. Ita cum Maldero, Nugno Baſſeus verbo Confeſſio 7. n. 13. *Immo Nugnus contrariam ſententiam vocat temerariam, & pernicioſam, tamquam ipſius ſacramenti deſtructivam, & hæc eſt communis ſententia Thomiſtarum, ut notat Baſſeus, quibus adde Dianam &c.*

(35) Tom. 1. Sum. tract. 9. diffic. 38. n. 5.

54 Villalobos (35) Hiſpanico ſermone ſcribens, & latinitati fideliter redditus ſic ait: *Propter præceptum correctionis fraternæ pœnitens non tenetur detegere complicem in confeſſione. Probatur hoc; quia ſecretum, quod ſervari debet circa complicem, etiam ſpectat ad ſigillum confeſſionis, ut tenet D. Thom. & eſt communis etiam DD. contrariæ ſententiæ. Confirmatur hoc; quia nemo dicet ad agendam correctionem fraternam teneri quem confiteri: ergo nec etiam obligatur ad dicendum in confeſſione.*

(36) In Sum. lib. 3. Pœnit. cap. 23. n. 11.

55 Henriques (36) ſic reſolvit: *In foro pœnitentiæ nunquam pœnitens compellitur directe manifeſtare perſonam complicis, aut alterius delinquentis.... Quia Confeſſarius nullum in eo foro jus habet corrigendi, puniendi, aut denuntiandi reos.* Idem aſſerit Marchantius ſupra jam relatus omnino videndus, qui experientia edoctus eamdem ſententiam acerrime defendit. Et hæc opinio communiſſima eſt, &, ſi verum amamus, ſine contradictore. Siquidem qui in contrarium allegari poſſunt, ſolum aiunt (renuentibus aliis) pœnitentem poſſe uti Confeſſario ad eum finem, non autem docent ad id teneri. Teſtem advoco Cardinalem de Lugo (37) ſic dicentem: *Licet revera hi, & alii multi non dicant expreſſe quod tenetur, ſed quod poteſt pœnitens in aliquibus caſibus complicem manifeſtare, & quod poteſt Confeſſarius de illo interrogare ad correctionem.* Deinde etiam eſt communiſſima opinio, pœnitentem non poſſe licite complicem manifeſtare, niſi in caſibus exceptis; nec præſtare licentiam ad uſum illius notitiæ reſpectu complicis; neque Confeſſarium poſſe licite ea notitia uti. Immo, qui contrariam tenent ſententiam, fatentur, maxima cautela opus eſſe, & Confeſſarios imprudenter acturos, ſi ea notitia utantur, ut late jam expendimus.

(37) De Sacram. Pœnit. diſp. 16. ſect. 8. n. 424.

56 Hic tamen addere oportet ſententiam Sorbonici Doctoris Honorati Tournely *Prælect. Theolog. tom. 9. de Sacram. Pœnit. pag. 209.*

Digitized by Google

209. poſt hæc ſcripta viſi, qui aſſerit: *Per ſe licitum eſſe pœnitenti propter ſolam complicis utilitatem crimen ipſius Sacerdoti manifeſtare, ut corrigatur, & ad meliorem mentem reducatur.* Quid de hac opinione ſentiendum ſit, jam ſupra late explicavimus. Quod nullatenus probo, eſt quod addit: *Probatur*, inquit, *ex praxi veteris Eccleſiæ, quæ hujuſmodi delationem imperabat, impoſitis etiam pœnis adverſus eos, qui fratrum peccata, quæ noverant, non accuſabant.* Sed hanc Eccleſiæ veteris praxim probatam non invenio ea, qua par erat, evidentia. Et certe confundunt ſcriptores hoc præceptum cum præcepto correctionis fraternæ, aut denuntiationis euangelicæ. Hanc certe præcipiebat vetus Eccleſia: aſt deferri ad Confeſſarium peccata aliena, id præceptum nullatenus invenio, neque præcipi potuiſſe credo contra inſtitutionem, & finem ſacramenti. Id concludere intendit his verbis: *Ita juſſit Heraclas, referente S. Dionyſio Alexandrino, apud Euſebium lib. 7. Hiſt. cap. 7. ut hæretici ad Eccleſiam redeuntes non prius admitterentur, quam quæcumque ab adverſariis audierant, palam expoſuiſſent.* Sed quam remota, quam aliena ſit hæc probatio, quis non viderit? Ubinam hic ſit mentio confeſſionis ſacramentalis? Ubinam præceptum de revelando, ſed de denuntiando Confeſſariis peccato complicis? Præterea agebatur ibi de crimine hæreſis, & de hæreticis ab Eccleſia admittendis, ad quod neceſſarium erat, (ut etiam hodie obſervatur) quod ipſi retuliſſent omnia, in quibus cum aliis hæreticis communicaverant; quod quidem ad noſtrum aſſumptum nihil conducit. Se refert ad Morinum, & ad auctoritates ab eo adductas; Morinus tamen jam remanet affatim exploſus.

57 Verum enim verò is proculdubio doctiſſimus ſcriptor, ni fallor, ſuomet judicio evidenter revincitur. Ipſe inquirit, utrum in praxi expediat criminis ſocium, aut reum in confeſſione declarare? Anceps fluctuat, & neque probat, neque improbat. Dicit id per ſe loquendo licitum eſſe poſſe, (contraria ſententia receptior eſt, & ſecurior) ſed in praxi ſic ſuum profert judicium: *Quia tamen in praxi nonnulla graviſſima incommoda naſci poſſunt, idcirco diximus generatim, nos nec probare, nec etiam improbare uſum illum, ſed prudentis eſſe judicare in quibus circumſtantiis ille expediat. Incommoda porro iſta inter multa hæc ſunt potiſſimum. Primum, ne fideles veniant in ſuſpicionem, violari à Sacerdote confeſſionis ſigillum*, ex quo certe pœnitentiæ *tribunal odioſum maxime redderetur; quod profecto malum tanti eſt, ut quodcumque vel pœnitentis, vel complicis bonum ei cedere debeat. Secundum, ne fictis confeſſionibus, & calumniis, quibus nonnulli perditi viros probos aliquando obtentu religionis, & pietatis impetunt, locus & occaſio detur.* Optime dictum. Quomodo igitur non eſt improbandus uſus his periculis fere ſemper expoſitus?

expoſitus? Quomodo poteſt per ſe licitus eſſe prædictus uſus, tutaque ejus opinio, quæ contra ſe habet tot, tamque ipſi ſacramento intrinſecas rationes? Quomodo potuit ab Eccleſia veteri quandoque permitti, immo & præcipi praxis quædam tantis, tamque gravibus incommodis obnoxia? Ergo rariſſimus erit caſus, in quo ſimilis uſus licitus eſſet, non ex ſe, ſed ex circumſtantiis advenientibus, quæ perſuadeant, nullum tunc periculum verſari in complicis, aut tertii declaratione, aut in uſu notitiæ ſacramentalis. Cum autem iſte caſus rariſſimus ſit, & ſemper ſacramenti bonum præferre debeat, ſtatuendum eſt abſolute, id non licere, ne forte imprudentes Confeſſarii frequenter judicent verſari in caſu licito, & nullum ineſſe periculum, immo maximam utilitatem præ ſe ferre has complicum interrogationes, & declarationes, ac per conſequens nullam circa hoc pœnitentibus ineſſe obligationem.

58 Ex his evidenter concluditur ruinoſum eſſe fundamentum ex obligatione pœnitentis deſumptum. Si enim ipſe revera non tenetur ad detegendum complicem ad finem correctionis, nec ad præſtandam licentiam ad uſum notitiæ ſacramentalis; aut talem pro ſe habet probabiliſſimam, & ſecuriſſimam opinionem, jam à Confeſſario non poteſt ſine injuria moneri, ut teneatur vel per ſe, vel per alium illam correctionem intendere; immo ab eo decipitur, ac proinde jam licentia poſtea adepta libera dici non poteſt, ut ſupra diximus ex Patre Suario, & multis aliis. Neque ei denegari ex hac cauſa juſte poteſt abſolutio; non enim indiſpoſitus cenſeri debet qui probabiliſſima, & ſecuriori utitur ſententia.

59 Deinde: ſi Confeſſarius ille ex ſuis generalibus interrogationibus agnoſcit, pœnitentem neque per ſe, neque per alium poſſe facere correctionem, cur ad ulteriora progreditur? Cur iterum eum uæ obligationis, quam revera non habet, inſtanter admonet? Cur ab iis inquiſitionibus non ſuperſedet? Cur eum indiſpoſitum eſſe dicit, ſi correctionem modo, quo poteſt, non faciat? Si ipſe non tenetur correctionis onus in ſe ſuſcipere, immo imprudenter faciet, ſi ſuſceperit: ſi agnoſcit pœnitentem nullam aliam habere perſonam, per quam faciat correctionem, niſi ipſum Confeſſarium, quò tendunt illæ multiplicatæ interrogationum, & admonitionum ſinuoſæ ambages, niſi ut tandem pœnitens illum eligat, ne inabſolutus abeat? Et hæc licentia, hæc electio, hæc pœnitentis declaratio ſpontanea dici poterit? Id ſentiat, id affirmet, id doceat Theologus ille; nam vera ſapientibus ea larvata pernicioſa doctrina nunquam arridebit.

60 Neque ea colorari poterit ſententia Cardinalis de Lugo, Dianæ, & aliorum, quos illius improbandæ praxis ſectatores in ſuis adoptant, & quibus etiam utitur is Theologus. Authores iſti non ſe-

quuntur

quuntur damnatam praxim, damnatamque doctrinam, quia nullatenus agunt de correctione fraterna, immo quoad illam contrariam ſequuntur ſententiam. Agunt de caſu diverſiſſimo, quando ſcilicet grave damnum imminet reipublicæ, de quo jam ſupra egi. Ut id agnoſcatur, nihil aliud opportunius, quam ipſos adire DD. De Lugo loco jam citato §. *His ſuppoſitis, & ſeq.* circa correctionem fraternam aſſeruerat id neque pœnitenti, neque Confeſſario licere. Poſtea §. *Dicendum 5.* aſſerens poſſe dari caſum, in quo pœnitens adſtringatur ad declarandum complicem, ſic eum aſſignat: „ Porro poſſe illum caſum „ contingere, conſtat aperte, quia poteſt Confeſſarius videre ex oc„ cultatione complicis graviſſima damna imminere, ad quæ impedien„ da pœnitens omnino tenetur: rurſus: Videt pœnitentem id non poſ„ ſe ſe ipſo immediate exequi, nec habet alium, per quem id poſſit, „ præter ipſum Confeſſarium, quo caſu certum eſt teneri pœnitentem &c. P. Marin eiſdem utitur verbis, quæ etiam inveniuntur in Diana *dict. tract. 8. reſol. 46.* Tædet profecto auctoritates toties repetitas recenſere; mirorque poſt tot editas diſſertationes, quod iidem iterum adducantur aut explicati, aut exploſi DD. quin ſaltem ad jam dicta reſponſum aliquod adhibeatur.

61 Prædictam ſententiam etiam in illo caſu rariſſimo non amplectuntur alii, qui experientia ducti eam conſiderarunt multis periculis, & inconvenientibus obnoxiam. Ideo optime dicit P. Caſnedi: „ (38) Attamen audita rei confeſſione, etſi cum ejus permiſſu, nun„ quam tale onus ſuſciperem; ſemper enim timerem non quidem „ ſigilli violationem, quia reus dedit licentiam utendi notitia ſacra„ mentali, ſed ſuſpicionem alienam cuique obviam de violato ſigillo; „ hanc enim ingerere ſuſpicionem nunquam ex ulla cauſa licet, ut ſci„ te P. Vaſques.... quod verò hæc ſuſpicio ingereretur, vix negari „ poteſt.... Eliminanda igitur omnis occaſio de ſuſpicione culpæ in „ confeſſione auditæ. Hoc enim damnum, quod eſt ſuſpicio de vio„ lato ſigillo, quod ſemper adeſt, ſi Confeſſor de licentia pœnitentis „ revelaret criminis ſocios, & crimen pœnitentis, inſtante ex oc„ cultatione graviſſimo damno, quod in catholicam rempublicam ca„ dere poteſt. Primo; quia pleroſque à ſacramento averteret. Secun„ do; quia ſi ſemel ex boni publici fine hoc liceret, ſæpiſſime liceret, „ quin liceret ex fine boni privati; charitas enim æque obligat aver„ tere malum perſonæ publicæ, ac privatæ. Tertio; quia ſicut nun„ quam licet violatio ſacramentalis, etſi per eam ſummum reipublicæ „ malum averti poſſet, quia ea violatio, quatenus eſt contra præce„ ptum divinum, & ſacramentum, eſt maius malum, quam ſit omne „ damnum, etſi contra legem naturalem, aut ſupernaturalem, immi„ nens reipublicæ non violato ſigillo; ita quoque ex nulla cauſa licet „ dare

(38) In Criſ. Theolog. tom. 5. diſp. 12. ſect. 4. §. 4.

„ dare ſuſpicionem de violato ſigillo, quam ſemper dat Confeſſor
„ utens, etſi de pœnitentis permiſſione, notitia ſacramentali.

62 Optime etiam Marchantius loco jam ſupra relato, ſed ad intentum opportuniſſimo: „ Fugite quæſo (*ait ille*) peſtem illam, „ non tantum ut malorum originem, ſed ut per ſe illicitam, & „ Chriſti inſtitutioni contrariam. Nec ſibi blandiatur quiſpiam de „ opere charitatis, & quod in bonum pœnitentis, vel tertii utatur; „ ille enim abuſus eſt: & tibi quidem permittitur pœnitentis bo- „ num intra limites, & jura ſacramenti quærere, non autem foris „ illa notitia, & ſigillo uti: conſule, ſiquæ conſulenda habes, ad- „ hibe in ſacramento, ſiquid potes: extra ſacramentum ſicut tu non „ es judex, ſic nec ſacramentalis conſultor in iis, quæ in ſolo ſacra- „ mento ſunt poſita: ſiquid foris agendum eſt, media non deſunt „ tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus negotiis & pertractan- „ dis, & dirigendis; unicuique juxta rei conditionem ſua ſtat via, „ ſuum forum abſque ſacramento, vel notitia in ſacramento acce- „ pta. Excuſet lector, ſi ferventius hæc proſequor; ſcio enim quan- „ ta mala ex profano illo abuſu proveniant..... Et ſi pœnitens te- „ neatur per tertiam perſonam crimen alicujus tertii foris manifeſta- „ re, non facile Confeſſarius id debet in ſe aſſumere. Ratio eſt; „ quia inde ſuſpiciones contra ſigillum apud infirmos, & ignorantes „ gigni poſſunt. Unde & confeſſio redditur odioſa, ac detractioni- „ bus malevolorum exponitur: præterquam quod, ut ſupra notavi, „ malevola, vel malevolus aliquis mendaciis aliquando Confeſſa- „ rium dementet, ut alteri noceat: exempla fere diebus ſingulis oc- „ currunt. Honor itaque ſigilli ſacri omnibus iſtis ſecundariis emolu- „ mentis præferendus eſt.

63 Sic alii idem docent. Non tamen inficias ibo aliquos DD. in illo caſu pene metaphyſico ſic docuiſſe rem potius ſpeculative, quam practice tractantes. Si tamen forte in praxi contingere poſſit, potius opinioni Caſnedi ſtandum eſt; multa enim inconvenientia ſic vitantur; vel ſaltem ſervanda ſunt quæ ſupra expoſui, ubi plane demonſtravi, etiam cum inſtet neceſſitas occurrendi damno imminenti per Confeſſarium, opus non eſſe nominare complicem, immo non expedire aut pœnitenti, aut Confeſſario ob maxima pericula, quæ ipſe individualis notitiæ uſus ſecum affert, & quibus Confeſſarius ipſe imprudentiſſime ſe exponit, & quibus ipſum ſubjicit pœnitentem. Sed dato illo caſu metaphyſico, dataque ea DD. ſententia in tali caſu, cum ipſi contrarium ſentiant reſpectu correctionis fraternæ, inutiliter ad eum finem allegantur, nec ſua doctrina ad eam eſt trahenda: alias haberemus frequentem, immo & frequentiſſimam praxim, quam S. P. *penitus* reprobat.

64 Patet;

64 Patet; quia theſis illa procedit (ut ejus ſequaces intendunt) quando correctio eſt neceſſaria, & pœnitens neque per ſe, neque per alium correctionem exequi poteſt. Hic autem caſus ſic creber erit, quam aſſidua ſunt peccata cum complice admiſſa; nam rariſſime complex admonitione non indigebit vel ut reprehendatur malum admiſſum, vel ut vitetur admittendum. Pœnitens per ſe non poteſt propter periculum reincidentiæ, cui exponitur: non poteſt per alium, quia ſaltem moraliter eſt impeditus; non enim commode poteſt per alium facere, quin ſe ipſum prodat, ſuamque occultam detegat turpitudinem. Ergo (inferent Confeſſarii) ſolum poteſt per Confeſſarium: ergo ad id tenetur: ergo cogi poterit ad eligendum illud unicum medium: ergo ſi non eligat, ſi non præſtet facultatem ad uſum illius notitiæ, tamquam indiſpoſitus, non erit abſolvendus. En quod præcavere cupiunt qui veræ ſententiæ adſtipulantur: en quod prohibere, & reprobare nititur S. P. en quod admittere cupiunt pravi abuſus, ſub ſpecie boni, rigidiſſimi Confeſſarii: en quod illa opinio, in illo caſu varis coloribus depicto, nunquamque verificabili, explicata, ſecum affert: en quanta laxitas ſeſe offert, quantum periculum imminet, quot emergentia damna in ſacramentum minitantur, ſi illa doctrina, etiam in caſu illo rariſſimo introducta, reprobata non intelligatur. Abſit ergo tam damnoſa impracticabiliſque expoſitio. Abſit omnis, & quæcumque ſententia damnatæ praxi quoquo modo conſona, & prædictis periculis obnoxia.

65 Inſtabunt tamen prædictæ ſententiæ patroni: nullam ſcilicet poſſe conſiderari ſufficientem diſcriminis rationem inter illum caſum publicæ neceſſitatis, & caſum indigentiæ privatæ; nam charitas, ejusque præceptum æque militat erga perſonam privatam, ac publicam, ut eſt communis opinio, & tetigit Caſnedi ſupra relatus. Admiſſo igitur illo caſu, quando ſcilicet imminet periculum reipublicæ, neceſſario etiam admittere debemus quando inſtat proximi neceſſitas ſpiritualis. Rationem differentiæ aſſignant omnes, qui unum, non alium caſum admittunt. Etiam Muratorius eam ſuo tetigit laconiſmo: *Ut impediatur hoc malum*, (ait ille agens de communi graviſſimo damno) *obligatur pœnitens ad exquirendum conſilium Confeſſarii*, (intellige, ſi illo indigeat) *qui pro ſua prudentia aut per ſe, aut per ipſum pœnitentem remedia conquirat. Niſi revelare velit pœnitens*, (intellige damnum imminens, aut complicem competentibus Magiſtratibus) *minime eſt abſolvendus; nam ex lege non minus juſtitiæ, quam charitatis tenetur ille pro virili curare, ut in tuto ſit publica ſalus. De damno vitando, quod privatæ alicui perſonæ imminere poteſt, non loquor; nam fere ſemper, ſuppreſſis complicum nominibus, conſilium præbere poteſt Sacerdos.* Loquitur de conſilio petendo, vel accipiendo,

Oo non

non de facultate ad uſum notitiæ ſacramentalis; ſed ratio etiam ad hunc caſum concludit.

66 Sed ea, meo judicio, concludentior eſt: Quod præceptum charitatis non ſemper æque obligat. Correctionis præceptum ſic obligat, ut multis circumſtantiis indigeat, ut neceſſario adſtringat. Id explicant communiter Theologi de correctione agentes. Correctio fieri debet per media proportionata, quale non eſt uti notitia in confeſſione acquiſita, ut ſæpe ſæpius dictum eſt. Pro bono ſpirituali proximi, immo & totius mundi juxta *Apoſtol. ad Rom.* 3. *& D. Thom. q.* 26. *art.* 4. non licet alicui ſe exponere periculo alicujus peccati etiam venialis; exponeretur autem huic periculo tam pœnitens, ſi declararet complicem ad finem correctionis, ad quam non tenetur, quam Confeſſarius utens notitia ſacramentali, ſaltem ob ſuſpicionem violati ſigilli, & ſcandalum ipſi complici datum: præcipue, cum nec pœnitens, neque Confeſſarius ſcire moraliter poſſint correctionem profuturam, ut dictum eſt. Tandem in caſu ſalutis publicæ nullum aliud ſupereſt remedium, ut videtur. At verò in peccato complicis occulto neque illud remedium eſt omnino certum, aut prudenter ſcitur, quod proficiat, neque neceſſitas omnino urget; ſiquidem, ut jam expoſuimus, emendato pœnitente, jam emendatus præſumi debet complex quoad illud peccatum. Unde nihil aliud agendum Confeſſario ſupereſt, quam pœnitenti remedia adhibere præcautoria lapſus, ſeu reincidentiæ; nec ſe immiſcere complicum peccatis emendandis, aut corripiendis, aut denuntiandis; hæc enim charitas eſt ficta, & falſa, ac multis damnis fomitem præbens, atque frequentibus ſcandalis occaſionem ſubminiſtrans.

67 Explodenda igitur etiam eſt ea horum Theologorum ſententia, quæ aſſerit, in hoc caſu, quo ſcilicet (ut fingunt) tenetur pœnitens Confeſſario ſui occulti peccati complicem declarare, poſſe pœnitentem adigi, ut eum declaret, poſſeque licite à Confeſſariis de complice interrogari, ac peti licentiam, ut in bonum proximi, ejusque emendationem ea notitia utantur: atque per hanc inductionem, inquiſitionem, aut petitionem non tolli libertatem, & ſpontaneitatem neceſſariam. Sed quam periculoſa ſit hæc aſſertio, nemo non videt. Plures AA. ſupra retuli, nunc addo prædictum P. Cajnedi ubi ſupra *num.* 131. qui ex La Croix ait: *Quod ſi ea licentia detur, petente ipſo Confeſſario, cenſenda ſit invalida, etſi pœnitens dicat eam libenter dare: & citat Dicaſtil. diſp.* 12. *n.* 66. P. Tambor. *de Confeſſ. lib.* 3. *cap.* 3. *quia reddit confeſſionem odioſam.* Et cum P. Mendo *diſp.* 10. *q.* 5. *ſuadet Confeſſariis, ne in ſe ſuſcipiant opus corrigendi, aut denuntiandi complicem. Immo addit, quod ut Confeſſor ſine læſione ſigilli poſſit complicem monere, aut revelare, magni DD. velint, inter*

quos

quos M. Soto, M. Bañes, M. Roſela, P. Vaſques, P. Tamborin. quod neceſſaria ſit complicis licentia. Etſi enim tunc confeſſio non fiat odioſa pœnitenti, ſit tamen aliis odioſa. Unde ad prædictam parum tutam opinionem defendendam non recte abutuntur hi Theologi, quicumque illi ſint, iis modificationibus, quibus AA. de his licentiis loquuntur; ſemper enim maxime timent fracti ſigilli periculum, & ſolum referendi ſunt ad caſus, quos ſupra retuli, non verò ad interrogationes complicum, & petitas circa hunc uſum licentias: congruentiusque eſt adhærere opinionibus ſigillum faventibus, quam aliis, quibus ineſt tale periculum, opitulari.

68 Illud ægre nimis ferendum, quod ad tuendam eam opinionem abutantur doctiſſima Paſtorali Eminentiſſimi Domini Cardinalis Patriarchæ, qui ſic docet. Do ejus verba Luſitana, in Latinum verſa ſermonem: *Et caſu, quo delictum ſit ex exceptis, propter ejus ſingularitatem, & graves conſequentias, & ad ſolum Confeſſarium ſpectet ejus remedium, juſtum erit, quod utatur conſilio piorum Authorum, petendo à pœnitente licentiam ad loquendum in illa materia extra confeſſionem.* Quam certum eſt ex eiſdem floribus & apes mella depromere, araneasque venenum. An correctio fraterna eſt ex caſibus exceptis? An peccata cum complice commiſſa ſunt ſingularia? An fragilitas occulta peccantium, ſolumque ipſis peccantibus nociva ſecum afferunt graves conſequentias? An ad ſolum Confeſſarium ſpectare poteſt horum peccatorum medicina? An idem eſt in caſu rariſſimo, & gravis conſequentiæ à pœnitente apud Confeſſarium expoſito petere licentiam ad loquendum cum illo extra confeſſionem, ut vitetur omnis ſigilli revelatio, ac petere, quod ſibi declaretur nomen complicis, & concedatur licentia ad uſum illius notitiæ? En quomodo deturpantur innocentes doctrinæ. Verſamur in quæſtione circa correctionem fraternam, in qua illa doctiſſima Paſtoralis adeo non permittit uſum illius notitiæ, ut omnino prohibeat. Ad quid ergo ſic in eam minus verum profertur teſtimonium? Ut oſtendat petitionem licentiæ non tollere ſpontaneitatem? Jam diximus aliquoties id contingere poſſe; magna tamen ad id prudentia opus eſſe. Sed in theſi propoſita, & ſimilibus, & præcipue ad finem correctionis nunquam talis petitio juſta eſſe poteſt, contrariumque eſt contra omnium ſcribentium ſententiam, & expreſſe Pontificiis Conſtitutionibus adverſatur. Præcipue, quia, ut diximus, falſo ſupponitur pœnitentem adſtringi ad faciendam correctionem per tertiam perſonam, aut per Confeſſarium, falſoque aſſeritur licite de hac obligatione moneri, & deceptorie ad prædictam inducitur facultatem.

69 Neque bene occurritur dicendo P. Paulum Gabrielem, quando docet licitum eſſe uſum notitiæ ſacramentalis in ordine ad corre-

ctionem fraternam de licentia pœnitentis, loqui *de licito per ſe, & abſolute* Siquidem eo ipſo ſua abſoluta, & generalis propoſitio non eſt vera; abſolute namque, & per ſe non eſt licitum inquirere nomen complicis, & uti licentia petita. *Per ſe loquendo, atque adeo communiter, & regulariter non eſt conveniens talis interrogatio; & oppoſitum hujus eſt temerarium, & pernicioſum tamquam ſacramenti deſtructivum.... Ad quartum reſpondetur illum caſum eſſe metaphyſicum.... Et ita verificatur noſtra concluſio non ſolum regulariter, ſed univerſaliter, quod ſcilicet perſona complicis nunquam eſt manifeſtanda in confeſſione*, ait Nugno. (39) Et idem aſſerunt multi alii, poſtea ad principale aſſumptum referendi. Et ſane abſurdum eſt maximum aſſerere licitum eſſe per ſe, & de lege ordinaria quod tot Concilia, tot Synodi, tot Pontificiæ Conſtitutiones abſolute prohibent, abſolute damnant, abſolute reprehendunt, tamquam fini, & inſtitutioni ſacramenti contrarium. Ridiculumque eſt ponere regulam in limitatione rariſſime verificanda. Unde ſtatuendum eſt abſolute, per ſe & de lege ordinaria id licitum non eſſe, quamtumvis in aliquo rariſſimo caſu ex occurrentibus circumſtantiis licitum fieri poſſit.

(39) In addit. ad 3. part. D. Thom. q. 11. art. 2. diffic. 2.

70 Sicut etiam nullatenus ſolvit difficultatem, dicens, quod in hoc caſu non poteſt obſtare infamia complicis, cum iſte nullum jus habeat contra Chriſti præceptum. Præterquam enim quod, non ſola ratio infamiæ talem uſum prohibet, ſed etiam, & fortius, injuria ſacramento reſultans, tum ex eo, quod in tali caſu ſuſpicio fracti ſigilli oriatur, & fideles arceantur à ſacramento, ſi videant actiones ſuas extra illud forum ſacramentale produci, etiam ratio infamiæ ſufficeret; nam quando peccatum eſt occultum, proximus jus habet ſuæ famæ, neque hoc jus eſt contra præceptum Chriſti; hoc namque præceptum non obligat media confeſſione, medioque uſu notitiæ ſacramentalis, ſed mediis à Chriſto Domino inſtitutis, quale non eſt ſacramentum Pœnitentiæ, ad cujus forum pertinent pœnitentes, non alii; & proinde eo uti ad finem correctionis eſt deordinare ejus finem, & inſtitutionem: hocque præceptum, quod reſpicit ſacramentum Pœnitentiæ, eſt altioris ordinis, & multo maioris utilitatis, ut eo non utamur ad alios fines extrinſecos, ex quibus ejus injuria, & inordinatio reſultare poteſt.

71 Hæc doctrina non ſolum eſt Thomiſtarum, ſed etiam Scotiſtarum, ut advertit Henno ubi ſupra per hæc verba: *Reſol. 2. ſacrilegos eſſe Confeſſarios, qui complicem, aut tertiam perſonam monent, corrigunt, examinant, denuntiant &c. ſub prætextu conceſſionis in confeſſionali ſibi factæ, vel enim ſequuntur ſententiam Scoti, & ſunt ſigilli infractores; nam non ſufficit licentia pœnitentis: vel ſententiam D. Thom. & equidem ſunt ſacramento injurioſi, ac contrarii inſtitutioni*

tioni

tioni Chriſti, qui ſacramentum inſtituit non ad fraternam correctionem, ſed ad peccatorum abſolutionem, & pœnitentis emendationem. Immo doctrina Jeſuitarum non eſt huic contraria. P. Vaſques, P. Moya, P. Tamborinus, P. Sancius, P. Caſnedi, & alii Jeſuitæ ſunt, & optimi Jeſuitæ, & tamen ſimili ſententiæ non adhærent. P. Suarius id non docet, ut ſupra dictum eſt; ſolum docet poſſe pœnitentem dare licentiam ad uſum notitiæ ſacramentalis, ſed cum talibus circumſtantiis, ut fere nunquam ad praxim reduci poſſit. Pater Caſtro Palao optimus Jeſuita, qui P. Suarii veſtigia premit, ſic ait: (40) *Debet eſſe* (loquitur de licentia pœnitentis) *ſpontanea, & libera. Nam vi, dolo, & metu extorta cenſenda eſt, ac ſi conceſſa non eſſet, tum ob reverentiam ſacramenti, tum ne foveantur injuriæ, tum ut pœnitens ſecurus ſit de ſecreto.... Quod ſi objicias: Sæpe pœnitens obligatur peccatum ſuum aperire ad impediendum damnum grave innocentis: poterit ergo tunc à Confeſſario cogi, ut licentiam concedat? Reſpondeo, nullatenus hanc coactionem eſſe permittendam.* Quis autem non videt Confeſſarium monentem pœnitentes teneri ad correctionem fraternam, quando alius non ſupereſt, niſi Confeſſarius ipſe, & aliter diſpoſitos non eſſe, eos cogere, vel ſaltem inducere, & metu, ſaltem reverentiali, adſtringere, ut eum eligant, & licentiam ei præbeant ad correctionem faciendam, ac imprudentiſſime ſe habere?

(40) Tr. 2. 23. diſp. un. §. 19.

72 Stat ergo, prædictam propoſitionem, qua deagimus, quoad primam partem, dum abſolute reſolvit licitum eſſe cum licentia pœnitentis uti notitia ſacramentali in utilitatem alterius, modificandam eſſe ex jam dictis. Quoad ſecundam vero partem, quatenus abſolute, generaliter, & indefinite conſtituit, teneri pœnitentem permittere uſum notitiæ ſacramentalis, *quoties neceſſarius eſt ad tollendam occaſionem peccati, ad avertendum aliquod damnum ſpirituale, vel temporale alicujus privati, & ad alia, quæ juſtitia, vel charitas exigit, aliàsque abſolutione indignum eſſe*, procuIdubio opponi ſententiæ communiſſimæ, & veriſſimæ, atque Pontificiis Conſtitutionibus, quæ abſolute prohibent uſum notitiæ ſacramentalis, aut petitionem licentiæ, aut inquiſitionem complicum, aut abſolutionis denegationem: quæ certo certius illuderentur, ſi illa generalis doctrina admitteretur; ſemper enim maneret patens aditus ad ſubterfugium aſſerendi illum uſum neceſſarium eſſe ad bonum finem ſpiritualem emendationis complicum, & ad implendum correctionis præceptum.

73 Proinde non ſalvatur prædicta propoſitio, eam conferendo cum praxi damnata; cum potius collatis inter ſe Pontificiis Conſtitutionibus, & prædicta reſolutione, praxis condemnata eadem ſit, ac doctrina in dicto §. contenta. Praxis damnata conſiſtit in judicando licitum eſſe ad finem correctionis, & aliorum bonorum inquirere complices,

plices, petere licentias ad uſum notitiæ ſacramentalis, perſuadere pœnitentibus illud bonum procurare teneri, & eis denegare abſolutionem, ſi renuant. Doctrina libri aſſerit, pœnitentem teneri procurare dictum bonum ſpirituale, dareque licentiam Confeſſario ad illud bonum procurandum media notitia ſacramentali, aliàſque indiſpoſitum eſſe ad abſolutionem obtinendam. Cum autem, ut diximus, frequentiſſima ſint complicum peccata, quæ non convenit ab alio complice perſonaliter corrigi, & quæ ipſe per alium commode ſine diſpendio ſuo corrigere non valet, frequentiſſimum eſſet, quod teneretur id facere per Confeſſarium, & quod Confeſſarii id neceſſarium eſſe judicarent; nam vitare damnum ſpirituale proximi, cum poſſit, ſemper neceſſarium eſt; ſequeretur ex illa doctrina ille correctionis uſus, media confeſſione, & illæ licentiæ petitiones, quas S. P. abſolute prohibet, ac condemnat. Tandem vana eſt, & frivola tergiverſatio, qua aſſeritur, prædicti Authoris doctrinam ſolummodo procedere quando notitia confeſſionis, ejuſque uſus fuerit unicum medium ad procurandam complicis emendationem; & tunc teneri pœnitentem ad dandam eam facultatem, ut ſic præcepto Chriſti ſatisfaciat. Siquidem prædictus Author non facit talem reſtrictionem, ſed abſolute profert teneri pœnitentem, quoties ille uſus neceſſarius eſt ad tollendam occaſionem peccati, ad vitanda proximi damna, vel colligenda alia bona, quæ charitas exigit. Hos autem prætextus expreſſe reprobat, atque condemnat S. P. Et falſo ſupponit ejus defenſor eam licentiam neceſſariam eſſe ad ſatisfaciendum Chriſti præcepto; nam hoc præceptum non datur, ut fiat correctio media ſacramentali confeſſione, quæ ad id inſtituta non fuit. Videantur ad intentum Nugno loco ſupra citato, & M. Bañes, quem refert, & ſequitur, optime, & concludentiſſime id probantes.

74 Dico octavo. Confeſſarius nunquam tenetur in ſe ſuſcipere onus correctionis fraternæ, etiam dato, quod aliquando poſſit. Probatur primo. Quia nullum aſſignabitur præceptum, quo Confeſſarius teneatur ad uſum notitiæ ſacramentalis, etiam ſuppoſita licentia pœnitentis; immo invenitur præceptum poſitivum, & divinum ad non utendum notitia ſacramentali; ac proinde non poteſt conſiderari obligatio ubi non datur præceptum. Probatur ſecundo. Quia hoc præceptum, ſeu hæc obligatio proveniret vel ex juſtitia, vel ex charitate. Ex juſtitia non oritur, neque in aliquo juſtitiæ principio fundatur. Deinde non oritur ex charitate; charitas enim non exigit, ut Confeſſarius utatur notitia, quam in confeſſione habuit, neque quod ipſe licentiam petat, neque quod licentia data utatur, ad id enim, ut ait Diana ſupra citatus, & plures alii, charitas non obligat cum incommodo gravi; redderetur autem nimis oneroſum Confeſſariis audiendarum

darum confeſſionum munus contra ipſius ſacramenti inſtitutionem. Probatur tertio. Quia ad forum pœnitentiæ ſolummodo ſpectant pœnitentes, non autem complices, ut dictum eſt, & agnoſcunt omnes. Probatur quarto. Quia, ut fatentur ipſi adverſarii, Confeſſarii imprudenter operabuntur, ſi illud onus in ſe ſuſcipiant; nulla autem obligatio dari poteſt, ut quis imprudenter operetur. Quinto. Quia nulla poteſt dari obligatio, ut quis ſe exponat periculo reddendi odioſum ſacramentum Pœnitentiæ; hoc autem periculum ſemper timeri poteſt, ut ex P. Caſnedi dictum relinquimus. Probatur ſexto. Quia nullus eſt Doctor, qui eis hanc obligationem imponat, ut plurimum enim dicunt aliquando id poſſe, ſi velint oneri illi ſe ſubjicere; quod autem eſt facultativum, obligatorium dici non debet. Probatur ſeptimo. Quia ut plurimum poſſet obligare illud correctionis præceptum, ſi Confeſſarius prudenter ſperaret ſua correctione complici profuturum; ipſe autem nullum ſufficiens fundamentum habere poteſt, ut ſibi perſuaſum habeat hunc fructum, vel complicem non eſſe aliquo ſcandalo afficiendum. Probatur octavo. Quia illa obligatio, ſi daretur, eſſet ad finem emendandi complicem; hic autem finis eſt ſuperfluus; emendato enim pœnitente, emendandus venit complex. Probatur nono. Quia eſt opinativum, an ex ſola licentia pœnitentis poſſit Confeſſarius uti notitia ſacramentali; immo opinio ſecurior, & ſacramento favorabilior eſt non poſſe; ubi autem datur opinio, & ſecurior in contrarium, non poteſt conſiderari præceptum, aut obligatio. Probatur tandem. Quia hæc obligatio compati non poteſt cum Pontificiis decretis, atque Synodorum conſtitutionibus, quæ vetant hujus notitiæ uſum: ac proinde ſi conſideraremus aliquam obligationem in Confeſſariis, etiam illos conſtitueremus inter duo præcepta contraria, & redigeremus ad incredibiles anguſtias; ſcrupulis enim adacti, quo ſe verterent, neſcirent, & forte ad partem zeli, & fictæ charitatis declinantes frequenter, ſe eſſe obligatos ſibi ipſis perſuaderent, & frequenter illa notitia uterentur in damnum, & perniciem fidelium, ipſiuſque ſacramenti, quod totis viribus S. P. prudentiſſime ſtuduit præcavere.

75 Ex his profluit non recte ſe habere illius Auctoris doctrinam, dum ſine patrono, & aliorum Doctorum ſententias prætergreſſus, quod alii facultativum opinati fuerant, ipſe veluti debitum opus, & neceſſario exequendum pronuntiat per hæc verba: *Confeſſarius cum licentia expreſſa pœnitentis debet uti notitia peccati complicis, vel alterius, ex ſola confeſſione parta, quando neceſſe eſt ad impediendum grave damnum ſpirituale, vel etiam temporale injuſtum pœnitentis, vel ipſius complicis, vel aliorum, ita ut nequeat impediri, niſi Confeſſarius moneat prudenter ipſum reum, vel ſuperiorem*

riorem tamquam patrem. En iterum pernicioſa praxis, qua data porta ruet, & ſemel hac rimula reſerata, paulatim laxiora limina recludentur. Pœnitentibus laxantur licentiæ, ut complices ad correctionem declarent; & quod peius eſt, ut aliorum peccata materiam confeſſionis faciant, quod proculdubio tot Conciliis, & Synodis Provincialibus adeo manifeſte vetatur. Nec ſatis adhuc, ſed etiam ipſis Confeſſariis neceſſitas imponitur, ut peccata eis confeſſa, *& ex ſola confeſſione parta* ad ſuperiores tamquam patres deferant. Hinc ipſis ſuperioribus quid agendum reſtat? Vel circa eam *notitiam in confeſſione partam* ſecundum unam opinionem ſigillo adſtringuntur, vel non? Si primum, ad nihil ea notitia uti poſſunt; id enim à Clemente VIII. eis expreſſe prohibetur, ac proinde neque ad correctionem, utpote actionem externam, procedere poſſunt. Si ſecundum, juxta doctrinas jam datas non tenetur ſe reſtringere ad correctionem occultam, ſed ad inquiſitionem progredi valet, ut peccatum, aut damnum vel temporale, vel ſpirituale impediat. En tertius, aut complex peccatum, quod putabat occultum, apertum videt, meritoque ſuſpicatur ex notitia confeſſionis detectum, licentiamque datam vel neſcit, vel non credit: inde in murmura, in querelas, in iras, in odium Confeſſarii, & ſacramenti diffunditur. Ecce quod timet S. P. ecce quod vitare cupit, ecce quod judicat ex damnata praxi præſepe oriri: *Nec fieri potuit*, (ait ille) *quin ea de cauſa & oblocutiones, & ſcandala, & non Miniſtrorum tantum, ſed ſacri etiam ipſius miniſterii odium, & animarum ingens conturbatio in populo fideli exorta ſint.* Ecce quod ipſa umbratilis opinio ſub ſpecie boni aſſequendi, aut mali vitandi per latebroſas inſidias introducit.

76 Neque hoc mirabitur dictum qui negotium profundius rimetur. Confeſſarius ipſe ea obligatione preſſus ſecum ſtatuet, ut ſuæ conſcientiæ aut erroneæ, aut timoratæ proſpiciat, non recte animæ ſuæ conſulere, niſi præcepto charitatis, quod adimplere poſſe arbitratur, omni ſolicitudine ſatisfaciat. Cognoſcit complicem, aut tertium correctione, aut remedio indigere: ſibi perſuaſum habet, pœnitentem ad id remedium procurandum, eo mediante, adſtringi. Apud ſe ipſum protinus fructus aſſequendi ſpem fingit, & alta mente reponit. Exardeſcit hoc zelo, & charitatis fervore ſibi propoſito. Emendationis proximi ſua induſtria conſequendæ firmiſſimam concipit opinionem. His poſitis, pœnitens fortaſſe dolo, & calumnia, ut manu occulta vindictam capiat, (ut experientia docet, & teſtatur Marchantius ſupra relatus) non ſe ſolum accuſat, ſed alium. En primus error. Confeſſarius, qui, ut tot Synodi monent, debuerat tertii accuſationi aditum intercludere, & reprehendere pœnitentes, eo quod peccata aliena ad confeſſionem deferant, libenter auſcultat, interrogationes facit, admoni-

admonitiones adauget. Pœnitens annuit, & licentiam concedit. En proximus infamatus apud Confeſſarium, & poſtea apud ſuperiorem forſan innocens, Confeſſariusque ipſe ſibi maxime plaudet, & ſui ſecurus gratulatur, quod muneri ſibi injuncto ſatisfecerit, & fratrem ſuum fuerit lucratus. Subdolo pœnitenti credidit avidiſſime; ſolus enim Deus corda intuetur, & conſequentibus damnis, cum lucra captare intenderet, cauſa fuit. Nonne ſatius erat, quod non permitteret alieni peccati accuſationem, quod ad ſuum forum non attinebat? Nonne erat ſecurius, quod eam obligationem in ſe non ſuſciperet? Quomodo tamen non ſuſciperet, ſi edoctus eſt ex charitatis lege ad id teneri.

77 Hæ fraudes frequentiſſimæ ſunt, neque Confeſſarius facile eas evadere poteſt; dexterrimæ enim ſunt, ſuggerente dæmone, malevolorum aſtutiæ. Unica cautela, qua hæ fraudes vitantur, eſt has querelas, has notitias, has accuſationes alieni peccati, has complicum detectiones nullatenus admittere, ſtatimque reſpuere: non curioſe inquirere, non impertinenter perſcrutari, ſed convenientia conſilia pœnitenti dare, quin obligationis ſuæ ſocius, particepsque fieri concupiſcat. Supponamus tamen pœnitentem ſine dolo aliquo confiteri. Supponamus complicem admonitione indigere. Supponamus caſum metaphyſicum, nempe, nullum alium eſſe ad correctionem miniſtrum aptum, niſi Confeſſarium ipſum. Si pœnitens, ut diximus, ad illud remedium adhibendum non tenetur, neque tenebitur ad illud adimplendum Confeſſarius; non enim maior ei obligatio injungenda eſt, quam ipſi pœnitenti.

78 Rationem ſuæ reſolutionis eam præſtat, ſcilicet, quia *tunc nec violatur ſigillum, nec ſit injuria complici; & tenemur ex charitate impedire malum proximi, cum ſine peccato, & gravi incommodo poſſumus.* Si ipſe eam opinionem ſequitur, alii ſecuriorem amplectuntur omnino contrariam. Ergo ſaltem quoad illos, qui putant violari ſigillum, oritur ejus fractionis ſcandalum, & per conſequens reſultat apud ipſos accedendi ad ſacramentum non vanus timor; & ſemper reſultat violati ſigilli ſuſpicio, quæ omnibus modis amputanda eſt, & omnibus aliis commodis præferenda. Ergo quoad ad hanc partem omnino fallit prædicta ratio. Deinde, non fieri injuriam complici, etiam non eſt certum; multi enim magni nominis DD. quales ſunt Bañes, Lorca, Duvalius, Hennus, Tanerus, Dicaſtillus, Caſnedi, Diana, & alii contrarium ſentiunt. Unde, ſi complex huic ſententiæ adhæreat, ſibi injuriam fieri opinabitur, ſacramentum odio habebit, ſcandalum accipiet; nec facile fieri poterit, quod ægre nimis non ferat, quod peccatum ſuum occultum ſuperiori ſuo, à quo ſemper dependet, manifeſtetur, ac proinde jam datur uſus notitiæ ſacramenta-

lis, licet, ut aſſeritur, ſine revelatione ſigilli, cum aliquali gravamine. Præterea facile erit, (nunquam enim Satanas hæc ſuggerere obliviſcitur) quod complex Confeſſario aſſerenti ſe licentiam habuiſſe non credat, immo ſuſpicetur, eam eſſe Confeſſarii intentionem, ut eo è medio ſublato, ipſe complice liberius, & ſecurius fruatur.

79 Ulterius, quod teneamur malum proximi impedire, cum ſine peccato, aut gravi incommodo poſſumus, certum eſt. Quod autem Confeſſarius id poſſit, & debeat ſine incommodo, id reſtat probandum, ſed nullatenus concludenter probabitur. Peccare Confeſſarios etiam in hoc caſu, inquiunt Tannerus, Henno, Marchantius, Wigant, Diana ſupra citati, & multi alii. Unde ſaltem apud eos, qui hanc opinionem ſequuntur, oritur juſta occaſio ſcandali, quam potius vitare debet Confeſſarius, ſe prædicto oneri non ſubjiciendo; dari autem grave incommodum in eo uſu, ex dictis ſatis patet; grave ſiquidem incommodum eſt illo oneri ſe ſubjicere, quod ad ſuum munus non ſpectat, atque ſe exponere fracti ſigilli ſuſpicioni, & aliis inconvenientibus ſupra conſideratis.

80 Adeo hæc inconvenientia præſentit Author ille, ut poſtea adjiciat, Confeſſarium hortari debere pœnitentem, ***ut extra confeſſionem alienum peccatum ei aperiat, ut tanto liberius peccati notitia uti poſſit, & dicere correpto, ſe illud extra ſacramentum accepiſſe, ne illud ei odioſum fiat.*** Non cohæret hæc cautela cum abſoluta propoſitione, quæ continetur in illis verbis: *Ex ſola confeſſione parta.* Si debet uti notitia ex ſola confeſſione parta, ad quid neceſſaria eſt illa admonitio, ***ut liberius uti poſſit ea notitia***, & omnibus invigilet mediis, etiam denuntiando, accuſando, & fortaſſe puniendo? Sic in praxi habebant Confeſſarii, quos condemnant Pontificiæ Conſtitutiones. Ut dicat ***correpto ſe illud extra ſacramentum accepiſſe***? Et correptus id credere tenetur? Et non indignabitur cum videat peccatum ſuum, quod latebat, in ore alterius? ***Ne ei odioſum fiat***? Ergo ſi utatur notitia ex ſola confeſſione parta, ei odioſum fiet. Ergo nec poteſt, nec debet uti notitia ex confeſſione parta, ne ſacramentum fiat odioſum. Et ſi non debet uti notitia in confeſſione parta, nec etiam hortari debet pœnitentem, ***ut extra confeſſionem alienum peccatum ei aperiat***; gravius ſiquidem ei erit extra confeſſionem peccatum ſuum, & complicis declarare, utpote quod non manet ſigillatum, quam in confeſſione, in qua remanet ſigillo contectum.

81 Addit præterea, quod *Confeſſarius facile pœnitenti alios* ***accuſanti, præſertim fœminæ, non credat, nec onus monendi in ſe ſuſcipiat abſque neceſſitate; nam ſæpe ex malitia, vel errore innocentes accuſantur.*** Melius, & ſecurius edoceret cum D. Thoma, & aliis, ſi moneret, nunquam credere, nunquamve illud onus in ſe ſuſcipere

Quomodo.

Quomodo autem non facile credet, ſi ex præcepto charitatis teneri ad procurandum complicis, & aliorum bonum inſtructus eſt? Putabit ſemper contra obligationem peccare, ſuoque muneri non ſatisfacere, ſi illud bonum non quærat, ſi non moneat, ſeu potius inducat pœnitentes, ut complices, aut alios declaret, & ad uſum notitiæ ſacramentalis licentiam præbeat, ſemper ſibi hanc neceſſitatem repræſentabit; quia ſemper proximus corrigendus eſt, quoties in aliqua peccandi occaſione conſtitutus agnoſcatur, quod eſt frequentiſſimum, ac proinde frequentiſſima erit hæc neceſſitas, & hæc charitatis obligatio ab hoc Authore Confeſſariis impoſita. Non igitur admittenda eſt hæc doctrina, ut omnis occaſio damnatæ praxis abſcindatur; aliter enim ſemper Confeſſariis aditus patebit, ut aſſerat, ſe ea notitia uſos fuiſſe in caſibus exceptis, & urgente neceſſitate, & res priſtino abuſui ſubjecta manebit.

82. Non miror Authorem illum hæc ſcripſiſſe ante Pontificias Conſtitutiones, & damnationem in iis contentam. Miror, quod adhuc ſint Theologi, qui his doctrinis, quanta poſſint calliditate, adhæreant, & eas excuſare laborent eo caſu inverificabili, quod ſcilicet non detur aliud medium, niſi Confeſſarius ipſe; cum etiam dato illo caſu, nec in pœnitente, nec in Confeſſario talis debeat conſiderari obligatio, ut ſtabilitum manet. Ut hunc caſum fingant, ſupponunt pœnitentem in iis circumſtantiis poſitum, & Confeſſarium de iis inſtructum, hocque fieri poſſe abſque eo, quod Confeſſarius nomen complicis inquirat. Mihi videtur impoſſibile, quod Confeſſarius agnoſcat eam infallibilem impoſſibilitatem reſpectu pœnitentis, & eam aptitudinem reſpectu ſui, quin præcedant inquiſitiones impertinentes, inductiones ſuperfluæ, & talis, vel qualis complicis cognitio. Quomodo enim Confeſſarius ſcire poterit ſe aptum eſſe ad illud miniſterium, quin prius de perſona complicis informetur? Supponamus eſſe ipſum Prælatum: ſuppponamus eſſe Principem: ſupponamus eſſe perſonam aliquam magni nominis, magnæ exiſtimationis, erga quam Confeſſarius temerarie nimis ſe habebit, ſi audeat eum reprehendere. Supponamus eſſe militem audacem, irrequietum, temerarium, Deum nullatenus timentem, delictis aſſuetum, in cujus correctione facienda quam maxime decus, immo & vita Confeſſarii periclitabitur. Nonne hæc omnia prius perſcrutari debet Confeſſarius, ut cognoſcat, an debeat, vel non debeat illud onus aſſumere? Erit igitur neceſſaria hæc complicis inquiſitio ante petitam, datamque licentiam ad uſum illius notitiæ. Supponamus iterum hæc omnia à pœnitente libentiſſime fieri, & declarare complicem. En, eo nominato, Confeſſarius agnoſcit, rem eſſe inutilis, aut difficilis aleæ, plenamque periculis eam correctionem, nec fructum ſperari poſſe; ad quid inſerviit ea complicis de-

Pp ii claratio,

claratio, niſi ad eum inutiliter infamandum? Sed etiam præſcindendo ab his circumſtantiis, quis Confeſſarium absque eo, quod nominaretur complex, certum fecit, complicem non aliter poſſe emendari, & per eum fructuoſe corrigendum? Relinquamus igitur luxuriantibus ingeniis has effingere hypotheſes, & in praxi nullatenus eas admittamus; ad nihil enim aliud proſunt, niſi ut decipiantur imprudentes Confeſſarii, & ſacramentum pœnitentiæ injurioſæ adminiſtrationi exponatur, fidelesque ab ejus uſu abſterreantur. Stabiliamus tamquam certum, & inconcuſſum, Confeſſarios his inquiſitionibus non eſſe immiſcendos, omnem complicum emendationem conſiſtere in emendatione pœnitentis. Huic ſolæ invigilare Confeſſarii munus eſſe: ipſum nullo præcepto adſtringi ad procurandam complicis correctionem. Hoc bonum, etſi ſperetur, poſtponendum eſſe bono ſuperioris ordinis, quod ex recta ſacramenti adminiſtratione reſultat. Vitanda eſſe omnibus modis damna, quæ ex uſu notitiæ ſacramentalis quoquo modo acquiſitæ oriri poſſunt, & ſolent. Pœnitentem non teneri ad correctionem complicis circa peccatum proprium occultum nulli nocivum, & ſolum ipſis peccantibus noxium; & caſu, quo teneatur ad correctionem, non teneri eam quærere medio improportionato, & periculis expoſito, quale eſt Pœnitentiæ ſacramentum. Et tandem prædictam doctrinam, aliasque ſimiles, ſaltem indirecte, opponi decretis Clementis, Innocentii, & S. P. D. N. Benedicti XIV. & aliorum Conciliorum definitionibus, & fere omnium Epiſcoporum conſtitutionibus. Non ultra modum efferveant Confeſſarii, ſive Theologi iſti; temerarii enim ſunt qui omnia emendare cupiunt, nihilque occulto Dei judicio emendandum relinquunt. Ipſi, qui has tuentur doctrinas, ingenue confitentur, imprudenter operari Confeſſarium, qui tale correctionis onus in ſe ſuſcipit: has imprudentias damnat S. P. Concludamus ergo pro regula ſtatuendum eſſe nunquam licere quod fere ſemper imprudenter fieri ſolet, hisque imprudentiſſimis operibus omnem aditum omnino intercludendum eſſe.

83 Theologi iſti, qui prædictam doctrinam, ut innocuam tuentur, fateri non dedignantur, experientia ipſa ducente, caſus illos eſſe rariſſimos, & methaphyſicos: & ego addo falſiſſima ſuppoſitione niti. Quare igitur ſcribuntur? Meo judicio, quia inſtigante callidiſſimo inſidiatore, mentibus ſcriptorum ſuggeruntur, ut ſpeculative eas quæſtiones pertractent, & defendant; neque infructuoſæ hujus ſegetis meſſes ſperantur, quia ex his ſpeculationibus ad praxim deſcendunt qui, optimis propoſitis prætextibus, ab iſto veternoſo animarum hydropico miſerrime decipiuntur. Non attendendum eſt, an earum theſium ſcriptores pii ſint; ſed utrum piæ, ſecuræ, & ad praxim reducendæ ſint eorum theſes. Complurimæ piiſſimorum, & doctiſſimo-

ctiſſimorum ſcriptorum propoſitiones obvias habemus, quæ tamen, ut in praxi periculoſæ, proſcriptæ à ſancta Sede inveniuntur. Primæ claſſis DD. permittebant uſum notitiæ ſacramentalis, & tamen eorum ſententia prohibita fuit, ne in praxi aliquatenus admitteretur. Non obſtante hac prohibitione, etiam alii eam prohibitionem (ut hodie intendunt aliqui circa Pontificias Conſtitutiones noviter editas) reſtringere non dubitarunt, neceſſariaque fuit Congregationis Romanæ, & Innocentii XI. nova prohibitio. Fugiamus igitur has reſtrictiones, hoſque metaphyſicos caſus in præſenti controverſia, ne novis conſtitutionibus cum aliquali noſtræ firmiſſimæ religionis dedecore indigeamus.

84 Adnituntur DD. iſti, quos judico Paſtoralium Eborenſium diſſimulatos Patronos, in reſtringendis Pontificiis Conſtitutionibus ad frequentiam actuum interrogandi complices, ad idque utuntur adverbio ***Paſſim***, ad quod, ut aiunt, illa damnatio ſemper refertur; veluti ſi actus ſuſcipiat malignantem qualitatem ex frequentia, non verò ex intrinſeca malitia ipſius actus; aut ſi mens Pontificia eſſe poſſet, ſolum prohibere frequentiam, non verò actus, ex quibus aliquo modo ſequi poſſint damna, quæ ab ipſo ſupremo legislatore vitari intenduntur, & quæ ipſi cenſuræ cauſam dederunt, ut illam praxim damnaret: aut ſi prudenter aſſeri valeat, S.Pontificem caſus metaphyſicos, & impracticabiles excipere voluiſſe. De hoc alibi. Peſtis eſt hæc reſtrictio, hæcque explicatio, poſtea labente tempore perniciosiſſime graſſatura; nam hi caſus metaphyſici pedetentim in injuriam ſacramenti ad praxim reducendi ſunt. Ad quod damnum vitandum illæ Conſtitutiones generaliter, & abſolute quoad peccata occulta cum complice admiſſa accipiendæ ſunt, nec reſtringendæ ad caſum, quo licitum, & obligatorium ſit has inquiſitiones facere, & his licentiis uti; hæc ſiquidem doctrina nititur in falſa ſuppoſitione, quod hic caſus contingere aliquando poſſit, & quod hæc obligatio quandoque ad praxim reduci valeat. Neque alius fructus ex hac reſtrictione ſic diſſeminata colligendus ſupereſt, niſi novus abuſus, ex quo ſcandala naſcantur, proximorum famæ periclitentur, ſacramentumque pœnitentiæ odioſum reddatur.

85 Sacramenti, ac veritatis amor animum, mentemque meam fortiter concutit, ut non conquieſcam, neque cujuſdam Recentioris opinioni aſſenſum præbeam. Conſtituerat ille ab omni cenſura immunem reddere ſupradictarum theſium aſſertorem, aſſerendo, eum ſolummodo locutum fuiſſe in illo caſu metaphyſico, ſuppoſita correctionis neceſſitate ab ipſo Confeſſario faciendæ circa complices, vel alterius tertii peccatum, eaſque theſes in prædicta damnata praxi non comprehendi. De hoc ſat eſt dictum. Ut ſuum judicium firmiorem reddet,

reddet, ſic ait: *Redigamus caſum ad maiores anguſtias, & ſupponamus Confeſſarium ex vi confeſſionis rite inſtructum, pœnitentem per alium teneri corrigere complicem ſuum, nullum aliud medium ſupereſſe niſi Confeſſario hoc negotium committere: & tunc Confeſſarium complicis nomen inquirere, & ſi revelare renuat pœnitens, ei denegare abſolutionem.* Sic poſito caſu, inquirit: *Tenebimus damnatam praxim?* Et reſolvit: *Dico quod non.* Cur non? Ego dico, & reſolutive ſentio, prædictam reſolutionem in damnata praxi expreſſiſſime contineri. Benigniorem ſententiam in prædictam doctrinam proferre non valeo.

86 Et in primis: Caſus, ut proponitur, implicat in terminis. Si enim pœnitens aſſentiri renuit obligationi correctionis à Confeſſario faciendæ, hanc renitentiam ſequi debuerat abſolutionis denegatio; & ſuperflua, imprudensque erat complicis inquiſitio. Si verò annuerat ſuggeſtioni, & elegerat Confeſſarium ad correctionem faciendam, non eſt veroſimile, quod nomen complicis declarare renueret; qui enim vult conſequens, etiam antecedens neceſſarium velle cenſetur. Præterquam quod non facile credendum eſt, Confeſſarium velle in ſe ſuſcipere complicis correctionem, quin prius ſciat, an ei expediat cum illo de correctione agere; & pœnitens non tenetur declarare complicem, niſi ſciat Confeſſarium paratum eſſe ad correctionem faciendam. Unde ſibi invicem obſtant & pœnitens, & Confeſſarius. Pœnitens, quia ejus declaratio præſupponere debet Confeſſarium illi correctioni & aptum, & determinatum. Confeſſarius, quia illa acceptatio præſupponere debet ipſius complicis individuam cognitionem, ut prudenter ſe habeat, & perpendat, an ſua correctio complici ſit profutura, aut id probabiliter ſperare poſſit, quæ ſpes ſine complicis notitia imprudens, & improbabilis erit.

87 En antitheton in illa hypotheſi contentum, ſeu ſophiſma in illa propoſitione latens. Sed accedamus propius ad rem. In illa doctrina habemus omnia, quæ in damnata praxi inveniuntur. Habemus pœnitentem, qui cum peccato complicis ad confeſſionem accedit: *Si forte in pœnitentes incidiſſent ſocium criminis habentes.* Habemus falſam zeli imaginem, qua Confeſſarius complicis emendationi invigilat: *Confeſſarios falſa zeli imagine ſeduci ſe paſſos, ſed à zelo ſecundum ſcientiam longe aberrantes.* Habemus ſeductionem, & ſuaſionem: *Non inducere modo ſuadendo conarentur.* Habemus complicis inquiſitionem: *Ab iiſdem pœnitentibus ſocii hujuſmodi, ſeu complicis nomen paſſim exquirerent.* Et habemus ex hac cauſa abſolutionis denegationem: *Sed, quod deteſtabilius eſt, denuntiati quoque, niſi revelarent, abſolutionis ſacramentalis negatione prorſus adigerent, atque compellerent.*

88 Hinc

Digitized by Google

88 Hinc intervenire inductionem, ſuaſionem, & ſeductionem clare pateſcit; ut enim ex Granatenſi, & aliis ſupra diximus, Confeſſarius non debet proponere ut obligationem quod obligatio non eſt, & ſi aliter fiat, uſus notitiæ eſt contra ſigilli præceptum; nam licentia data poſt illam deceptionem, ac ſi data non eſſet cenſenda eſt. Non teneri autem pœnitentem eligere Confeſſarium ad correctionis munus, mihi certum eſt; & ſaltem eſt opinativum, & probabilius, ac in adminiſtratione ſacramenti ſecurius. Sicut etiam pœnitens nulla lege tenetur aſſentiri Confeſſario imprudenter operanti; operari autem imprudenter Confeſſarium, qui illud onus in ſe ſuſcipiat, etiam ipſe recentior, & adverſarii etiam profitentur; nunquam enim à periculis, quæ ille labor ſecum trahit, ſecure liberabitur. Ergo ſeducit Confeſſarius pœnitentem, cum eum tali obligatione adſtrictum proponit, & ad eam declarationem imprudenter inducit. Omnia igitur, quæ ex iſta inductione, & ſuaſione ſequuntur, & quæ hanc inductionem præceſſerunt, injuſta, & illicita ſunt cenſenda. Ecce cui charitatis operi ſua falſa imagine ſeductus inſtitit zelotypus iſte. Ecce cui favet recentior iſte Theologus.

89 Pœnitentem iſtum ſic admonitum, ſic compulſum, ſic adactum jure poſſe non nominare complicem, ex dictis infallibiliter concluditur. Si enim non tenetur, ſaltem ex probabili, ſeu probabiliori opinione, illud unicum remedium eligere, nec etiam tenebitur declarare complicem; unum enim, & aliud neceſſariam connexionem inter ſe habent. Hinc per neceſſariam, & infallibilem conſequentiam certum fit, injuſtiſſime ei denegari abſolutionem, quod cæteris antecedentibus deteſtabilius eſt; offenditur enim non ſolum charitas, ſed juſtitia, ſecundum quam Confeſſarius tenetur pœnitenti rite diſpoſito beneficium abſolutionis impertiri. Neque in tali caſu indiſpoſitus cenſeri debet, qui aut certa, aut probabiliori ſententia ductus declarare, ſeu infamare complicem, & dare licentiam, quam ipſe involuntariam ex parte ſua agnoſcit, reluctatur.

90 Hinc clariſſime infertur penitus ruere, ac ima petere rationes, quas recentior iſte adducit. Prima eſt; quia inquiſitio non adducit complici infamiam, nec pœnitens ad eum infamandum adigitur. Sed fallit hæc ratio; ſi enim pœnitens non tenetur in illo caſu corrigere complicem per tertiam perſonam, & multo minus per Confeſſarium, jam cum apud ipſum Confeſſarium infamat, & ad id injuſte compellitur. Secunda eſt; quia denegatio abſolutionis non eſt injuſta, quia ea renitentia poſita ejuſdem abſolutionis fit indignus. Sed hæc ratio ex præjactis facillimo exploditur negotio. Tertia ratio eſt; quia pœnitens in illa hypotheſi non vult ſatisfacere Chriſti præcepto de correctione facienda. Hæc tamen ratio evidenter refellitur; quia Chriſti

Chriſti præceptum non jubet correctionem fieri media confeſſione ad eum finem improportionata, & cum tanto incommodo, ſed mediis ad id inſtitutis, ut ſupra docuimus ex probatiſſimis Auctoribus. Præcipue cum nec pœnitens, nec Confeſſarius poſſit habere moralem ſpem, illud medium eſſe profuturum, quæ conditio eſt una ex requiſitis, ut præceptum correctionis obligare queat. Ergo de primo ad ultimum ea propoſitio cum damnata praxi coincidere dicenda eſt.

91 Neque id ſatis. Pœnitens ſic adactus in ſcandalum raperetur: ægre ferret hanc coactionem, & denegationem abſolutionis cujus indignum eſſe conſcientia non accuſabat: inde in querelas erumperet. Complex etiam cum videret ſuum peccatum Prælato manifeſtum, & hoc ſciret, aut ſuſpicaretur media confeſſione factum fuiſſe, etiam apud amicos conquereretur, uterque diceret Confeſſarium uſum fuiſſe notitia ſacramentali, ac ſacrum ſigillum revelaſſe: inde diſperſus rumor, oblocutiones, ſcandala, fidelium contribulatio, confeſſionis timor, odium ſacramenti, ex parvaque ſcintilla magnum excitatum incendium, cui inimicus homo ex ſeminata zizania materiam copioſiſſimam miniſtrabit. Quis dubitat hæc eadem damna ex condemnata praxi provenientia S. P. timuiſſe, ac præcavere cogitaſſe: *Et vero* (ait ille) *jam ſecuta fuiſſe multa ejuſmodi damna infelici experientia compertum eſt: nec fieri potuit, quin ea de cauſa & oblocutiones, & ſcandala, & non Miniſtrorum tantum, ſed ſacri etiam ipſius miniſterii odium, & animarum ingens conturbatio in populo fideli exorta ſint.*

92 Adducuntur ad id probandum authoritates Fr. Antonii à Spiritu Sancto, Cardinalis de Lugo, & P. Marin. quas ſupra jam retulimus, & in libro *Criſol Critico* in ſuo vero ſenſu explicavimus. Sed etiam hoc in prædictis Conſtitutionibus præcavetur; ut agnoſcamus de primo ad ultimo prædictam propoſitionem damnatæ praxi in omnibus conſentire: *Quam illi quidem intolerandam imprudentiam* (ait Breve *Suprema*) *tum procurandæ complicis correctionis, aliorumque bonorum colligendorum prætextu colorare*, (en ad quem finem diriguntur eæ doctrinæ) *tum emendicatis quibuſdam Doctorum opinionibus defendere non dubitarent; cum revera opiniones hujuſmodi, vel falſas, & erroneas ſequendo, vel veras, & ſanas male applicando perniciem tam ſuis, quam pœnitentium animabus conſciſcerent.* Ergo illa Doctorum opinio vel falſa, & erronea eſt, aut ad intentum correctionis fraternæ, de qua prædicti AA. non loquuntur, male applicata. Falſam eſſe ex eo probari poteſt; quia in hac materia non aliæ, quæ falſæ, & erroneæ dicantur, niſi hæc inveniri poſſunt. Nullus Author eſt orthodoxus, qui doceat abſolute licitum eſſe exquirere nomina complicum, vel alia ſigna, ex quibus dignoſcatur, ad finem correctionis

correctionis fraternæ conſequendum : nullus, qui expreſſe aſſerat, adigendos ad id eſſe pœnitentes: nullus, qui affirmet pœnitentibus ex hac cauſa abſolutionem eſſe denegandam. Ergo falſæ doctrinæ ſunt, quæ correctionis, vel aliorum bonorum prætextu caſus fingunt, in quibus licita fiat ſimilis inquiſitio, ſimilis inductio, ſimilis licentiarum petitio, ſimiliſque abſolutionis denegatio. Nullus eſt, qui doceat licitum eſſe, aut obligatorium uti licentia extorta, & involuntaria circa uſum notitiæ ſacramentalis ad finem correctionis. Ergo falſæ doctrinæ ſunt, quæ has licentias debitas aliquando fieri, & petitas à Confeſſoribus, liberrimas, & ſpontaneas, ut defendunt, eſſe judicandas, indiſpoſitoſque eſſe pœnitentes, ſi ad finem correctionis fraternæ uſum illius ſacramentalis notitiæ non permittant. Si hæ opiniones, aliæque ſimiles falſæ non ſunt, neſcio quas falſas S. P. vocare poſſet.

93 Sed prædictis Auctoribus ſuus, dum fieri poteſt, ſervetur honos. Vera doctrina eſt, quod aliquando ex juſta cauſa poſſit pœnitens aperire complicem in confeſſione; & quod Confeſſarius aliquando ad aliquos fines, ducente ſemper prudentia, poſſit uti ea notitia ſacramentali ſine revelatione ſigilli, aut gravamine pœnitentis, vel complicis, & quod pœnitens teneatur, etiam cum periculo proprio, delinquentes detegere ad vitandum aliquod grave malum reipublicæ, aut communi bono, aut religioni imminens: ſed male applicata ad correctionem fraternam peccati occulte commiſſi, & ſolum pœnitenti, complicique noxii. Vera doctrina eſt, unumquemque teneri adhibere media convenientia, cum commode, & fructuoſe poteſt, ad correctionem, & emendationem proximi; ſed male applicata ad aſſerendum, ad id teneri media confeſſione, & quod, ſi eo medio non utatur, non eſſe abſolvendum. Illud primum docent prædicti DD. & alii: hoc ſecundum non admittunt, ut jam expoſui, & ex illis videre eſt. Qui ergo his auctoritatibus utitur, aut abutitur, ea cenſura, qua S. P. dictas opiniones aut falſas, & erroneas, vel male applicatas inurit, proculdubio innodatur.

94 Si tamen velint prædictos Auctores de ea ſenſiſſe obligatione ad finem correctionis per Confeſſarium faciendæ, ſine eorum injuria dico, eam opinionem poſt Pontificias conſtitutiones nullatenus eſſe ſequendam. Neque aliquid negotii faceſſit, aut ponderis habere poteſt illorum Doctorum gravitas; nam conſtitutiones Pontificiæ in re moris mille graviſſimorum ſcriptorum opinioni præferendæ ſunt. Putarunt illi, ſuis principiis philoſophantes, aut theologizantes, eam ſententiam eſſe probabilem, idque ſpeculative agentes, liberius (ut ait P. Caſnedi) opinati ſunt. Supremus tamen Eccleſiæ Doctor, cujus judicium in his rebus definiendis non fallitur, ſaltem probabili-

tatem practicam, quæ ſolum ſequenda eſt, eis ademit. Immo illam doctrinam, ejuſque praxim ſcandaloſam, & temerariam, ac finis ſacramenti deſtructivam eſſe decrevit, atque ut talem reprobavit. Quo poſito, ea opinio non eſt amplius nec practice, nec ſpeculative probabilis, (41) ut dictum eſt in libro *Criſol Critico*, & latius infra repetendum erit.

95 Neque hoc in dedecus ipſorum Doctorum vertendum eſt; nam ipſi non ſunt maioris auctoritatis quam ſunt Alenſis, Scotus, Durandus, Corduba, Suarius, Silveſter, & plures alii, quos refert Sanches, (42) qui ſequebantur licere Sacerdoti uti ſcientia ſacramentali ad externam gubernationem, quando non datur periculum revelari ſigilli; quæ quidem ſententia non pœnitendis innitebatur fundamentis, & tamen poſt Clementis VIII. decretum non amplius probabilis eſt habenda. Simili modo diſcurrendum eſt circa Doctores etiam poſt prædictum decretum aſſerentes, licitum eſſe uti notitia ſacramentali absque aliqua vel directa, vel indirecta ſigilli revelatione, & ſine aliquo gravamine pœnitentis, dummodo maius bonum ex tali uſu ſequatur, in cujus comparatione aliquod pœnitentis damnum, quod ex tali uſu provenire poſſit, attendendum non ſit; & tamen ea opinio tot graviſſimorum Doctorum non eſt ulterius in praxi poſt Innocentii decretum admittenda. Sic in aliis complurimis opinionibus à ſancta Sede proſcriptis, quæ antecedenter ſpeculative probabiles videbantur. Unde ſupra poſita doctrina caſu, quo revera daretur, poſt Pontificias conſtitutiones erit proculdubio poſthabenda, & fugiendum omnino eſt ab illis Paſtoralibus, quæ, ſpreta Pontificia Conſtitutione, jubent ſequi opiniones Doctorum in illa materia ſcribentium. Neque hinc inferendum eſt, eos damnatam praxim, prout ea exercebatur, aliquatenus docuiſſe, id enim nullus fecit; ſed tantum tenuiſſe eam ſententiam, quæ tunc probabilis viſa fuerat, & quæ aliquo modo in damnata praxi nunc comprehenditur. Quamquam ego neque id ſentiam; in eo enim ſum firmus, judico eos quoad correctionem fraternam nihil tale ſenſiſſe, immo contrarium propugnaſſe, atque non recte ad eum caſum adduci.

98 Futilis eſt interpretatio, aut reſponſio ad decretum Congregationis Belgicæ, & aliarum Provincialium Synodorum, dum intenditur, eas fuiſſe locutas de complicum interrogationibus non faciendis regulariter, & de lege ordinaria; non verò in caſu rariſſimo, prout à DD conſideratur. Si negamus hunc caſum verificari poſſe, ſi ſtatuimus pœnitentem nullo in caſu teneri uti medio confeſſionis ad finem corre-

(41) Reifenſt. in Oper Moral. tract. 1. diſp 3. quæſt. 4 num. 41. P. Caſned. in Criſ. Theolog. tom. 1. diſp. 1. ſect. 3. n. 79. Filgueir. in Lucern. pag. 51. & 52.

(42) De Matr. tom. 1. lib. 3. diſp. 16.

correctionis, ſi adſtruimus Confeſſarium nullo in caſu teneri ad correctionem faciendam ex uſu notitiæ habitæ in confeſſione, jam illa interpretatio eſt inutilis, vana, inadmiſſibilis, & fortaſſe ſiniſtra. Ineptum eſt, illarum Synodorum Patres ſuas conſtitutiones genericas, & abſolutas propoſuiſſe, infimulque voluiſſe, aut cogitaſſe ab iis excipere caſum metaphyſicum, & in praxi inverificabilem, aut reſtringere circa eas theſes, quas Theologi aut ſomniarent, aut fingerent, aut proponerent. Incredibile eſt, quod in Congregationibus, ac Synodis iſtis, in quibus intererant viri doctiſſimi, id cogitantes, ut bonum ſacramenti, & animarum utilitatem, rectamque pœnitentiæ ſacramentalis adminiſtrationem Sacerdotes ſuos docerent, non haberetur ratio harum doctrinarum, horumque caſuum, ut ſaltem conſtitutiones ſuas modificarent, ſtatuentes licitum non eſſe Confeſſariis interrogare nomina complicum, aut ab iis petere licentiam ad uſum notitiæ ſacramentalis, niſi maxima cautela, & in aliquo caſu urgentis neceſſitatis.

97 Cur Natalis Alexander (43) ante oculos habens has Synodales conſtitutiones, quas refert, cur Gibert in ſua praxi canonica eaſdem conſtitutiones commemorans, cur alii Theologi, quos earum ignaros ſupponere non debemus, non exceperunt hos caſus metaphyſicos? Certe Natalis Alexander, de quo nunc eſt ſermo, ſolummodo loquitur de doctrina aſſerentium poſſe Confeſſarium *ex licentia pœnitentis conſcium ſuperiori tamquam patri, non tamquam judici denuntiare, ut occulte, & prudenter occaſionem peccandi complici auferat: ea tamen licentia nec à pœnitente eſt poſtulanda, nec illa uti hodiernæ diſciplinæ convenit.* Dicit recentior Theologus, hanc doctrinam non eſſe contrariam ſententiæ prædicti Authoris. Præſciſis unis ab aliis periodis, ita quidem; non enim repugnant inter ſe licitum, & obligatorium, immo omne obligatorium licitum eſt. Sed eſt quid valde diverſum, quod aliquid liceat, & quod obliget. Natalis Alexander dicit, quod abſolute licebat Confeſſario ex pœnitentis licentia conſcium denuntiare; hoc eſt, ſuppoſita ea opinione permittente illum uſum, & ſuppoſitis principiis illius ſententiæ. At verò Author ille aſſerit, pœnitentem teneri taliter, ut ſecus indiſpoſitus ſit, permittere uſum illius notitiæ, & Confeſſarium ex præcepto teneri ad illum uſum ad finem correctionis faciendæ aut per ſe, aut per ſuperiorem. Quis non videt quantum iſtæ opiniones inter ſe diſſtent? Etiam in illo caſu Natalis dicit licentiam illam nullatenus eſſe poſtulandam. Author ille, immo ejus defenſor aut ſupponunt, aut aſſerunt petere poſſe Confeſſarium eam licentiam, & non eſſe abſolvendum pœnitentem, ſi eam non concedat. Deinde Natalis Alexander docet uſum illius licentiæ non licere ſpectata hodierna diſciplina.

(43) Theolog. Dogm. lib. 2. regul. 25.

Qq ii Author

Author ille dicit Confeſſarium ad prædictum uſum teneri. Quomodo teneri poteſt ad id, quod non licet ſecundum hodiernam diſciplinam? Equidem non capio.

98 Cur autem non licet ſecundum hodiernam diſciplinam? Quia experientia edocuit *frequens ſcandali periculum, quod ex denuntiatione complicis facta ſuperiori cum licentia pœnitentis immineret: & quod inde redderetur odioſa confeſſio, palamque vulgaretur, nullam ſacri ſigilli rationem haberi.* Quas alias rationes etiam in illo caſu metaphyſico hucuſque perpendimus? Quas alias cauſas habuit S. P. ut reprobaret illam praxim, ut ſcandaloſam, ac ſacramento injurioſam, & fideles à ſacro Pœnitentiæ ſacramento abalienantem? Quomodo ergo ille uſus, ſeu ille caſus metaphyſicus reduci poterit ad praxim, quin in condemnata ob eaſdem rationes non comprehendatur? Tenuitatem ingenii mei agnoſco, quia has ſubtilitates non attingo. Iterum quæro: Si ille uſus Confeſſario non licet, immo male operabitur ſi ſacramentali notitia utatur, etiam de licentia pœnitentis, quo jure pœnitens tenebitur ad concedendam prædictam licentiam? Quo jure Confeſſarius monere eum poterit, ſe teneri eo unico medio, quod inutile eſt, uti, adigique poſſe ad hanc licentiam concedendam, aliterque indiſpoſitum eſſe, ſi illa complicis declaratio ad nullum alium finem inſervit, niſi ut Confeſſarius complicem agnoſcat, quin poſſit licite illa notitia uti, vel abuti ad correctionem? Et ſi ſemel, atque iterum recogitem, non occurrit, quomodo has contradictiones ſalvare poſſim.

99 Confirmatur hæc mea dubitandi, aut non intelligendi ratio, quia ipſe doctiſſimus Theologus ſic ultimo, & pro coronide inquirit: Utrum quando uſus notitiæ ſacramentalis in propoſito metaphyſico caſu fuerit medium unicum, & neceſſarium ad bonum complicis, debeat Confeſſarius eo uti, an potius teneatur illud omittere propter pericula, quæ per accidens ſequi poſſint, & ne ſacramentum odioſum fiat? Et reſolvit optime, non expedire, quod Confeſſarius utatur prædicto medio, & quod obligatio illud exequendi debet poſtponi præcepto vitandi ſcandala, quæ oriri poſſunt, & præcepto religionis prohibenti, quod ſacramentum fiat odioſum, ut diſcurrit Natalis Alexander, & ſupra tetigimus ex Tournely; judicatque hujus reſolutionis contrarium inferri ex prædicta Authoris doctrina: & tandem concludit non defuturos Authores, qui ſententiam ſuæ contrariam patrocinentur.

100 Si igitur fatetur, non debere etiam in tali caſu, & in illa præciſa neceſſitate ea notitia uti Confeſſarium; quo jure ad eum uſum adſtringi poteſt? Si prævalere debet præceptum charitatis, & religionis ad vitandum ſcandalum, & non reddendi odioſum ſacramentum; quo

quo dictamine poteſt Confeſſarius licite uti ea notitia? Et ſi debet ea non uti; quo fundamento monet pœnitentem illius obligationis, quam non habet, & cogit ad quærendum illud medium unicum, quod eſt illicitum? Qua de cauſa indiſpoſitus cenſeri debet pœnitens, eo quod non eligat illud medium, quod propter pericula imminentia ad praxim reduci non debet? Ergo qui docet eam obligationem, ſaltem in illo caſu unici medii, docet aliquid, quod damnatæ praxi cohæret; docet enim ex obligatione faciendum eſſe, quod hodiernæ diſciplinæ non convenit, & ex quo reſultant ſcandala, & odium ſacramenti, quæ ſunt præcipua, & intrinſeca fundamenta, ob quæ praxis illa damnatur, & reprobatur. Certe ipſe ſolus eſt, neque enim invenire potui Authorem ſimilis obligationis patronum.

101 Supereſt explicare quod ait La Croix, (44) qui in nihilo contrarium ſe exhibet Synodo Belgico; nec ex eo deducitur, quod intendit iſte Theologus, ſcilicet, Synodum locutam fuiſſe de lege ordinaria, non verò in caſu, quo Confeſſarius ſit medium unicum ad dandam correctionem, vel denuntiandum prælato. Jam vidimus ex confeſſione ipſius Recentioris, id non licere Confeſſario, & fortius ſtringere præceptum vitandi ſcandala, & periculum reddendi odioſum ſacramentum Pœnitentiæ: videamus La Croix non loqui de hoc caſu correctionis, ad quod ſufficit ejus verba iterum legere: *Quidquid de hoc ſit: Recte docent Sotus, Leandr. Bañ. Lugo, Averſa q.* 18. §. 7. *& alii cum Mendo diſp.* 10. *q.* 5. *Si gravia damna timeantur à complice, & pœnitens non poſſit ea impedire, ſed ſolus Confeſſarius, teneri Confeſſario manifeſtare complicem: quod ſecundum dicta n.* 1144. *expedit fieri extra confeſſionem; quia cum teneatur ea impedire, & aliud medium deſit, ad hoc tenetur.* Loquitur igitur La Croix non de correctione fraterna, ſed de caſu, quo grave aliquod damnum timetur à complice committendum, quod ſolus Confeſſarius impedire poteſt. Tenetur tunc pœnitens, aliàs obligatus ad illud damnum impediendum, illud unicum adhibere medium. Sed quomodo? Adeundo Confeſſarium, in quo ſolo eſt illud vitare damnum extra confeſſionem eodem modo, quo tenetur adire judicem, vel Magiſtratum, qui illud malum faciendum avertat, vel aliam quamcumque perſonam, quæ idem remedium facile applicare poſſit. Quo caſu Confeſſarius poterit pœnitentem monere ſuæ obligationis, & advertere, quod ſi ipſe intelligat in ejus manu tantummodo eſſe illud vitare damnum, illum adeat extra confeſſionem, & tunc, ut cuilibet aliæ tertiæ perſonæ, ei exponat caſum illum, ut de opportuno remedio provideatur. Unde non ſunt trahendæ hæ doctrinæ ad caſum correctionis fraternæ, nec excuſari poteſt prædictus Author, quod eas generaliter proferret, atque hanc obligationem imponeret tam pœnitentibus, quam Confeſſariis

(44) Tom. 2. ſ. 6. p. 2. n. 1752. & 1757.

ſariis ipſis: ac propterea caute eſt legendus, ne Confeſſarii imprudentes decipiantur, præcipue cum hic liber ſine ſancti Officii licentia ſparſus ſit, & magni habeatur à damnatæ praxis introductoribus.

102 Ex dictis, ut hanc materiam concludamus, cavendus, & reſpuendus eſt Morinus citato ſupra loco, dum *n.*13. hanc jacit propoſitionem: *Licet uti ſcientia confeſſionis, etiam prodito complice, in bonum pœnitentis, modo pœnitens, qui in confeſſione hoc revelarit, permiſerit. Licet etiam de eadem licentia complicem admonere, fraterne corrigere, neve pœnitenti, vel alteri noceat, procurare.* Poſtea ait, *hujus utilitatis multa dari poſſe exempla.* Nulla poſſunt conſiderari, quæ alia via obtineri non poſſint, quin neceſſarius ſit notitiæ ſacramentalis uſus: nulla proponi poſſunt, etſi maxima, quibus non prævaleat utilitas, & neceſſitas, non exponendi ſacramentum ſuſpicioni revelati ſigilli, vitandi ſcandala ex tali uſu provenientia, & reddendi odioſum ſacramentum Pœnitentiæ. Quod ait ex P. Suario, jam explicatum eſt. Quod addit, nempe, quod *ſi hoc licet de pœnitente, qui ſecretum ſuum Confeſſori crediderit, multo magis de complice, cum quo nulla eſt Confeſſori obligatio, niſi ad pœnitentem relatione facta*: diſſolvunt, & recte, facili negocio qui ſecuriorem ſequuntur ſententiam, nempe pœnitentem neque poſſe præjudicare juri ſacramenti, neque dominum eſſe alienæ famæ, unde ſuæ jacturam facere poterit, non alterius. Addit ſcrupuloſum, *& ſupervacanee religioſum eſſe, qui eo uſque pœnitentis licentiam ſeſe extendere negaverit.* Laxiſſimum, & parum ſacri ſigilli obſervantem eſſe eum oportebit, qui ſub rigoriſmi larva ad damna in perniciem ſacramenti emergentia non attendat ob finem correctionis, quæ aliis mediis obtineri poterit. De poſteriori ſuæ propoſitionis parte ait paucos quidem dubitare. Sed falſo dicit; nam multi adeo dubitant, ut omnis Thomiſtica, & Scotiſtica ſchola contrarium ſequantur. Ad eam probandam utitur authoritate D. Thomæ, D. Bonaventuræ, D. Antonini, P. Suarii, & aliorum. Quod attinet ad illos ſanctos DD. jam ſupra expoſita eſt ſua ſententia. S. Antoninus ſolum dicit non peccare pœnitentem, ſi ad bonum finem complicem declaret. P. Suarius talibus modificationibus utitur, ut rariſſime licita, aut conveniens eſſe poſſit ea licentia. De cæteris non eſt curandum, liberius ſiquidem opinari ſunt. Sed neque D. Thomas, neque alii docent pœnitentem teneri ad eam licentiam præſtandam, neque Confeſſarium adſtringi ad uſum illius notitiæ.

RADIUS

RADIUS QUARTUS

Praxim introductam interrogandi complices omnino comminuit, conterit, ac incendio conſumit.

1 ACcedimus poſt longam, diffuſamque totius materiæ diſcuſſionem ad introductam erroneam, & ſcandaloſam praxim interrogandi complices, adigendi pœnitentes ad eos declarandos, & præſtandas licentias ad uſum notitiæ ſacramentalis, & denegandi abſolutionem renitentibus hanc concedere licentiam. Ad impugnandum hunc abuſum ſat, ſuperque ſunt hucuſque ſparſim dicta. Cum tamen hic ſit hujus operis præcipuus ſcopus, eum illicitum, ſcandaloſum, & ſacramento Pœnitentiæ injurioſum ex Doctoribus, ex Conciliis, & Pontificiis Conſtitutionibus demonſtrabimus, licet jam dicta terere videamur.

2 D. Thomas, quem Praxiſtæ illi ſuum patronum faciunt, ſic docet: (1) *Prodere crimen alterius, & lædere famam eſt peccatum, quod maxime vitandum eſt in confeſſione, per quam quis quærit peccata præterita delere.... In confeſſione eſt credendum peccatori confitenti & pro ſe, & contra ſe; ſed contra alium nullo modo eſt ei credendum; alioquin daretur multis occaſio fictæ confeſſionis, & fraudulentæ infamationis; & ideo ſi poteſt ſpeciem peccati confiteri, non innoteſcendo perſonam, cum qua peccavit, peccat eam exprimendo.* Nunc ſic: Si pœnitens non tenetur exprimere perſonam, & peccat eam exprimendo, neque poteſt Confeſſarius eum adigere, aut movere, ut exprimat, quia movet, & adigit ad peccatum, & per conſequens injuriam facit ſacramento. Neque urget limitatio S. D. *Niſi forte ſalvato correctionis ordine, quem Chriſtus inſtituit.* Nam hæc limitatio eſt accipienda quando pœnitens non interrogatus, ſed libere, & ſpontanee exprimit complicem ad eum finem; tunc enim non eſt dicendum peccare; idque ſolum probat S. D. hoc enim erat quæſtionis aſſumptum. Sed neque tunc eſt ei credendum, *ne detur occaſio fictæ confeſſionis*; ac proinde multo minus eſt inquirendum; maior enim tunc fictæ confeſſionis offertur occaſio. Quod autem ait, *ſalvato correctionis ordine*, intelligendum eſt, quod pœnitens poteſt uti Confeſſario, non tamquam Confeſſario, ſed tamquam fratre, vel prælato, vel alia tertia perſona, extra confeſſionem, ut explicat Bujardin, quem ſupra retulimus; idque ſignificant illa verba, *quem Chriſtus inſtituit*,

(1) Opuſc. 12. in reſponſ. ad Viſuntin.

inſtituit. Chriſtus autem non inſtituit Pœnitentiæ ſacramentum ad correctionem fraternam, ad quam alia media ordinavit, nempe quod corripiamus fratrem nos ſcandalizantem, ſi nos non audierit, adhibeamus teſtes; ſi verò nec ſic audierit, denuntiemus Eccleſiæ, id eſt, ſuperioribus; non autem jubet, quod adeamus Confeſſarios.

(2) In 4. diſt. 21. p. 2. art. 2. q. 2.

3 S. Bonaventura, quem etiam in ſuum adoptant, ſic ait: (2) *Melius eſt, quod pœnitens ipſe quando ſibi videtur neceſſarium, vel opportunum pro bono proprio, vel alieno, manifeſtet aliis peccata ſua, quam ut Confeſſarius ſe ingerat in periculo, & in ſuſpicionibus, & maxime in re dubia, in qua conſulere debet reverentiæ ſacramenti, & communi utilitati potius, quam privatæ voluntati pœnitentis, ſic enim vitatur, & non corrumpitur ſigillum confeſſionis.* Si hæc procedunt, quando pœnitens ſponte adhibet Confeſſarium, quid ſupereſt dicendum, quando Confeſſarius inquirit, ſuadet, petit, & extorquet licentiam utendi ſigillo?

(3) Diſp. 33. de Pœnit. ſect. 5.

4 P. Suarius Granatenſis, quem etiam adverſarii pro ſua opinione adducunt, ſic ait: (3) *Per facultatem ergo, de qua agimus, ſcilicet loquendi cum alio de auditis in confeſſione, non datur nova notitia, ſed datur facultas ad extendendam illam eamdem ad alium: ergo extenditur ad illam ſub eodem ſigillo.* Ex qua doctrina eruitur, Confeſſarios, de quibus agimus, contra ſui patroni doctrinam operari, dum ad alios referebant, ut complices punirentur. Poſtea *n.* 14. citatis ad id plurimis Doctoribus, loquendo de uſu notitiæ ſacramentalis ex licentia pœnitentis, ſic ait: *Ultimo circa hanc facultatem ex eorumdem DD. ſententia nonnulla obſervanda ſunt: primum, ut ſit ſatis expreſſa, & declarata; nam in re tam gravi non eſt utendum præſumptione, quia aliàs hoc ſigillum exponeretur periculo cum incommodo ipſius ſacramenti. Unde minus erit ſufficiens ratihabitio de futuro; & multo minus ſufficiet, quod pœnitens hanc licentiam dare*

Nota.

teneatur; (ſi id contingere interdum poſſet) quia ſi de facto illam non concedit, illud non ſatis eſt, quia ſemper manet integra materia præcepti; nec nobis licet agere contra jus alterius, etiamſi ipſe male illo utatur. Secundum eſt, oportere hanc licentiam eſſe ſpontaneam, ſine vi, metu, aut deceptione obtentam; quia ſi involuntaria ſit, erit invalida; non ſolum, quia eſt per injuriam extorta, ſed etiam, quia cederet in maximam irreverentiam ſacramenti.

5 Ex qua doctrina aliqua ad intentum deducuntur: primum, quod quoties non conſtat licentiam eſſe omnino liberam, & ſpontaneam, ejus uſum non eſſe admittendum propter ſigilli periculum, & incommodum ſacramenti: unde cum ex tali uſu ſemper timeatur hoc periculum, & incommodum, ut ſatis dictum manet, nunquam talis uſus admittendus eſt. Secundum, quod non ſufficit, quod pœnitens teneatur

teneatur hanc dare licentiam: & hic notanda eſt parentheſis, *ſi id contingere interdum poſſet*, ex qua eruitur P. Suarium dubitaſſe, poſſe aliquando contingere, quod pœnitens teneatur aliquando ad eam præſtandam licentiam, & ſolum poſuiſſe caſum metaphyſicum ad uberiorem doctrinæ ſuæ explicationem. Tertium, non licere nobis agere contra jus alterius. Unde cum complex jus habeat ad ſigillum, ſemel quod ejus peccatum clavibus ſit ſubjectum, ut ipſe Suarius docet (4) per hæc verba: *Dicendum eſt primo, eodem ſigillo teneri Sacerdotem ad ſervandum ſecretum circa peccatum complicis, quo circa peccatum pœnitentis. Hæc eſt communis ſententia*; contra ipſius complicis jus, eo invito, licet irrationabiliter, ea notitia Confeſſarius uti non debet. Quartum, quod licentia per vim, metum, aut deceptionem obtenta, inutilis, & invalida eſt, atque ſacramento injurioſa. Unde cum licentiæ, de quibus agimus, ſint aut per vim, aut per metum, ſaltem reverentialem, aut per deceptionem, qualis datur admonendo pœnitentem obligationis, quam non habet, recte ſequitur, etiam juxta Suarii ſententiam, illam praxim nullatenus introducendam fuiſſe.

(4) Sect. 3. n. 2.

6 Idem P. Suarius (5) recte docet, quod *uſus hujus notitiæ cum morali periculo revelationis directæ, vel indirectæ nunquam eſt licitus.* Cum autem ſemper detur hoc periculum in tali uſu per licentiam petitam, vel ſaltem detur ſuſpicio violati ſigilli, non enim facile eſt diſcernere, an pœnitentis licentia ſit omnino ſpontanea, ſuppoſita petitione: immo, ſuppoſita ſententia aſſerente, neceſſariam eſſe complicis licentiam, apud alios detur ſcandalum violati ſigilli, nunquam eum uſum licitum eſſe aſſerendum eſt, ac proinde non juſte petitur licentia, & ea conceſſa, ac ſi data non eſſet, cenſenda eſt. Poſtea (6) dicit in hunc modum: *Dicendum eſt primo, revelare peccatum proximi in particulari, & cum infamia ejus, etiam in confeſſione, ex ſuo genere eſt peccatum mortale, ſi fiat ſine rationabili cauſa. Hæc eſt communis ſententia DD. .... Quando non ſolum ſequitur infamia proximi intrinſeca confeſſioni, ſed etiam timetur infamia extrinſeca per revelationem ſigilli: tunc enim ex ſententia omnium non poteſt pœnitens complicem revelare, neque ad hoc habet ullum jus.* Cum vero nulla detur, nec poſſit dari moralis neceſſitas correctionis fraternæ, quia, ea ſuppoſita, Confeſſario ſecundum hodiernam diſciplinam (ut ex Natali Alexandro, & P. Caſnedi, & aliis ſupra diximus) nunquam licet ea notitia uti, evidens ſit ex eadem doctrina, pœnitentem nec poſſe, nec teneri eo medio uti, & peccare, ſi complicem exprimat, ac proinde peccare Confeſſarium, ſi eam obligationem ei imponat, atque adſtringat ad ei declarandum complicem ſui peccati.

(5) Sect. 7. diſp. 2.

(6) Diſp. 34. ſect. 1.

(7) Diſp. 34. ſect. 4.

7 Idem P. Suarius (7) poſtea docet, Confeſſarium non poſſe pœnitentem interrogare de nomine complicis, etiam caſu, quo iſte correctione indigeat, & pœnitens ad eam faciendam teneatur. Ejus verba ſic ſe habent: *Ut autem ita fiat debito modo, hæc ſervanda ſunt. Primum, ut Confeſſor non propter hunc finem correctionis interroget in particulari perſonam complicis, niſi pœnitens ſua ſponte illam declaret; quia exponeret ſe periculo infamandi proximum ſine cauſa; poteſt tamen generaliter interrogare, an complex ſit in periculo, vel ope ipſius pœnitentis, ſeu correctione indigeat, & juxta reſponſionem pœnitentis poterit illum generaliter monere, ut ſuæ obligationi ſatisfaciat. Unde ſecundo obſervare debet, ne ſe ſtatim invitet ad correctionem faciendam, etiamſi intelligat eſſe convenientem, vel neceſſariam: primum, ne ſcandalum aliquod præbeat pœnitenti, vel occaſionem revelandi complicem ſine neceſſitate; fortaſſe enim pœnitens ipſe per ſe ipſum poteſt correctionem facere, aut certe vult facere per alium, quem reputat aptiorem. Deinde, quia hoc ipſo, quod Confeſ-*

Nota.

ſor ſe offert ad illud munus, pœnitens non tam libere, & ſpontanee procedit in hoc negotio, ſicut par eſt. Tertio maxime debet cavere Confeſſor, ne aliquid exigat a pœnitente tamquam debitum ex obligatione præcepti, quod revera non ſit, ſed vere, & fideliter illi proponat quid ex præcepto agere teneatur, quid vero tantum liceat; alioquin graviter deciperet pœnitentem, ſi ſub titulo ficto, & non vero neceſſitatis, aut præcepti eum cogeret ad revelandum complicem, vel ad dandam facultatem corripiendi illum, aut aliquid ſimile, & conſequenter graviter peccaret contra juſtitiam, vel contra ſigillum. En Adverſarii ſuimet Achillis lancea trantverberati! Id ipſum, quod ille reprobat, ipſi procul dubio habebant in uſu, & frequentiſſime obſervabant. Poſtea, ut ſe protegerent, caſu metaphyſicum fingebant, quo abuſui ſuo patrocinari ſatagebant; ſed fruſtra ex jam dictis.

(8) De Pœnit. tract. 3. diſp. 3. §. 18.

8 P. Suarius Luſitanus, (8) qui adverſariorum opinioni, ſive abuſui plus favere videtur, non adeo favet quantum putant. Nam *n.* 603. refert opinionem Bañes 2. 2. *q.* 33. *in fin.* quam non in totum improbat, ſed tantum in caſibus enumeratis *n.* 604. de quibus ſtatim: immo ſequitur *num.* 605. in hunc modum: *Rogabis primo: Utrum Confeſſarius poſſit obligare pœnitentem ſolum in caſibus annumeratis, in quibus ipſe pœnitens tenetur? Reſpondetur affirmative. Primo; quia in aliis pœnitens non poteſt declarare complicem: ergo neque ad id compelli poteſt. Secundo; quia redditur confeſſio odioſa, cum præter onus, quod de ſe habet, illi ſuperaddatur onus revelationis complicis, quod eſt graviſſimum. Ex quo ſequitur Confeſſarium obligantem pœnitentem ad talem revelationem peccare mortaliter contra juſ-*

titiam

titiam complicis, & contra reverentiam ſacramenti. Et ita cum communi Doctorum tenet Suar. cit. à n. 15. Ergo Suarium contra ſe habent Confeſſarii, qui falſo zelo ducti nomina complicum interrogabant ad finem correctionis, ſibique perſuadebant, non ſolum pœnitentes obligatos eſſe ad declarandos complices, ſed etiam eos ſolos aptos eſſe ad eam correctionem faciendam cum maxima ſpe fructus; quod quidem maximam ſpiritus elationem ſapiebat.

9 Videamus autem caſus, quos excipit Luſitanus, ut ejus doctrinæ ſenſum, aut veritatem perſcrutemur. Et in primis pro ſua ſententia generaliter refert D. Thomam, & D. Bonaventuram, cujus doctrinam jam ſupra vidimus; citat Suarium Granatenſem, cujus opinionem jam expendimus. Refert Alenſem, qui tamen contrarius eſt; quippe qui 4. *q.* 78. *num.* 3. abſolute docet, neque de licentia pœnitentis confeſſionem revelari poſſe. Citat etiam Sotum, qui etiam contrarius eſt; ſiquidem *in* 4. *Sent. diſt.* 18. *q.* 2. *art.* 5. *ad* 4. expreſſe docet Confeſſario non licere interrogare de complice in ordine ad ipſius correctionem, nec eam facere de licentia pœnitentis. Citat etiam de Lugo, & Dianam, qui, ut poſtea videbimus, quoad correctionem fraternam ſunt contrarii, ſicut & alii, qui ab eo referuntur. Hoc notatum volui, ut his allegationibus non multum aſſenſum præbeamus, quin prius AA. examinemus; ſolent enim multoties aut non rite percipi, aut injuſte detorqueri.

10 Tres caſus excipit. Duo primi ſunt, vel quando periclitatur bonum commune, vel alicui tertio imminet aliqua ruina, quam ex charitate pœnitens vitare teneatur. De his non dubitamus teneri pœnitentem multoties declarare complicem; non tamen Confeſſario, ſed judici, vel ſuperiori, vel Magiſtratui, de quibus jam ſupra egimus: neque Suarius id aſſerit faciendum eſſe mediante Confeſſario. Tertius caſus eſt, quando pœnitens tenetur ad correctionem, & nullus alius eſt, qui eam facere poſſit cum ſpe fructus, niſi Confeſſarius ipſe. Is caſus, ut diximus, eſt metaphyſicus, in praxique non admittendus ob pericula maxima, quibus ſubjicitur. Neque talis neceſſitas conſiderari poteſt circa vera complicum peccata, quæ emendato uno complice, quoad alium emendata remanent; reluctante ſiquidem uno, ab alio committi non poſſunt. Deinde, quia præceptum correctionis non obligat cum incommodo gravi corrigentis; ipſe autem Suarius, ſibi invicem obſtans, fatetur, onus revelandi complicem eſſe graviſſimum. Sed quid in hoc caſu ſpeculativo, & nullatenus practico? An docet Suarius, Confeſſarium poſſe inquirere de complice, & quod habita ea notitia debeat complicem corrigere? Neutiquam. Immo ſi id faceret, contrarius eſſet Granatenſi, quem ſequitur. Quid ergo docet? Monendum eſſe generaliter ſuæ obligationis, cui ſi ſatisfacere renuat,

 indiſpo-

indiſpoſitum eſſe cenſendum. Cum autem, etiam in illo caſu propoſito, pœnitens habeat pro ſe probabiliſſimam opinionem eum à tali obligatione eximentem, jam non poteſt cenſeri indiſpoſitus, neque abſolutio eſt ei deneganda.

11 Id ſupra diximus aliquoties ſine authoritatibus, nunc in uno plures dabimus AA. Is eſt Saytus in Clavi Regia, (9) ubi hanc materiam pertractans, ſic ait: *Verior mihi videtur, & eſt communis opinio Angeli in Summa &c. Ledeſm. Soti, Navarri, Med. Salon. Henriq. Greg. de Valent. Vaſq. & aliorum recentiorum dicentium, Confeſſarium quemcumque abſolvere poſſe pœnitentem ſequentem opinionem probabilem, relicta ſua opinione probabiliori, ſive opinio, quam ſequitur pœnitens, ſit in damnum tertii, ſive non.* Author verò additionum in fine capitis ſic ait: *Sequitur Azor lib. 2. tom. 1. &c. Alphonſus de Vega in Summa &c. Suar. tom. 4. diſp. 32. ſect. 5. ubi ex ſententia Soti, Ledeſm. Navarr. & D. Ant. docet diſertis verbis, Confeſſorem in hoc caſu non ſolum poſſe quod unus aſſerit Author; verum etiam debere abſolvere pœnitentem. Et profectò ratio, quam omnes afferunt, id manifeſte oſtendit, cum pœnitens ſic integre confeſſus ſit, & bene diſpoſitus exiſtat, & nihil contra conſcientiam agat.* Si hoc procedit, quando ſequitur ſolum opinionem probabilem, multo fortius, immo neceſſario erit aſſerendum, quando ſequitur ſententiam probabiliſſimam, hodiernæ diſciplinæ conformiorem, & tam famæ proximi, quam ſacramento plus faventem. Unde ſententia Suarii nullatenus eſt ſequenda, aut ſaltem reflexe eſt conſideranda.

(9) Lib. 1. cap. 9.

12 P. Caſtro Palao, qui etiam ab adverſariis adductum invenio, & in quadam reſponſione manuſcripta allegatum legi, quoad intentum potius eſt contrarius, ſic ait ille: (10) *Ita ſtrictiſſima eſt ſigilli obligatio, ut nullo in caſu, quamtumvis graviſſimo, ſive boni conſequendi, ſive damni vitandi, abſque voluntate pœnitentis ceſſare poſſit.* Sequitur ille cum aliis, Confeſſarium de licentia pœnitentis poſſe uti notitia ſacramentali. De hoc non dubitamus, quæſtionem eſſe pro utraque parte probabilem. Poſtea *n.* 7. docet, quod illa licentia *debet eſſe formalis, & expreſſa, nec ſufficit præſumpta: & merito, ne aliquando contra voluntatem pœnitentis ejus confeſſio reveletur, quod ſine dubio ſæpe contingeret, putans Confeſſarius gratam eſſe pœnitenti eam revelationem, cum tamen ingrata ſit.* Poſtea *n.* 8. ſic ait: *Debet eſſe ſpontanea, & libera. Nam vi, dolo, & metu extorta cenſenda eſt, ac ſi conceſſa non eſſet, tum ob reverentiam ſacramenti, tum ne foveantur injuriæ, tum ut pœnitens ſecurus ſit de ſecreto.... Quod ſi objicias:* (en noſtræ quæſtionis ſcopus) *ſæpe pœnitens obligatur peccatum ſuum aperire ad impediendum*

(10) Tract. 23. diſp. un. §. 1.

diendum damnum grave innocentis. Poterit tunc à Confeſſario cogi ut licentiam concedat? Reſpondeo, hanc coactionem nullatenus eſſe permittendam. Quomodo ergo ſuaderi, adſtringi, & denegatione abſolutionis adigi poterit, ut præbeat licentiam?

13 Verum quidem eſt, quod ipſe §. 3. *n.* 16. aſſerit, *ex licentia pœnitentis licitum eſſe complicem corrigere, ejusque ſpirituale bonum quærere, quando alia via obtineri non poteſt.* Hanc provinciam, quod Confeſſarius ſuſcipiat, jam diximus, hodiernæ diſciplinæ non convenire: ſed aliud eſt quærere, an ſuppoſita licentia ſpontanea poſſit Confeſſarius uti ea notitia in bonum complicis: aliud verò, an poſſit pœnitentem adigere, & uti ea licentia ſic extorta, aut ſaltem ſic inducta, & ſic petita?

14 P. Vaſques, & P. Moya abſolute docent, Confeſſarium non poſſe uti ſcientia in confeſſione acquiſita, etiam de licentia expreſſa confitentis ad finem correctionis fraternæ complicis, quos non tranſcribo; citantur enim à P. Caſnedi, quem referre ſufficiat. Ait ille: (11) *Ego ſane, etſi aliunde quam in confeſſione ſacramentali, ſcirem rei, & ſociorum delictum in rempublicam valde pernicioſum, tenerer ex lege charitatis in bonum publicum, rei, & ſociorum crimen deferre perſonis, quæ dictum damnum præcavere poſſent: attamen audita rei confeſſione, etſi cum ejus permiſſu, nunquam tale onus ſuſciperem: ſemper enim timerem non quidem ſigilli violationem, quia reus dedit licentiam utendi notitia ſacramentali, ſed ſuſpicionem alienam cuique obviam de violato ſacramentali ſigillo: hanc enim ingerere ſuſpicionem nunquam ex ulla cauſa licet, ut ſcite P. Vaſques tom. 4. in 3. p. q. 93. art. 4. & P. Moya tom. 2. tract. 2. diſp. 3. q. 3. à n. 1. Quod verò hæc ſuſpicio ingereretur, vix negari poteſt, quia plerique rudiſſimi ſunt, & cum neſciant licentiam à reo datam, ſciant autem Confeſſorem ſcientia ſacramentali uſum, ſcandalizarentur non tantum de Confeſſore, ſed & de doctrina, quod reus teneatur, ut imminens reipublicæ damnum avertatur, dare Confeſſori licentiam revelandi ſuum, & ſociorum reatum; & Confeſſor, ut illud damnum avertat, teneatur ea uti.*

(11) Tom. 5. Criſ. Theolog. diſp. 12. ſect. 4. §. 4. n. 126. & ſeq.

15 Poſtea, ut evidens fiat, introductam praxim jam ſuo tempore viguiſſe, ſic proſequitur: *Quæ doctrina hodie multo magis timenda, quod Rigoriſtæ ſub charitatis prætextu obligant tum pœnitentem, ut complices declaret Confeſſori; tum Confeſſorem, ut de licentia pœnitentis monere poſſit complicem eo fine, ut complex emendetur: & pœnitens firmius de non peccando propoſitum, monito complice, concipiat. Similiter boni eccleſiaſtici prætextu, ne lupi pro agnis, & animarum paſtoribus deſignentur, obligant Confeſſores, ut male morigeratos deferant Epiſcopo. Non indico horum Rigoriſtarum intentum,*

nempe

nempe confeſſionis ſacramentum reddere impoſſibile. Indico tantum conglutinatam hypocriticæ charitatis glutino rigoroſiſſimam doctrinam cum laxiſſima praxi. Quid rigidius, quam obligare pœnitentem, ut complices ſui criminis Confeſſori aperiat, & ut det facultatem Confeſſori, ut utatur notitia ſacramentali, & uti Confeſſor teneatur adire complices, & eos monere? Quid laxius, quam inviolabile confeſſionis ſigillum toties ficto charitatis prætextu exponere fruſtrationi, quot ſunt peccata pœnitentis habentis complices, & confeſſionem odioſiſſimam reddere?

16 Proſequitur *num. ſeq. Eliminanda igitur omnis occaſio de ſuſpicione culpæ in confeſſione auditæ. Hoc enim damnum, quod eſt ſuſpicio de violato ſigillo, quæ ſemper adeſt, ſi Confeſſor teneatur de licentia pœnitentis revelare criminis ſocios, & crimen pœnitentis, inſtante ex occaſione graviſſimo damno, quod in Catholicam rempublicam cadere poteſt. 1. Quia pleroſque à ſacramento Pœnitentiæ averteret. 2. Quia ſi ſemel ex boni publici fine hoc liceret, ſæpiſſime liceret, quin liceret ex fine boni privati; charitas enim æque obligat avertere malum perſonæ publicæ, ac privatæ. 3. Quia ſicut nunquam licet violatio ſacramentalis, etſi per eam ſummum reipublicæ malum averti poſſet, quia ea violatio, quatenus eſt contra præceptum divinum, & ſacramentum, eſt maius malum, quam ſit omne aliud damnum, etſi contra legem naturalem, & ſupernaturalem, imminens reipublicæ, non violato ſigillo: ita quoque ex nulla cauſa licet dari ſuſpicionem de ſigillo violato, quam ſemper dat Confeſſor utens, etſi de pœnitentis permiſſione, notitia ſacramentali, deferendo ſocios, & crimen rei in confeſſione auditum.... Ergo tantum abeſt, ut Confeſſor teneatur petere licentiam declarandi ſocios, & crimen rei, ut ea habita teneatur non uti; cum Confeſſor ſemper timere poſſit aliorum ſuſpicionem vel de violatione ſigilli, vel ſi hanc non poſſit timere, ſemper reddet munus Confeſſoris, & confeſſionis odioſum.*

17 *Num.* 131. ſic progreditur: *Etſi hoc factum, quatenus Confeſſor violavit ſigillum, non ſit ad rem; eſt tamen quatenus oſtendit omnem, ſive de licentia, ſive ſine licentia pœnitentis, notitiæ uſum eſſe eliminandum. Sive enim pœnitens det, ſive non det licentiam, ſemper per ſcientiæ ſacramentalis uſum oritur ſuſpicio de violato ſigillo, & confeſſio per eius ſcientiæ uſum fit odioſa. Et ideo recte P. La Croix vir apprime doctus, & cordatus* in ſuo tomulo 7. part. 2. q. 287. de Sigillo confeſſionis num. 1945. *monet, quod inter opiniones probabiles ſequenda ſemper ſit in praxi opinio, quæ favet ſigillo; qui enim non faventem ſequitur, communiter committit ſcandalum, ſaltem apud rudiores putantes frangi ſigillum. Ecce ſemper ſcandalum,*

etſi

Digitized by Google

etſi eum licentia pœnitentis Confeſſor utatur notitia ſacramentali. Immo quæſt. 290. *n.* 1958. *loquens de licentia, quam pœnitens dedit Confeſſori, ait: Quod ſi ea licentia detur, petente ipſo Confeſſario, cenſenda ſit invalida, etſi pœnitens dicat ſe eam libenter dare, & citat P. Dicaſtil. diſp.* 12. *n.*66. *& P. Tamborin. de Confeſſ. lib.* 3. *cap.* 3. *quia reddit confeſſionem odioſam; & cum P. Mendo diſp.* 10. *quæſt.* 5. *ſuadet Confeſſariis, ne in ſe ſuſcipiant, opus corrigendi, aut denuntiandi complicem. Immo addit, quod ut Confeſſor ſine læſione ſigilli poſſit complicem monere, aut revelare, magni DD. velint, inter quos M. Sotus, M. Bañes, M. Rozella, P. Vaſques, P. Tamborinus, quod neceſſaria ſit complicis licentia.*

18 Deinde *num.* 133. hæc addit: *Sane tam efficaciter Eccleſia pro tuendo confeſſionis ſigillo pugnavit, ut Clemens VIII. in ſuo Decreto edito* 16. *Martii anno* 1594. *relato à P. Sanches lib.* 3. *de Matrim. diſp.* 16. *ſevere vetuerit, ne ſuperiores quoad externum regimen uterentur notitia ſacramentali, cum tamen ratio boni publici, immo & pœnitentis profectus hoc exigere poſſit. Quin anno* 1682. *die* 18. *Novembris aliud à Rom. univerſali Inquiſitione manavit Decretum, quo vetatur*, ut prorſus in praxi illicitus ſcientiæ ſacramentalis uſus non tantum cum gravamine pœnitentis, ſed etiam quando multo maius gravamen ex non uſu ſequeretur. *Decreti verba refert P. La Croix* 1. *c. n.* 1977. *& P. Viva impugnans theſim de uſu ſcientiæ in confeſſione acquiſitæ pag. mihi* 173. *Cui duplici Authori hac in re pluſquam eſt deferendum, quam aliis, qui in hoc liberius opinati ſunt.*

19 P. Tamborinus (12) licet fateatur probabile eſſe non frangi ſigillum, ſi utatur Confeſſarius notitia confeſſionis circa peccatum complicis de expreſſa licentia pœnitentis, attamen ſequitur contrariam ſententiam probabiliorem eſſe. Sic ait: *Quid, ſi pœnitens expreſſam concedat veniam Confeſſori complicem revelandi, (idem erit de objecto) ſi illud revelet, frangetne ſigillum? Frangere docet Vaſques de Pœnit. q.* 91. *art.* 4. *dub.* 5. *num.* 5. *quia ſacrum ſigillum urget in favorem complicis, nec ſolius pœnitentis; ut ſic univerſa cauſa, quæ agitur in confeſſionis tribunali, ſit ſtrictiſſimo ſilentio obvolvenda. Non frangere docet Suarius de Pœnit. d.* 44. *ſect.* 3. *n.* 7. *(eſto peccetur, ſiquid prodatur, unde complicis honor deturpetur) quia ſigillum obligat in favorem dumtaxat pœnitentis: ſi ergo cedit juri ſuo, non eſt cur complicis factum ſigillo gaudeat. Utraque ſententia probabilis: illa Vaſques probabilior, quia magis ſigillo favens.* Si ergo hæc eſt probabilior, pluſque ſigilli favorem reſpicit, nunquam pœnitens tenetur contrariam ſequi ſententiam, ac proinde nunquam cogi poteſt ad detegendum complicem; & ſi de hac obligatione

(12) In append. de Sigil. cap. 3. n. 7

tione moneatur, conſequenter decipitur, & injuſte adigitur, & per conſequens non poterit Confeſſarius, etiam juxta ſententiam P. Suarii, illa licentia aliquatenus uti.

20. Unde ſic venit explicandum quod ipſe Tamborinus poſtea addit in hunc modum: *Unum hic adverte: poſſe quidem Confeſſarium, habita facultate à pœnitente, complicem monere, reprehendere &c. niſi quando illa notitia eſſet injuſta, & contra religionem, ſed duos ſcrupulos eſſe vitandos ex Suar. l. c. ſect. 4. n. 4. & 5.... alterum, ne facile Confeſſarius ad hoc ſe ingerat, de qua re diximus ſupra in Method. Confeſſ. lib. 3. cap. 9. §. 4. alterum, ne nimio zelo ductus eam licentiam facile à junioribus expoſcat; in his enim non raro extortæ conceſſionis periculum latet.* Hoc periculum fortius timendum eſt, ſi licentia, ut fieri ſolebat, à fœminis expoſcatur. Cum autem Tamborinus ſe referat ad citatum locum, expendamus illum. Quærit igitur: Utrum Confeſſarius onera pœnitentis in ſe ſuſcipere poſſit, vel debeat? Et ſic reſolvit: *Quoad licite poſſe: quamvis conſilium optimum ſit, ut Confeſſarius ab hujusmodi pœnitentium oneribus ſubeundis omnino abſtineat*; (non abſtinebant noſtri rigidiſſimi Confeſſarii) *tamen concurrentibus tribus licite poteſt: ex Suar de Pœnit. diſp. 34. ſect. 4. n. 17. immo interdum ob charitatem debet. Primo, ut ſit moralis aliqua neceſſitas ex parte objecti, id eſt ex parte rei faciendæ. Secundo, ut eam rem facere pœnitens non poſſit, vel non ſit aptus, vel rationabiliter refugiat. Tertio, ut illud munus ſperet Confeſſarius ſe utiliter ſine ſuo diſpendio executurum..... In primo enim caſu: Si proximi neceſſitas tam gravis eſt, ut pœnitens obligetur ad corrigendum illum ſive per ſe, ſive per alium, tunc ſi pœnitens poteſt ſive per ſe, ſive per alium diverſum à Confeſſario corrigere, non obligatur Confeſſarius; quia tunc non extreme indiget proximus. At ſi eamdem gravem neceſſitatem ſuccurrere neque per ſe, neque per alium pœnitens poſſit, ſed ſolum per Confeſſorem, (qui caſus certe rariſſimus eſt) tunc, ſi ſine magno incommodo juxta leges communes charitatis poſſit Confeſſor, ſacre debebit.*

21 Hæc Tamborini doctrina proculdubio procedit ſuppoſita probabili ſententia Suarii; nam ſuppoſita probabiliori, ut fatetur, implicat in terminis. Si enim frangit ſigillum, etiam habita facultate pœnitentis, nunquam poteſt uti ea notitia, quamvis ſupponamus eam extremam neceſſitatem metaphyſicam; ſiquidem præceptum ſigilli ſtrictius obligat, quam præceptum charitatis. Sed adhuc data probabili ſententia, neceſſario ſupponit ſpontaneam pœnitentis licentiam, & nullo modo, nec metu reverentiali datam, ut exigit Suarius, idque ſolum admittit in caſu extremæ neceſſitatis. Hæc neceſſitas extrema nunquam poteſt conſiderari in peccato occulto cum complice commiſ-

ſo,

ſo, ut late probatum relinquimus, nec illa obligatio in complice conſiderari valet. Stat ergo, quod Author ille nullo modo approbat interrogationes, inductiones, aut coactiones pœnitentium, ac proinde nullatenus favent nec ipſe, nec alii allegati abuſui introducto. Hoc dictum volui, ut doctiſſimos Patres ſacræ Societatis JESUS à calumnia defendam, qua eos ſimilis doctrinæ patronos aſſerebant, qui illum imprudentiſſimum abuſum introducebant, caſum metaphyſicum, & nullatenus verificabilem ad ſuam pernicioſiſſimam praxim adducentes. Nullus eorum docet, aut unquam docuit, adigendos eſſe pœnitentes ad declarandos complices, nullus, qui aſſereret licitum eſſe uti licentia aut extorta, aut blandis etiam ſuaſionibus acquiſita.

22 Nunc ad alios AA. properemus, & prius ad eos, quos ipſi Rigoriſtæ maximo abuſu ſuos faciunt. Cardinalis de Lugo (13) refert eum abuſum ab Illuminatis introductum, favente Archiepiſcopo Ferdinando Guerreiro, eamque opinionem ab eo aſſertam, nempe: *Confeſſarium debere in aliquibus caſibus pœnitentem obligare, ut complicem manifeſtet, quod ſi renuat, negare abſolutionem*, de qua controverſia acriter tunc diſputatum fuit, *quibuſdam contendentibus, id utile, & neceſſarium eſſe; aliis eſſe inutile, & omnino illicitum.* Si perpendantur caſus, circa quos contentio illa verſabatur, nullus reſpiciebat correctionem fraternam, ſed tantum vitare aliqua emergentia damna, quæ timebantur. Multos allegabant ſuæ ſententiæ patronos, qui non alii erant, quam ipſi, quos nunc introducti abuſus defenſores in ſuam ſententiam ſatagunt detorquere, de quibus ipſe de Lugo ſic ait: *Licet revera hi, & alii multi non dicant expreſſe, quod tenetur, ſed quod poteſt pœnitens in aliquibus caſibus complicem manifeſtare, & quod poteſt Confeſſarius de illo interrogare ad correctionem.* Refert fundamenta *M. Bañes 2. 2. q. 33. in fin.* & aliorum, quæ in his conſiſtebant: *Primo, non eſſe medium conveniens ad correctionem alterius notitiam, quæ habetur in confeſſione. Secundo affert multa inconvenientia, quæ ex uſu contrariæ ſententiæ ſequi poſſunt. Tertio probat, uſum illius ſententiæ eſſe injurium ſacramento Pœnitentiæ.* Has rationes, aliaſque jam ſupra conſideratas, etſi deſudent, nunquam concludenter adverſarii infringere, aut labefactare quibunt.

(13) De Sacram. Pœnit. diſp. 16. ſect. 8. n. 424.

23 Tranſit de Lugo ad ſuam firmandam ſententiam, & ſic reſolvit: *Dicendum eſt primo nunquam Confeſſarium obligare poſſe pœnitentem, ut ſi neceſſe non ſit ad explicandum proprium peccatum, dicat illi complicem notitia primi generis. Ratio eſt clara; quia notitia illa uti non poteſt Confeſſarius extra confeſſionem ad ullum effectum. Ergo inutiliter, & ſine ulla cauſa obligaretur pœnitens ad infamandum complicem, nec de hoc poteſt eſſe difficultas. Dicendum*

ſecundo: *Nec etiam poteſt Confeſſarius obligare pœnitentem ad manifeſtandum complicem intra confeſſionem formaliter, ſeu cum notitia ſecundo loco aſſignata.* En conſtituit regulam certam, & indubitabilem, quam parvi pendebant imprudentes Confeſſarii ſuo falſo zelo abducti, ut odium ſacramenti generarent, & fideles ab ejus uſu arcerent.

24 Poſtea aliquatenus in favorem opinionis contrariæ ſic proſequitur: *Dicendum quarto, nonniſi raro contingere poteſt, ut Confeſſarius obligare poſſit pœnitentem ad declarandum ſibi nomen complicis. Nam ea omnia, quæ Confeſſarius poteſt cum tali notitia facere, poterit ipſe pœnitens immediate per ſe ipſum, vel certe per alium, de cujus prudentia non minus, ſed fortaſſe magis fidat, quam de Confeſſario: non eſt ergo cur pœnitentem debeat adſtringere, ut ſibi nomen dicat complicis, vel renuenti abſolutionem neget. Si enim pœnitens dicat ſe agnoſcere bene obligationem, quam habet, & velle per ſe, vel per alium idoneum omnino ſatisfacere, Confeſſarius debet in illo foro ei credere.* Raro fatetur de Lugo contingere poſſe illum caſum; & ego cum aliis dico eſſe omnino ſpeculativum, & ad praxim nullatenus reducendum, ut ſic omnis vitetur occaſio reddendi odioſum ſacramentum Pœnitentiæ, & exponendi illud violationi, vel ſuſpicioni violati ſigilli. Sed fortaſſe loquitur de Lugo de correctione fraterna? Minime gentium.

25 De quo ergo caſu loquitur Cardinalis ille? De caſu quidem rariſſimo, quando ſcilicet ex occultatione complicis gravia damna imminent, quæ pœnitens omnino vitare tenetur, & nullum alium habet, per quem id facere poſſit, niſi Confeſſarium ipſum; tunc enim tenetur illud eligere medium. Verba illius Doctoris ſunt hæc: *Dicendum quinto: Non tamen repugnat dari caſum, in quo poſſit Confeſſarius pœnitentem obligare ad manifeſtandum ſibi complicis nomen: non quidem quaſi Confeſſarius eam obligationem imponat; ſed quia revera pœnitens eam habebat, & Confeſſarius, qui ex ejus confeſſione hoc agnoſcit, admonet illum de ſua obligatione, cui ſi non vult ſatisfacere, jam merito ei abſolutionem negat, quem non invenit ad abſolutionem diſpoſitum. Porro poſſe illum caſum contingere conſtat aperte; quia poteſt Confeſſarius videre ex occultatione complicis graviſſima damna imminere, ad quæ pœnitens omnino tenetur: rurſus videt, pœnitentem id non poſſe ſe ipſo immediate exequi, nec habere alium, per quem id poſſit, præter ipſum Confeſſarium, quo caſu certum eſt teneri pœnitentem.* Quis non videt non loqui de Lugo, niſi in hoc caſu rariſſimo? Quis non cognoſcit multa debere concurrere ad hunc caſum verificandum in praxi? Cur ergo trahitur ad exemplum correctionis fraternæ peccati occulti jam commiſſi, &

ſolum

ſolum ipſis complicibus noxii? Quis non percipit, nunquam ad correctionem fraternam prædicti peccati conſiderari extremam neceſſitatem? Inaniter ergo adducitur de Lugo ad intentum, de quo agimus. Idem dictum volo de P. Marin, (14) cujus doctrina eſt eadem, & per ipſiſſima verba.

(14) Tom. 3. diſp. 4. ſect. 4. §. 79.

26 Eadem eſt ſententia Dianæ, (15) & per eadem omnino verba de Lugo, quem citat, & in fine aſſerit ſic tenuiſſe ante ipſum de Lugo, & conſuluiſſe in caſu illius depravatæ Tophaniæ, quæ in Regno Siciliæ ſua aqua venenoſa tot necibus cauſa fuerat, eo quod Confeſſarii ignorantes erant qui pœnitentes abſolvebant. Ignorantes erant, quia abſolvebant, quin ipſi eam delinquentem Magiſtratibus denuntiarent; non verò quia nomen delinquentis non inquirerent. Cogerent Confeſſarii ad accuſandum, vel denuntiandum competentibus judicibus; non verò ut ſibi declararent complicis nomen; neque enim id neceſſarium erat, neque ipſis Confeſſariis conveniens prædictas facere accuſationes. Sed quidquid de hoc ſit. Loquitur Diana de illo caſu rariſſimo imminentis graviſſimi damni, ab ipſo ſolo Confeſſario reparabilis. Sed quid de correctione, aut interrogatione complicum ad correctionis finem? Id docet reſolutionibus ſequentibus ſat expreſſe.

(15) In Coordin. tom 1. tr 8. reſol. 46.

27 Quærit *reſol.* 47. *An liceat Confeſſario interrogare de complice in confeſſione in ordine ad ipſius correctionem, & illam facere de licentia pœnitentis?* Refert affirmativam aliquorum opinionem ex Suario, & Fagundes: ſed iſti non dicunt poſſe Confeſſarium interrogare de complice; immo contrarium monent. Solum dicunt poſſe facere correctionem de expreſſa licentia pœnitentis adhibitis variis circumſtantiis, ut id eis liceat. Poſtea contrariam docet ſententiam expreſſiſſime per hæc verba: *Sed tu contrarium tene cum Villalobos . . .* (16) *& Nugnus in addit. ad 3. p. q. 11. art. 2. dub. 2. ubi oppoſitum vocat temerarium, & pernicioſam, tamquam ipſius ſacramenti deſtructivum, & reſpondet ad omnia argumenta, quæ pro affirmativa ſententia adducit Suares. Et ratio eſt; quia talis correctio non poteſt effici ſine injuria ſacramenti; non eſt enim negandum, multum derogare ſigillo Confeſſionis notitiam illius ad effectus adeo extrinſecos; finis enim intrinſecus ſacramenti Pœnitentiæ eſt tantum juſtificatio pœnitentis, non autem emendatio complicis. Cæteras rationes invenies apud Nugnum. Et hæc opinio communis in ſchola D. Thomæ. Notandum eſt etiam, quod ſtando in prima opinione, & ex hypotheſi concedendo eſſe probabilem,* (ſolum eſt probabilis ex hypotheſi; hodie tamen nec practice, nec ſpeculative eſt probabilis) *non tamen ex hoc debet Confeſſarius interrogare de perſona complicis in hunc finem correctionis, ſed ſpectare ut pœnitens id ſua ſponte declaret. Neque ſe*

(16) Hic multos AA. refert, qui in ipſo videri poſſunt.

invitet ad faciendum correctionem, etiamſi intelligat eſſe neceſſarium, ſed expectet petitionem pœnitentis; hic enim forte per ipſum, vel per alium curabit corrigere. Et ita docet Filliucius tom. 1. tract. 7. cap. 11. num. 349. Unde apparet, multum errare Confeſſarios ex zelo indiſcreto, & ex ignorantia extorquentes complices à pœnitentibus propter correctionem, unde dum conſcientiis aliorum mederi volunt, ſuarum conſcientiarum jacturam faciunt, aiunt Henriques lib. 2. de Pœnit. cap. 9. n. 10. & Fagundes precept. 2. lib. 5. cap. 1. num. 12. & alii.

28 Reſolutione ſequenti iterum inquirit: *An Confeſſarius propter correctionem fraternam debeat, aut poſſit extorquere complicem? Et an illa peccata alterius tam complicis, quam non complicis confeſſione narrata ita claudantur ſigillo, ut ſine complicis, aut alterius illius peccatoris licentia, eſtò habeat conſenſum à pœnitente, Confeſſor ea revelare non poſſit?* Et ſic reſolvit: *Prorſus negativam ſententiam tenendam eſſe puto, quam alibi ſatis docui, & nunc iterum doceo cum Maldero tract. de Sigil. cap. 17. ubi ex duplici capite exiſtimat improbandum eſſe, ſi Confeſſor extorqueat complicem, ut eum corripi curet. Primo; quia fit injuria ſacramento, quod natura ſua tale ſecretum poſtulat, quaſi detectio eſſet facta ſoli Deo ad ſolius confitentis emendationem, adeo, ut non debeat accuſatio hujus fori ad externum forum derivari, aut ad correptionem alterius. Quare ſi revelatio complicis non ſit neceſſaria ad explicandum proprium peccatum, non poteſt Sacerdos ad ullum alium finem eam urgere; præcipue cum nec liceat Sacerdoti eam facere, & ut faciat, ſicut jam ſupra diximus, ſecretum Confeſſarius id ſervare debet &c.* Vide ejus authoritatem ſupra relatam, & quæ habet *reſolut.* 49. quas tranſcripſimus radio tertio, ne hic iterum repetamus. Eodem loco videri poſſunt Fr. Antonius à Spiritu Sancto, Wigant, Lorca, Henno, Villalobos, Henriques, Marchantius, & alii, ne trita teramus.

(17) Tract. de Sigil. cap. 17.

29 Malderus (17) expreſſe docet non eſſe pœnitentem interrogandum de complice in ordine ad correctionem, quia hæc correctio fieri non debet, *niſi ordine à Chriſto præſcripto, cui ordini repugnat, ipſum corripi ex ſacramentali confeſſione.*

(18) Tom. 1. tit. 52. de Correct.

30 Fr. Octavius Mariæ à S. Joſeph (18) inquirit: *Poteſtne Confeſſarius ex licentia pœnitentis habita in confeſſione corrigere complicem?* Et ſic reſolvit: *Non licere Confeſſario interrogare pœnitentem de complice in ordine ad ipſius correptionem faciendam, & illam de licentia pœnitentis facere.* Et alibi: (19) *Interrogatur 6. Eſtne licitum Confeſſario interrogare pœnitentem de complice in confeſſione in ordine ad ipſius correctionem, & illam facere de licentia pœnitentis? ..... Sed merito hanc ſententiam impugnat Villalobos, Sylvius, Malderus,*

(19) Tom. 2. tit. 207. de Sociis crimin. n. 2026.

Malderus, Coriolanus, Rodrigues, Ledeſma, Bañes, Soto, & alii, quos dat idem Diana loc. cit. Immo Nugnus.... dicit dictam ſententiam eſſe temerariam, & pernicioſam, tamquam ipſius ſacramenti deſtructivam, & reſpondet ad omnia argumenta, quæ adducit Suares. Dicendum eſt igitur cum communi D. Thomæ ſchola, quod talis correctio non poteſt fieri ſine injuria ſacramenti: nec poteſt negari multum derogare ſigillo confeſſionis notitiam illius ad effectus ita extrinſecos adhibere: nam finis intrinſecus ſacramenti Pœnitentiæ eſt tantum juſtificatio pœnitentis, non autem emendatio complicis. Vide Nugnum, qui plures rationes concludentes affert, & notat id, quod ego dicam in reſponſ. ad interrog. ſequent. Interrogatur 7. Confeſſarius requiſitus à puella, ut corripiat eum, qui ſe moleſtat turpiter, debetne eum corrigere? Reſp. Nullo modo id facere debet, nec etiam de licentia pœnitentis tractare debet tale negotium, quia odioſa redderetur aliquo modo confeſſio, ſed tantum in confeſſione ei conſulere poteſt quid faciendum. Poſſet addere, propter fraudes, quæ contingere ſolent; de una enim ſcimus, quæ hoc medio uſa fuit, ut pœnitens edoceretur circa modum, quo ejus laſcivo amori ſatisfacere poſſet: aliæ verò hanc vindictæ occaſionem quærunt, ut experientia docet.

31 Trullench (20) expreſſe aſſerit peccare Confeſſarium, qui à pœnitente petit, quod ei declaret nomen complicis ad finem correctionis; ac proinde temerariam eſſe, & periculoſam contrariam ſententiam, eo quod ſit *contra bonos mores, & quæ de ſe redderet confeſſionem exoſam*; & concludit: *Sufficit ergo notare hanc ſententiam, ut temerariam, ſcandaloſam, pernicioſam, & minime in praxi admittendam.*

(20) Tom. 5. lib. 4. cap. 6. dub. 15. n. 14.

32 Frater Didacus Nugno Cabeſudo (21) ſic ait: *Utrum ſit conveniens communiter, & regulariter, quod Confeſſarius obliget pœnitentem ad manifeſtandum ſibi perſonam complicis ad hoc ſolum, quod talis perſona corrigatur? Sit concluſio. Per ſe loquendo, atque adeo communiter, & regulariter non eſt conveniens talis interrogatio, & oppoſitum hujus eſt temerarium, & pernicioſum tamquam ſacramenti deſtructivum.* Solidiſſima exponit fundamenta, quibus ſatiſfactum concludenter nullibi invenio, & reſpondens rationibus contrariis, quaſi prævideret, quod nunc ob illud *communiter, & regulariter* nobis opponitur, ſic reſpondet: *Ad quartum reſpondetur illum caſum eſſe metaphyſicum.... & ita verificatur noſtra concluſio non ſolum regulariter, ſed univerſaliter, quod ſcilicet perſona complicis nunquam eſt manifeſtanda in confeſſione.* Videatur hic doctiſſimus Primarius, qui omne tulit punctum.

(21) In addit. ad 3. p. D. Thom. q. 11. art. 8. diffic. 2.

33 Si recenſeremus omnes, qui idem aſſerunt, quot de Pœnitentia

39 Concilium Burgenſe, & Beneventanum per eadem verba: *Caveant Sacerdotes, ne in confitente quærant nomina perſonarum, cum quibus peccaverint.*

40 Conſtitutiones Epiſcoparus Sarum: *Perſonarum nomina, cum quibus confitens peccavit, non inquirat Sacerdos, ſed per confeſſionem poteſt inquirere, utrum ſit Clericus, laicus &c.*

41 Conſtitutiones Valentinæ Synodi: *In confeſſione ſibi caveant Sacerdotes, ne requirant nomina perſonarum, cum quibus peccaverunt pœnitentes, ſed circumſtantias tantummodo, & qualitates.*

42 Multas alias Synodos, & Conſtitutiones citat Gibert, (25) ex quibus ſic concludit: *In audiendis confeſſionibus ne inquirant Sacerdotes nomina perſonarum, cum quibus peccaverunt pœnitentes, ſed de circumſtantiis aggravantibus diligenter examinent, ut gravitatem, & quantitatem peccati melius judicare, & diſcernere, ac pro enormitate peccatorum congruam pœnitentiam injungere poſſint.* Syn. Sinol. 1554. Pariſienſ. *quæ addit: Si confitens indicaverit, arguat eum Confeſſor, & ſecretum illud teneat ſicut confitentis peccatum.*

(25) Corp. jur. Canon. tom. 3. tr. de Sacram. tit. 7. ſect. 3. n. 25. & 42.

43 Claudat hunc catalogum Decretum Congregationis Epiſcoporum Belgii anno 1667. April. 22. *Complicum nomina Confeſſarius non inquirat, ne quidem ſub prætextu, quod velit, aut poſſit eis prodeſſe, non obeſſe. Multo minus confeſſione pœnitentis abutatur ad inſtituendam complicis denuntiationem, vel accuſationem. Neque hoc committat, ut ad complicis ſuperiores ſcribantur literæ anonymæ, multo minus à ſe ſubſcriptæ. Neque denique faciat quidquam, unde vel pœnitens, vel complex aliquod gravamen accipiat: cum ipſum peccatum, & nomen complicis, ſi per inadvertentiam pœnitens expreſſerit, cadat ſub ſigillo cum peccato pœnitentis. Qui articulus ut exactius obſervetur, adoptamus canonem Concilii Colonienſis anno 1280. celebrati. Et ſub pœna excommunicationis Sacerdotibus inhibemus, ne à confitentibus nomina eorum, cum quibus peccaverint, inquirant, vel circumſtantias, per quas poſſint nomina eorum ſciri. Quod ſi fecerint, ab officio confeſſionis audiendæ, & ſacrorum miniſteriorum ipſo facto ſe noverint eſſe ſuſpenſos.*

44 Lapidem fundamentalem, quem, etſi exoptarent, reprobare non potuerunt illum abuſum ædificantes, impoſuit S. D. N. Benedictus XIV. in ſua triplici Conſtitutione ſic decernens in ſuo Brevi *Suprema*. Sic ait: *Pervenit haud ita pridem ad aures noſtras nonnullos iſtarum partium Confeſſarios falſa zeli imagine ſeduci ſe paſſos, ſed à zelo ſecundum ſcientiam longe aberrantes, perverſam quamdam, & perniciosam praxim in audiendis Chriſti fidelium confeſſionibus, & in ſacramento Pœnitentiæ adminiſtrando invehere, atque introducere cœpiſſe, ut videlicet, ſi forte in pœnitentes incidiſſent*

ſent ſocium criminis habentes, ab iiſdem pœnitentibus ſocii bujuſmodi, ſeu complicis nomen paſſim exquirerent; atque ad illud ſibi revelandum non inducere modo ſuadendo conarentur; ſed, quod deteſtabilius eſt, denuntiati quoque, niſi revelarent, abſolutionis ſacramentalis negatione prorſus adigerent, atque compellerent; immo etiam complicis ejuſdem nedum nomen, ſed habitationis inſuper locum exigerent deſignari. Quam illi quidem intolerandam imprudentiam tum procurandæ complicis correctionis, aliorumque bonorum colligendorum ſpecioſo prætextu colorare, tum emendicatis quibuſdam Doctorum opinionibus defendere non dubitarent; cum revera opiniones bujuſmodi vel falſas, & erroneas ſequendo, vel veras, & ſanas male applicando, perniciem tam ſuis, quam pœnitentium animabus conſciſcerent; ac ſeſe præterea plurium gravium damnorum, quæ exinde facile conſecutura fore, providere debuerant, reos coram Deo æterno judice conſtituerent. Et verò jam ſecuta fuiſſe multa ejuſmodi damna infelici experientia compertum eſt: nec fieri potuit, quin ea de cauſa & oblocutiones, & ſcandala, & non miniſtrorum tantum, ſed ſacri ipſius miniſterii odium, & animarum ingens conturbatio in populo fideli exorta ſint.... Nos autem, ne in tam gravi animarum diſcrimine ulla ex parte Apoſtolico noſtro miniſterio deeſſe videamur, neve mentem ſuper hac re noſtram apud vos obſcuram, aut ambiguam eſſe ſinamus: Notum vobis eſſe volumus, memoratam ſuperius praxim penitus reprobandam eſſe, eamdemque à nobis per præſentes noſtras in forma Brevis literas reprobari, atque damnari tamquam ſcandaloſam, & pernicioſam, ac tam famæ proximorum, quam ipſi etiam ſacramento injurioſam, tendentemque ad ſacroſancti ſigilli ſacramentalis revelationem, atque ab ejuſdem Pœnitentiæ ſacramenti tantopere proficuo, & neceſſario uſu fideles abalienantem. Has literas poſtea confirmavit per Conſtitutionem *Ubi primum*, & poſtea pro univerſo orbe per Conſtitutionem *Ad eradicandum*, & ad omnino tollendas aliquas temerarias opiniones, ex cathedra definivit, prædictam erroneam praxim *penitus* eſſe abolendam.

45 Non immoror in explicandis his Conſtitutionibus, neque in explodendis interpretationibus, quas aliqui facere moliti ſunt; de hoc enim poſtea ſermo erit ſpecialis, ubi etiam agendum erit de prædictis Synodalibus Conſtitutionibus. Etiam non immoror in reprobando abuſu deferendi ad ſuperiores complicum peccata; hic enim jam damnatus invenitur ab alio Benedicto, nempe XII. & in Hiſpania etiam fuit damnatus idem Illuminatorum error, ut ſupra retulimus, & recalcare jam dicta faſtidioſum eſt.

CORUS-

CORUSCATIO QUINTA

Sanctæ Inquiſitionis Luſitanæ fundatam juriſdictionem ad prohibendam prædictam erroneam praxim, puniendosque ejus aſſertores clariſſima luce perfundit.

1 STabilita, firmataque doctrina, nempe non licere aliquo modo nomina complicum ad correctionem, ſeu ad alia colligenda bona inquirere, aut pœnitentes ad id adigere, per neceſſariam conſequentiam ſequitur ſanctæ Fidei Tribunal poteſtatem inconcuſſam habere, habuiſſeque ad illam praxim improbandam, puniendosque ejus fautores, eosque denuntiari jubere. Muratorius aut deceptus, aut à ſuomet animo inductus prædictum Tribunal aſſumpſit lacerandum. Nullo jure id feciſſe demonſtrabimus. Ipſe tamen, ut ſui nominis menſuram adimpleret, minutiſſime corroſit. Fidei Areopagus murus eſt, quo ſancta Eccleſiæ civitas ab hoſtium incurſibus munitur, ac mille propugnaculis defenditur. Aſt Muratorius, muris inſtar, dentibus ſuis hæc fundamenta comminuit, ut in ruinam trahat; in vanum tamen laborat.

2 Neſcio quæ cauſa ad tantum facinus impelleret, moveretque, ut à longe poſitus conſpicuos viros in nihilo ei infenſos ſic quaſſaverit, ſic laceſſiverit. Nullus hucusque illud rectiſſimum Fidei ſuſtentaculum irreverenter impetiit, niſi qui ei in aliquo debitor effectus ſit. Videat Muratorius, ne hoc ære gravetur. Atque ut & nos judicium feramus, non ab ſcopo aberrare viſus ero, ſi in trutinam revocemus doctrinas aliquas, quas ipſe in ſuo *Lamindi Pritanii de ingeniorum moderatione* intermiſcet in opere. Ut id aſſequar, antequam ad propoſitam materiam deveniamus, in animum venit pauliſper ad alia divertere ſermonem. Igitur ſit

RADIUS PRIMUS

Aliquas doctrinas, quas Muratorius proponit in prædicto libro, omnino deſtruit.

1 TOtus eſt Muratorius in præfato opere, ut moderationem ingeniorum in negotio fidei lectores edoceat. Sed doctrinam, quam aliis præbere ſtuduit, ſibi non aſſumpſit; ſuum etenim immoderatum numen in hac opella plane, pleneque oſtendit, demonſtratque hoc in ſanctum Officium odium jam ab antiquo conceptum, animoque verſatum. Siquidem jam in citato libro *fol.* 230. abunde in illud invehitur, atroque dente corrodit. Inquiſitionem Luſitanam nimii rigoris accuſat, veluti ejus procedendi rationem plene agnoſcat, aut expertus ſit. Levitati quidem ſuæ, atque animo in deteriora parato tribuendum eſt, quod fidem adhibeat querulis quibuſdam aut profugis, aut punitis judæis; neque ſibi perſuaſum habeat, omnia in prædicto Tribunali agi conſueviſſe ſecundum ſacrorum Canonum, & Pontificiarum Conſtitutionum præſcriptas regulas; atque ſic ſemper, ſervato Themidis moderamine, juſtitiam cum miſericordia, gladium cum oliva temperare, ut in pietatis, charitatiſque partem præcipue declinare videatur. Non addubito, aliquem, vel aliquos errare potuiſſe, & in duriorem partem propendere; hoc tamen officium non Angelis, ſed hominibus committendum eſt, quorum quidam ad juſtitiam, & rigorem, alii ad pietatem, & miſericordiam inſita quadam à natura vi proniores ſunt. Horum tamen privatorum peculiare genium, aut ingenium Tribunalis vitio dandum non eſt, cujus ſemper æquitas, & benignitas ſingulariſſimum fuit ſtema.

2 Sub prætextu conſilii, & admonitionis Quæſitoribus faciendæ (neſcio quo jure, quave authoritate ei tanta provincia demandetur) noſtros ſupponit *turbidi affectus*, *exercendæ potentiæ ambitus* crimine innodatos, *zeli oſtentandi*, *famæ captandæ*, *ac adipiſcendorum munerum* cupidos, in reorum perniciem verti, atque ex nimio rigore peccare. Quam hæc ab incorruptiſſimo Officio, nitiſſimoque Tribunali aliena ſint, omnes, qui vident, qui experiuntur, unanimiter teſtantur. Nihil eſt, quod Muratorius obſervandum proponit, & Inquiſitores noſtri ad unguem non exequantur. Siquis forte aut per ignorantiam, aut per temeritatem in aliquem errorem lapſus eſt, aut aliquam minus ſanam protulit propoſitionem, quæ fideli populo ſcandalo fuerit, ſecretò vocatur, admonetur, inſtruitur, edocetur, ut reſipiſcat

piſcat, ut emendetur, & ut plurimum jubetur publice palinodiam canere, ſi publice errorem ſpargere auſus fuit: aliter in pace remittitur adeo caute, adeo benigne, ut famæ errantis conſulentes, hæc foris innoteſcere non ſinant. Si verò in errore contumax monitis non acquieſcit, & falſam opinionem pertinaciter retinet, aut defendit, tunc quod canones decernunt, pro muneris, & juſtitiæ debito exequuntur. Omnem tamen diligentiam, omnem ſolicitudinem, omnem charitatem exhibentes nimium ſtudent, ut delinquens ille ad ſalubria paſcua reducatur: quod ſi conſequuntur, vel graviori, vel leviori adhibita pœna, prout criminis, aut pertinaciæ qualitas expoſcit, benignitate præ oculis habita, remittunt.

3 Carceribus nunquam addicunt, ut ſupponere vult Muratorius, ſola aliqua levi ſuſpicione maculatos. Præcedere ſemper ſolent denuntiationes, inquiſitiones, & maturiſſimæ deliberationes, ne forte innocentes infamia aliqua afficiantur: cumque ad ulteriora progrediuntur, ſaltem ſufficiens probatio, ut canones præcipiunt, præcedit, & tunc non aliter, quam promovente prius Fiſcali, ſuper negotio prudentiſſime proceditur. Se ipſos accuſantes, & veniam humiliter depoſcentes nunquam puniunt; ſecretò piiſſime admonent, ſecretò à cenſura forraſſe contracta abſolvunt, ſecretò remittunt, neque aliquando quod factum fuerit propalatur. In fide ſuſpectos nunquam pronuntiant, niſi ſuſpicio ſit in jure fundata. Erga convictos, & contumaces omne ſtudium impendunt, ut depoſita contumacia, & legitima confeſſione facta ab errore recedant, & miſericordiam conſequantur, quam omnibus confeſſis, & veniam expoſcentibus benigniſſime largiuntur; neque umquam ultimi ſupplicii pœna coercent, niſi convictos, & contumaces, aut relapſos, juxta ſacros canones, quando nulla emendationis ſpes jam ſupereſt, nec jure ſperari poteſt, aut debet. In quo igitur excedunt Inquiſitores noſtri, ut malam fidem apud exterum hominem noſtri moris penitus ignarum promereantur; ipſeque ſub ſanæ cautionis ſpecie in noſtram, Hiſpanamque Inquiſitionem calamum acuat? Ingenii immoderantiæ, quam ipſe curare exoptat, id tribuendum erit.

4 Complurima in citato libro Pariſiis edito, & Theologicis cenſuris deſtituto, ſcripta, atque à non multum fidedignis diſſertationibus gallice ſcriptis, in Latinum verſa ſermonem inveniuntur, quæ omnia reſpuere præſentis muneris non eſt. Aliqua tamen, qua potero brevitate, perſtringam, ut videamus cum quo homine contentio nobis ſit, aut quem quærerent defenſorem rigidiſſimi noſtri temporis Confeſſarii, hominem ſcilicet in rigidas opiniones declinantem, capiteque minutum, eo quod ſeſe venumdari paſſus ſit, ut in innocuum, ſemperque venerandum Tribunal caput attollere, & tumen inflare non pertimeſceret.

5 Et in primis *lib.* 1. *cap.* 18. *pag.* 147. id probandum ſuſcipit, nempe, ad fidem non ſpectare hanc propoſitionem: *Hic, aut ille eſt verus Romanus Pontifex*, à recentioribus Theologis excitatam. Atque in hoc jam fallitur ipſe; nam in ea videtur fuiſſe ſententia *D. Auguſt. tom. 6. in epiſtol. contr. poteſt. Donat. & tom. 2. epiſt.* 115. *Irenæus lib. 3. cap. 3. Baſilius, Hieronym. & Ambroſ. quos refert, P. Marc.* 2. 2. *q.* 1. *art.* 10. *de Auctorit. Papæ n.* 5. Eam comprobant complurima Concilia decernentia, Pontifices tunc temporis exiſtentes veros eſſe Pontifices. Eam tenuerunt ex antiquis contra alios *Valent.* 2. 2. *diſp.* 1. *q.* 1. *punct.* 7. *Aragon.* 2. 2. *q.* 1. *art.*10. *tract. de Concil. dub. princip. ad* 3. *principal. ubi etiam Ludovicus de Leon. Martinez art.* 10. 2. *p. princip. dub.* 1. *ad* 2. *P. Bonaventur. tract. de Auctorit. Papæ dub.* 3. *Albertin. tom.* 1. *princip.* 3. *corolar.* 3. *dub.* 2. *Suares de Fid. diſp.* 1. *ſect.*5. *& alii.* Ipſe alio in loco aſſerit non condemnandos ſtatim eſſe, qui aliquas doctrinas, & ſententias ſtatuunt, & quæ probabiles eſſe poſſunt, dum à ſupremo Eccleſiæ Capite non improbentur. Cur ergo ipſe doctrinam neutiquam à ſancta Sede prohibitam, cum tamen à multis, & optimis eam defendi ſciat, infirmare, & reprobare contendit? Quo magiſterii gradu fulcitur ille, ut tantam rem aggrediatur? Quod ſciam, nullo alio, niſi Auctorum, fortaſſe ſub religionis larva ſanctæ Sedi infenſiſſimorum, lectione. Profecto in re Theologica maioris auctoritatis habendus eſt doctiſſimus P. Ferdinandus Caſtro Palao, qui eamdem ſententiam, quam tuemur, defendens *tract.* 4. *diſp.* 1. *p.* 2. *num.* 11. licet eam certiſſimam aſſerat, non tamen in animo habuit *contrariam aliqua gravi nota inurere, ſiquidem tot, tamque graves Doctores illam defenſarunt.* Aſt Muratorius audet ipſe, quod nullus inſignium Theologorum auſus eſt. Et hoc immoderato ingenio adſcribendum non erit? Quid damni Eccleſiæ, aut veræ Religioni iſta Recentiorum ſententia adducere poteſt, ut à Muratorio liberiori calamo proſcindatur? Nihil profecto. Immo & ejus negativa opinio aliquibus periculis erit obnoxia.

6 Latiſſima eruditionis ſeges pullulabat, ſi meum in hoc opere inſtitutum ad alia non conſtringeret properare. Sed data occaſione, non omnino contineri poſſum, quin aliqua proferam, quæ primo in proſpectu ad mentem veniunt. Ait: *De hac quæſtione apud Patres, & antiquos Theologos altum ſilentium.* Eam indolem hæreticorum imitatur, qui nihil credendum arbitrantur, quod in Patribus expreſſum non habeatur. Sed hoc nullatenus admittendum. Quanta antiqui Patres ſilentio premerunt, quæ poſtea aut Eccleſia definivit, aut ſequentes Theologi docuerunt? An ſolis primis Eccleſiæ Doctoribus Deus claves ſcientiæ tradidiſſe dicendus eſt? Hanc ſcientiæ clavem in ſua Eccleſia, ejusque Doctoribus pro temporum opportunitate veras docti-

Digitized by Google

doctrinas reſerantem ſemper conſervaſſe, eſt proculdubio certum. *Qui hodie contemnunt ſuos Doctores, ſi olim cum antiquis vixiſſent, eoſdem pariter contempſiſſent*, inquit Auctor operis imperfecti *Hom.* 42. *in Matth.* Contemnit recentiores ſuo immoderato ingenio Muratorius, contemneret etiam antiquiores quoties ſuo fallibili judicio non patrocinarentur. Pullulant frequentiſſime novæ hæreſes, doctrinæ non ſanæ, ſcandaloſæ, temerariæ, piarum aurium offenſivæ, ſchiſmaticæ, de hæreſi ſuſpectæ, nimiæ libertati faventes, quas, etiam ante ultimam ſanctæ Sedis definitionem Theologis datum eſt theologica inurere cenſura; licet hæc infallibilis dici non poſſit, dum à ſupremo Capite ultimum non recipiat infallibilitatis apicem.

7 Opus non fuit antiquis Patribus hanc movere diſputationem, quia tunc de ea nullum dubium vertebatur; ſed de vera electione Pontificis Romani, ac rite electum verum eſſe Summum Pontificem, nullus dubitavit. Nullum legimus, qui rite electum Pontificem Romanum verum eſſe Pontificem, aliqua ambigendi veſtigia nobis relinqueret, immo contraria, quæ ſequeremur. Summus Pontifex Siricius *in Epiſt.* I. ad Himmerium Tarraconenſem Epiſcopum, Damaſum agnoſcit verum Pontificem, ſeque, & anteceſſores, ac ſucceſſores ſuos vocat Petri hæredes, quos ipſe primæ Sedis, & Fidei anteſignanus tuetur. Concilium Nicænum non ſemel agnoſcit Petri ſucceſſorem, Romanumque verum Pontificem Silveſtrum tunc Eccleſiæ Dei præſidentem. Epiſcopi Galliæ in Epiſtola Synodica ad Leonem I. eum verum Pontificem profitentur, ipſeque Leo in Epiſtol. 3. ad eoſdem Epiſcopos ſe Petri aſſerit auctoritate fungi. Summus Pontifex Gregorius II. ſacræ Sedis adminiſtratorem ſe nominat, & auctoritate Beati Petri fulciri aſſeverat. Atque, ne in re trita oleum perdam, nuſquam legitur Patres, aut Eccleſiam dubitaſſe quandoque hunc, aut illum Pontificem rite electum eſſe verum Pontificem. Si ergo Eccleſia ſemper retinuit veros eſſe Pontifices quotquot cognovit rite electos, cur errabit qui aſſerat, de fide eſſe id, quod Eccleſia per tot ſæculorum curricula ſemper retinuit, & nunquam dubitavit, & è contra ſchiſmaticos, atque non rite electos veros Pontifices nunquam agnovit? Certe non errat qui ſic teneat: & ratio eſt clara; quia ſcilicet ex eo, quod quemlibet verum eſſe Pontificem Eccleſia, quæ in re tam gravi errare non poteſt, recognoſcit, verum eſſe Pontificem credere debemus.

8 Non rem iſtam theologice pertractare conſtituo. Qui cupiat quæſtionem prælibare, adeat Cardinalem Bellarminum, Eximium P. Suarium, Valentiam, Caſtro Palaum, Palancum optime materiam diſcutientem, Delbene, Ardeskin, Berninum, Mattheuci, (1) & alios. Pro modulo tamen meo in Muratorium ſic convertor. Si de fide, vel ſaltem

(1) Bellarm. tom. 1. lib. 2. de Cleric. Suar. de Fide diſp. 10. ſect. 4. Valent. ſupr. Caſtr. Palao ubi ſup. Palanc. tr. de Fid. Theolog. diſp. 3. q. 9. per tot. Delben. de locis Theolog. dub. 150. Ardeſkin. & alii ubi ſup.

ſaltem fidei proximum non eſt, hunc, vel illum Pontificem Romanum eſſe verum Pontificem, neque etiam de fide erunt multa, quæ de fide tenemus. De fide eſt, Eccleſiam Catholicam eſſe omnium fidelium Congregationem ſub uno capite viſibili, vero ſcilicet Romano Pontifice. Hic fidei articulus eſt in Apoſtolorum Symbolo contentus: hanc veritatem à pueritia ediſcimus: hanc nobis tradiderunt Patres noſtri: hanc nos edocent Concilium Alexandrinum, Concilium Lateranenſe, & alia. In re igitur certa, & definita cur morabor? Oblatrent fruſtra hæretici, donec voces ſuæ faucibus hæreant. Eadem fidei firmitate credere debemus unam ſanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam extitiſſe ſemper, atque in finem uſque mundi, etſi contrariis ſemper ventis agitatam, infallibiliter extituram. Sic Patres intelligunt illud *Matth. 16. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Hoc eſt, ſemper firma, inconcuſſaque permanebit. Et illud *Matth. cap. 28. Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi.* Sic definiit Concilium Alexandrinum his verbis: *Eccleſiam porro Apoſtolicam unam, & ſolam Catholicam agnoſcimus, quæ ſicut nunquam expugnari poteſt, etiamſi totus mundus eam oppugnare inſtituat.* Porro hanc Eccleſiam viſibilem eſſe, & ſub uno capite viſibili definiit Concilium Senonenſe, regente Eccleſiam Clemente VII. Pariſiis habitum anno 1528. contra Lutherum perverſe aſſerentem, Eccleſiam inviſibilem eſſe, ac proinde nobis incognitam.

9 Licet autem hæc veritas apud orthodoxos alia probatione non egeat, ex abundanti liceat elegantem Sanderi (2) locum hic referre:
„ Primum, (*ait ille*) ne longe præclariſſimum gubernationis genus
„ (qualis eſt Monarchia) à Chriſti Eccleſia abeſſe cenſeatur, in qua
„ ſecundum ordinem omnia fieri debere Apoſtolus docet. Deinde, ut
„ ſtatus Eccleſiæ cohæreat cum eo gubernationis modo, qui obſerva-
„ tur in cæteris omnibus creaturis, qui ad unum ſuæ naturæ, con-
„ ditionisque principium referri ſolent, ut conſtat de cœlis, ſideribus,
„ animantibusque, corporibus, & gregibus. Tum, ut Eccleſia mili-
„ tans in ſuo genere ſit ſimilis triumphanti Eccleſiæ, quam nemo ne-
„ gat ab uno Chriſto ita gubernari, ut Chriſtus ab eadem Eccleſia
„ facie ad faciem videatur. Unde & huic militanti Eccleſiæ unus mi-
„ litans Paſtor præeſſe debet, qui ab eadem Eccleſia videri queat.
„ Præterea, ut regimen Eccleſiæ Chriſti reſpondeat ſtatui, quem ea-
„ dem Eccleſia ſub Patriarchis habuit, quorum nonniſi unus eadem
„ ætate, eodemque tempore primas tenuit, & cui cæteri omnes ve-
„ lut Primati cedebant, ſicut conſtat de Melchiſedech, qui benedixit
„ Abrahæ inferiori Patriarchæ. Atque etiam, ut ſtatus Eccleſiæ Chriſ-
„ ti reſponderet ſtatui legis Moyſaicæ, ſub qua unus tantum Ponti-
„ fex

(2) Lib. de viſibil. Monarch. cap. 5.

„ ſex omnibus, quæ in mundo erant, ſynagogis præfuit. Ut ſtatus Eccleſiæ Chriſti non diſſentiat à Prophetarum doctrina, qui prædixerunt, eam fore ſimilem aciei caſtrorum ordinatæ, in qua eſt unus primus Dux, ſeu Imperator. Ut reſpondeat Chriſti doctrinæ, qui Eccleſiam, Regnum, ovile, hoſpitium, ſeu diverſorium, in quo unus Rex, Dominus, aut Paſtor, iſque viſibilis, & ejuſdem conditionis cum ſubditis, præeſt. Ut reſpondeat doctrinæ Apoſtolorum, qui Eccleſiam dixerunt ſimilem eſſe corpori, cujus unum eſt præcipuum membrum, & ſimilem domui, in qua unus paterfamilias dominatur. Ut Eccleſiæ gubernatio conſentiat ipſa ſecum, ſitque non minus in tota militante Eccleſia unus militans Paſtor, qui in ſingulis militantibus Provinciis, & Parœciis ſinguli ſunt militantes Paſtores. Ut æterna Monarchia per unum ad tempus Paſtorem demonſtretur. Nam Ignatius tradit, Epiſcopum figuram Dei in Eccleſia gerere, in Epiſtola ad Smirnenſes. Sit ergo unus in Eccleſia Summus Pontifex, qui figuret unitatem Dei. Ut viſibilis Monarchia, quam Chriſtus in terris agens per ſe ipſum inchoavit, & qua in hodiernum diem Eccleſiam gubernat, in terris per Vicarium ipſius continuetur, & perſeveret. Nec alia nunc Eccleſia eſſe putetur, quam ſub Chriſto fuit. Eſſet quippe alia, & non una, eademque Eccleſia, ſi forma regiminis, quæ ſub Chriſto in terris agente nonniſi regia fuit, nunc in Ariſtocratiam, vel Democratiam mutaretur. Ut Chriſti unius in æternum Paſtoris unitas hic modo figuretur. Nam cum Eccleſia ſit imago rerum ipſarum, quæ in cœlis elucent, ut ibi conſtat unum Chriſtum eſſe Eccleſiæ ſuæ æternum Paſtorem, ſic oportuit illam Chriſti præſidentiam per unius Paſtoris primatum in terris figurari. Ut etiam viſibilis unitas Eccleſiæ hoc viſibili unius Paſtoris primatu deſignetur, quæ Cypriani eſt ratio in lib. de Unitate Eccleſiæ. Ex illa viſibili connexione, qua cohærent inter ſe Presbyteri, Epiſcopi, Primates, & Summus Pontifex, facile intelligitur quanta illa ſpiritualis unitas, quæ intercedit Eccleſiæ tam cum Chriſto capite, quam cum reliquis ipſius membris. Ut militantis Eccleſiæ externa unitas, & pax per unum Paſtorem conſervetur, ſchiſmataque tollantur, quæ eſt Optati ratio in lib. 2. de ſchiſmate Donatiſtarum, & Divi Hieronymi adverſus Jovinianum. Ut non deſit in Eccleſia, qui jure divino peccata inferiorum Paſtorum puniat, & negligentiam Prælatorum ſuppleat, quæ eſt Gregorii Magni ratio lib. 7. epiſt. 8. Ut quando Synodus propter externam perſecutionem congregari non poteſt, ſit tamen qui pro auctoritate ſua ea decidat, quæ eſt Baſilii Magni ratio in epiſt. 78. Ut cum ſingulis Paſtoribus portio gregis aliqua ſit aſſignata, nec illi teneantur curam ſuſcipere eorum, qui

„ non

„ non ſunt ipſis commendati: non deſit tamen, qui & propagandi „ Euangelium curam gerat, & Epiſcopos novos illis conſtituat, qui „ de novo ad fidem convertuntur. Hæc enim cura niſi ad unum ali- „ quem ante omnes alios ſpectaret, non tot nationes poſt Apoſtolo- „ rum ex hac vita migrantium tempora Chriſti fidem ſuſcepiſſent. „ Ut ſit, qui Epiſcopatus antea conſtitutos vel dividat, vel uniat, „ prout res ipſa videbitur poſtulare; quod niſi ab uno præcipue fie- „ ret, vel non fieret id omnino, vel cum gravi ſcandalo ſæpe fieret. „ Ut certum ſit, quæ Concilia ſint legitima: & quis vel congreget, „ quemadmodum oportet, vel quis è contra diſſipet: quæ eſt ratio „ Damaſceni contra Concilium Ariminenſe. Ut quæ de uno inter „ Apoſtolos maiori, & prædeceſſore in Euangelio ſcribuntur, vera, „ in Eccleſiæ gubernatione, perpetua eſſe credantur. Ut quæ de pri- „ matu Petri tam perſpicue in Euangelio narrantur, & à ſanctis Pa- „ tribus exponuntur, vana eſſe non exiſtimentur. Ut Eccleſia Chriſti „ dæmonum ſocietate inferior non judicetur, ſi ea viſibili unius pri- „ matu careat, quem Princeps dæmoniorum ſortitus eſt. Ut quæ de „ Romani Pontificis primatu ſancti Patres, OEcumenica Concilia „ tanto conſenſu docent, vera eſſe non dubitetur.

10 Nunc ſic. Si hic, aut ille Romanus Pontifex, v.g. ſi S. D.N. Benedictus XIV. verus Pontifex non eſſet credendus, neque ejus prædeceſſor talis crederetur, & ſimiliter cæteri anteceſſores; neque etiam de fide crederemus, his temporibus veram extitiſſe Eccleſiam legitimo ſuo viſibili ſponſo copulatam: quod etiam de omnibus ſigillatim eſſet aſſerendum; quia ſi de hoc numero Pontifice non debemus credere verum eſſe Pontificem, de nullo in individuo credere tenebimur. Ergo non eſt de fide Eccleſiam ſemper extitiſſe veram ſuo legitimo capiti, ſive ſponſo copulatam. En deſtruimus certam, infallibilemque in Petri Cathedra ſucceſſionem, qua hæreticorum verſutias, ſuarumque Eccleſiarum falſitatem confundamus. En favemus Calviniſtarum Confeſſioni *art.* 31. En falſam facimus Chriſti promiſſionem. *Matth.* 18. 20. En quandoque portæ inferi adverſus Eccleſiam vero Paſtore deſtitutam prævalebunt. E contra, ſi dicamus, ut debemus, & verum dogma tenet, Eccleſiam à principio, uſque ad hæc noſtra tempora derivari, veramque ſemper extitiſſe, etiam tenere debemus omnes Summos Pontifices, quos Eccleſia ipſa recognovit, & ad hæc uſque tempora ſponſos habuit, fuiſſe veros Chriſti Vicarios, veros Petri ſucceſſores. Quod enim de toto aſſeritur, de parte omnino neceſſaria, & ſine qua totum ſubſiſtere nequit, aſſerendum eſt. Ex hac de uno ad alium derivata Romanorum Pontificum ſucceſſione Controverſiſtæ omnes Eccleſiæ Romanæ infallibilitatem deducunt. Videatur poſt alios Ardeskin *p.* 1. *cap.* 3. & 4. ego enim ſine allegationibus percurro,

percurro, ut brevius me expediam. Hanc continuatam legitimam ſucceſſionem ſi demas, firmitas Eccleſiæ Romanæ nutare viſa erit. Si proinde omnimodam veritatem circa hunc, vel illum Pontificem è medio tollas, illa continuatæ ſucceſſionis inconcuſſa veritas penitus periclitabitur.

11 Quid dico, ſucceſſionis veritas? Omnia œcumenica Concilia, eorumque in rebus fidei definitiones incertitudini, & fallibilitati erunt obnoxiæ. Veram Catholicam Eccleſiam eſſe veram, & infallibilem fidei regulam, ac in rebus definiendis errare nunquam poſſe, eſt inter Orthodoxos indubitabile. Id patet ex illo Chriſti Domini *Matth. 16. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Laberetur autem hoc firmiſſimum fundamentum in Petro, ejuſque ſucceſſoribus (illud enim divinum effatum de omnibus verificatur) ſtabilitum, ſi Eccleſia in definiendis rebus fidei, aut morum univerſam Eccleſiam ſpectantium, aliquando erraret; tota enim Eccleſiæ firmitas in integra fidei veritate repoſita eſt. Identidem promiſit idem primus Eccleſiæ divinus Pontifex, quod *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Fallibilis verò hæc promiſſio eſſet, ſi quandoque hæreſes admitteret, aut incertis doctrinis macularetur. Patet deinde ex illo Apoſtoli 1. *ad Timoth.* 3. *Ut ſcias quomodo tè oporteat in domo Dei, quæ eſt Eccleſia Dei vivi, & firmamentum veritatis.* Hoc autem intelligendum eſſe de vera Eccleſia, prout ex vero capite, & membris coaleſcit, meridiano ſole clarius elucet.

12 Hanc infallibilitatem à ſuo vero capite Romano Pontifice Eccleſiam accipere, eſt proculdubio certum. Licet enim pauculi Doctores, ut ait Duvallius, (3) de hac veritate dubitent; nullus tamen eſt, qui hanc neget Eccleſiæ infallibilitatem, dummodo ſuo legitimo capiti adhæreat: ex quo ſequitur, eam ab ipſo capite extra controverſiam accipere. Id evidenter liquet ex Chriſti effatu ad Petrum, ejuſque ſucceſſores prolato. *Luc.* 22. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Ex illo *Joan.* 21. *Petre amas me? Paſce oves meas*; & illo *Matth.* 16. *Tu es Petrus &c.* Non minus concludit Synodus Chalcedonenſis IV. in qua nihil aliud neceſſarium fuit, ut de fide haberetur quod decretum fuerat, niſi quod Leo antecedenter definiret. Clamaverunt Patres *act.* 2. *Anathema qui ita non credit: Petrus per Leonem locutus eſt.* Simile habetur in Concilio Conſtantinopolitano II. *act.* 4. erga Agapetum. Simile in Synodo VI. *act.* 18. erga Agathonem. Simile in Synodo VIII. *act.* 5. erga Adrianum II. & Nicolaum I. Idem decrevit Concilium Florentinum *p.* 2. *coll.* 22. *Definimus ſanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem ſucceſſorem eſſe B. Petri verticis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, & totius Ec-*

(3) Tract. de Roman. Pontif. poteſt p. 4. q. 7.

cleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, & Doctorem exiſtere, & in univerſum orbem tenere primatum, & in B. Petro paſcendi, regendi, & gubernandi univerſalem Eccleſiam à Domino noſtro JESU Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe. Idem diſerte docuit, ac definiit Concilium Tridentinum de Baptiſmo *ſeſſ. 7. can. 3. Eccleſia Romana autem nonniſi ratione Pontificis eſt magiſtra cæterarum.*

13 Latiſſime in hanc rem probandam ſermonem protrahere poſſem, ſi Concilia, ſi Patres in memoriam revocarem, vel AA. de materia tractantes aperirem. Sed ad intentum his obiter dictis, jam, ni fallor, eruitur quod dixeram, nempe fidei articulos à Conciliis definitos infallibilitate carere poſſe, neque indubitanter de fide eſſe credendos, ſi certiori, quam humana morali credulitate, non teneremus ut certum, hunc, aut illum Romanum Pontificem eſſe verum Petri ſucceſſorem, & Chriſti Vicarium. Non maior ratio eſt circa hunc, vel illum, quam circa Gelaſium, Damaſum, Lucium, Julium, Silveſtrum, Alexandrum, Innocentium, Leonem, Agapetum, Gregorium, Martinum, Eugenium, Pium &c. Si de fide non eſt eos, aut quemlibet illorum verum fuiſſe Romanum Pontificem: ergo neque de fide erit Concilia ab iiſdem congregata vera fuiſſe œcumenica Concilia: ergo quæcumque ibi decreta ſunt, non erunt de fide credenda: hæc enim infallibilitas à vera Eccleſia legitime in Spiritu Sancto congregata, & à ſuo vero capite, veroque Petri ſucceſſore omnino dependet; neque enim hanc fidei firmitatem Eccleſiæ acephalæ, aut non vero Deus promiſit Pontifici; ſed Eccleſiæ ſuæ, & Petro, ejuſque veris, & legitimis ſucceſſoribus. Nulla igitur fidei certitudo iis articulis ineſſe poſſet, ſi verum Pontificem eos decernentem non agnoſceremus. Id exoptant hæretici, id blaterant Lutherani. Demamus hanc certitudinem, & in nos libentius audebunt. Nec ſat eſſet illos obſervare ex vi obedientiæ, ut hethorodoxi intendunt; ſiquidem Eccleſia eum hos definiit articulos, non modo ut obſervandos, ſed ut credendos proponit: aliàs quiſquis de illis dubitaret, inobediens ſolum, non verò hæreticus eſſet habendus. En quam facile fides omnis in maximo verſaretur diſcrimine: en quam lata hæreticis aperiretur porta, ut Conciliaribus definitionibus aſſenſum non præberent; in promptu namque eſſet, vera non fuiſſe congregata Concilia, neque veros Pontifices illa congregantes.

14 Quam proxima eſt aſſertio illa, qua deagimus, errori illo, nempe, poſt Urbanum VI. nullum eſſe verum Papam. Hunc errorem Wiclephi ut hæreticum damnavit Concilium Londinenſe anno Domini 1382. in hunc modum: *Quod poſt Urbanum VI. non eſt aliquis recipiendus ut Papa, ſed vivendum more Græcorum ſuis propriis legibus: concedimus, quod eſt hæreſis.* Ergo hæreſis eſt, nullum

eſſe

eſſe verum Papam, neque ut talem recipiendum. Cum ergo hæreſis alicui fidei articulo opponatur, fit conſequens, fidei articulum eſſe, aliquem Papam eſſe verum Papam. De quo igitur Pontifice hic articulus intelligendus eſt? Nulla eſt aſſignabilis ratio, cur potius de hoc, aut illo, quam de aliis intelligatur: ergo ſolum de rite electo, & ab Eccleſia recepto: ergo de omnibus rite electis, & ab Eccleſia receptis: ergo de hoc, aut illo. Sic definit Martinus V. in Concilio Conſtantienſi, ubi decrevit, hæreticos non aliter admittendos quando ad Eccleſiam convertuntur, quam ſi credant, & profiteantur exiſtentem Papam eſſe verum Pontificem.

15 Inſuper credere debemus, Chriſtum ſuæ Eccleſiæ promiſiſſe ſua peculiari providentia non defecturum: alioquin non plene inviſibilis capitis muneri ſatisfaceret. Certum eſt etiam miſiſſe Spiritum Sanctum ſuum, qui omnem Apoſtolis veritatem edoceret. Cum autem ex principiis certis fidei certæ deducantur fidei concluſiones, fit conſequens infallibile, ad fidem pertinere hunc, vel illum Pontificem eſſe verum Pontificem: aliàs non rectè Eccleſiæ ſuæ in re tam gravi provideret; cum permitteret eam per multos fortaſſe annos deceptam illegitimo ſponſo copulatam permanere, falſum Doctorem pro vero reputari, ſuum Vicarium credi, qui revera ſuus non eſſet, aliiſque damnis inde provenientibus ſuam ſponſam dilectam expoſuiſſet; quod ab ejus amore, ejus vigilantia, ejus infallibili, & indefectibili providentia cogitare nefas, & piaculum erit. Cur ergo Muratorius hanc à nobis credulitatem expellere nititur? Cur verborum lenocinio, rhetorices apparatu, & ſophiſmatum involucris, quos in eam videt abire ſententiam, in ſuas partes ſatagit reducere? In ſua opinione ſequenda multa pericula latere poterunt, nullum in noſtra. Mihi perſuaſum habeo, eum, qui adſtruat S. D. N. Benedictum XIV. verum eſſe infallibiliter Romanum Pontificem, nullas pœnas daturum; qui verò eum aſſerat non eſſe verum Pontificem, arbitror alicui ſupplicio ſubjiciendum eſſe. Arbitror dixi, & infallibiliter arbitror: ſiquidem hæc propoſitio: *Hic numero Summus Pontifex non eſt verus Pontifex*, eſt propoſitio temeraria, ſcandaloſa, ſchiſmatica, male ſonans, & de hæreſi ſuſpecta, eamque proferens tamquam hæreticus eſt puniendus, ut docent Bañes, & Caſtro Palao. (4) Non me latet aliud eſſe aſſerere: *Hic Pontifex non eſt verus Pontifex*; aliud verò affirmare: *Non eſt de fide hunc Pontificem eſſe verum Pontificem.* Verum ideo illa prima propoſitio eſt de hæreſi ſuſpecta, quia eam proferens videtur negare in Eccleſia eſſe poteſtatem eligendi verum Pontificem (videat Muratorius, ne in hunc errorem impingat, dum ait nobis non conſtare promotionem Summi Pontificis per electionem eſſe faciendam.) Ergo ſimiliter altera erit etiam de hæreſi ſuſpecta,

(4) Bañes 2. 2. q. 1. art. 10. dub. 2. Palao loco ſupra cit. & alii.

ſta, quia eam proferens videtur ſentire in re tam gravis momenti Eccleſiam falli poſſe, Deumque id permiſſurum fuiſſe. Dixerunt aliqui, ut ſupra memoravi, poſt Adrianum VI. nullum fuiſſe verum Pontificem; nec ut talem recipiendum: aſſeruerunt alii poſt Gregorium X. nullum verum Pontificem extitiſſe: alii de aliis Pontificibus Romanis blaterare auſi ſunt: alii de omnibus poſt tertium ſæculum affirmarunt. Sed qui? Non alii, quam hæretici, vel ſchiſmatici. Omnes tamen, quos Pontificum catalogus in diptychis habet veros Pontifices, dubitavit orthodoxus nemo, Eccleſia nunquam dubitavit. Cur ergo non credemus, quod Eccleſia, quæ errare non potuit, ſemper retinuit; quod Conciliorum infallibilitatem confirmat, quod Pontificiam ſucceſſionem ſtatuit ſolidiſſime?

16 Ut hanc infallibilitatem Muratorius reſpuat, dogma certum eſſe negat regulam ſupra poſitam, nempe: *Omnem Pontificem rite electum eſſe verum Pontificem.* Nullum orthodoxum tam expreſſe audentem me legiſſe recordor; heterodoxos verò non admitto. Si recta ipſe loquitur, erravit ergo Concilium Lateranenſe tertium, & cum eo Alexander III. cum ſtatuit: *Ille abſque ulla exceptione ab univerſali Eccleſia Pontifex habeatur, qui à duabus partibus electus fuerit, & receptus.* Erravit Concilium generale Lugdunenſe, & cum eo Gregorius X. cum idem decrevit. Erravit Concilium Florentinum, quando definiit: *Romanum Pontificem ſucceſſorem eſſe B. Petri verticis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, & totius Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, ac Doctorem exiſtere, & in univerſum orbem tenere primatum, & in B. Petro paſcendi, regendi, & gubernandi univerſam Eccleſiam à Domino noſtro JESU Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe.* De quo Pontifice id definiit, niſi de legitime electo, & ab Eccleſia recepto? Erravit Concilium Viennenſe, & cum eo Clemens V. cum Alexandri III. & Gregorii X. Conſtitutiones confirmavit. Erraverunt Clemens VII. in ſua Conſtitutione *Cum chariſſimus* anno 1529. Paulus IV. in ſua Conſtitutione *In eligendis* anno 1562. Gregorius XV. in ſua Conſtitutione *Æterni* anno 1621. Urbanus VIII. in ſua Conſtitutione *Ad Romanum* anno 1625. Erravit Martinus V. in ſua Conſtitutione *Inter cunctas*, quæ habetur in Concilio Conſtantienſi, in qua ſtatuit, *prætendendum eſſe ab hæreticis, qui cupiunt Eccleſiæ reconciliari, quod credant Papam, qui pro tempore fuerit, eſſe verum Pontificem*, ut ſcribit Delbene *de Loc. Theolog. dub. 250.* omnino videndus.

17 Quam abſurdum hoc ſit, nemo non videt. *Pontifices Romanos in ſuis Canonibus, ſeu Conſtitutionibus nunquam erraſſe; quia juxta Prophetam; nec in Galaad reſina, nec Medicus deeſt*, edocuit contra impiiſſimum Lutherum S. P. Leo X. in ſua Bulla, quæ incipit *Exurge*

ge Domine anno 1520. *Contra Decreta Summorum Pontificum, contra ſtatuta Conciliorum, contra ſanctiones orthodoxorum Patrum, in quibus tribus ſumma auctoritas, ſumma veritas, ſummaque ſanctitas conſiſtunt*: atque, *Decretis Summorum Pontificum auctoritatem deditſſe omnium Imperatorem dicentem Petro in Euangelio Matthæi*: *Quidquid ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælo*, dogmatice ſcripſit Joannes Archiepiſcopus Cantuarenſis ad Eduardum Regem Angliæ anno 1281. *Decreta ſanctiſſimorum Romanorum Pontificum ſi poſſemus, etiam ſtudioſius, quam illa quatuor Concilia, venerari, & obſervare debemus, cum & ipſa Concilia omni firmitate carerent, ſi non Apoſtolicæ Sedis Pontifices eadem per Apoſtolicam auctoritatem, congregare, & corroborare decreviſſent.... Si ergo quatuor Concilia omni auctoritate carerent, niſi principaliter ex decretis Romanorum Pontificum firmitatem obtinerent, quis inficiari poterit, quanto decreta per ipſos Apoſtolicos viros promulgata maiori veneratione digna merito cenſeantur, quam ipſa Concilia.... Ergo reverentiam, ſive obedientiam, quam ſacratiſſimis quatuor Conciliis juxta Sanctum Gregorium merito exhibemus, decretis Apoſtolicæ Sedis nullatenus denegare, immo, ſi poſſibile eſt, ſtudioſius impendere debemus, cum ſine eorum auctoritate nec ipſa Concilia fas eſſet recipere*, decreverunt orthodoxi Patres in Spiritu Sancto congregati in Concilio Romano I. ſub Gregorio VIII. anno 1074. *Etiam ipſis dogmatibus fidei* (quod argumentum ſupra afferebam) *circa Sanctam, & individuam Trinitatem detrimenta generari poſſe, ſi omne firmitatis robur Pontificum decretis non concedamus*, ſcripſit Adrianus Papa II. ad Synodum Tricaſſinam anno 867. Si ergo Conciliis œcumenicis eadem fides danda eſt, ac quatuor Evangeliis: ſi Pontificum decretis eadem adhibenda eſt fides, ac ipſis Conciliis: ſi quod Euangelia, quod œcumenica Concilia decernunt, credenda ſunt; cur non credendum eſt Pontificibus decernentibus, Pontificem rite electum eſſe verum, & legitimum Romanum Pontificem? Quibus hæc confundit Muratorius? ineptis, ac frivolis argumentationibus.

18 Quæ maioris ponderis eſſe videtur, & in qua plurimum conſiſtit Muratorius, quaſi ei ſufficere videatur, eſt Conſtitutio 19. Pauli IV, in qua Pontifex ait: *Si ullo umquam tempore apparuerit, aliquem ante eius in Romanum Pontificem aſſumptionem a fide Catholica deviaſſe, aut in aliquam hæreſim incidiſſe.... promotio, ſeu aſſumptio de eo, etiam in concordia, & de unanimi etiam conſenſu Cardinalium facta, nulla, irrita, & inanis exiſtat, nec per ipſius Romani Pontificis inthronizationem; aut adorationem, ſeu per ei præſtitam ab omnibus obedientiam, & cujuſque temporis in præmiſſis curſum, convaluiſſe dici, aut convaleſcere poſſit.* Ex qua Pontificis

Conſti...

Conſtitutione infert Muratorius: *Igitur ſupernaturalis fidei aſſenſus exigi non poteſt, quo aliquis credatur verus Summus Pontifex, etiamſi ab univerſa Eccleſia receptus fuerit, quando Eccleſiam ab hoc errore immunem in hoc negotio nequaquam arbitratur ipſemet Paulus IV.* Nihil tamen concludit argumentum. Et in primis nullatenus offendit theſim illam: *Omnis Pontifex rite electus eſt verus Pontifex.* Siquidem, ſi forte eligatur hæreticus, hic non eſt rite electus; & per conſequens Conſtitutio verſatur circa Pontificem non rite electum, utpote cui obſtat nullitas, quam de jure divino ineſſe docent Theologi. Prædictam theſim eſſe certiſſimam, & de fide tenendam, docent etiam ii, qui tenent non eſſe de fide, *hunc, vel illum Romanum Pontificem eſſe verum Pontificem*; adeo ut Palancus, & Palao, aliique ſupra citati dicant, nullum Doctorem orthodoxum de ea dubitare. Unde cum non modo dubitet Muratorius, ſed abſolute neget, videtur inferendum, eum, etſi talis videatur, revera orthodoxum non eſſe.

19 Deinde Pauli IV. Conſtitutioni opponimus Conſtitutionem Martini V. de qua ſupra, in qua hæretici, de quibus ibi, non aliter reconciliantur Eccleſiæ, ni profeſſi ſint, ſe credere præſentem Pontificem verum eſſe Pontificem. Ergo Martinus *Eccleſiam ab eo errore immunem in hoc negotio arbitratur.* Opponimus Lateranenſe Concilium, Synodum Florentinam, Alexandrum III. & cæteros ſupra citatos definientes pro veris Pontificibus habendos omnes rite electos juxta formam ibidem conſtitutam. Ergo ii omnes *Eccleſiam ab eo errore immunem arbitrantur.* Quid tamen? Num dicemus Paulum IV. his omnibus contrarium extitiſſe, aut contraria definiiſſe? Abſit. Explicandus eſt igitur Paulus IV. Certe nullatenus definiit omnem Eccleſiam in acceptatione Papæ errare poſſe, ut vult deducere Muratorius; ſed totus fuit in exponenda forma, qua ſervata, electio proculdubio certa evaderet; & ex ſuppoſitione ſententiæ aſſerentis fieri poſſe, ut Cardinales eligentes quandoque errarent, propoſuit nullitatem provenientem ex eo, quod electus eſſet, aut fuiſſet hæreticus occultus, quæ ita intrinſece, & ex conſtitutione divina reddit nullam Pontificiam electionem, ut nullo unquam tempore, neque per totius Eccleſiæ acceptationem ſanari poſſit; ad differentiam aliarum juris poſitivi exceptionum, quæ Pontificiæ electioni opponi queunt, & quæ poſt electionem factam, & Eccleſiæ acceptationem non admittuntur. Non tamen intellexit Paulus de facto fieri poſſe, quod à principio ad hæc uſque tempora nec contigiſſe conſtat, nec Deus quandoque permiſit. Immo, ſi id arbitraretur, in aliud abſurdum incidiſſe diceretur, nempe Deum in neceſſario negotio Eccleſiam ſuam ſua infallibili providentia deſtituiſſe. Unde locutus fuit Paulus per quamdam exagge-

exaggerationem: prout in ſimili alter Paulus, Apoſtolus ſcilicet, & Doctor Gentium *ad Galat.* 1. ſic dicebat: *Licet nos, aut Angeli de cœlo euangelizent vobis, præterquam quod euangelizavimus, anathema ſit.* Non docuit, aut intellexit Apoſtolus, eum, aut Angelos de cœlo poſſe euangelizare aliquid contrarium veritati, quam ipſe euangelizaverat; ſed tantum voluit dicere, adeo certam, & infallibilem eſſe ſuam doctrinam, ut ſi per impoſſibile Angelus diverſa enuntiaret, nullatenus eſſet credendus. Sic Paulus IV. nihil aliud voluit docere, niſi adeo obſtare, aut repugnare legitimæ Pontificis electioni exceptionem hæreſis, ut etiamſi per impoſſibile Deus permitteret, quod Eccleſia hæreticum eligeret, & ut verum Pontificem recognoſceret, id efficere non poſſe, ut talis hæreticus verus Pontifex eſſet, aut electio aliquando ex diuturnitate temporis, aut Eccleſiæ acceptatione convaleſceret.

20 *Ubicumque fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum ego*, promiſit ſumma veritas in Euangelio. Id omnino credendum eſt. Indefectibilis, veraciſſimusque Dominus nec falli, nec fallere poteſt, nec aliquatenus Eccleſiam ſuam quandoque decipi patietur. Congregantur Cardinales Electores in nomine Domini ad rem faciendam arduiſſimam, à qua tota Eccleſiæ, & fidelium gubernatio, ſecuritas, doctrinaque dependet. An in tam arduo, graviquе negotio deficiet Spiritus Domini dirigens voluntates, incendens corda, & illuminans mentes? Id ſentiant hæretici, id arbitretur Muratorius fieri poſſe. Nobis Catholicis id dubitare maximum profecto piaculum eſſet. *Spiritus Sancti præſentiam teſtatur congregatio Sacerdotum. Verum eſt enim quod legimus, quia nec poteſt veritas mentiri, cujus in Euangelio ſententia eſt*: Ubi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi & ego ſum in medio eorum. *Quod cum ita ſit, ſi nec huic tam brevi numero Spiritus Sanctus deeſt, quanto magis eum nunc intereſſe credimus, quando in unum convenit tanta turba Sacerdotum?* Scripſit Cœleſtinus Synodo Epheſi congregatæ anno 431. *Quis credat unicuilibet Deum examinis inſpirare juſtitiam, & innumeris in Concilium congregatis Sacerdotibus denegare*, dixerunt Patres Concilii Africani anno 424. & nos ad rem tanti negotii referre poſſumus. Innumeras ad rem auctoritates adducere facile eſſet; hæ ſufficiant. Si id verum eſſe non crederemus, deciperetur univerſa Eccleſia verum Pontificem agnoſcens à Deo non inſpiratum, neque ipſi acceptum. Hanc Pontificis electionem divinum opus eſſe multis, & concludentibus argumentis probat Scipio Amiratus *in Diſſert. Polit. lib.* 3. *cap.* 1. & Franciſcus Hallier *de Sacris Electionib.* Multoties Electorum ſuffragia diſcrepaſſe, tot in Eccleſia exorta ſchiſmata apertiſſime pronuntiant; ſed nec inde contra ſupra dicta efficax reſultat argumentum.

argumentum. Turbidi hominum affectus in diſſentiones prorumpunt multoties; nec aliter fieri poteſt ubi non vera charitas, ſed uniuscujusque privata voluntas operatur. Sic in ſacris electionibus, id permittente Deo, ut fluctuet Petri navicula, ejusque agnoſcatur fidelis, & admirabilis providentia, quæ inter medios ſchiſmatum vortices Eccleſiam ſuam non deſerit. Interim dum humanæ penitus contentiones electionis partes aſſumere intendunt, Spiritus Sancti locum non habet infallibilis aſſiſtentia, neque in ſchiſmaticos quandoque influit, qui pacem, & concordiam amat, præcipiente ipſo Chriſto Domino: *Ubicumque intraveritis, primum dicite: Pax huic domui*; atque: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*; & docente Apoſtolo: *Pacem, & veritatem diligite.* Inter hos tamen contentionum turbines ſchiſmaticos Pontifices nunquam veros, & legitimos Pontifices Eccleſia habuit univerſa, neque hi dicendi erant legitime electi. Loquimur igitur de electione canonica, ad quam ſecundum eccleſiaſticarum legum præſcripta concordia ſuffragantium vota, aut duarum partium confluunt, & quam univerſa Eccleſia ſine dubio recipit, & approbat: qua poſita, electum, & receptum Pontificem verum eſſe Chriſti Vicarium, & Petri ſucceſſorem inconcuſſe cum ipſa Eccleſia confitemur.

21 Concors omnium Theologorum, & Canoniſtarum eſt ſententia, Pontificem rite electum non ab hominibus, ſed immediate à Deo confirmationem, poteſtatem, & juriſdictionem in univerſam accipere Eccleſiam. Vel ergo Chriſtus Dominus Pontifici rite, & canonice electo hanc tribuit ſupremam poteſtatem, vel non? Si non tribuit, decipit Eccleſiam, & permittit eam à non vero Paſtore gubernari, quod de ejus infallibili providentia affirmare, vel intelligere temerarium, ſcandaloſum, erroneum, immo & hæreticum eſſet. Si verò tribuit, ut certum eſt, quomodo non erit de fide credendum, eum eſſe verum Pontificem, cui Deus in univerſam Eccleſiam ſuas vices committit, omnimodaque eccleſiaſtica, & ſpirituali condecorat, & fulcit poteſtate? Eſt verus Pontifex *Apex ſublimiſſimus Apoſtolatus*, ut eum vocat *Lactant. epiſt. ad Nicolaum I. Apex ſupremus Eccleſiarum Dei*, ut eum dicit *Theodor. Studit. epiſtol. ad Imper. Michaelem*, qui etiam *epiſt.* 33. ad Leonem III. ei tribuit titulum *Archipaſtoris Eccleſiæ, quæ ſub cœlis eſt.* Eum eſſe *Caput totius corporis, cui, quidquid fidelium eſt, ubique ſubmittitur*, ſcripſit Ennodius *in Apolog.* Sanctus Petrus Damianus *opuſc.* 4. *ex edict.* Conſtantini eum nominat *Caput Chriſtianæ religionis*, cujus ſublimitas eſt *Cacumen, & vertex humani generis*, ut ipſe Damianus aſſerit *opuſc.* 23. *cap.* 1. *Dominum domus Dei, & Principem omnis poſſeſſionis ſuæ, ac Maieſtate Apoſtolica refulgentem* vocat Bernardus *epiſt.* 237. 261. *&* 268.

In

In ore D. Anſelmi *lib. de Incarnat. cap.* 7. dicitur: *Dominus, & Pater totius Eccleſiæ in terra peregrinantis.* Eum *Dominum omnium gentium* eſſe, invenitur in Concilio Nicæno I. *can.* 44. *Verſ. Arabic. Ducem univerſalis Eccleſiæ* vocavit Damaſcenus *orat. de Transfigur. Epiſcopus unice ſummus, & ſingulariter generalis* ipſe eſt juxta *Petr. Bleſenſ. epiſt.* 27. *in fin. Gubernatorem throni Apoſtolici* eum dicit *Concil. Chalced. act.* 1. Ejus *arbitrio claves æterni aditus tradi, cujus terreſtre judicium præjudicata auctoritas ſit in cœlo, ut quæ in terris, aut ligata fuerint aut ſoluta, ſtatuti ejuſdem conditionem obtineant etiam in cœlis*, docuit *Hilar. cap.* 16. *in Matth.* Ipſe eſt *Præfectus toti orbi terrarum, Claviger cœlorum, cujus arbitrio, & poteſtati cuncta Deus permiſit; & Præpoſitus univerſo orbi terrarum, non ut Jeremias uni genti*, ut auree ſcripſit *Chryſoſt. homil. de S. Ignat. & homil.* 11. & 55. *in Matth. Præſidens Eccleſiæ totius orbis terrarum*, ut ait *Auguſt. lib.* 1. *contra Julian. cap.* 2. *Præſul ſummus à nemine judicandus, quia non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum*, ut ait *Concil. Roman. ſub Silveſtro.* Quo me rapuit ſpiritus, ut hæc enuntiarem! Si quæ de Summi Pontificis dignitate à SS. PP. & Conciliis ſcripta inveniuntur, recenſere vellem, novum librum conſcriberem. Quid amplius? Eſt Eccleſiæ Sponſus, Petri Succeſſor, Chriſti Vicarius, cui traditæ ſunt claves Regni cœlorum, Petra, Baſis, Fundamentum Eccleſiæ, Columna Fidei, ejuſque viva, & indefectibilis regula. Et hunc permitteret Deus eligere, qui tamen falſus Doctor, & illegitimus Paſtor eſſet? Credat id Muratorius, defendat non eſſe tamquam de fide certum, eum eſſe verum Romanum Pontificem: mordeat Recentiores, qui id aſſerunt; ego enim in obſequium piiſſimæ, dilectiſſimæque Matris meæ his potius aſſentiendum eſſe conſtituo.

22 Ab ipſo, tamquam ex fonte, poteſtatem legiſlativam hauriunt Concilia, Cardinales, Epiſcopi, Prælati. (5) Ab eo dependent promotiones Cardinalium, Archiepiſcopum, & Epiſcoporum ordinationes, Miſſionariorum facultates, Ordinum collationes, matrimoniorum, & impedimentorum diſpenſationes, gratiæ, indulgentiæ, & omnia alia, quæ ab univerſo Capite promanant. Nullitate permulta laborarent, rueret Fides, periclitaretur Religio, totus Eccleſiæ cardo verteretur, ſi verus Pontifex non eſſet is, qui rite eligeretur, & ab univerſa Eccleſia pro tali haberetur. Petri navis fluctibus hinc inde quaſſantibus obruta periret, ni dexterrimus adeſſet Palinurus, qui clavum teneret, eumque fideliſſime regeret. Exurgerent, ut horridæ

(5) Diſt. 17. per tot. cap. 4. de Elect. cap. 11. de Maiorat. & Obed. cap. Fin. de Offic. Leg. cap. Inferior diſt. 21. cap. 4. & 5. de His, quæ fiunt à Prælat. cap. 11. cap. 12. 2. q. 6. cap. 8. 3. q. 6. cap. 79. q. 3. cap. 2. diſt. 2. & innumera alia.

procellæ, hæreſes, & errores, nec eſſet, qui, afflante Spiritu Sancto, tot monſtra diſſiparet, ſi verus Pontifex non adeſſet. Deus fallax, improvidusque diceretur, ſi hæc permitteret, atque electioni canonicæ ſe ſubtraheret, & rite electo ſuam aſſiſtentiam, & poteſtatem non tribueret. Igitur rite electus eſt verus Pontifex certiſſime tenendus.

23. Antequam ad alia progrediar, hic valde notanda eſſe Muratorii verba advertere voluiſſem. Ait ille: *Qua in re nemo non videt, quantæ curæ ſit omnibus, ut hinc nova aliqua Dei revelatio excludatur, bene ſiquidem perſpecta, habet quilibet Catholicorum intoleranda incommoda*; (Catholicus ego ſum, & hæc intoleranda incommoda non attingo) *quæ ſequerentur, ſi quidquam ad veteris doctrinæ depoſitum adjungi poſſe credatur, quod non revelarit Deus, antequam utriusque fœderis libri concluderentur morte Apoſtolorum.* Inſinuare mihi viſus eſt in relata propoſitione, nullam in Eccleſia Dei eſſe revelationem, nullam veritatem revelatam, omnique revelationi divinæ aditum morte Apoſtolorum interclusum eſſe. Si ita eſt, nihil amplius Deus ſuæ Eccleſiæ revelare poterit, neque Pontifices abſtruſos Scripturæ ſenſus declarare valebunt, ſi eis ipſe abditus ſenſus non revelatur. Neſcio an in hoc conſentiat hæreticis aſſerentibus nihil de fide credendum eſſe, niſi quod in Scripturis expreſſum habetur. Ego Theologum non ago, nec cenſuram ferre mei eſt muneris. Propono dubium, ut doctiſſimi Qualificatores ad trutinam revocent. Interim, legendum offero P. Ardeskin *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 4. & 5. ubi oſtendit non ſolam Scripturam eſſe fidei regulam. Hac prærogativa donari Summum Pontificem, nemo eſt orthodoxus, qui ambigat. Quidquid ipſe decernat de fide credendum, etiamſi antiquis Patribus non ſit revelatum, de fide eſt. Id Patres, id Concilia, id Pontifices conſtituunt: non opus eſt novam controverſiam inſtituere; poſtea fortaſſe, occaſione data, aliquid dicemus.

24. Similiter etiam Theologis diſcutienda relinquo illa verba: *Si ad alteram, oportet ut Spiritus Sanctus prædixerit, & revelaverit, hunc virum, potius quam alterum à ſacris Electoribus rite, & ſine errore, ſine vitio aliquo eſſe eligendum; & tunc ex revelatione conſtabit, hunc, & non alium virum eſſe verum Pontificem Romanum. Cum autem conſtet Spiritum Sanctum neque revelaſſe olim prophetice, nec nunc revelatione peculiari aperire hunc potius, quam alium in ſucceſſorem Petri fuiſſe electum, aut eligendum.* Videtur ſenſiſſe ad quid credendum revelationis peculiaris, & expreſſæ actum neceſſarium nobis eſſe, nec ſufficere generale de fide effatum, ut ad particularia, in quibus illud effatum verificatur, per aſſenſum fidei deſcendamus. Ex generali effatu: *Omnes in Adam peccaverunt*, quod de fide credendum eſt, per neceſſariam conſequentiam deducimus: *Pe-*

trus

trus eſt homo: ergo Petrus in Adam peccavit. An indigemus peculiari revelatione, ex qua de fide teneamus Petrum peccaſſe in Adam? Quis hoc ſomniavit? De fide credimus, omnem hominem à Deo creatum eſſe: indigebimus fortaſſe peculiari revelatione, ut de fide credamus hunc numero hominem à Deo creatum fuiſſe? Sic in aliis multis. Et ne recurrat ad evidentiam naturalem, quæ in illis minoribus propoſitionibus datur, vel ad id, quod illæ minores neceſſario in maioribus propoſitionibus comprehenduntur; idem obſervandum eſſe quando intercedit evidentia moralis, ipſe infra fatetur. Deinde ut alio exemplo utar: ipſe aſſerit, quod Conciliorum de fide decreta de fide credenda ſunt. Nunc ſic inquiro: *Num Spiritus Sanctus prædixerit, & revelaverit* illud Concilium *rite, & ſine errore, ſine vitio aliquo*, & ſub vero Pontifice Romano congregatum fuiſſe? *Cum autem conſtet Spiritum Sanctum neque revelaſſe olim prophetice, nec nunc revelatione peculiari aperire hoc Concilium fuiſſe rite, & ſub vero Pontifice congregatum*, neque ex peculiari aliqua revelatione nobis conſtet in dicto Concilio decreta fuiſſe à Deo revelata; inde eſt, quod ea decreta non ſint de fide credenda. Si hæc inepta ſunt, etiam inepte ſcriptæ dicendæ erunt Muratorii ratiocinationes. Et quidem quid ineptius, quam quæ ex principiis certis deducuntur, peculiari revelatione indigeant, ut credenda ſint. Simile argumentum conficitur ex quocumque articulo à Summo Pontifice ex Cathedra loquente nobis propoſito. Sed Muratorius id parvi pendet, ut enim optimus orthodoxus ſequetur eos, qui infallibilitatem in definiendis fidei articulis Pontifici non concedunt, quorum ratio eadem eſt ac ea, qua ipſe utitur. Et profecto non capio, quomodo hæc peculiaris revelatio, quam exigit Muratorius, verificanda ſit. An veniet Angelus de cœlo, qui nobis eas veritates evangelizet? An loquetur nobis, ut olim, per Prophetas? An deſcendet Spiritus Sanctus in columbæ ſpecie, qui nobis ad aures has revelatas inſpiret veritates? Principia nota non ſat erunt, ut cognoſcamus, quibus fidei aſſenſus exhibendus ſit? Quid moror? Hæc adeo clara ſunt, ut aliis argumentis non indigeant.

25 Alia etiam verba in veritatis ſtatera à Theologis ponderanda credo, ea ſcilicet, quæ ſequuntur: *Cur enim* (ait ille) *non revelatum quoque dicendum erit, hunc, illumve ſanctum virum Canoni Beatorum adſcriptum revera in cœlis regnare?* Fateor me non attingere quid revera in tali enuntiatione ſibi vellet Muratorius. Nos cohærenter etiam procedimus in hoc caſu, nec dubitamus Sanctum canonizatum revera in cœlis regnare, & beatifica Dei viſione perfrui. Unde quoad nos illud argumentum nihil concludit. Neſcio, an ille in ea opinione erronea ſit, neminem ſcilicet ante diem judicii in cœlos

 aſcendere.

aſcendere. Si autem fatetur aliquos aſcendere, vel aſcendiſſe, & id de fide tenendum eſt, de quibus id jure aſſeri poterit, & firmiter teneri, niſi de iis, quos Pontifices Summi Sanctorum albo adſcriptos definierunt? Contrarium ſentire videtur, atque id ſuadent ſequentia ejus verba: *Hæc igitur cum neceſſario conſequantur, & pendeant à facto, cujus veritatem à cœlo non edocemur, ne ipſa quidem tam certa reputanda videntur*. Ex quibus verbis clare liquet, eum ſequi ſententiam aſſerentium, Pontifices Romanos in canonizatione Sanctorum fallibiles eſſe, nullamque habere ſpecialem Spiritus Sancti aſſiſtentiam, ut ſic infallibiliter decernant. Certe in hoc ſuo judicio communiſſimæ (ne aliud dicam) meliorum Theologorum ſententiæ opponitur, & quæ apud nos tamquam certa retinetur. Videantur AA. infra citati. (6) Quantum ad me ſufficit forma in canonizatione Sanctorum obſervata, nempe: *Authoritate Domini noſtri Jeſu Chriſti, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ac noſtra F. in cœleſtem Jeruſalem fuiſſe receptum, & æternæ gloriæ corona donatum, de Fratrum noſtrorum Concilio declaramus, eumque tamquam Sanctum publice, privatimque eſſe colendum decernimus, & definimus.* Et licet hæc definitio à facto dependeat; attamen de veritate facti dubitare non poſſumus, quando eſt connexa cum veritate juris, in qua definienda Pontifex, ut Pontifex, declarando, & univerſali Eccleſiæ proponendo errare non poteſt. Videantur poſt alios citatus Ardeskin *dict. p.* 1. *cap.* 9. *q.* 3. & P. Viva *in quæſt. Prodrom. n.* 11. qui breviter, & nervoſe hanc expediunt quæſtionem.

26 Noto illa verba: *Cujus veritatem à cœlo non edocemur.* Quomodo vult, quod à cœlo edoceamur? An exigit, quod de cœlo inſonet vox, ut in Thabor, aut in Jordane? Non ſat erit, quod facti veritatem nos edoceat Eccleſia poſt accuratiſſimum examen? Non ſat erit, quod Summus Pontifex illud ut certum approbet, & per illud moveatur ad definiendam illius Beati ſanctitatem? Quamvis autem admitteremus, aliquem errorem circa factum interveniſſe, quod non eſt credendum, ut optime ait Mortonius Archiepiſcopus Cantuarienſis omnino videndus *tom.* 9. Conciliorum ex editione Arduini *pag.* 1547. id non impediret actum fidei, quo hic, & nunc crederemus, tamquam de fide, hunc, vel illum Sanctum æterna beatitudine in cœlis gaudere, ut bene ait citatus Mortonius. Suppoſita enim omnimoda certi-

(6) D. Thom. quodlib. 9. art. 16. Corduba lib. 4. q. 12. Bañes 2. 2. q. 1. dub. 7. Bellarm. de Sanct. beatif. cap. 9. Suar. de Fid. diſp. 5. ſect. 4. Vaſq. in 1. 2. diſp. 165. n. 94. Vivar. ad Marcum Maximum in S Joan. Vindic. §. 3. 6. & 8. Cæſar de Eccleſ. Hyerarch. diſp. 1. §. 4 n. 8. Carrier tom. 1. digeſt. fidei lib. de Pontif. Roman. fol. 1104. Theoph. de Corona Aurea ſub not. 2. verit 8. ArdesKin ubi ſupra q. 5. Palao dict. tract. 4. §. 4. Delbene de Locis Theolog. dub. 253. & innumeri alii.

certitudine facti, nempe, illum Sanctum eſſe ab Eccleſia canonizatum, habemus efficaciſſimum fundamentum, quod intellectum inſtruit, & voluntatem movet ad id credendum, videlicet illud, quod reſultat ex principiis certis, qualia ſunt, quod Eccleſia in rebus fidei, & morum, (ad quam materiam ſpectat hæc de canonizatione Sanctorum, ut ait citatus Mortonius, & communiter DD. ideoque ad ſolam Eccleſiam ſpectat eam definire) inſimulque veracitas divina, (hæc enim eſt principium, in quo fides verſatur, ut docent Theologi) cui innitimur ad credendum quidquid ab Eccleſia credendum proponitur. Hinc progredimur ad eliciendum hic, & nunc actum fidei, quo credimus hunc numero Sanctum beatifica perfrui Dei viſione; quin hic, & nunc indigeamus aliqua peculiari Dei revelatione; licet aliàs fateamur Eccleſiam, & Pontificem indigere ſpeciali revelatione, ſeu certiſſima inſpiratione ad illum numero Beatum canonizandum, & definiendum ut Sanctum, ſicut etiam eam habet infallibilem Spiritus Sancti aſſiſtentiam ad definiendum aliquid de fide; aliàs quidquid ab Eccleſia definitetur, non eſſet de fide, quia non fundaretur in aliqua veritate revelata. Si autem Muratorius, ut ejus verba ſonant, hanc negat revelationem, ſeu ſpecialem Spiritus Sancti aſſiſtentiam, Theologi dicent, quæ cenſura ejus theſi inurenda ſit.

27 Equidem ſcio Doctores, qui ſequuntur, canonizationes Sanctorum de fide non eſſe, ſolummodo loqui de fide immediata, quatenus id ab Eccleſia expreſſe definitum non invenitur. Ideo S. Thomas loco citato aſſerit, canonizationem Sanctorum medium eſſe inter judicium infallibile circa res fidei, & circa alias res, quæ ad fidem immediate non ſpectant. Quod quidem idem eſt, ac docere, canonizationem Sanctorum attingere ex una parte extremum fidei propter maximam certitudinem, quæ in ea conſideratur; ex alia vero aliud attingere extremum, quatenus non invenitur expreſſe, & immediate definitum, Eccleſiam in canonizatione Sanctorum errare non poſſe. Sic tamen omnes unanimiter aſſerunt, ita certum eſſe, Eccleſiam in canonizatione Sanctorum errare non poſſe, ut temerarium, ſcandaloſum, ac hæreſim ſapiens ſit affirmare contrarium. His igitur notis notandus venit Muratorius, dum inſinuare viſus eſt, Eccleſiam in actu canonizationis errori eſſe obnoxiam. Neque ipſe cenſuram effugere poterit, quin herbam porrigat. Vel enim aſſerit Eccleſiam errare poſſe in canonizatione Sanctorum, & in propoſitionem temerariam, ſcandaloſam, & hæreſi proximam impingit: vel arbitratur errare non poſſe; & tunc negare non poteſt ſpecialem Spiritus Sancti aſſiſtentiam, à quo ſolum omnis erroris immunitas dependet; & hac poſita, habemus in canonizatione infallibilem veritatem à Deo revelatam, dicente Chriſto Domino: *Ipſe docebit vos omnem veritatem.* Neſcio

profecto

profecto, quo impellente ſuggeſtu non modo Muratorio placuit à probabiliori, & certiori ſententia diſcedere, ſed adeo extra ſe ipſum rapi, ut piam, probabiliſſimam, &, etiam in adverſariorum judicio, plusquam humana certitudine fultam ſententiam ingenii immoderantiæ attribueret.

28 Eum ad tantam licentiam movit, quod alicujus ſanctitas non inveniatur revelata. Neſcit ipſe aliam eſſe revelationem ſingularem explicitam, aliam vero virtualem implicitam. Si ipſe ad fidei aſſenſum requirit revelationem explicitam, multa erunt ab Eccleſia definita de fide non credenda; in multis enim nobis de hac revelatione explicita non conſtat. Si verò loquitur de revelatione virtuali implicita, procul dubio fallitur. Certum eſt enim, revelatum eſſe in cœlo aſſiſtere æterna beatitudine donatum omnem Catholicum in gratia decedentem, & ab omni inquinamento jam mundatum. Aliter Deus verax, juſtusque non eſſet, qui coronam juſtitiæ omnibus legitime certantibus repromiſit, dicente Apoſtolo: *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus.* Identidem revelatum eſt, Eccleſiam, ejusque Pontificem ob infallibilem Spiritus Sancti aſſiſtentiam errare non poſſe in iis, quæ ad Religionem univerſalis Eccleſiæ ſpectare dignoſcuntur. Unde fit evidens, eſſe de fide ſaltem implicita hunc Sanctum canonizatum in cœlis eſſe. Siquidem illud implicite in veritate revelata continetur, quod evidenter deducitur ex una præmiſſa de fide, & altera evidenti. Sic eſt in propoſito. Nam imprimis de fide eſt Eccleſiam errare non poſſe in iis, quæ ad cultum, & religionem univerſalis Eccleſiæ ſpectant. Deinde eſt evidens cultus obligans univerſos fideles ad venerationem exhibendam cuicumque Sancto canonizato. Fit conſequens, Eccleſiam, & Pontificem in ea canonizatione errare non potuiſſe; alioquin aliquid conſtitueret Eccleſia legi divinæ, & naturali contrarium, cogereque fideles ad aſſentiendum errori, & falſitati, nempe ad cultum tribuendum ipſius cultus pene indigno; quod legi divinæ, & naturali omnino repugnat. Stabilitur fortius hoc argumentum ex Clementina, & Extravaganti *de Reliq. & Venerat. Sanct.* & ex Tridentino *ſeſſ.* 25. decreto de eadem re: in quibus decretis definitum habetur Sanctos invocandos eſſe, & eorum reliquias venerandas, atque ad Eccleſiam ſpectare auctoritatem declarandi quibus ea veneratio exhibenda ſit; idque tamquam ab Eccleſia definitum credere debemus. Falleretur ergo Eccleſia in re tam gravi mores ſpectante, nosque falleret, ſi Sanctus ille revera in cœlis non eſſet, neque propterea venerandus fuiſſet, legemque ſtatueret divino, & naturali juri contrariam. En à quibus ambagibus liberemur, qui canonizationi Sanctorum fidei aſſenſum non denegamus: en in quot diffidentiæ ſyrtes incidat qui fidei non attribuat aſſenſum. Si ad aliquid cre-

credendum revelationes explicitas nobis factas expectemus, quam facile omne Chriſtianæ Religionis negotium periclitabitur. Jure ergo Theologis relinquo judicandum, quam cenſuram Muratorio iſti inurere debeamus.

29 Idem judicium expoſco circa alia verba: *Aut etiam poſt maximum munus adeptum in hæreſim declinaſſe, quod fieri poſſe ſimiliter plerique affirmant.* Hæc generalis propoſitio explicatione, ac mica ſalis protecto indiget; comprehendere enim videtur tam caſum, quo Pontifex erraret, ut Doctor particularis, & caſum, quo erraret, ut Doctor univerſalis erudiendo Eccleſiam circa res fidei, proponendoque aliquid de fide credendum. Quoad primam partem ſequuntur multi errare poſſe; ſed de facto erraſſe, nullus evidenter demonſtrat. Hæc calumnia Summos Pontifices Auctores eis non multum affectos affeciſſe, optime demonſtrat Giballinus *de Scientia Canonica tom. 2. lib. 5. §. 11.* omnes has calumnias luculentiſſimo calamo diſjiciens. Videndi etiam ſunt Bellarminus *lib. 4. de Roman. Pontifice cap. 12. & alibi*, Duvallius *ubi ſupra*, Cardinalis Baronius multis in locis, P. Viva *de Theſib. damnat. in quæſt. Prodrom. ubi num. 15.* ſic ait: *Vehementer errant qui cum hæreticis docent, Pontificem non ſemel erraſſe in decretis fidei.* Hinc liquet, quoad ſecundam partem, falſam, calumnioſamque eſſe eam ſententiam, nec orthodoxus eſt aliquis, qui eam amplectatur. Quisquis in animo habeat ei adhærere, neceſſe eſt, quod opponatur Pontificum, & Conciliorum decretis. Nihil firmum in fide eſſet, ſi admitteremus Pontificem ex Cathedra loquentem errare poſſe. In hoc immorari fruſtraneus inter Catholicos labor eſſet.

30 His breviter diſcuſſis, &, quin in evolvendis libris defatiger, obiter indigitatis, fundamenta quibus Muratorius innititur, quantum ingenioli mei tenuitas capit, non multum premunt. In primis non video, *quæ intoleranda incommoda ſequantur* ex eo, quod ex certis generalibus principiis deſcendam ad aliqua peculiariter credenda, quæ ex ipſis principiis neceſſario deducuntur, quin ſperem aut explicitam revelationem, aut expreſſam Eccleſiæ definitionem. Sic Doctores ea, quæ ex primis principiis juris naturalis deducuntur, juris naturalis non ambigunt eſſe præcepta. Sic ea, quæ ex certis juris divini principiis, ſeu præceptis deſcendunt, ejuſdem juris præcepta eſſe non reluctantur. Qui fieri poteſt, ut in rebus fidei eodem jure uti nobis denegetur, & ingenii immoderantiæ tribuatur. Quod adducit ex Pauli IV. Conſtitutione, jam ſupra deſtructum reliqui.

31 Deinde aſſerit, hoc univerſale effatum: *Omnis homo rite electus ab Eccleſia in ſucceſſorem Petri eſt verus Pontifex Romanus*, integre debere ad fidem ſpectare; hoc eſt, à Deo revelatum fuiſſe, ac proinde

proinde neceſſarium eſſe, quod à Deo ſit revelatum, Petri ſucceſſores ab Eccleſia eligendos eſſe. Nullam vim argumentum habet; nam in ſententia, quam reſpuit iſte Mutinenſis Theologus, non eſt neceſſarium, quod integrum univerſale effatum ſit à Deo revelatum. Ly *rite electus ab Eccleſia* ſtat per modum conditionis, ſeu requiſiti logici, non verò veritatis revelatæ. Sicut in ſimili in hac theſi: *Omnis homo moriens in gratia, & amicitia Dei ſalvatur*; vel in contraria: *Omnis homo in peccato moriens condemnatur.* Utraque hæc theſis eſt de fide credenda; & tamen nec ideo dici debet, quod integrum univerſale effatum ſit à Deo revelatum, ut ſit de fide credendum: nam ly *moriens in gratia*, *moriens in peccato* ponitur per modum conditionis logicæ, ut certa evadat, & de fide credenda propoſitio. Et, ut utar eodem Muratorii exemplo, hæc propoſitio: *In omni hoſtia rite conſecrata eſt realiter corpus Chriſti*, eſt de fide credenda propoſitio; & tamen ly *rite conſecrata* eſt in ea propoſitione per modum conditionis; non quia illa propoſitio ex hoc reddatur conditionalis, ſed quia illa conditio eſt imbibita, &, ut inquiunt Juriſtæ, ex natura rei ineſt, & exprimitur eo modo, quo ineſt, ita taliter, ut illa propoſitio ſit ſimplex, & abſoluta, atque ſimpliciter, & abſolute de fide certa. Id, quod de his, & ſimilibus theſibus certum eſt, etiam certum eſt in alia, de qua controvertimus; quin ſit neceſſaria nova, & peculiaris revelatio illum hominem fuiſſe rite electum, ut illa propoſitio de fide certa evadat: ſicut non eſt neceſſarium in aliis propoſitionibus peculiaris revelatio, quod ille homo deceſſiſſet in gratia, aut in peccato; vel quod hæc, vel illa hoſtia ſit rite conſecrata, ut de fide certæ evadant prædictæ abſolutæ, generales, ſimplicesque propoſitiones, quæ ex ſuppoſitione imbibita in infallibili veracitate fundantur.

32 Retorqueat fortaſſe Muratorius. Licet prædictæ propoſitiones ad exemplum adductæ ſint de fide, non tamen ex ipſis deſcendere poſſumus ad particulares concluſiones, nempe: *Iſthæc numero hoſtia realiter continet corpus Chriſti*: *Hic homo ſalvus factus eſt*, *aut deceſſit in gratia*, quia infallibilitas harum propoſitionum dependet à peculiari revelatione, quod illa numero hoſtia ſit rite conſecrata: quod ille homo deceſſerit in gratia. Ergo ſimiliter, ut ex illa generali propoſitione deſcendamus ad particularem, nempe: *Hic*, *aut iſte eſt verus Pontifex*, opus erit peculiari revelatione, quod hic numero Pontifex ſit legitime electus. Non recte retorquet; ſiquidem jam non ſumus in particulari propoſitione; ſed in generali, quam ipſe negat eſſe de fide. Sed ei gratulor argumentum, ut ſecurius reconveniam.

33 Ipſe ut illidat argumentum, quod deducitur ex eo, quod, ut credamus divinitus certiſſima eſſe Pontificis circa fidem decreta, neceſſe

neceſſe eſt, quod etiam ut certiſſimum divinitus habeamus hunc, vel illum eſſe verum Romanum Pontificem, ut ſupra expendimus; (ſtatim ad id, quod ibi reponit, reſpondebimus) ſic illud ſolvit: *Ut enim dogmata per fidem amplectamur, certaque credamus, ſufficit, ut facta illa, & legitima electio Romani Pontificis nobis per moralem evidentiam innoteſcat.* Optime, nec renuimus; licet quoad intentum in illa enuntiatione: *Hic Pontifex eſt rite electus*, aliquid amplius conſideremus, quam moralem evidentiam. Sed ex ſuppoſitione: Cur ita? Quia ad eliciendam concluſionem de fide certam, ſufficit quod una propoſitio ſit certa de fide, altera evidentiæ aut naturali, aut morali innitatur. Sic Theologi.

34 En certiſſima ratio, cur illud effatum: *Quod Eccleſia cum Romano Pontifice recepit, & ſtatuit tamquam revelatum à Deo, id certum nobis eſſe debet per divinam fidem.* Rationem reddit, quia ſcilicet ex duplici propoſitione, maiori ſcilicet de fide, qualis eſt: *Quidquid à Deo revelatum eſt, verum, certumque eſt*, & minori moraliter evidenti, qualis eſt illa: *Sed per evidentiam nobis conſtat Eccleſiam, & Romanum Pontificem cum Eccleſia hoc, vel illud dogma recepiſſe, ſive ſtatuiſſe tamquam revelatum à Deo*, per neceſſariam, & infallibilem conſequentiam deducitur de fide concluſio.

35 Jam ex ipſo Muratorio elucet manifeſtiſſima diſcriminis ratio inter illas propoſitiones ab eo adductas ad exemplum, & noſtram propoſitionem. Noſtra ſic habet: *Omnis ab Eccleſia rite electus, & receptus, eſt verus Pontifex.* En maior certa de fide, quia præſuppoſita legitima electione, innititur veritati divinæ, ut ſupra probavimus. *Sed hic numero Pontifex fuit rite electus*: en alia propoſitio moraliter evidens; quia ea electio fuit facta ab Eccleſia modo ab ea determinato, & habita ut legitima, ita ut ex ea Pontificem electum ut verum Pontificem recognoſceret. Sequitur neceſſario credendum, hunc numero Pontificem eſſe verum Pontificem. At verò in illa enuntiatione: *In hac numero hoſtia conſecrata eſt realiter corpus Chriſti*, licet habeamus propoſitionem de fide certam, nempe: *In omni hoſtia rite conſecrata eſt realiter corpus Chriſti*, non habemus tamen aliam moraliter evidentem, quia nullam evidentiam moralem habet illa altera propoſitio: *Hæc numero hoſtia eſt rite conſecrata.* Cur hæc evidentia in una, & non in altera? Quia prima innititur publicæ auctoritati Eccleſiæ, & facto ab ipſa Eccleſia approbato, ac formæ ab ea conſtitutæ: ſecunda vero innititur facto privato hominis, cujus nullam moralem evidentiam habere poſſumus. Similiter in aliis propoſitionibus à Muratorio adductis diſcurrendum eſt. Alia ratio eſſe poteſt; quia ex illa electione rite non facta multa magni præjudicii incommoda in populo fideli exoriri poſſent, quæ vitare ad providentiam

inviſibilis capitis proculdubio ſpectat. Secus eſſet in factis particularibus, ex quibus Chriſtiana Reſpublica nullum attendibile pati poteſt detrimentum.

36 Nunc redeamus ad propoſitionem Muratorii. Sic habet: *Quiquid per evidentiam nobis conſtat ab Eccleſia, & à Romano Pontifice cum Eccleſia receptum, aut ſtatutum fuiſſe tamquam revelatum à Deo, certum quoque nobis per fidem divinam futurum eſt.* Obiter hic noto illud *à Romano Pontifice cum Eccleſia*, quod aliquoties legitur repetitum; quaſi in ea videatur eſſe ſententia, Pontificem per ſe ſolum nihil poſſe definire, ſed ſimul cum Eccleſia. An hoc judicium, ſi forte illud concipit, verum ſit, aliis relinquo cogitandum. Quo poſito, inquiro à Muratorio: An *integrum effatum illud ad fidem ſpectet, hoc eſt, à Deo revelatum ſit?* Si affirmative reſpondeat, neceſſe erit, quod de fide ſit per peculiarem revelationem, cum ſic definientem eſſe Romanum Pontificem, & id, quod ſtatuit, à Deo revelatum fuiſſe. Si vero negative reſolvat, idem reponimus circa illam propoſitionem: *Omnis homo rite electus ab Eccleſia in ſucceſſorem Petri eſt verus Romanus Pontifex.* Deinde noto illa verba *tamquam à Deo revelatum.* Nunquam me legiſſe memini, Eccleſiam, cùm aliquid proponit de fide credendum, explicare, ſe ſic ſtatuere tàmquam à Deo revelatum, vel ad id peculiarem (quam exigit Muratorius) revelationem accepiſſe. Credimus profecto revelatum propter infallibilem Spiritus Sancti aſſiſtentiam, qui nec falli, nec fallere poteſt. Dicat nunc Muratorius, ex quibus principiis deducat illam infallibilem Spiritus Sancti aſſiſtentiam? Et quæcumque aſſignaverit, eadem reponemus ad eamdem probandam in Summi Pontificis electione, totiusque Eccleſiæ acceptatione.

37 Ut eam reſpuat, ſic increpando quærit: *Ecquando enim aut in Scripturis ſacris, aut per traditionem revelatum eſt ab Eccleſia eligi, aut eligendos eſſe Petri ſucceſſores?* Quanta hic notare poſſemus! Electio eſt modus de jure naturali, & divino approbatus, & regulariter ab univerſa Eccleſia receptus. Innumera hujus veritatis exempla tam ex hiſtoria ſacra, quam ex profana adducere facile eſſet. Sed ad rem. Ex Euangelio *Luc.* 6. 13. conſtat Chriſtum Dominum duodecim ex diſcipulis ſuis elegiſſe in Apoſtolos: *Et cum dies factus eſſet, vocavit diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis, quos Apoſtolos nominavit*, ut ſic nos edoceret ad eam dignitatem per electionem eſſe procedendum; Chriſtus enim Dominus quidquid fecit, ad noſtram fecit doctrinam. Similiter illud probat *Joan.* 6. 71. *Nonne ergo vos duodecim elegi? Et* 13. 18. *Ego ſcio quos elegerim. Et* 15. 16. & 19. *Sed ego elegi vos. Et Actor.* 1. 2. *Per Spiritum Sanctum quos elegit.* Hujus electionis argumentum eſt infallibile, quod refertur

in

in Actib. Apoſtol: cap:1.à verſ.15. Exurgens Petrus in medio fratrum dixit: (erat autem turba hominum ſimul fere centum viginti) Viri fratres oportet impleri ſcripturam.... Oportet ergo ex his viris, qui nobiſcum ſunt congregati in omni tempore, quo intravit, & exivit inter nos Dominus JESUS..... teſtem reſurrectionis ejus nobiſcum fieri unum ex iſtis. Et ſtatuerunt duos, Joſeph, qui vocabatur Barſabas., qui cognominatus eſt Juſtus, & Mathiam. Et orantes dixerunt: Tu Domine, qui corda noſti hominum, oſtende quem elegeris ex his duobus unum &c. Quis hic dubitare poterit, cognitam, & approbatam, inſpiratamque fuiſſe electionem ut medium aptius ad illius muneris, Apoſtolatus ſcilicet, aſſumptionem? Quis negare auſus erit, Petrum, ducente Spiritu Sancto, ſic congregationi illi diſcipulorum eum propoſuiſſe modum? Quis non temere aſſerere quibit, Mathiam à Deo acceptum non fuiſſe, nec illico Apoſtolicam dignitatem, nullo alio confirmante, ſuſcepiſſe?

38 Idem patet ex alio ſacræ Scripturæ loco *Actor. 6. 5. Convocantes autem duodecim multitudinem diſcipulorum.... Conſiderate ergo fratres, viros ex vobis boni teſtimonii ſeptem, plenos Spiritu Sancto, & ſapientia, quos conſtituamus ſuper hoc opus..... Et placuit ſermo coram omni multitudine, & elegerunt Stephanum &c.* Et *Actor. 15.22. Tunc placuit Apoſtolis, & ſenioribus cum omni Eccleſia eligere viros ex eis.* Et 25. *Placuit nobis collectis in unum eligere viros &c.* En habemus in Scipturis clarum, & expreſſum electionis modum; ad eum habemus Apoſtolos edoctos, & id feciſſe inſpiratione divina, nefas erit dubitare. Ergo inſipienter nimis inquirit Muratorius, ubi legitur in Scripturis hunc electionis modum fuiſſe præſcriptum? Non fuit expreſſe præſcriptus quoad electionem Pontificis, ſed fuit præſcriptus ad electionem Apoſtolatus, quod idem eſt. Quoad Pontificis autem electionem expreſſam habemus Eccleſiæ traditionem, in ipſa Scriptura clariſſime fundatam.

39 Quid eſt traditio? Vel eſt Divina, vel Apoſtolica, vel Eccleſiaſtica. Divina ea eſt, quam Apoſtoli vel ex ore Chriſti verbo tenus, vel à Spiritu Sancto edocti acceperunt. Apoſtolica (quæ cum divina multoties confunditur) vocatur ea, quæ ab Apoſtolis inſtituta eſt cum aſſiſtentia Spiritus Sancti. En habemus electionis modum ab Apoſtolis inſtitutum, nec in dubium revocare poſſumus, an id Spiritus Sancti aſſiſtentia inſtitutum fuerit. Eccleſiaſtica traditio dicitur conſuetudo quædam antiqua in Eccleſia introducta, ſemperque retenta. Hanc eligendi Pontificis conſuetudinem ad mores pertinere, quis ſanus ambigat? Quam habeat auctoritatem hæc diuturna Eccleſiæ conſuetudo, nos edocebit *Concil. Trid. ſeſſ. 4. de Canonicis Scripturis.* Sic aiunt PP. à Spiritu Sancto illuminati: *Sacroſancta Synodus traditiones*

tiones tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tamquam vel ore tenus à Chriſto, vel à Spiritu Sancto dictatas, & continua ſucceſſione in Eccleſia conſervatas, pari pietatis affectu, ac reverentia ſuſcipit, ac veneratur. Quis autem, ni deliret, in dubium revocat hunc electionis morem ab Eccleſia ab initio ſuſceptum, inſtitutum, & continuatum?

40 Hunc electionis modum juri naturali, & quaſi divino indiſpenſabili omnes Theologi, & Canoniſtæ attribuunt, qui aſſerunt Papam non poſſe ſibi eligere ſucceſſorem, ſic teſtante Cardinali Petra (7) per hæc verba: *Non ſolum ſecundum juris canonici regulas, ſed prohibente jure divino, & naturali, vel, ut alii dicunt, jure naturali, & quaſi divino indiſpenſabili.* Huncque tamquam juri naturali, & divino conformiorem, & ad vitanda incommoda, quæ aliter contingere poſſent, opportuniorem ſuſcepit, conſtituitque Eccleſia. Ideo ſecundus poſt Petrum electus Pontifex fuit Linus, poſt Linum Cletus, & poſt Cletum Clemens, idque divino conſilio actum fuiſſe edocet *Ciaccon. in vita S. Lini. Et licet Cletus Clementem ſucceſſorem ſibi deſignaſſet, Clemens tamen, modeſtia uſus, juri ſuo ceſſit: & Linus Pontifex Romanus electus fuit. Clemens igitur ſecundus fuit Petri ordinatione, non Eccleſiæ nominatione, Petri jure, non functione, & adminiſtratione, quæ Lino fuit tributa divino conſilio, ne in poſterorum exemplum tranſiret ſucceſſores ſibi eligendi & libertas, & providentia Eccleſiæ in conſtituendo ſibi Paſtore iſto modo fuiſſet adempta.*

(7) Tom. 5. ad Conſtit. 5. Clement. VI. n. 7.

41 Quamquam autem *in Eccleſiaſticis monumentis non ſatis exprimatur, quomodo S. Clementi ſuæ deſignationi à S. Petro factæ cedenti Linus ſucceſſerit, num ex Sancti Petri deſtinatione, vel miraculoſo aliquo ſigno, ut divina providentia primævis illis temporibus aſſolebat ad firmandam naſcentem fidem, ut notat Acarona de* Cardinalib. tract. 1. cap. 10. n. 3. *verumtamen probabiliſſimum etiam eſt, quod à Clero Romano fuerit Linus in Cathedra Petri locatus. Pro comperto enim eſt, quod à primordiis Eccleſiæ Summi Pontificis electio apud Presbyteros, & Diaconos urbis Romæ erat.... Merito quidem Summi-Pontificis electio uſque à principio Romano Clero affixa fuit; etenim cum Papa, univerſalis Eccleſiæ Monarcha, ſimul etiam ſit particularis Epiſcopus Romæ, ſummo jure convenit, quod à Clericis ipſius Eccleſiæ eligatur.... Juxta nunc dictum modum per quatuor circiter ſæcula ſumma in Eccleſia Romana viguit libertas in eligendo à Presbyteris, & Diaconibus Summo Pontifice, ſuffragante populo.* Verba ſunt Petræ ſupra citati.

42 Sed maioris ponderis ſunt, & auctoritatis tum D. Auguſtinus, tum S. P. Anacletus, Clementis ſucceſſor. Primus *ad Hebræos 5.* ſic inquiens: *Cooperatores Dei ſumus, & ideo ſemper non eſt expectan-*

da

da vocatio divinæ ſententiæ, ſed illum eligit Deus, quem eligit charitas Eccleſiæ, & communis conſenſus eligentium. Quid clarius? Secundus verò ſic ait: *Licet Summorum Pontificum electionem ſibi Dominus reſervaverit, eorumdem tamen electionem bonis Sacerdotibus, & ſpiritualibus populis conceſſit.* Vel ut melius habetur in Ivone *p. 5. cap. 138.* aut in Gratiano *in cap. fin. diſt. 70. Ejectionem Summorum Sacerdotum ſibi Dominus reſervavit, licet electionem eorum Sacerdotibus, & ſpiritualibus populis conceſſiſſet.* Quid expreſſius?

43 Stat igitur à Deo datam fuiſſe hanc eligendi normam, atque in Eccleſia ſemper obſervatam; nuſquam enim legimus aliter quam per electionem factam fuiſſe Vicarii Chriſti, & Succeſſoris Petri nominationem. Licet enim Simmachus, Bonifacius III. Stephanus III. Adrianus I. Leo IV. Nicolaus II. Alexander III. Gregorius X. Clemens VI. Clemens VII. Paulus IV. Pius IV. Gregorius XV. aliqua circa modum electionis, prout tempora expoſcebant, & experientia erudierat, conſtituerint; nullus tamen electionem abſtulit, ſed ei modum præſcripſit: quod quidem facere jure poterant; cum enim Chriſtus Dominus jus collativum Papalis dignitatis reliquerit in Eccleſia, nec certæ formæ, aut certis perſonis affixum, conſequens neceſſarium erat, quod ejuſdem vicariæ poteſtatis adminiſtratores hunc modum pro temporum opportunitate præſcriberent, ut ex *Domin. à SS. Trinit. Roccabert. Dominic. à S. Thom. Azorio, Pariſ. & Lavorio* ait citatus Petra. Præcipue cum hæc electio humano modo facienda eſſet, ac proinde ejus modus, ut canonice fieret, ad ſupremum in terris legiſlatorem, regulamque vivam in rebus morum, ac tanti ponderis ſpectaret. Neque id novum eſt; nam licet de fide ſit Deum eſſe colendum, modus tamen hujus cultus ab Eccleſia determinatur, idemque in multis aliis exemplis demonſtrari poterat.

44 Adeo hæc conſuetudo in Eccleſia viguit per traditionem accepta, ut etiam tempore, quo Imperatores, & Reges aliquam in Pontificum aſſumptione ſibi ſine jure poteſtatem arrogarunt, ſemper Pontifices per electionem ad Petri Cathedram evecti ſunt. Sic Theodorus Auguſtus conſtituit, *illum ſolum in Sede Apoſtolica permanſurum, quem ex numero Clericorum nova ordinatione divinum judicium, & univerſitatis conſenſus elegerit.* (8) Sic in diro ſchiſmate inter Damaſum, & Urſicinum Imperator Valentinianus pro Damaſo ſtetit rite electo. (9) Sic Odoacer Rex, licet per ſummam injuriam ſibi aſſumeret, quod ſua non præcedente conſultatione ad Pontificis electionem non procederetur, attamen nullatenus dubitavit, eam eſſe faciendam, & ſolum prius conſuli voluit eo prætextu, ſcilicet, *ne per occaſionem ſeditionis ſtatus civitatis vocetur in dubium*, & ut in electione Eccleſiæ concordia ſervetur. (10) Sic in ſchiſmate inter Simmachum,

(8) Cap. Si duo diſt. 78.

(9) Ex Socrat. Soſom. & Theodoret. Baron. ad an. Chriſt. 367. Ciaccon. in vita S. Bonifacii.

(10) Cap. Benedict. 96.

machum, & Laurentium, cum ex pacto convento adiretur arbitrer Theodoricus Rex, ipſe, quantumvis Arianus, ut refert Anaſtaſius Bibliothecarius, hoc æquiſſimum protulit judicium: *Ut qui primo ordinatus fuiſſet, vel ubi pars maxima cognoſceretur, ipſe ſederit in Sede Apoſtolica.* Unde obtinuit Simmachus, qui à maiori parte fuerat electus. Sic Theodoricus ipſe per ſummum nefas ſibi arrogare præſumpſit Summi Pontificis electionem, & de facto in Apoſtolicam Sedem intruſit Felicem, qui poſtea fuit dictus IV. ſed Felix à Clero Romano fuit rejectus, nec antea pro vero Pontifice habitus, niſi poſtquam Clerus Romanus in eum conſenſit, & ſua electione confirmavit. (11) Idem contigit in Silverio. (12) Cur defatigabor? Nullum ab origine ad hæc uſque tempora aſſignabitur Pontifex, qui aut per inſpirationem, aut per electionem Petri Cathedram non conſcenderet.

(11) Bzovius de Roman. Pontif. cap. 2.

(12) Anaſtaſius in vita Silverii.

45 Habemus igitur indiſputabilem per tot ſæcula conſuetudinem, & eccleſiaſticam traditionem, ac per conſequens in præceps agitur iſtud Muratorii ineptiſſimum argumentum. Auſi ſunt ſæculares Principes per temporum viciſſitudines in hac Pontificum creatione inſerere manum: multæ contentiones, multi ad Pontificiam dignitatem ambitus, multa ſchiſmata Eccleſiam perturbarunt. Sed hæ ſunt tempeſtates, hi tumultuoſi fluctus, hæ commotæ procellæ, quæ naviculam in medio mari, & diſcipulos obruere videbatur; Dominus autem JESUS, qui dormire videbatur, ut deficientium animorum fidem experiretur, tandem tandem omnem ſedavit tempeſtatem. Sic in omnibus tribulationum anguſtiis Eccleſia experta ſemper fuit. Oportere hæreſes eſſe, ait Apoſtolus, ut veritas ſplendidior eluceſcat. Oportuit & ſchiſmata interceſſiſſe, ut illuſtrior fieret in certamine triumphus. Oportuit, quod Eccleſia tribulationes tantas paſſa fuerit, ut fidei firmitas probaretur. Oportuit, ut Lucifero, & Angelis ejus iſti in Eccleſiam ſeditionum incurſus permitterentur, ut firmum, invariabileque agnoſcatur divinum effatum, quod *portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Quamobrem neceſſarium fuit, juxta indefectibilis providentiæ, & Spiritus Sancti aſſiſtentiæ œconomiam, ut quibus Eccleſiaſticæ navis puppis regenda traditur, prout ſurgentes Euri popoſcerint, divino afflante Numine, conſtitutiones ederent opportunas, ut illa Pontificum electio ſecurior, atque totius controverſiæ immunior evaderet, & *ut non caro, & ſanguis, aut humana ſapientia, vel privatæ utilitatis calculus aliquod in ea habeat momentum, ſed Electorum corda, ab omnibus mundanis affectibus vacua, Spiritus Sancti gratia dirigantur.* (13)

(13) Cardin. Petra ubi ſup.

46 Huc uſque bono animo paſſus fui illam moralem evidentiam, quam Muratorius fatetur, ut etiam, ea data, eum revincerem. Nunc cum percontarer, ſi poſſem, in quibus ea moralis evidentia principiis fundata

fundata judicetur? In nullis aliis, niſi in ea publica Eccleſiæ auctoritate ſic rite eligentis, ſic electum pro vero Pontifice habentis, ſic omnia profunde rimantis, ut electio ſine exceptione aliqua, ſecundum Canonum ſacrorum præſcripta, canonica conſiſtat, & incontroverſa permaneat. Credo nulla alia eſſe, nec ipſe alia aſſignat moralis certitudinis principia. Ex ipſis ego infero argumenta ad fidei aſſenſum ſufficientia. Eccleſia, quæ in rebus morum errare non poteſt, omnia prudentiſſime rimatur, ut electio nulli exceptioni ſit obnoxia. Obſervat Canonum infallibilis auctoritatis decreta, utpote quæ ab ipſa Eccleſia in univerſalibus Synodis ſtatuta ſunt. Ita eligit: *Quaſi Electores puri ſint miniſtri, & divinæ voluntatis inſtrumenta, ut qui perſonam tantummodo deſignant, cui immediate Chriſtus ſuam poteſtatem conferat: Deus enim profecto eſt, qui vere Pontifices eligit, quique ipſis clavium poteſtatem tradit*, (14) ut ſupra diximus ex Auguſtino. Rite electum Deus etiam indubitabiliter eligit: *Quidquid per evidentiam* (aſſerit idem Muratorius) *nobis conſtat ab Eccleſia, & à Romano Pontifice cum Eccleſia receptum, aut ſtatutum fuiſſe tamquam revelatum à Deo, certum quoque nobis per divinam fidem eſt futurum.* Ergo hic numero Pontifex fuit electus juxta formam à Deo revelatam, & ſtatutam: ergo de fide eſt fuiſſe rite electum: ergo de fide eſt hunc Pontificem rite electum eſſe verum Pontificem.

(14) Ex Suar. Caietan. & Faguan. Petr. ubi ſup.

47 Si dicat, ut argumentum effugiat, eam electionis formam non fuiſſe ab Eccleſia ſtatutam, neceſſe eſt, ut incidat in Scyllam cupiens vitare Carybdim: opus eſt, ut aſſerat Summos Pontifices cum Eccleſia in legitimis Synodis congregata in ea electionis forma conſtituenda, in re tanti momenti, tam ſublimi, tam ardua, à qua Chriſtianæ Reipublicæ amplitudo, decor, ſalus, & ſtabilitas dependet, & in qua vertitur totius Religionis utilitas, Spiritus Sancti aſſiſtentiam non habuiſſe. Si hæc proferre audeat, quid de eo ſentiendum ſit, dicent Orthodoxi: ſin verò, ut ſua decet, non renuat, nec etiam veritatem à Deo revelatam negare poterit.

48 Tandem vel hunc, aut illum Pontificem ab Eccleſia juxta canonum formam electum, & recognitum fatetur à Deo accipere, accepiſſeve immediate ſuam poteſtatem, vel negat. Si negat: de nullo Summo Pontifice infallibiter aſſeri poterit fuiſſe ei immediate à Chriſto Domino traditam Eccleſiæ poteſtatem ſupremam, ac proinde nihil de fide ſtabilitum credere tenemur. Si verò, ut debet, fatetur, de fide tenendum eſt, omnem rite electum à Deo accepiſſe Pontificiam dignitatem, ac proinde hunc rite electum eſſe verum Romanum Pontificem. Cæteras omitto Muratorii ratiunculas; ex dictis enim facillime refelluntur. Id concludo, eum, ut ingeniorum immoderantiam argueret, in impietatem maximam declinaſſe. Hanc ſententiam à tot inſignibus

ſignibus Theologis propugnatam, Eccleſiæ, ac Summorum Pontificum infallibilitati, & auctoritati plus conſulere nemo ambiget, plus ad pietatem chriſtianam, atque ad amorem ad Apoſtolicam Sedem accedere nullus reluctabitur. Ego plus errare volo cum Suario, Bellarmino, Caietano, de Lugo, & cæteris Theologis, quam uno adſcribi Muratorio. Ad pios orthodoxos ſcribo, ut cum Nanzianzeno dicam: *Hunc ſermonem piis auribus commendabo; nam apud profanas animas nihil pulchri fidem invenire poteſt.*

49 *Pag.* 156. *& ſequentibus* in eo eleganter allaborat, ut fallibilitatem Eccleſiæ demonſtret, cum judicium ferat de mente, animoque illius, qui doctrinam quampiam noxiam tradiderit. In eo verificari quod ipſe ſcripſerit, ſuſpicor vehementer: *Fieri* (*inquit*) *igitur poteſt, ut qui prava ſcripſit, aut pronuntiavit, recte animo ſenſerit; nam & qui recte ſentiunt, non recte ſemper loquuntur, aut diſputant, & cor interdum aliud credit, cum os ex ſimulatione aliud pronuntiat; ſicuti & qui à veritate aberrant, ſæpe errorem ſuum verborum ambiguitate obtegere ſolent.* Siquidem ipſe eloquii pulchritudine, cui maxime ſtuduit, & in qua dicendi methodo fere ſemper illuſtriores ſunt ejus generis ſcriptores, ut quæ rationum momentis perſuadere non valent, Rhetorices ornamento, & apparatu conſequantur, totus eſt, ut erronum animos, menteſque defendat, neque inter certiſſimos hæreticos computandos cenſeat eos, quorum doctrinas ut hæreticas Eccleſia damnaverit; quippe quæ nullo firmo judicio decernere poteſt auctorem alicujus erroris reum eſſe, de quo accuſatur; fieri enim potuit, quod ſecus animo ſentiret. Aptiſſime quidem ad excuſandos hæreticos, noxiorumque dogmatum ſcriptores.

50 Eos protegere ſtudet, quia multoties utuntur (melius diceret abutuntur) verbis, phraſibus, vocibuſque ad ſuam explicandam doctrinam, aliiſque tradendam: quo in munere explendo quandoque accidit, ut ſub orthodoxis locutionibus perverſas celare ſententias, & rurſus orthodoxas hæreticis vocibus conveſtire ſoleant. Ad quid tamen hæ ſignificationum tranſlationes, hæ verborum metamorphoſeos? Ad nihil, niſi ut legentes decipiant: his fraudibus introducuntur hæreſes, his dolis errores ſparguntur, eò periculoſiores, quò deceptoriis ornamentis veſtiuntur. Hoc novatorum commune eſt ſtudium, falſam ſcilicet doctrinam aut veritatis aut virtutis, aut charitatis fuco adornare, atque errores ſuos variis artibus, ac pigmentis decoratos, dicendi facundia, ſtyli lepore indutos exhibere, ut veniant ad nos in veſtimentis ovium, cum tamen intrinſecus ſint lupi rapaces. Quanto ſatius eſſet, ut his tropis, figuratiſque locutionibus abſtineret, ne his involucris fidei veritas obvoluta periclitetur. Non hiſce ſubdolis ornamentis veritas eget, ut eam libentiſſime amplectamur:

mur: ſuamet pulchritudine perſtat ut alliciat, ut devinciat, ut attrahat: quò nudior, puriorque oſtenditur, eò formoſior, chariorque adamatur, eò gratior, ſplendidiorque refulget.

51 Non opus eſſe, ait, Spiritus Sancti aſſiſtentia, ut hi errores detegantur, hique damnentur Novatores, nec confingenda eſſe miracula absque neceſſitate. Inepta ex utraque parte ſententia! Has detegere Novatorum fraudes, hos rimari obſtruſorum verborum ſenſus, has dæmonis aſtutias deludere, has fallendi artes attingere, maioris, difficiliorisque aleæ negotium eſt, quam ut capiat divinis inſpirationibus deſtituta, humana, fallibiliſque ſapientia. Ut callidores ſunt lethiferi draconis aſtus, ita neceſſariora ſunt nunquam defectibilis divinæ providentiæ adjumenta. Quò plus denſioribus nebulis condenſatur aer, eò plus intenſioribus radiis opus eſt, ut diſſipentur. Neque, ut eam Spiritus Sancti aſſiſtentiam intelligamus, ad miracula recurrere neceſſe erit. Hic ſpecialiſſimus divini Numinis in his rebus definiendis concurſus non ad miraculoſum ordinem, ſed ad peculiarem Dei providentiam, promiſſioniſque ſuæ implementum referendus eſt. Miſerat ipſe Spiritum Sanctum ſuum, ſine quo nihil eſt innocuum, nihil eſt innoxium, ut Apoſtolorum, & Pontificum ſuorum mentes dirigeret, & illuminaret. Promiſerat Petro, & in eo cæteris ſucceſſoribus in rebus ad fidem pertinentibus ſemper adfuturum, ipſiuſque Chriſti Domini munus eſt, tamquam inviſibile caput, capiti viſibili adſtare in ſimilibus arduis negotiis, atque dirigendæ Eccleſiæ ſuæ ſemper præeſſe. Pie credimus pie viventes, nec merito dubitare poſſumus, Deum in noſtris actionibus, cum ad eum devote recurrimus, ut peccata vitemus, ut rectas ſemitas inoffenſo pede curramus, nos ſua occulta adjuvare providentia, Regio Vate ſic dicente: *Angelis ſuis Deus mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.* Ideoque, nec inaniter, ab eo cum Eccleſia quotidie poſcimus, ut dirigat corda, & corpora noſtra, ſenſus, ſermones, & actus noſtros; neque tamen firma fides, aut ſpes juſta nos deludit; fidelis enim eſt Deus invocantibus eum in veritate. Quis dixerit, niſi inſanus, hæc nobis cœlitus præſtita auxilia miraculoſa eſſe, noſque temere, & absque neceſſitate miracula poſtulare? Non ſunt hæc extra, aut contra ordinem naturæ, aut divinæ providentiæ, quibus omnia inviſibiliter gubernat, ut ea miracula dicamus. Mirabilis eſt Deus, mirabilia teſtimonia ſua facta ſunt nimis; ſed nec ideo omnia, quæ ſua inviſibili manu, ſua inviſibili directione Deus in nobis quotidie operatur, miracula dicenda ſunt. Sic in peculiaribus operibus noſtris piè credimus: ſic in edocenda Eccleſia ſua Deum ſemper aſſiſtere infallibiliter tenemus.

52 Fundamentum Muratorii illud eſt, quod in rebus facti Eccle-

ſia errare poteſt, neque in his Deum ſuum promiſiſſe aſſiſtentiam : ad idque adducit illud Innocentii III. Abbati S. Andreæ, (15) nempe: *Quod judicium Dei veritati, quæ non fallit, nec fallitur, ſemper innititur.* (En qua regula dirigimur, ut Eccleſiæ Spiritus Sancti aſſiſtentiam in ſimilibus negotiis, licet à facto dependentibus, non ambigamus) *Judicium autem Eccleſiæ, nonnumquam opinionem ſequitur, quam & fallere ſæpe contingit, & falli.* Quam tamen Innocentii authoritatem non adduceret, ſi diſtingueret inter facta, & facta, inter facta, quæ nullam habent cum jure connexionem, & facta cum juris quæſtione connexa. In illis procedit adducta authoritas, proceduntque aliæ multæ. Loquitur Innocentius de factis particularibus, ut ait Roa, & cum eo Gonzales ad dictum textum, & communiter tam Theologi, quam Canoniſtæ. Sic explicatur Bellarminus, (16) ſic alii in quæſtionibus facti particularis. Secus eſt in factis connexis cum quæſtionibus juris in materiis fidem concernentibus. Videantur Neuſſer, Viva, Ardeskin, (17) aliique plures, ne ab eis dicta repetere videar. Neque de hoc jam hodie dubitant veri orthodoxi; ambigit verò Muratorius toties reverentiam in Apoſtolicam Sedem proteſtatus. Sciat tamen cum Janſeniſtis convenire, quorum ea ſententia ſemper fuit, ut ſuum Janſenium defenderent, & erroris immunem demonſtrarent. Sciat, ſe Euſebii Epiſcopi Nicomedienſis, & Theognini, & Theonæ, & Secundi veſtigia premere, qui condemnationi Arii, & formulæ fidei in Nicæno propoſitæ ſubſcribere reſtiterunt, eo quod Arii doctrina, cujus ipſi ſequaces erant, pertineret ad quæſtionem facti non veri, aut ſaltem veritatis incertæ, quæ à Concilio definiri non poterat, ut refert Maimbourgh in hiſtoria Arianiſmi, & habetur ex P. Viva *ubi ſupra*; quod Concilium illud non admiſit, neque probavit: immo ipſi ea de cauſa ſuis ſedibus tandem pulſi ſunt, & ab Imperatore Juſtiniano graviter reprehenſi, ut conſtat ex epiſtolis ipſius Juſtiniani in actis Concilii inſertis, & quas refert Baronius ad annum Chriſti 329. Sciat, ſe quodammodo damnatione Innocentii XII. implicari, quippe qui damnavit Janſenii propoſitiones non ſolum in ſenſu obvio, quem ipſamet verba exhibent, ſed etiam in ſenſu à Janſenio intento, ut Janſeniſtæ aſſerebant, quorum partibus Muratorius patrocinari videtur, etiam cum Janſenium non probare demonſtrat, eamdem enim doctrinam, quam illi aſſerebant, ipſe nunc probare contendit.

(15) In cap. A' nobis 28. de Sentēt. Excommunic.

(16) Lib. 4. de Pontif. cap. 2.

(17) Neuſſer. in Prodrom. velitari p. 1. cap. 3. Viva in quæſt. Prodroma n. 8. & late circa Janſenii propoſitiones. Ardeſkin in ſua Theolog. tripart. cap. 10. q. 3. 4. 5.

53 Et quidem, ſi hæc ſententia omnino explodenda non veniret, garrientibus Novatoribus Eccleſiæ ſemper infenſis, latiſſima ſterneretur via ad damnatos hæreticos, ac proſcriptas hæreſes excuſandas, atque in bono ſemper ſenſu accipiendas. Nulla enim eſt, aut fere nulla, quæ ſub verborum larva, & ambiguitate ſermonum non occludatur,

cludatur, ut in Arianiſmo, Monothelismo, Neſtorianiſmo, Janſeniſmo, & pluribus aliis videre eſt. Nulla propemodum, quæ ſecum facti quæſtiones non involvat. Arius ipſe, Neſtorius, Euthyches, Waldenſis, Wiclef, Joannes Hus, Hieronymus Pragenſis, Arnaldus, Baius, Janſenius, & alii ſimiles ſuarum propoſitionum verum ſenſum protendebant. Hæc erat, eſſeque ſolet ſimulata veritatis ſpecies; hæc ſunt locutionum pigmenta, quibus error conveſtitus ſeſe frequenter exhibet, ut incautos decipiat, interimque graſſetur: hi flores ſunt, inter quos reconduntur viperæ, ut ſecurius mordeant: hæc pocula aurea, in quibus noxia venena propinantur: ſi Muratorio placent, nobis omnino diſplicent.

54 Nec prætermittere ſinit animus exempla, quibus utitur Muratorius. Hæc profert: *Sic Origenem, Theodoretum, Abailardum, Goteſcalchum, Abbatem Joachimum, aliosque in ipſis etiam generalibus Conciliis damnatos ſacrilegium non fuit pro viribus tueri.* Origenes proculdubio de hæreſi damnatus invenitur. Sed qui ejus defenſores? Adeamus Theophilum Alexandriæ Epiſcopum, ipſe pro nobis Muratorio reſpondebit: *Dicere nonnulli auſi ſunt, Originem Eccleſiæ eſſe Doctorem. An hi obſecro ferendi ſunt? Si Eccleſiæ Doctor eſt Origenes, magnos ſibi ſpiritus ſumunt Ariani, & Eunominiani, & pagani illi in Filium blaſphemantes; hi ſimiliter, atque illi impii necnon mortuorum reſurrectionem deridentes.* Concludit Juſtinianus Imperator in epiſtola, quæ habetur *tom.* 3. *Conciliorum pag.* 262. *Ex his perſpicuum eſt, eum, qui ſanctos Patres ſequitur, non dubitare, quin ii, qui cum Origene ſentiunt, paganorum errorem, Arianorumque inſaniam ſequantur.* Videatur prædicta epiſtola. En quam cenſuram promereantur Origenis tutores: en quomodo à ſacrilegio liberi reddantur.

55 Non me latet Euſebium Cæſarienſem Origenem excuſaſſe. Sed quod de Euſebio Eccleſiæ judicium? Id explicabit Concilium Romanum I. Sic habet: *Item chronica Euſebii Cæſarienſis, & ejuſdem eccleſiaſticæ hiſtoriæ libros: quamvis in primo narrationis ſuæ libro tepuerit, & poſtea in laudibus, atque excuſatione Origenis ſchiſmatici unum conſcripſerit librum: propter rerum tamen ſingularem notitiam, quæ ad inſtructionem pertinent, uſquequaque non dicimus renuendos.* Ecce Eccleſia nullatenus probat Origenis excuſationes, immo reprobat, ſed propter Euſebii ſingularem eruditionem ejus erga Origenem laudationes diſſimulat, ſed nullatenus approbat.

56 Etiam non ignoro Gregorium Niſſenum, & Hieronymum multum Originem extollere. Aliud tamen eſt ejus ingenium, ac maximam eruditionem laudare, aliud eum ab erroribus damnatis excuſare. Eum nec injuſte damnatum aut Gregorius, aut Hieronymus

 aſſerue-

aſſeruerunt, nec damnatarum ſententiarum defenſionem ſuſceperunt. Laudarunt quoad alias doctrinas, quæ proſcriptæ non inveniuntur; cujus veritatis teſtis eſt ipſum Concilium Romanum in his verbis: *Item Origenis nonnulla opuſcula, quæ vir beatiſſimus Hieronymus non repudiat, legenda ſuſcipimus. Reliqua autem omnia cum auctore ſuo dicimus eſſe renuenda.*

57 Theodoretum qui tuentur, non ejus erroribus patrocinantur, ſed eum non fuiſſe hæreticum contumacem recte aſſerunt. Eum plura erronea conſcripſiſſe nullus Orthodoxus dubitat, ſed formaliter hæreticum fuiſſe, nec ipſa ſancta Sedes pronuntiavit. Fidem huic veritati certam præſtat Pelagius II. *in epiſt.* 5. ad Eliam, & Epiſcopos Iſtriæ per hæc verba. Retulerat ipſe varios Theodoreti errores, & poſtea ſic ſcribit: *Quis hæc, fratres chariſſimi, plena omni impietate non videat? A quibus tamen conſtat, quod ſe poſtmodum ipſe correxit, qui in ſancta Chalcedonenſi Synodo Neſtorium anathematizare conſenſit. Quis non videat quanta temeritate plenum ſit, Theodoreti ſcripta ſuperbiendo defendere, quæ eumdem ipſum conſtat, recta poſt profitendo damnaſſe? Dum vero ejus & perſonam recipimus, & ea, quæ dudum latuerant, prava ſcripta reprobamus, in nullo à ſancta Synodi actione deviamus; quia ſola ejus hæretica ſcripta reſpuentes, & cum Synodo Theodoretum profitentem recta veneramur. Alia verò ſcripta illius non ſolum recipimus, ſed eis etiam contra adverſarios utimur.*

58 Circa Petrum Abailardum breviſſime me expediam. Contra eum nominatim nullam invenio damnationem ab Eccleſia factam; unde diſputationi quid vetat locum eſſe? Eum ut hæreticum exagitat Theobaldus Stampenſis, alii ab hac calumnia liberant. Adverſus Roſcelinum Compendienſem: *Qui in Deo tres perſonas ab invicem ſeparatas, ita ut aut Patrem, & Spiritum Sanctum eſſe incarnatum, & tres Deos dici poſſe, ſi uſus admitteret*, aſſerebat, habitum fuit Concilium Sueſſionenſe, in quo tam prava doctrina damnata fuit. Quod attinet ad factum: Sicut ipſe Lanfranco, & Anſelmo eam affigebat calumniam, ut eos diceret ſuæ ſectæ patronos, ita alii Petro Abailardo ejus diſcipulo eumdem imputabant errorem, quem ipſe tamen expreſſe negavit, & veram fidem clariſſime profeſſus eſt, ut conſtat ex ejus *epiſtol.* 21. ad Gaufredum Pariſienſem Epiſcopum.

59 Gotheſcalcus à nullo orthodoxo defenditur, quippe qui damnatus fuerat in Concilio Moguntino II. & Cariſiaco I. eo quod hæreſim Prædeſtinatianorum profiteretur, quæ antea jam multis in Conciliis damnata fuerat, idque verbis adeo claris, ut nulli tergiverſationi locus eſſet; ideoque à Remenſi Archiepiſcopo condemnationem, & pœnam atrocem paſſus eſt. Qui eum tueri, aut in bonum ſenſum interpretari

pretari auſus fuerit, neceſſe eſt, quod ejuſdem erroris ſe cupiat participem conſtituere.

60 Abbati Joachimo, quem maximis præconiis efferunt S. Antoninus, Xyſtus Senenſis, Alphonſus à S. Victore, Viegas, & alii, injuriam infert Muratorius, dum dicit eum in generalibus Conciliis hæreſeos damnatum. Eum hæreticum fuiſſe ſcribit Caſtro de Hæreſi; recte tamen eum à calumnia defendit Viegas. (18) Res facti eſt. Caſus ſic ſe habet: Cum Petrus Lombardus, Magiſter Sententiarum jure dictus, hæreſis accuſaretur apud S. P. Alexandrum III. eo quod docuiſſe videbatur, quod *Chriſtus ſecundum quod eſt homo, non ſit aliquid*; ipſe Pontifex ad Archiepiſcopum Senonenſem reſcripſit, ut convocatis prudentibus, doctiſque viris examinaret, reprobaretque prædictam doctrinam. Harum literarum tenorem exhibet Gonzales. (19) Hæc erroris Joachimi cauſa fuit, quippe invitatus, ut Lombardum refelleret, adeo hoc exarſit ſtudio, ut non ſolum in prædictum articulum inveheretur, ſed etiam in alios orthodoxos circa Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium articulos liberius ſcriberet, eo deceptus contradictionis ſpiritu, ut Lombardum non ſolum Trinitatem, ſed quaternitatem docuiſſe arbitraretur. (20) Nec tamen ideo hæreticus fuit, aut de hæreſi damnatus; neque enim tenaciter doctrinæ ſuæ adhæſit, neque Pontificio reſtitit oraculo, ſed vere Orthodoxus libentiſſime acquievit. Cujus veritatis teſtimonium perhibuit S. P. Honorius III. in his verbis: *Quod eum verum Catholicum reputamus, & regularem obſervantiam, quam inſtituit, ſalutarem.* Habentur in literis Apoſtolicis datis 13. Kalendas Januarii anno 1221. quæ incipiunt *Ex parte*, & referuntur à Gonzales, & Fagnano. (21)

(18) In Apocalypſ. cap. 3. comment. 2. ſect. 3.

(19) In comment. ad cap. 2. de Summ. Trinit.

(20) Cabaſſut. in notit. Concil. ad Concil. Lateran. IV. ſub Innocent. III. Rifenſt. in Decretal. lib. 1. tit. 1. §. 10. n. 212.

61 Accedimus ad Honorium I. quem Muratorius, quam modeſte poteſt, hæreticum fuiſſe, ſeu hæreſum aſſertorem inſinuare non veretur, dum dicit ejus literas *in œcumenica Synodo VI. proſcriptas fuiſſe quaſi hæreticis ſententiis ſcatentes.* Laudat Baronium, & Bellarminum, Honorii patronos, & laudare potuiſſet innumeros alios: ſed ei potius placuit Hiſtoriographos ſequi eccleſiaſticæ poteſtati ſatis infenſos, eos, inquam, qui ut fallibilitatem Romani Pontificis in rebus fidei decernendis aſtruant, non paucos Pontifices in errorem lapſos oſtendere adnituntur. Hanc ſuam mentem eſſe, etſi frequentiſſime innumeris obſequiis diſſimulatam, vel ex eo liquet, quod ineptiſſime hoc Honorii factum ad exemplum adducat; diverſiſſimæ ſiquidem quæſtiones ſunt, an Summus Pontifex poſſit errare in quæſtionibus facti fidem concernentis; an verò revera interceſſerit factum damnationis Honorii. De illa, de qua præſens diſputatio eſt, non dubitarunt unquam aut Baronius, aut Bellarminus, aut cæteri, qui Honorium ab omni impoſtura defendunt. Quod inficiantur, illud eſt,

(21) In cap. Damnamus de Sum. Trinit.

nempe,

nempe, Honorium fuiſſe hæreticum, aut ut talem in VI. Synodo damnatum. Immo neque Cabaſſutius ipſe, licet puſillanimitatis reum faciat, eum hæreticum fuiſſe aſſerere auſus eſt; quin potius ab hac calumnia vindicat: condemnatum tamen in VI. Synodo fuiſſe pluribus oſtendit facili negotio diſſolvendis. Ego ſolum, ſi mihi datum eſſet, eum percontarer, quo jure de hæreſi damnari potuit, ſi hæreticus non fuit?

62 Optarem ſane plus æquo in hac materia immorari, ſed multum ab ſcopo principali videbor aberrare. Legendos offero non jam Baronium, aut Bellarminum, qui, utpote ſacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſuſpecti aliquibus fortaſſe videbuntur, ſed doctiſſimos, eoſque Gallicos ſcriptores, ſcilicet Duvallium, & Gibalinum, (22) & eruditiſſimos viros Scotum, & Coccium. (23) Ego quidem cum multis abhinc retro annis tum VI. Synodi, cum aliquorum ſcriptorum ſuper hac re ſententiam accuratius volutarem, me in Sanctam Sedem, Romanoſque Pontifices innatus amor libentiſſimum traxit, ut indubie aſſentirer aſſerentibus, acta illius Concilii à Theodoro Sicucello Patriarcha Conſtantinopolitano viciata fuiſſe, loco ipſius repoſito Honorii nomine. Quod quidem plane ſuadet, quod cum Theodorus ipſe illius hæreſis patronus acerrimus ſemper fuerit, & ob hoc, & quia nomen Vitaliani Pontificis è ſacris diptycis abraderet, è ſede ſua pulſus, & poſtea in eam iterum, ſe Catholicum fingens, reſtitutus fuiſſet, & cum cæteris Patriarchis hæreticis damnatus, nuſquam tamen ejus nomen inter aliorum Patriarcharum, qui damnati fuerant, nomina recenſitum reperitur.

(22) Duval. p. 1. q. 4. Gibalin. de Scient. Canon. tom. 2. lib. 5. cap. 3.

(23) Scot. in notis ad Photium ad Cod. 19. Coccius in theſaur. Cathol. tom. 1. lib. 7.

63 Et quidem ut id potius credam, me fert animus, quam ut mihi perſuadere valeam illius Synodi Patres velo levato, contra omnes juris regulas, ſine maturiori examine, non audita parte, non diſcuſſo Honorianæ epiſtolæ vero, & orthodoxo ſenſu, (quem habere potuiſſe, neque ipſi hethorodoxi diffitentur) nulla inſtituta in eum legitima accuſatione, nullo aſſignato defenſore in hominem mortuum, Romanum Pontificem, de Eccleſia benemeritum, de quo Joannes de Polemar Archidiaconus Barchinonenſis in oratione habita in Concilio Barchinonenſi hæc ait: *Honorius Papa miræ pietatis fuit, cujus tunica dæmoniacus quidam indutus fuit, & liberatus eſt*; non reclamantibus, nec dubitantibus ſanctæ Sedis Legatis, (qui tamen pro Menna, & Vigilio ſurgentes ſteterunt) damnationis ſententiam in Honorium protuliſſe, eumque hæreticum fuiſſe proclamaſſe. Quis adeo inulte acta de ſancta Synodo in Sancto Spiritu congregata credere poterit? Quis Patres illos certos fecit, Honorium in illa ſententia perſtitiſſe, & contumacem obiiſſe, ut neceſſarium erat, (juxta Vigilii conſtitutum) ut Honorius, etiam ſuppoſito ejus errore, hæreticus pronunciaretur?

retur? In qua Synodo ita in hæreticos ex abrupto ſententiam latam fuiſſe unquam legitur? Factum fuiſſe cum Honorio Romano Pontifice, quod neque cum Neſtorio, Eutychete, & aliis hæreſiarchis in aliis Conciliis, immo nec cum Petro, Sergio, Machario, Stephano, Policronio illius hæreſis aſſertoribus actum fuit, quomodo credendum? Quod ejus epiſtolæ, utpote vel de hæreſi ſuſpectæ, vel propter non rectam dicendi methodum hæreticis faventes damnarentur, id fieri potuiſſet: id actum lego, non in decimaquarta actione, ut Cabaſſutius ait, ſed in fine decimæ tertiæ actionis. Neque ideo tamen rite Honorius, de cujus vero ſenſu non recte conſtabat, poſt mortem ſuam, ut hæreticus damnari jure poterat. Sicut in ſimili. Ibæ epiſtola damnata fuerat, non tamen Iba de hæreſi damnatus fuit, ut ſupra diximus. Quod autem Honorii epiſtolæ verum, & orthodoxum ſenſum habere potuiſſent, id oſtendit Maximus in eadem Synodo, id Joannes IV. id probat Giballinus ſupra citatus, id legentibus notum fieri poteſt.

64 Juvat maxime, quod S. P. Agatho, cujus authoritate ea Synodus congregata fuerat, quique ignorare non poterat quæ Honorius Sergio, & Sergius Honorio ſcripſerant, cum in epiſtolis ſuis ad Synodum, & Imperatorem ſcriptis, hujuſmodi hæreſis, ejusque patronorum ſpecialem, & individuam mentionem fecerit, Honorii, ex cujus authoritate maius error ille acciperet patrocinium, nullatenus meminerit; quod non prætermitteret magnus ille Pontifex, ſi Honorium ea pernicioſa labe conſpurcatum arbitraretur. Præcipue cum Imperator ipſe Flavius Conſtantinus cum ad Agathonem ſcriberet, etiam de Honorio ſermonem inſtituerit, cum agit de ſuggeſtione ſibi facta, ut Pontificem Vitalianum è diptychis ejiceret. Intendebant Theodorus Conſtantipolitanus, & Macarius Patriarcha Theopoleos, *ut ejiceretur Vitalianus beatiſſimus de diptychis, aſſerentes Honorium memorari in diptychis propter honorem Apoſtolicæ Sedis antiquæ noſtræ Romæ.* Quomodo autem Agatho ad hæc ſcripta nihil referret? Quomodo eamdem nollent Vitaliano reverentiam, aut Honorio eamdem injuriam Patriarchæ illi, ſi Honorius rectam ſententiam non tueretur? Ad hæc tamen ſiluit Agatho, & uno verbo omnes hos aſtus deluſit aſſerens, nunquam Romanæ Eccleſiæ ſupremos Antiſtites aliquo in fide errore inquinatos extitiſſe. Reverentiam tamen, quam habuerant hæretici ipſi, non habuit Concilium, cum Pontificem tot antea annis è vivis ereptum ſic contaminarunt, ejusque cineres tanto dedecore affecerunt? Incredibile dictu! Iſtud non contemptibile fundamentum diluere intendit Cabaſſutius in *Notitia Conciliorum cap. 72. §. His tamen*, deſumens ad id exemplum ex verbis Chriſti Domini ad Petrum: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua.* Et ſic diſcurrit:

diſcurrit: *Verumtamen ſicut illa Chriſti ad Petrum aſſeveratio*: Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, *non obſtat, quin ipſe Petrus Chriſtum paulo poſt voce negaverit; ita nec Agathonis aſſertio circa prædeceſſorum fidem ullatenus obſiſtit, quin aliqui eorum, ut ipſi teſtantur Baronius, & Bellarminus, contra debitam fidei profeſſionem graviter peccaverint.* Meo tamen judicio inconcludenter nimis ſe geſſit Cabaſſutius. Promiſſio facta Petro erat promiſſio de futuro, quando ſibi datæ fuiſſent claves Eccleſiæ ſuper ipſum ædificatæ: prolata fuerunt ea verba ante Domini paſſionem, quo tempore promiſſus fuerat, non vero collatus Petro Pontificatus, ut ait *D. Thom. in Matthæum: Claves iſtæ nondum eſſent fabrefactæ, & Chriſti ſanguine intinctæ, ac temperatæ, cum quo pariter virtus, ac efficacia ſacramentorum, & clavium poteſtas effluxit*; id enim muneris ei conceſſum fuit poſtea, cum eidem dictum fuit: *Paſce oves meas.... Paſce agnos meos.* Unde Petrus negando Dominum, & Magiſtrum peccavit ut homo, non ut Pontifex. At verò Agatho locutus fuit de promiſſione jam facta Pontificibus, quod ſcilicet eorum fides nunquam deficeret: qua ſtabilita, tamquam certa, Conſtantino aſſerenti, Honorium in ea ſententia unius voluntatis ſteciſſe, reſpondit, Pontifices Maximos nunquam in fide aliquando erraſſe, aut errare potuiſſe.

65 Vim magnam dictis adaugeat, quod neque Theodorus I. qui Honorio, mediis ſolum Severino, & Joanne IV. qui non per multum tempus Eccleſiam rexerunt, in epiſtolis ſuis ad Paulum Patriarcham, & ad Epiſcopos qui Paulum elegerant, & ad Heraclium Imperatorem, cum de eadem hæreſi profliganda curaret, Honorii meminerit; neque Paulus ipſe apud Theodorum Honorii authoritate muniretur: neque ſimiliter Martinus I. qui Theodoro ſucceſſerat, & qui Monotheletarum hæreſim in ſuo Lateranenſi Concilio, & in epiſtola ad omnes fideles, quæ incipit *Gratia vobis*, cum Theodori, Sergii, Pauli, & aliorum recordaretur, Honorii mentionem nullam habuerit, quod minime contingeret, ſi Honorius ejus hæreſis aut patronus, aut ſectarius dicendus eſſet.

66 Maximum tandem robur huic adjicit negotio quod Joannes IV. Honorii immediatus ſucceſſor in epiſtola ad Imperatorem Conſtantinum eum ab omni nævo, atque à calumnia ei impoſita vindicaret per hæc verba: *Omnes occidentales partes ſcandalizatæ turbantur, fratre noſtro Pirrho Patriarcha per literas ſuas huc, atque illuc tranſmiſſas nova quædam, & præter fidei regulam prædicante, & ad proprium ſenſum quaſi ſanctæ memoriæ Honorium Papam deceſſorem noſtrum attrahere feſtinantem: quod à mente Catholici patris erat penitus alienum.* Poſtquam autem explicavit veram doctrinam, verumque Honorii ſenſum, ſic concludit: *Prædictus ergo deceſſor*

meus

meus docens de myſterio incarnationis Chriſti dicebat, non fuiſſe in eo, ſicut in nobis peccatoribus, mentis, & carnis contrarias voluntates: quod quidam ad proprium ſenſum convertentes, divinitatis ejus, & humanitatis unam eum voluntatem docuiſſe ſuſpicati ſunt, quod veritati omnino eſt contrarium. En Joannes, qui melius aliis Honorii ſanum ſenſum optime noverat, eum explicans, & adverſariorum calumnias retundens. Hanc Joannis aſſertionem non plurimi fecit Cabaſſutius, aſſerens id vitio verti poſſe, quod ipſe tam ſuſpectam epiſtolam ſcriberet, ac proinde ipſius teſtimonium ſuſpectum eſſe. Temere dictum! Nam Joannes ipſe in epiſtola ſua duas in Chriſto voluntates profitetur, & ſolum explicat, has voluntates non eſſe inter ſe contrarias, & hoc ſolum ſenſiſſe Honorium; quod quidem ſcripſit cum jam Pontifex eſſet, ac proinde jam ejus teſtimonium omnem fidem debuerat promereri, ſaltem ut Honorius hæreticus non diceretur, de cujus recto ſenſu Joannes teſtabatur. Quo jure ergo poſt hanc Joannis Summi Pontificis declarationem expreſſe aſſerentis, Honorium Catholicum fuiſſe, potuit Synodus hæc contemnere, & Honorium ut hæreticum damnare? Cur ſaltem hæc Joannis epiſtola perlecta non fuit, cum alia documenta legerentur? Cur Sedem Apoſtolicam in re dubia non conſuluerunt? Cur aliquem Honorio jam defuncto procuratorem, qui eum defenderet, non conſtituerunt? Hæc omnia Concilium poſthabuiſſe, nunquam credere fas eſſe docebo.

67 Ipſe Muratorius, licet dubius, in hanc partem propendere viſus eſt *cap. ſeq. pag.* 172. Factum tamen VI. Synodi profitetur, eo quod negare non audeat, *quin anathema dictum Honorio fuerit, quippe in id conſpirat totius antiquitatis conſenſus.* Iſte conſenſus totus profluit ex illo vitiato principio, ut videre eſt in citato Giballino, ubi ad omnia reſpondet, ex quibus conſenſus ille traxit fundamentum, epiſtola ſcilicet Leonis I. quæ conficta à pluribus jure dicitur, & VII. ac VIII. Synodo, quæ ex deturpatis VI. Synodi actis totam ſuam probandi vim accepiſſe dicenda ſunt. Pace tamen ſua dicam, minus culpabile eſſe, quod cum Baronio, Bellarmino, cæteriſque negemus omnino factum, quam quod, eo retento, tamquam certo, (ut Muratorius intendit) *Honorium male revera non ſenſiſſe aſſeramus de Chriſti voluntatibus, neque hæreticum plane fuiſſe*; cogeremur etenim dicere Concilium œcumenicum in re tanti ponderis, tam maximique momenti penitus erraſſe. Hoc effatum ejus authoritati in re tam ardua definienda plurimum detrahit: illud hæreticos ſolum calumniatores offendit: *Si*, ut ait, *nihil ibi viris doctiſſimis occurrit, quod conſiderata temporum, & rerum conditione, verum referat Monothelisſmum, hominemque faciat impia tradentem*, quomodo, *conſiderata temporum, & rerum conditione*, potuit Concilium definire,

(quin dicamus erraſſe, quod abſit) epiſtolam illam *verum referre Monothelismum*, Honoriumque fuiſſe *hominem impia tradentem*? Nos equidem hæreſim, non in Honorio, ut ait, ſed in aliis hæreticis à Concilio damnatam execramur, ſed Concilii ſententiam de perſona Honorii, ut certam non ſuſcipimus, quia certam non cenſemus, quia falſo ſuppoſitam à Theodoro arbitramur. Mirari autem poſſemus, ſi id in more non habuiſſet Muratorius, quod in eadem periodo ſibi contrarius oſtendatur; ſi enim ſententiam de perſona Honorii *certam non cenſet*, quomodo aſſerit *certe ſuſcipiendam*? An certe ſuſcipiendum quod extitiſſe incertum eſt? Sic ſuomet ingenio fallitur ſcriptor iſte.

68 Aliud exemplum adducit *pag.* 170. ad probandum Eccleſiam non habere infallibilem aſſiſtentiam circa certum judicium de verborum ſenſu aut vero, aut hæretico proferendum. Circa hoc dicit, quod *Eccleſia impedire non poteſt quominus aliena dicta æquivocationibus ſcateant, & æquivocos ſenſus pariant. Neque hoc impedire miraculorum ope Deus voluit, aut vult, cum ſatis ipſi ſit facere, ne in interpretandis, explicandiſque divinis libris, & colligenda traditione, & proponenda vera doctrina errare poſſint legitimi Eccleſiæ Catholicæ judices.* Quî fieri poteſt, ut non errent, ſi eis datum non eſt veros ſenſus infallibiliter callere, aut falſos aperire? Non equidem poteſt impedire æquivoca verba, ſed certo decernere poteſt, illa verba apta ex ſe eſſe ad recondendum hæreſis venenum, atque de facto in ipſis verbis recondi, prohibereque, ne ſimilibus vocibus, aut phraſibus utamur. Hoc autem ut infallibiliter faciat, peculiari eget lumine, cum tot ſint verborum ambages, tot hæreticorum cavilli, tot phraſium larvæ, ut frequentiſſime deceptioni, & erroribus locus eſſet, ſi Eccleſia fulgentiſſima Spiritus Sancti luce non illuſtraretur, immo contingeret, quod aliquando in his rebus aut falli, aut fallere quiret fideles.

69 Aſſerit, quod *Eccleſia enuntiationes eaſdem ſecundum varios ſenſus acceptas nunc approbavit, nunc improbavit, & eadem omnino verba modo averſata eſt, modo amplexa, prout ipſi viſa ſunt ſignare aut pravam, aut rectam doctrinam.* Certe fallitur; nam Eccleſia neque unquam in rebus fidei definiendis verbis ambiguis, & in duplici contrario ſenſu accipiendis uſa fuit; neque ſermones æquivocos, atque ad diſſiminandas hæreſes aptos quandoque applauſit; etenim qui lucem diligit, tenebras omnes odiſſe pro munere ſemper habuit. Quandoquidem ſi verba bonum, aut malum ſenſum habere poſſunt, ſemper explicavit, ut erroribus minutiſſimas etiam rimulas omnino intercluderet.

70 Id patet in iiſdem theſibus adductis ad exemplum. Ea enuntiatio:

tiatio: *Unus de Trinitate paſſus eſt*, à Summis Pontificibus Felice III. & Hormiſda reprobata fuerat; ſed non eadem omnino accepta fuit à Joanne II. Vigilio, & V. Synodo, ſed cum aliquo addito, nempe: *Unus de Trinitate in carne paſſus eſt*; aliàs diceremus in fidei dogmate Romanos Pontifices diſcrepaſſe. Jam videris, doctus Lector, quantum inter utramque theſim interſit diſcrimen. In prima horribilis error latebat, ideo rejecta: in ſecunda infallibilis veritas continetur, ideo admiſſa. Una divinitatem paſſibilem diſſimulabat, altera ſolam humanitatem aſſumptam paſſam fuiſſe aperiebat. Prima erat Petri Cnaphei impii hæretici, qui non modo Valentini, Manichæi, Arii, Sabellii, Apollinaris, Eutychetis, verum etiam gentilium errores in unum colligens, plures Deos aſſerebat, atque unum increatæ, & individuæ Trinitatis paſſionem ſubiiſſe prædicare auſus eſt. Secunda verò erat Procli in epiſtola ad Occidentales dicentis: *Non dicimus eum deitate paſſum fuiſſe, ſed carne, quam pro nobis aſſumpſit ex nobis. Unus igitur ex Trinitate crucifixus eſt carne, qua factus eſt: non tamen deitate, qua unitus eſt Patri, & Spiritui Sancto, perpeſſus eſt; ne & illos crucifixos pariter aſſeramus.* Erat Gregorii Nanzianzeni in his verbis: *Et indiguimus Deo incarnato, & mortificato, ut nos vivamus.* Erat Auguſtini in libro de Charitate, qui ſic ait: *Res enim vetus erat, ut homo moreretur: quod ne ſemper valeret in homine, res nova facta eſt, ut Deus moreretur: ſed quia in carne mortuus eſt, non in divinitate.* Et alibi: (24) *Prædeſtinatus eſt ergo JESUS, ut futurus ſecundum carnem filius David, eſſet in virtute tamen filius Dei.* Erat Cyrilli *cap.* 12. per hæc verba: *Siquis non confitetur Verbum paſſum carne, & mortem carnem guſtaſſe, factumque primogenitum ex mortuis, ſecundum quod vita, & vivificans eſt Deus, anathema ſit.* Erat Leonis ad Juvenalem ſic: *Veram igitur generationem crux vera confirmat, quoniam in carne noſtra naſcitur, qui in noſtra carne crucifigitur.* Et ad Flavianum ſic: *Impaſſibilis Deus non dedignatus eſt homo eſſe paſſibilis, & immortalis mortis legibus ſubjacere.* Sic profitetur, & explicat Eccleſia in Fidei Symbolo, & in omnibus œcumenicis Synodis, ſic & nos infallibiliter profitemur non confundentes perſonas, neque ſubſtantiam ſeparantes: non ineffabili Triſagio addentes, quod crucifixus ſit unus ex ſanctiſſimo Triſagio, ut confundebat Cnapheus, ſed ſigillatim, clare, diſtincteque credentes unum Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, & ex his tribus perſonis ſecundam, Verbum ſcilicet, in omnibus, & per omnia æqualem, & conſubſtantialem Patri, ex MARIA Virgine hominem factum, natumque fuiſſe, de hocque firmiter credimus ſecundum humanam naturam natum, crucifixum, mortuum, & ſepultum fuiſſe.

(24) Lib. 1. de Prædeſtin. cap. 15.

71 Stat ergo non eamdem omnino eſſe utramque enuntiationem,

ut ait Muratorius, ſed diverſiſſimam, quam facit illa adjectio *in carne.* Una ſordidum ulcus, vipereumque virus ſub æquivoco ſermone recondebat; altera certum dogma, indefectibilemque exprimit veritatem. Illam & Felix, & Hormiſda, aliique ſancti Patres reſpuerunt, ut noxiam: iſtam & Joannes, & Vigilius, & V. Synodus, & cæteri Eccleſiæ Doctores, ut innocentem, amplexati ſunt. Nunc ad intentum inquirens, concludo: An Felix, & Hormiſda Spiritus Sancti aſſiſtentia deſtituti dicendi ſint, quando Cnapheum, ut hæreticum, damnarunt, ejuſque perverſum ſenſum, quod in illa enunciatione latebat, aperuerunt? An erraverint Joannes, & Vigilius, ac ſine Sancti Spiritus afflante Numine explicaverint quo in ſenſu illa enunciatio accipienda fuerit? Quocumque dato, ſic aſſerenti temeritatis nota attribuenda erit. Ergo non deeſt Spiritus Sancti aſſiſtentia, neque vana eſt Chriſti Domini promiſſio, quoties de vero alicujus propoſitionis ſenſu explicando, & declarando agitur.

72 Quod addit, nempe: *In Synodo Antiochena vocem* Houmouſion *Epiſcopi complures proſcripſere, in ſenſu Pauli Samozateni acceptam*, fide ſua dictum ſit, nam quid tale in prædicta Synodo me legiſſe non memini; ni forte id habeatur in aliquo ex novem canonibus quos P. Pagi ad annum 56. ſpurios cenſet, & P. Petavius (25) ſuppoſititios vocat. Id ſcio, in prædicto Concilio Antiocheno, quod habetur *tom.* I. *Concil. pag.* 195. errores, vitiaque hæretici illius referri, de voce vero *Houmouſion* nec verbum quidem haberi, aut quid ejus ſignificationi correſpondeat. Scio in Synodo Alexandrina anno 321. de hæretico eodem ſermonem eſſe, ibique haberi eum *judicio omnium ubique Epiſcoporum, atque adeo judicio Eccleſiæ ejectum fuiſſe*, atque etiam ejus diſcipulos ex eo *Filium Dei ex nihilo ortum hauſiſſe*; quod tamen vocem *Houmouſion* non recte accepiſſet, id non lego. Scio in Nicæna ſacroſancta Synodo in præfatione Arabica edoceri, ſectam Paulianiſtarum, à Paulo Samozateno ſic dictam, in eo verſari, quod dicerent: *Deum eſſe unum tam ſecundum ſubſtantiam, quam ſecundum perſonas, eum trinum nomine tenus appellitare, &c.* Sed voce Houmouſion uſum fuiſſe, id ibi non exprimitur. Scio in altera Orientalium Epiſcoporum Synodo, quæ eſt altera Antiochena anno 344. erroris prædicti Pauli mentionem haberi per hæc verba: *Quoniam perfectum, ingenitum, carentem principio, & inviſibilem Deum unum ſolum agnoſcimus, Deum, & Patrem Unigeniti, qui ſolus ex ſe habet eſſe, ſoluſque omnibus aliis benigne largitur, ut ſint. Non tamen quia unum Deum eſſe Patrem Domini JESU Chriſti, ſolum ingenitum profitemur, ideo Chriſtum Deum ante ſæcula eſſe abnegamus: qualia faciunt Pauli Samozatenſis diſcipuli, qui eum poſt incarnationem ſuam ex profectu Deum factum eſſe aſſeverant, eo quod*

(25) Lib. 15. de Incarnat. cap. 14.

quod merus homo eſſet. Ubinam hic de voce Houmouſion mentio, ubi diſceptatio? Scio in Concilio Epheſino anno 431. *cap.* 1. ejuſdem Samozateni doctrinam, Neſtoriique ei conſoni, clariſſime exprimi, ſed de prædicta voce nec verbum quidem invenitur. Sicut neque invenitur in *cap.* 17. ubi hæc habentur verba in ſupplicatione Baſilii Diaconi, & aliorum Monachorum: *In ſancta Synodo Antiochiæ contra Paulum Samozatenum congregata, quæ centum octoginta Patres complexa, illum propter ſuam impietatem (negabat enim Chriſtum natura eſſe Deum, & Dei Patris Filium) exauctoravit.* Scio in libello Synodico, quod habetur *tom. 5. Concil. pag.* 1498. ejuſdem Pauli mentionem fieri in hunc modum: *Synodus divina, & ſacra Provincialis Anthiochiæ collecta.... quæ depoſuit, & abdicavit Paulum Samozatenum, qui nihil aliud, quam Annas, & Caiphas de Chriſto docuit.* Tandem neque in Socrate, neque in Euſebio, aliiſve invenire potui de prædicta voce diſputationem. Quinimmo in Cabaſſutio in notitia Conciliorum exhibenda accuratiſſimo nihil aliud lego in *cap.*5. niſi hoc: *Tria memorantur Antiochena Concilia, quorum priora duo fuerunt contra Paulum Samozatenum Antiochiæ Patriarcham impie aſſerentem de Chriſto, nihil fuiſſe quam verum hominem.* Si autem ibi circa illam vocem contentio aliqua eſſet, explicaret Cabaſſutius, explicaret Dionyſius Alexandrinus, explicaret Euſebius, ad quos ipſe ſe refert. Suſpicor Muratorium non ſalientes limpidiſſimorum fontium ſcatebras, ſed fugaces, areniſque jam turbidos rivulos adiiſſe.

73 Sed revertamur ad fontes, ut puriorem notitiam hauriamus. Hæreticos Arianos hanc vocem *Houmouſion* reſpuiſſe, ejuſque uſum ab Eccleſia eliminandum voluiſſe, conſtat ex Concilio Sirmienſi, ubi Oſius, & Potamius ſic blaſphemarunt: *Quod verò quoſdam, aut multos movebat de ſubſtantia, quæ græce uſia appellatur, id eſt, ut expreſſius intelligatur, Homouſion, aut quod dicitur Homouſion nullam omnino fieri oportere mentionem: nec quemquam prædicare; ea de cauſa, & ratione, quod nec in divinis ſcripturis continentur, & quod ſuper hominis ſit, nec quiſquam poſſit nativitatem Filii enarrare &c.* Videat Muratorius, ne in hunc reprobatum lapidem impingat, dum aſſerit Eccleſiam nihil aliud definire, quam quod in Scriptura, aut Sanctis Patribus jam definitum eſſe conſtat.

74 Poſtea in Conventu, ſeu Conciliabulo Sirmienſi anno 357. ſimilis hæreticalis blaſphemia ab aliquibus prolata eſt: *Vocabulum* (aiebant illi) *porro ſubſtantiæ*, (quod idem eſt, atque Homouſion) *quia ſimplicius à Patribus poſitum eſt, & à populis ignoratur, & ſcandalum affert, eo quod in ſcripturis non continéatur, placuit, ut de medio tolleretur, & poſthac de Dei ſubſtantia mentionem eſſe faciendam,*

dam, eo quod ſacræ Scripturæ nunquam meminere ſubſtantiæ Patris, & Filii: Filium autem per omnia ſimilem dicimus, quemadmodum ſacræ literæ dicunt, & docent. Hanc Arii hæreſim, Olii, & Potamii blaſphemiam reſpuit Concilium in Gallia anno 359. cujus non extat epiſtola Synodica, cujus tamen Concilii notitiam nobis exhibet Hilarius de Synodis ſcribens ad Epiſcopos Galliæ, & Epiphanius *hæreſ.* 73. & Phæbadius Aquitaniæ Epiſcopus in libro adverſus Arianos. Poſtea in Synodo, ſeu Conciliabulo Ariminenſi eodem anno Patres Ariminenſes antequam à Conſtantino territi à via veritatis declinarent, cum Nicæna Synodo eamdem vocem firmiter tenendam eſſe decreverunt, ut conſtat ex eorum profeſſione: *Subſtantiæ quoque nomen, & rem à multis ſanctis ſcripturis inſinuatam mentibus noſtris obtinere debere ſui firmitatem. Quam rem cum ſuo nomine Eccleſia Catholica cum doctrina deifica ſemper confiteri conſuevit.* Prævaricata autem fuit Synodus illa à Conſtantio conterrita, & eamdem vocem reſpuendam dixit, ut conſtat ex epiſtola ad Conſtantium, & fidei formula ad Orientales Epiſcopos Arianos miſſa, ubi ſic aiunt Ariminenſis Conciliabuli Patres: *Nomen autem ſubſtantiæ, quod ſimplicius inſertum eſt à Patribus, & à populo non intellectum, ſcandalum pariebat, quoniam tale in ſcripturis non extat, tolli placuit, & de cætero nullam penitus fieri mentionem ſubſtantiæ, maxime cum divinæ literæ Patris, & Filii ſubſtantiæ nuſquam meminerint.* Sic errarunt Patres illi vel ab Arianis callide decepti, vel à Conſtantio itidem Ariano coacti. Hunc tamen Ariminenſem Conventum rejecit Liberius primum ob id ab eodem Conſtantio exilio actus, poſtea Felix II. ex ea cauſa è Sede ſua dejectus, & occulte gladio necatus, & cui pro viribus reſtitit. S. Gaudentius tunc Ariminenſis Epiſcopus eumdem poſtea reſcindens; ob quod à Proconſulis militibus trucidatus eſt, ut refert Baronius ad *Martyrolog.* 14. *Octob.* ſic ſæviſſime agentibus Arianis.

75 Hi ſunt Patres, quos Muratorius Nicænis Patribus contraponit: hi ſunt, qui vocem *Homouſion* reprobaverunt: hi ſunt, qui Filium conſubſtantialem Patri eſſe negabant: hi ſunt, quos adducit ad confirmandum non habere Eccleſiam peculiarem divini Numinis aſſiſtentiam ad explicandas proprias, & neceſſarias voces, quibus fidei myſteria proponantur. Non crederem, ni legiſſem. Enunciationem *Homouſion* dicit in uno ſenſu aliquibus Patribus diſplicuiſſe, in alio verò ab aliis fuiſſe approbatam. Supereſt, quod explicet, quam aliam ſignificationem nomen illud propriam habere poſſit, expromatque, an ſit, vel non ſit de fide ſubſtantia, ſeu conſubſtantialitas, ut eam jure aliquo explodèrent Antiocheni Patres. Id tamen nullatenus feciſſe, immo vocem *Homouſion* recepiſſe, aperte conſtat; nam in tertio Concilio Antiocheno admiſſa fuit Concilii Nicæni fides, receptumque

prumque *Homouſion*, ſive conſubſtantialitatis infallibile dogma, ut ex ejus contextu patet. Sic in eodem Concilio habetur: *Sed ne cum his, qui adulterant veritatis dogma, adnumeremur, tuc pietati ſuggerimus, quoniam ſancti Concilii in Nicæa olim, & ab initio celebrati fidem & ſuſcepimus, & tenemus. Quando etiam conſubſtantialitatis nomen, quod aliter quibuſdam ſe habere videtur, dicimus cautam interpretationem à Patribus excepiſſe; quippe ſignificantibus, quod ex ſubſtantia Patris natus ſit Filius, & quia ſimilis per ſubſtantiam Patri eſt. Non enim velut aliqua paſſio circa ineffabilem nativitatem creditur, neque ſecundum aliquem paganorum uſum percipitur à Patribus ſubſtantiæ nomen dictum; ſed ad deſtructionem Arianorum, qui præſumpſerunt ex non extantibus de Chriſto aliquid prædicare. Quod etiam iſti, qui nunc inæqualitatem aſſerunt, aſperius, & audacius ad vaſtandam Eccleſiæ concordiam imprudentes auſi ſunt perpetrare. Quamobrem huic noſtræ relationi ſubjunximus exemplar fidei Nicæni Concilii, quam etiam decenter amplectimur. Eſt enim hujuſmodi: credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, &c.* Et in Synodo Epheſina ſupra relata conſtat, confirmata, & approbata à Nicænis Patribus fuiſſe quæ in Antiochena Synodo contra Paulum Samoſatenum acta fuerant: *A magna, & ſancta trecentorum decem, & octo Epiſcoporum Synodo apud Nicæam habita, quæ ſententiam eorum, qui Anthiochiæ contra Paulum Samozateno convenerant, confirmavit, & approbavit.*

76 Si ergo Samozatenus æqualitatem, ſeu conſubſtantialitatem, ſive *Houmouſion* negabat, & Antiocheni Patres eum ob id damnaverant, quomodo dici poterit, eamdem Synodum prædictam vocem, ejusque ſignificationem reprobaſſe? Non quæſtio erat de voce, ſed de dogmate, adnitentibus hæreticis Filium non eſſe conſubſtantialem, ſed ſimilem Patri: Orthodoxis verò firmiter aſſerentibus eum Patri conſubſtantialem eſſe, à qua veritate nequaquam ipſi quandoque receſſerunt. Si autem contentio erat de voce, non ea verſabatur circa ſignificationem vocis *Houmouſion*, quæ proculdubio etiam apud ipſos hæreticos ſubſtantiam ſignificabat: ſed aſſerebant Ariani dicendum eſſe *Homoiuſion*, quæ ſolum ſimilitudinem exprimebat, ac proinde ſemper contentio ad dogma pertinebat. Concludamus ergo erraviſſe Muratorium, quatenus putavit eam vocem non attinere ad fidei dogma. Siquidem ut de fide recipiendam definiit ſacroſancta Synodus, & etiam ante ejus definitionem de fide ſemper fuit Filium eſſe conſubſtantialem, & per omnia æqualem Patri. Unde licet nomen illud apud paganos, ſeu hæreticos aliquam ſignificationem minus propriam habere potuiſſet, attamen poſtquam Eccleſia ejus ſenſum explicavit, & accepit, de fide tenendum eſſe nullus ambigit. Si ita non teneremus

mus infallibiliter, quam facile foret omnem definitionis vim evertere opponendo, ibi non de jure, ſed de ſignificatione nominis actum fuiſſe, quod ſine hæreſis periculo alium ſenſum habere poteſt ſecundum ſcriptoris mentem, ſicque omnes hæreſum damnationes eluderentur.

77 Quod attinet ad aliud exemplum Zozimi circa Pelagii, & Cœleſtii errores, & diſceptationem cum Africano Concilio, mihi videtur Muratorium à vero quæſtionis ſtatu aberraſſe. Zozimus nunquam definitive probavit eorum hæreticorum libros, aut errores in eis contentos. Quæſtio omnis in eo ſita erat, an damnandi eſſent, ut hæretici, aut Cœleſtius, aut Pelagius. Renuebat Zozimus, & merito; nam Pelagius libellum ſuum cum vera fidei proteſſione obtulit Pontifici, proteſtatus, quod ſi *aliquid minus caute, minusque perite forte poſitum eſſet*, id judicio Eccleſiæ ſubjiciebat cupiens emendari: idemque Cœleſtii libellus continebat, in quo tamen expreſſe circa peccatum originale erraviſſe viſus eſt. Maxima tamen Zozimo calumnia infertur, dum aſſeritur, eum illorum errorem: ante admonitionem Africanorum Patrum approbaſſe. Cognovit Pontifex errorem; ſed quia Cœleſtius ſe ſanctæ Sedis judicio ſubjicere paratum eſſe affirmabat, voluit cum eo benignius agere, & ad reſipiſcentiam inducere, antequam eum ut hæreticum damnaret. Verba autem Zozimi *epiſt* 4. *Lſine ullus locus, in quo Dei gratia, vel adjutorium prætermiſſum ſit?* Reſpiciunt ipſius Pelagii libellum, in quo ſic proteſtabatur: *Liberum ſic eſſe profitemur arbitrium, ut dicamus nos ſemper Dei indigere auxilio, & tam illos errare, qui cum Manichæis dicunt, hominem peccatum vitare non poſſe, quam illos, qui cum Joviniano aſſerunt, hominem non poſſe peccare; uterque enim tollit libertatem arbitrii. Nos verò dicimus hominem ſemper & peccare, & non peccare poſſe, ut ſemper nos liberi confiteamur eſſe arbitrii.* In quo ita ovinám pellem induit, ut nihil fidei non conſonum aſſerere videretur. Quod autem aſſerebat circa gratiam Dei, & ſiniſtrum ſenſum, quo eam accipiebat, Zozimo judicialiter non conſtabat, ideo de eo ſenſu, antequam cauſa omnis Sedis Apoſtolicæ judicio diſcuteretur, definire non conſtituerat. Hinc eſt, quod dum quæſtionis examen pendebat, ultimum infallibile judicium proferri æquum non erat. Ubi verò conſtitit de perverſo hæretici ſenſu, & de pervicacia, qua errorem damnare recuſaverat, & error, & ejus perverſus ſenſus, ipſique hæretici infallibili judicio condemnati ſunt. Videantur Auguſtinus, & Proſper in Baronio, qui ad annum Chriſti 418. omnia ad rem concernentia clariſſime exponit.

78 Nunc aliqua breviori methodo lubet adnotare Theologorum judicio relinquenda. *Pag.* 160. ſic habet: *Noſtris autem temporibus*

quamquam

quamquam tot animorum ſeditiones excitarit quinque propoſitionum damnatio in ſenſu à Janſenio intento, & poſtremo hanc in rem habeamus Clementis XI. Pontificis Maximi oracula, nondum tamen ſancitum aperte fuit, ſpectare ad fidem (quod eſt ad Janſenii ſenſum) Romanæ Sedis, ſeu Eccleſiæ totius alioqui venerandam ſententiam. Propono Theologis Decretum Alexandri VII. die 31. Maii 1653. & doctrinam optimi controverſiſtæ Ardeskin *dict. cap. 9. q. 5.* & P. Vivæ ad prædictas Janſenii theſes, ut videant quanta fraude laborent citata verba.

79 Eadem *pag....* ſic ſcribit: *Tum verò explorata traditio dicitur, cum ex Patrum, Theologorum, & Conciliorum documentis Epiſcopi evidenter intelligunt, an doctrina quæpiam tradita, an potius improbata à maioribus noſtris fuerit.* Et *pag.* 163. *Et inſuper ſi dogmatum, & ſcripturarum vera interpretatio, atque definitio haurienda eſt e ſanctorum Patrum, Conciliorumque præcedentium documentis, ita hauriendam eſſe conſtat, neceſſe eſt ut Eccleſiaſtici judices hujuſmodi monumenta, eorumque ſenſus intelligere &c.* Ex his verbis, cæteroque contextu hæc videtur ſenſiſſe. 1. Infallibilem Pontificis definitionem à Patribus, & Conciliis dependere. 2. Non poſſe Pontifices Maximos definire, niſi quod antea à Conciliis definitum fuerit. 3. Pontifices errare poſſe in novis dogmatibus impugnandis, quæ frequenter à Novatoribus ſparguntur. 4. Solum à maioribus noſtris tradita eſſe evidenter vera, vel ab ipſis improbata evidenter falſa. Si fallor, aut fallitur ipſe, Doctorum judicio libentiſſime ſubmitto diſcernendum. Sed quæri poteſt, antiquis Conciliis quis firmiſſimum præſtiterit fidei robur? Quis ſanctos Doctores, Conciliorumque Patres eam infallibilem edocuit veritatem? Quis nos certos fecit, eos ſcripturas, perſæpe obſcuriſſimas, ejuſque arcanos ſenſus indubie calluiſſe? Inferrem igitur, omnem infallibilem interpretandi veros Patrum, & Conciliorum ſenſus regulam in Petri ſucceſſore, ac Chriſti Vicario reſidere. Quod privilegium, ſi quoad omnes collectim ſumptos libenter conceditur, quare quoad quemlibet eorum non dabitur? Si ea ſuprema authoritas Pontifici Maximo non denegatur in Scripturæ ſacræ vero ſenſu aperiendo, cur negabitur in recipienda alicujus orthodoxi Patris catholica doctrina, ejuſque vero ſenſu depromendo, cum iſtæ Patrum ſententiæ ita fere ſemper conceptæ ſint, ut diſſimili verborum compagine deſignentur?

80 *Pag.* 164. ſic profert: *Quapropter, quamvis in quibuſdam œcumenicis Conciliis, & plerumque à Dogmaticis, & Polemicis Theologis, loca ſanctorum Patrum afferuntur in confirmationem ſacrorum dogmatum, & eccleſiaſticarum ſanctionum; eorum tamen ſingillatim ſumptorum ſenſus ad fidem non pertinet, neque divino aſſenſu credendum*

dendum eſt, ſingula ea verba, & phraſes eum continere ſenſum, quem Epiſcopi, & Theologi intelligunt. Hic miſere Theologorum doctrinalem interpretationem, immo & Conciliorum, cum non ad definitionem, ſed ad eruditionem iis authoritatibus utuntur, & interpretationem authenticam Eccleſiæ confundere, Theologi, ut credo, judicabunt.

81 Eodem loco ſic ſcribit: *Qua in re patet nihil novi tunc à Deo revelari, nullumque novum factum divinitus ſtatui, ſed divinam opem tantummodo adeſſe, ut quod jam antea revelatum fuerat, tunc à judicibus ſine errore deprehendatur &c.* Hæc *divina ops* à revelatione, ſeu infallibili Spiritus Sancti aſſiſtentia in quo diſtinguitur? Et, quando ſine errore deprehenditur factum illud *divinitus ſtatutum*, non cadit ipſa Eccleſiæ definitio ſuper illo facto? Quomodo declarari certo poteſt reconditiſſimus multoties Scripturæ ſenſus, niſi iſte verus ſenſus Eccleſiæ, aut Pontifici aut reveletur, aut inſpiretur? Quomomo ſciri poteſt factum illud *divinitus ſtatutum*, niſi Eccleſia doceat? Quomodo verò Eccleſia id infallibiliter edocere valet, niſi ſuperiori lumine illuſtretur? Quomodo tandem dogmata certa eſſe queunt, ni certa ſint etiam facta ad fidem ſpectantia, & cum eodem dogmate connexa? Spero in hac re non à Muratorio, neque ab hethorodoxis, ſed ab orthodoxis Theologis erudiri.

82 Sequenti pagina ſic ſtatuit: *Certum eſt unumquemque fidelium, ſimul ac evidenter cognovit dogma aliquod ab omnibus, aut pleriſque Patribus tradi, conſentire ſtatim, illudque amplecti debere, etiamſi nulla Eccleſiæ definitio præceſſerit.* Qui ergo requirit, quod *aperte ſancitum ſit ad fidem ſpectare* Eccleſiæ ſententiam circa damnatas propoſitiones Janſenii quoad ejus ſenſum, ſi omnes Theologi verè tales id ad fidei quæſtionem referant, idque apud doctos evidenter conſtet? An autem fideles de fide credere teneantur, quod ab Eccleſia nondum eſt definitum de fide, ex eo ſolum, quod ea ſententia in ſanctis Patribus habeatur, dicent Theologi. Mirum mihi videtur non teneri de fide credere quod Summus Pontifex circa ſenſus, factaque fidem concernentia definiit; teneri autem de fide credere, quod evidenter conſtat in ſanctis Patribus doctrinaliter tantum ſcriptum inveniri: ſi hoc non eſt Pontificis authoritatem indefectibilem Patrum ſententiis poſtponere, haſque pluris facere, equidem decipior. Sed hoc Novatorum ſyſtema eſſe, pluries apud Authores me legiſſe memini.

83 Eadem pagina ſic habet: *Pelagianam peſtem Julianus tuebatur, quibuſdam peſſime intellectis Patrum locis.* En cui periculo ſe exponerent fideles, ſi cuique datum eſſet eorum ſententias perſcrutari, & quod ſibi perſuaſum eſt, de fide amplecti. Errarent frequentiſſime, ut

ut errarunt hæretici omnes, ex maiori parte in Patrum ſententiis verſatiſſimi, & ſemel concepta ſententia ſua difficillime ab errore diſcederent, ut in Novatoribus experientia compertum eſt. Proſequitur: *At Auguſtinus à ſe ſtare.... & Irinæum, Cyprianum &c.* Auguſtino, etiamſi Eccleſiæ Doctori, opus erat ſuam ſententiam aliorum ſanctorum Patrum ſententiis ſtabilire; quæ tamen ei infallibilis veritatis revelatæ authoritas eſſet, ſi Eccleſiæ authoritas non adſtipularetur? Ad id, quod addit de calumnia à Socino, ejusque gregalibus Nicænæ Synodo objecta, ego inquirendo reponerem: Demus Nicænam Synodum nullis antiquiorum Patrum ſententiis muniri, an ex eo deficeret ejus in rebus fidei inconcuſſa veritas? An non ſufficeret plusquam trecentorum Patrum authoritas? Et, quod magis eſt, non ſufficeret Summi Pontificis Silveſtri infallibilis definitio? Qua ergo de cauſa Patrum ſententias nobis tam frequenter obtrudunt, quæ tunc infallibiles fiunt, cum Eccleſiæ conſenſu roborantur?

84 *Cap.* 20. *pag.* 168. *& ſeq.* nititur perſuadere Eccleſiam infallibili judicio non fulciri, cum alicujus particularis Doctoris verum, & catholicum ſenſum declarat. Sed oppono 1. (ut Theologi ſententiam ferant) duodecim canones, quos Epheſinos dicunt, revera unius Cyrilli erant contra Neſtorium, quos ipſa Epheſina Synodus ut Catholicos definiit, & approbavit, ut ex Concilio Chalkedonenſi conſtat *act.* 4 An dicere poſſumus non eſſe de fide credendum, Cyrillum in catholico ſenſu locutum fuiſſe? Quid roboris haberet Synodus, ſi non poſſet citra erroris periculum de vero, & catholico Cyrilli ſenſu judicare? Oppono 2. Infallibilis fuit, ut etiam hæretici fatentur, Pontificia definitio in approbandis S. Auguſtini libris, præcipue contra Pelagianos, & Semipelagianos. Hæc approbatio, & definitio reſpiciebat verum, & orthodoxum Auguſtini ſenſum. Errare potuit Auguſtinus, etenim homo erat, ut de facto erraverat, cum in Manichæorum hæreſim inciderat. Unde ergo ei tanta authoritas ſuccrevit, niſi à Conciliis, & Pontificibus ejus orthodoxum ſenſum approbantibus, & definientibus. Si id infallibiliter decernere potuit Eccleſia circa Cyrillum, circa Auguſtinum, & circa alios, cur id non poterit circa cujuslibet privati Doctoris, aut vero, aut falſo ſenſu infallibiliter definire?

85 Præteriit adnotare verba, quæ habentur *pag.* 155. *& ſeq.* Sic ait: *Tandem inter fidei dogmata nunquam referre licebit, hunc, illumve hominem hæreticum eſſe, aut fuiſſe, puta Arium, Lutherum, Calvinum.* Non alios invenit Muratorius, niſi hos manifeſtiſſimos hæreſiarcas? Si hæc propoſitio non eſt ad minus piarum aurium offenſiva, nullæ hujus generis theſes aſſignabuntur. Id poſtea conveſtire intendit iis ornatiſſimis pigmentis, quod licet id de fide credere

non teneatur, eo quod ſibi per divinam revelationem non conſtet, attamen *Maximorum Pontificum ſic judicantium ſententiæ maximam deberi reverentiam, aſſenſumque humilem, non autem divinam fidem.* Supponit, quod, ut quis teneatur aſſenſu divino credere, neceſſe ſit, quod *ſibi per divinam revelationem* conſtet, quaſi non ſufficiat, ſic ab Eccleſia definitum eſſe. Faxit Deus, ut ipſe non ſequatur eos, qui ad aliquid credendum prærequirunt privatum Spiritus Sancti teſtimonium. Inquiro tamen: Si quiſpiam diceret Lutherum non fuiſſe hæreticum, ſolum irreverentiæ, ſuperbique aſſenſus reus eſſet? Id deducendum videtur; qui enim ad nihil aliud tenetur, culpæ ſolummodo, de qua argui poteſt, commenſuratam pœnam pati debet. Sed Concilia aliud probant, ſi credimus Socrati. (25) In Nicæna quippe Synodo pro hæreticis habiti fuere Euſebius Nicod. & Theognis Nicænus, eo quod Arii condemnationi ſubſcribere detrectarent, eo *quod minime crederent, eum, qui erat accuſatus, hominem ejus generis fuiſſe, qui eos errores doceret.* Ipſi damnationi errorum libenter aſſentiebant; ſed tamen hæreticis fuere adnumerati. Hæreſim nihil aliud eſſe, quam in fide errorem, etiam indocti norunt. Ergo ad fidem ſpectabat, quod Arius hæreticus eſſet, quia ſic à Concilio definitum. Exemplum etiam præſtat Concilium Conſtantienſe, ubi ab eo, qui volebat Catholicam fidem profiteri, exigebatur, ut crederet Wicleff, Joan. Hus, & Hieronymum de Praga fuiſſe hæreticos, teſte P. Viva *ubi ſupra.* Aliud exemplum affert Ardeskin *ubi ſup.* deductum ex Concilio Chalcedonenſi *act.* 8. Abjuraverat Theodoretus Neſtorianam hæreſim, ſed Neſtorio anathema dicere renuebat, quem Patres Concilii hæreticum declaraverant. Sed quid Patres? Unanimi ſententia clamarunt: *Hæreticus eſt, Neſtorianus eſt, hæreticum foras mitte.* Qui de Luthero ab Eccleſia damnato contrarium ſenſerit, cur hæreticus dici non poterit? Id meliori judicio relinquo cogitandum.

(25) Hiſtor. Eccleſ. lib. 1. cap. 10.

86 Ejuſdem farinæ eſt, quod ait *pag.* 169. *Ita in Janſenii negotio, dum Romana Cathedra, aut Eccleſia congregata explicet, ſi opus eſt, mea tamen ſententia non eſt opus*, (en larva, qua contegi putat) *atque ſtatuat, quem ſenſum, & quam doctrinam ipſa damnavit, damnatamque velit in quinque propoſitionibus Janſenio tributis: dogma fidei tunc in tuto erit, atque errori præcludentur viæ: neque ulla neceſſitas amplius erit credendi ſupernaturali aſſenſu eamdem illam damnatam doctrinam in Janſenii verbis, atque intentione fuiſſe, cum id ſcire, aut credere, neſcire, aut negare merum factum reſpiciat, à quo doctrina fidei nequaquam pendet.* Noto 1. illa verba: *Janſenio tributis*; quaſi ſic dubitet, an revera Janſenii fuiſſent, ut Janſeniſtæ negant. Noto 2. alia verba: *Dogma fidei tunc in tuto erit*; quaſi in tuto non ſit per ſanctæ Sedis expreſſiſſimam damnationem.

Noto

Noto 3. alia verba: *Quem ſenſum, & quam doctrinam ipſa damnavit*; veluti ſi in Pontificiis Diplomatibus id expreſſum non habeatur, aut non ſatis ſit declarare errores, à quibus fideles fugere teneantur. Tandem iterum noto illa verba: *Merum tantummodo factum reſpiciat*; ac ſi liberum, licitumque ſit aut credere, aut negare illam doctrinam in ſenſu, & verbis Janſenii contineri, cum tamen contrarium ab Alexandro VII. ſit decretum.

87 Ut fallibilitatem Eccleſiæ in damnandis privatorum librorum ſenſibus oſtendat, alia congerit *pag.* 171. & in contrarium ſentientes ſic audacter ſcribit: *Ita argutentur quidem, ſplendida in ſpeciem, ſed fallaci tamen, & temeraria conſecutione*. An modeſte, veraciterque dictum, recogitent alii, dum ego, ut eodem ære rependam, Vigilii Pontificis verba in ejus indolis homines commemoro: *Cum.... conſuetudo ſit*, (ait ille in ſuo Conſtituto) *venena ſua fucatis celare ſermonibus, & verba præmittere, quæ quaſi orthodoxis videantur profeſſionibus conſonare, & reſervare indulgentia malignos aditus, per quos eorum peſtilentia intromittatur erroris, ſicut de eis Propheta teſtatur*: Mollierunt ſermones ſuos ſuper oleum, & ipſi ſunt jacula; *& iterum*: Quoniam in multis erant mecum: *De quibus etiam & Doctor gentium dicit Apoſtolus.* Habentes formam pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.

88 Poſtea proſequitur: *Fieri poteſt, ut ex aliis monumentis poſt judicium primum detectis, & ex diligentiori locutionum, verborumque collatione ille, qui antea prave ſentire putabatur, in recta ſententia fuiſſe poſtea deprehendatur, ejuſque verba commodius, & accuratius explicata, ab impietate liberentur.* Recte dictum, ſi de facti quæſtione tantum actum ſit. Sed ipſe expreſſe agit de factis connexis cum ipſa de fide quæſtione, ut demonſtrant ſequentia verba: *Quando ejus naturæ judicium non eſt, ut neceſſario veritas cum ipſo conjuncta incedat: quod in eccleſiaſticis de doctrina, ſeu dogmate judiciis rite peractis ſemper fieri, eſt apud nos exploratum. Ex adverſo etiam contingere poteſt, ut re melius explorata, atque diſcuſſa, qui Author, qui liber antea ab Eccleſia aut probatus, aut abſolutus fuerit, male ſenſiſſe, & heretica dogmata continere poſtea noſcatur, & æquiſſime tandem damnetur.* Si hæc vera eſſent, nullum certum in hac re Eccleſiæ judicium eſſet, mutationibuſque obnoxium profiteremur; quod quam periculoſum ſit, quam garrientium Novatorum dicteriis ſubjectum, cæcus ſolus non viderit. Quamobrem potius aſſentior ſententiæ Ardekin *dict. q.* 3. qui veritati orthodoxæ conformior ſic ait: *Ex dictis hactenus dilucide ſequitur nunquam fieri, aut ſperari poſſe, ut aliqua eadem propoſitio ſive in materia juris, ſive facti, ſemel ab Eccleſia, aut Pontifice damnata, poſtea*

definiatur

definiatur ut vera, vel è contra, *ut præclare deducit P. Bruno Neuſſer vir eximie doctus in ſuo Prodromo velitari p. 1. cap. 3.*

89 Neque Muratorio favet, quod in ſuæ ſententiæ comprobationem ibidem adducit: *Ex hac regula* (ait) *Ibæ epiſtolam, atque Theodoreti capitula, quæ in Concilio Chalcedonenſi cenſuram Patrum effugerant, eorum auctoribus catholicæ communioni redditis, deinde œcumenica Synodus V. execrata eſt, impiisque ſententiis, atque erroribus ſcatere deprehenſa juſtiſſimo anathemate perculit.* De Theodoreto jam diximus. De Iba nunc loquemur. Deceptus eſt Muratorius, quia non fontes adiit, ſed ex quodam, neſcio quo ſcriptore, excerpſit quod ſcripſerit. Nam in primis, quod attinet ad V. Synodum, alias Conſtantinopolitanam II. eam œcumenicam fuiſſe non eſt omnino indubium; graviſſimi namque ſcriptores id non ſentiunt, tum quia Occidentales Patres nec adeſſent, nec vocati fuiſſent, tum quia Vigilius Romanus Pontifex, cum tunc Conſtantinopoli ageret, neque per ſe, neque per legatos ſuos ei interfuiſſet, neque ab eodem recepta, & approbata fuerit. Nam quæ legitur ejuſdem Vigilii adprobatio non integræ fidei apud aliquos habetur; conſtat enim invicto roboris animo reſtitiſſe, & ob id à Juſtiniano Imperatore in exilium miſſum fuiſſe. Alii verò dicunt Vigilium carceri mancipatum, inedia, & ſqualore confectum, tandem tandem amiſſa ſpiritus conſtantia, ut liberaretur à vinculis, trium capitulorum damnationi in V. Synodo factæ conſenſiſſe, eo quia nihil in ea actum fuerit, quod Chalcedonenſi Synodo detraheret. Sed hanc confirmationem, epiſtolamque, in qua ea continetur, ſuppoſititiam eſſe aſſerit P. Joannes Granerius in notis ad Breviarium Liberati. Immo ipſe Vigilius in epiſtola ad Valentinianum Epiſcopum hujus impoſturæ conqueritur. Eo vel magis, quod hujus epiſtolæ nullæ inveniantur literæ prototypæ, ſed manuſcripta exemplaria.

90 Quidquid de hoc ſit, illud certum eſt, Synodum illam non Pontificia authoritate, ſed peſſimis auſpiciis inceptam fuiſſe, multiſque poſtea diſſentionibus dediſſe cauſam, eo quod ſuaſu Theodori Cæſarienſis, ut Origeni, Acephalis, & Eutychianis faveret, ab Imperatore Juſtiniano in omnes, qui tria capitula damnare renuebant, ſæviente, exilii pœna indicta fuerat, atque firmitatis robur accepiſſe poſteaquam vel ab ipſo Vigilio, vel à Pelagio II. etiam perſecutionum metu adacto, vel à Gregorio I. approbata fuit, utpote in qua nihil contra fidem, aut contra œcumenica Concilia continebatur, ut ipſe teſtatur *lib. 3. epiſt.* 37. ad Conſtantium Mediolanenſem Epiſcopum; vel à Nicolao I. epiſt. ad Michaelem Imperatorem, vel tandem à VI. & VII. Synodo, ut refert citatus Cabaſſutius *pag.* 440. qui addit, quod *urgente ipſa Juſtiniani tyrannide nihil facere conſultius*

fultius poterant Romani Pontifices, quam ut cederent illius voluntati, quia ſic occurrendum erat certiſſimo, & inevitabili totius Orientis adverſus Romanam Eccleſiam ſchiſmati.

91 Quibus ſic obiter notatis, deceptus eſt Muratorius, ut dicebam; ſiquidem in Chalcedonenſi Synodo nihil de fide, quod attinet ad Ibæ cauſam, actum eſt, ſed tantum de mero facto, quod ſpectabat ad ipſius Ibæ accuſationem, & nullitatem ſententiæ contra eum latæ in Pſeudo-Synodo antecedenti, ut teſtis eſt Gregorius I. in citata epiſtola in his verbis: *Sed poſt expreſſas Synodos, ſeu canones facta contentio, & extrema actio de perſonis ventilata eſt.* Id ex ipſis Synodi actis expreſſe liquet actione decima, in qua nihil aliud tractatum fuit, quam circa Ibæ accuſationem, ejusque defenſionem, pro eoque ſententia lata fuit à Patribus, utriuſque partis probationibus hinc inde diſcuſſis, eo quod nihil contra eum probatum ſit concludenter de iis, quæ in libello accuſantium continebantur, ipſe verò ſuam probaret innocentiam tum ex ſententia pro eo lata in Berytenſi Synodo à Photio, & Euſtathio judicibus ad id negotium conſtitutis; tum ex atteſtatione totius Cleri Edeſſenæ civitatis; tum denique, quia ipſe ex ſuperabundanti, ut omnem ſuſpicionem in eum conceptam amoliretur, libenter ſemel, atque iterum anathematizavit Neſtorium, & Eutychem, ſeque Cyrillo communicantem, poſtquam ſuorum capitulorum verum attigit ſenſum, demonſtravit. Unde neque accuſatores probarunt, quod objecerant, neque epiſtolam, quam Ibæ attribuebant, ab eo ſcriptam fuiſſe certum fecerunt; ideoque Patres Concilii unanimi conſenſu eum innoxium, atque ad ſuam Sedem à qua injuſte dejectus fuerat, reſtituendum eſſe declararunt: ac proinde tota quæſtio facti erat independenter à quæſtione fidei, quæ ibi nec incidenter mota fuerat. Quod totum ex ipſa *act.* 10. & ex duobus Vigilii Conſtitutis expreſſe conſtat.

92 Identidem in V. Synodo nihil contrarium Chalcedonenſi Concilio invenitur; neque in perſonas damnatio decreta fuit, ut ſupponere videtur Muratorius, ſed tantum in ſcripta, eo quod illius Synodi Patribus viſum fuit, in ipſis aliquid damnandum reperiri, tamquam ipſi Chalcedonenſi, & Epheſinæ Synodo contrarium. Tantumque abeſt ut diverſum quid ſtatuerent aut in quæſtione fidei, aut in quæſtione facti, ut toti eſſent in Collatione VI. in oſtendendo contenta in prædicta epiſtola adverſantia eſſe Chalcedonenſis Synodi definitionibus, collatis his cum præfatæ epiſtolæ propoſitionibus. Et poſtea in eadem collatione nihil contra Ibæ innocentiam de novo ſtatuerunt, neque de facto, utrum ea epiſtola ab eodem Iba ſcripta eſſet, aliquid judicarunt, neque ei anathema dixerunt, ſed tantum contra epiſtolam. Liceat Synodi referre verba: *Hæc omnes dixerunt: Epiſtola hæretica*

retica eſt: epiſtolam, quæ dicitur Ibæ, omnes condemnamus: iſtam omnes anathematizamus: epiſtola à Synodo aliena eſt: epiſtola contraria definitioni eſt: tota epiſtola hæretica eſt: tota epiſtola blaſphema eſt.... Definitio Chalcedonenſis Concilii epiſtolam, quæ dicitur Ibæ, ejecit. Unus Neſtorius, unus Theodorus: Anathema Theodoro, & Neſtorio, & epiſtolæ, quæ dicitur Ibæ.... Qui epiſtolam recipit, Chalcedonenſes ſanctos Patres rejicit &c. Et poſtea collat. VIII. *Super hæc anathematizamus & impiam epiſtolam, quam dicitur Ibas ad Marim Perſam ſcripſiſſe.... Et impiam epiſtolam, quæ dicitur Ibæ, & defenſores eorum..... Et iterum ſiquis defendit epiſtolam, quam dicitur Ibas ad Marim Perſam hæreticum ſcripſiſſe &c.* Ex quibus meridiana luce clarius oſtenditur, Patres V. Synodi cum Theodorum, & Neſtorium anathematizaverint, nullatenus anathema dixiſſe Ibæ, à Chalcedonenſi Synodo innoxio judicato; neque ſententiæ circa factum contraveniſſe, neque definiiſſe epiſtolam ab Iba fuiſſe conſcriptam. Sicut etiam apertiſſime apparet, illius epiſtolæ cenſuram non effugiſſe Patrum Chalcedonenſium cenſuram, quam V. Synodi Patres oſtendunt factam, licet Chalcedonenſis Synodus expreſſe de ea quæſtione non ageret, eo quod inutilis erat ea diſceptatio ad facti controverſiam, de qua in dicta actione 10. agebatur. Proinde neque adducta à Muratorio probatio quidquam concludit, neque certa veritate conſiſtit.

93 Omnia, quæ eleganter congerit *pag.* 173. ad ſtabiliendum obſequioſum aſſenſum Eccleſiæ, & Romani Pontificis judiciis, ſecurius ſuadent fidei aſſenſum; negare enim non poterit, ſi credamus infallibili Romanæ Sedis etiam circa ſenſus verborum, & ſcriptorum mentes judicio, omnem aditum argumentis fallacibus, & ludentibus ingeniis penitus intercludi. Hoc ergo ſtabilius, ut ejuremus hæreticos, eorumque ſenſus inconcuſſe damnemus, nec amplius controverſiam moveamus. Igitur non jure reprehendit recentiores Theologos, nec merito ſibi aſſumpſit eos explodere, atque in contrariam abire ſententiam.

94 Dubitandi rationem proponit in hunc modum: *At inquiunt, nos doctrinam ab Apoſtolica Sede, & ab Eccleſia damnatam damnamus; non enim illic errori obnoxia eſt Eccleſia Chriſti ſponſa. Hanc autem doctrinam verbis, & phraſibus illius libri contineri, eamque illius hominis menti revera inſediſſe, neque divinitus cognoſcit Eccleſia, neque jure nos ad credendum cogere poteſt.* Quid ad hanc rationem rependit? *Silentium præ reverentia adhibebimus. Majora præſtare neceſſum non eſt.* Non aſtruo Janſeniſmum ſequi, ſed vereor odorari. Quid enim aliud Janſenii defenſores præ reverentia in Eccleſiam demonſtranda contendunt, quam ſilentium? Eccleſiam autem ali-

quid

quid amplius à nobis exigere mihi certum eſt, cum Pontificiæ Conſtitutiones hunc à Janſeniſtis oblatum ſilentium non recipiunt, expetuntque aſſenſum. Quî fieri poteſt, ut aſſenſum omnino præbeamus, ſi *Eccleſia certos nos facere non poteſt de re illa, quam ipſa certo non cognoſcit, & in qua judicanda errare poteſt?* Agnoſcimus errare potuiſſe; certi non ſumus rei, quam Eccleſia tenendam proponit, neque ipſa Eccleſia cum proponit certa eſt, quis ambigit quampluri-mum aſſenſum noſtrum periclitari? Captivare intellectum in obſequium fidei Scriptura nos docet, nec difficile eſt verè Orthodoxis hoc obſequium; omnibus enim ratiociniis, & argumentis clauduntur portæ; captivare autem intellectum, & aſſenſum in re dubia, in re incerta, in re, in qua error eſſe poteſt, vires naturæ lapſæ, ac humani judicii ſemper ad dubitandum proclivis tranſcendere videtur. Qui firmiter credit Eccleſiam non erraſſe, nec errare potuiſſe, *Eccleſiæ mandata non eludit, neque hoc nefas committit*; committit, eludit, qui *argutiis talibus* in verborum apparatu conſiſtentibus, Eccleſiæ in his rebus certitudinem à nobis ſtudet amoliri.

95 Has argutias Janſeniſtarum proprias eſſe, eoſque in eo præcipue fundari, quod Pontifex poſſit errare in rebus facti, licet cum jure connexis, non meum judicium eſt, ſed inſignium Theologorum. Unum adhibeo teſtem P. Vivam in Synopſi de Janſenii propoſitionibus *n. 7. Verum quia Janſeniſtæ variis cavillationibus definitiones Pontificias eludere conabantur, perinde quaſi poſſet Pontifex in definiendis quæſtionibus facti, etiam connexis cum quæſtionibus juris ad fidem pertinentibus, errare; & jam virus illarum propoſitionum varie evomebant, in Galliæ præſertim perniciem &c.* Et poſtea *n. 8. Ex quibus liquido conſtat, umbratile, ac ruinoſum eſſe Janſeniſtarum fundamentum, quo nituntur ad tot cavillationes, & ſubterfugia ineunda, videlicet quia quæſtio iſthæc, utpote facti, (an in libro Janſenii propoſitiones in ſenſu à Janſenio intento falſæ, & hæreticales contineantur) eſt quæſtio facti in qua Pontifex errare poteſt &c.*

96 Quid aliud continet Muratorii doctrina etſi tot ſplendidis locutionibus, tot erga Eccleſiam obſequiis, tot humilibus aſſenſibus ſtipata? Suſpicandi fundamentum præbet, quod hic liber examini Qualificatorum ſubreptus (quos ipſe in hoc eodem libro abunde mordet) eorum effugeret cenſuram, & furtim ſpargeretur; neque vana ſuſpicio eſt: *Omnis enim, qui male agit, odit lucem,* (26) *& non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus, qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifeſtentur opera ejus; quia in Deo ſunt facta.*

(26) Joan. cap. 1. 20.

97 Mira verborum, & rationum fucata candicantia ſe dealbare nititur, ſuiſmet tamen pigmentis proditur. Argutiis uti, dicit, qui *Fidei quidem leges ſe habere perſpectas prodit, diſciplinæ autem prorſus*

ſus ignorat. Quis dixerit, niſi inſanus, argutari eum, qui fidei legibus inſtructus in arenam deſcendit.? An diſciplinæ potius, quam fidei aſſenſum præſtare tenemur? An diſciplinæ regulis adverſamur, cum fidei regulas amplectimur? Id ne diſciplina præcipit, quod credamus ea, quæ Eccleſia tenenda proponit? Hoc Rigoriſtarum ſignaculum eſt, ut diſciplinæ toti incumbant, fidei vero aſſenſum, quam poſſint, detrectent. Quomodo fiet, ut diſciplinæ præceptis *animum pie, fideliterque ſubmittamus*, ſi dubio aſſenſu, ſolaque reverentia ſilentium adhibendum ſit? Ipſe ait: *Corde nobis futura eſt præ omnibus catholica doctrina.... ergo damnanda ſcripta, & ſenſa, quibus ex Eccleſiæ ſententia continetur male ſana doctrina.* Credere corde eſt de fide tenere, dicente Apoſtolo: (27) *Fratres, corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Omnis catholica doctrina de fide tenenda eſt. Si ergo catholica doctrina eſt, quæ *circa ſcripta, & ſenſa, quibus ex Eccleſiæ ſententia continetur male ſana doctrina*, qua ratione defendi poterit de fide non eſſe eam doctrinam? Hunc cordis aſſenſum exigit in ſuo Decreto Clemens XI. in illis verbis: *Ut hæreticum non ore ſolum, ſed & corde rejici, ac damnari ab omnibus Chriſti fidelibus debere damnatum in quinque propoſitionibus Janſeniani libri ſenſum*; omnemque aliam credulitatem excludit in ſequenti periodo: *Nec alia mente, animo, aut credulitate formulæ Janſenianæ condemnationis ſubſcribi licite poſſe.* Quis autem mente ſanus ambigere poteſt, hic etiam reprobari credulitatem, quæ ſolum nititur humili aſſenſui, & reverenti ſilentio, excluſa fide, qua *corde creditur ad juſtitiam*?

(27) Ad Rom. 10.

98 Alia pulchro eloquio in Janſenium, & ejus aſſeclas apparenter exardeſcens effutit; ſi tamen oppugnat fidei aſſenſum, quid aliud facit, quam venuſtis technis Sinonem induere, & Apoſtolicis definitionibus ſubtiliſſimo artificio contraire, ut qui lynceos oculos non habeant, facilius fallantur. Innocentius X. Pontifex Maximus quinque propoſitiones Janſenii hæreticas, & jam antea in Pelagio, Semipelagianis, Luthero, & Calvino damnatas declarat, & definit, etiam in ſenſu à Janſenio intento, ut explicat Alexander VII. Is, ut *catholicæ Religionis integritati, & propagationi* conſulat, *& tortuoſum colubrem in varios gyros, & cavillationum deflexus euntem* atterat, & extinguat, formam edidit juramenti ab omnibus præſtandi de rejiciendis ſincero animo, ac damnandi dictas quinque propoſitiones etiam in ſenſu à Janſenio intento, & prout ab Innocentio damnatæ inveniuntur. Innocentius damnavit ut hæreticas etiam in prædicto ſenſu: ergo neque juramento ſatisfacimus, neque definitioni Pontificiæ plene acquieſcimus, ſi inſimul non teneamus eum de Cathedra loquentem, & cum infallibili Spiritus Sancti aſſiſtentia rem de fide credendam definiſſe.

99 Cle-

99 Clemens inſuper XI. Pontifex Maximus, quia ei conſtitit, *nonnullos iniquitatis filios* aſſerere prædictas propoſitiones in ſenſu Janſenii damnatas non fuiſſe, teſtatur authoritate Apoſtolica eamdem cauſam diſcuſſam fuiſſe, *ea profecto diligentia, qua maior deſiderari non poſſet: & quamcumque dubitationem ſuper præmiſſis in poſterum auferre* intendens, *ut omnes Chriſti fideles, in ejuſdem fidei unitate ſeſe contineant ex debito Paſtoralis officii, ac matura deliberatione præinſertam Innocentii prædeceſſoris Conſtitutionem, Declarationem, & Definitionem* confirmat, approbat, & innovat; declaratque & definit prædictas propoſitiones in ſenſu à Janſenio intento damnari, damnataſque fuiſſe. Poſteaque, quippe *non deſuere, nec adhuc deſunt homines veritati non acquieſcentes, & nunquam Eccleſiæ contradicendi finem facientes, qui variis diſtinctionibus, ſeu potius effugiis ad circumventionem erroris excogitatis Eccleſiam ipſam turbare, eamque interminatis quæſtionibus, quantum in ipſis eſt, involvere, & implicare conantur.* Et quia, *præterea iidem irrequieti homines, ſparſis undequaque ſcriptionibus, ac libellis exquiſita ad fallendum arte compoſitis, non ſine gravi Sedis Apoſtolicæ injuria, maximoque totius Eccleſiæ ſcandalo docere non ſunt veriti: Ad obedientiam præfatis Apoſtolicis Conſtitutionibus debitam non requiri, ut quis prædicti Janſeniani libri ſenſum in antedictis quinque propoſitionibus, ſicut præmittitur, damnatum, interius ut hæreticum damnat; ſed ſatis eſſe, ſi ea de re obſequioſum (ut ipſi vocant) ſilentium teneatur. Quæ quidem aſſertio quam abſurda ſit, & animabus fidelium perniencioſa, ſatis apparet, dum fallacis hujus doctrinæ pallio non deponitur error, ſed abſconditur; vulnus tegitur, non curatur; Eccleſiæ illuditur, non paretur &c.* Si his Muratorii ſententia, licet humili, & interno, mere tamen humano aſſenſu palliata, non opponitur, quod omnes recentiores inſignes Theologi fallantur, neceſſe ſit, & quod ipſe, hethorodoxique omnes orthodoxis prævaleant, conſequens erit. Ego tamen his potius aſſentiri cupio. Si verò prædictæ conſtitutiones tam quoad doctrinam, quam quoad ſenſum certiſſimam, infallibilemque fidei definitionem non continent, quibus aliis fidei aſſenſum præſtabimus? Ad hæc dicit Muratorius, ut jam adnotavi, ea de fide tenenda eſſe, quæ ex Scripturis, & SS. Patribus conſtant, & quæ jam in Synodis œcumenicis definita inveniuntur. Quid ſupereſt, niſi ut Pontificibus Maximis omnem aliquid novum definiendi poteſtatem adimamus? Quid abſurdius! Ille ſuo ſenſu, ſuiſque phraſibus abundet: nos planius, ſed ſecurius non modo humanum, ſed ſupernaturalem aſſenſum definitionibus Pontificiis præbebimus; ſic omnes ambages, omnes aſtus, omnia cavilla prudentiſſime vitabimus. Credo autem hunc noſtrum fideliſſimum aſſenſum ab Apoſtolica Sede

 nunquam

nunquam improbandum. Si Muratorii doctrina eâdem tabula ſalvetur, bonis avibus, & ſine animarum periculo id contingat. Ego tamen ab ejus opinione manum potius amoverim, veritus *ignes ſuppoſitos cineri doloſo.*

100 Exempla, quæ affert *pag.* 175. in ſuummet ſinum convertuntur. Iiſdem uſus fui ad probandam contrariam Muratorio ſententiam. Sic ait: *Quod autem Apoſtolica Sedes nunc exigit in Janſenii cauſa, non nudiuſtertius exigi cœptum eſt, ſed ab ipſis Eccleſiæ incunabilis.* Aſt, *ubi quempiam hæreſis Eccleſia damnavit, tum continuo pro hæretico habuit anathematizare, quos Eccleſia hæreticos declarat, renuentem.* Ergo de fide tenebatur credere eum hæreticum eſſe, quem Eccleſia talem definierat: aliàs ſic renuens contumax, inobediens, temerarius, non hæreticus diceretur. Id Theodoreti exemplum probat, id alia confirmant, quæ ſupra retuli. Quod de V. Synodo addit, & de Vigilio Papa, jam ſupra expoſui, refricare opus non eſt. Tandem ad eumdem lapidem revertitur, ut ſcilicet doceat Eccleſiam falli poſſe, ſeu infallibile judicium non habere in factis à Deo non revelatis. Optarem ſcire à quo divino Numine accepit, hæc facta concernentia fidem à Deo Pontificibus è Cathedra definientibus, omni adhibito neceſſario examine, *minime fuiſſe revelata*? Fatetur doctrinæ catholicæ ſtabilitatem, & morum regimen ab hoc judicio circa facta quodammodo dependere. Quis autem neſcit, infallibilem eſſe Pontificiam definitionem in his, quæ ad fidem, moresve ſpectant?

101 Concludit facta à Deo minime revelata ea eſſe, nempe: *Qui ſint legitimi ſucceſſores Petri.... quæ ſint œcumenica, aut probata Concilia, quæ decreta indubia Romanorum Pontificum, quæ germana Patrum ſcripta, & quid revera ſentiat aliquis ex Patribus, & quis cœlitum albo ſit adſcriptus.* Quis non miretur, quanta fallacia quæſtiones quæſtionibus immiſceat, aliasque cum aliis confundat! De Petri legitimis ſucceſſoribus, de infallibilitate œcumenicarum Synodorum, de canonizatione Sanctorum jam ſupra dictum eſt. An Pontifex hoc, vel illud ediderit decretum, an vero ab aliquo impoſtore confictum ſit, an in hoc, vel illo Concilio aliquid ab hæreticis vitiatum reperiatur, an hujus, vel alterius Patris ſcripta deturpata, vel adjecta ſint, nemo, quem ſciam, hucusque de fide credendum eſſe aſſeruit: cur ergo has quæſtiones eâdem lance perpendit? Ut certa ab incertis non ſecernantur. Ipſe ſecernere putat, dum ſic claudit: *Uno verbo, hujuſmodi factis, à Deo quidem non revelatis, ſed tamen cum dogmate connexis, ſi evidentiam præſerant, demens ſit, & nonnunquam reputetur hæreticus, qui credere, & obtemperare nolit: ſin ambigua, & dubia appareant, adhuc præſtat Eccleſiæ ſententiam ferenti &c.* Unum exprimit, & aliud ſupponit, utrumque non ferendum.

Primum,

Primum, plus deferendum eſſe morali evidentiæ, quam Pontificiæ definitioni, & fidei aſſenſum à maiori, vel minori evidentia dependere. Secundum, quod poſt definitionem Eccleſiæ adhuc res dubia apparere poſſit, & ambigendi facultas ſuperſit. En Doctor, qui Orthodoxorum immoderata ingenia reprehendit, & eos edocendi ſibi aſſumit magiſterium.

102 Ad alia properemus. *Lib. 2. cap. 2.* varias regulas conſtituit circa propugnandam veritatem, quas ſi ipſe ad unguem obſervaſſet, fortaſſe ſuum libellum non ederet circa Religionem Portugalliæ in adminiſtrando Pœnitentiæ ſacramento, in quo non ſolum non loquitur veritatem, ſed multa falſa congerit, & à certa opinione recedit. Sed de hoc poſtea. Illud aliquo ſale aut confricandum, aut condiendum eſſe arbitror, quod ibi ſcribit: *Alii* (inquit) *ſunt errores extra fidei doctrinam, ſed tamen non extra religionis pomœria. Ejuſmodi ſunt.... in veneratione tum Sanctorum, ſacrarumque imaginum, tum etiam reliquiarum, & in ipſo externo Dei cultu, atque myſteriis.* Explicatione opus eſt. Si loquitur de actibus venerationis, aut cultus Dei, hi proculdubio ad religionem ſpectare dignoſcuntur. Veneratio autem Sanctorum, imaginum, reliquiarum, juxta opinionem D. Thom. & communem, ad virtutem diſtinctam pertinet, nempe ad Duliam; licet aliàs iſte cultus, quatenus Deus in ſuis Sanctis colitur, etiam ad religionem referatur. Si vero agit de obligatione venerationis, aut cultus exhibendi Deo, Sanctis, ſacris imaginibus, Sanctorumque reliquiis, etiam indubium eſt, ea omnia ad fidei dogmata pertinere. Deum cultu non ſolum interno, ſed etiam externo eſſe adorandum, & colendum, adeo lumen naturale demonſtrat, ut etiam hæretici, & pagani non inficientur. Veritas hæc eſt infallibilis, & toties in Scripturis declarata, ut alia probatione opus non ſit. Imagines autem, & reliquias Sanctorum venerandas eſſe, etiam eſt de fide definitum *in Concil. Nicæn. II. act. 3. Gangrenſi can. ult. Carthagin. 5. can. 5. Bracharenſ. 3. can. 5. Moguntin. can. 51. Lateranenſ. ſub Innocent. III. cap. 62. Trident. ſeſſ. 25. cap. 2.* certaque eſt inter Theologos ſententia. Contrarium tenuerunt hæretici Iconoclauſtæ, Lutherus, Calvinus, Madburgenſes, & alii. Ideo qui Sanctos, aut eorum imagines ſpernunt, aut blaſphemiis inhonorant, licet hoc delictum ſit contra religionem, attamen ut ſuſpecti de fide habentur, quia contra fidei dogma ſentire præſumuntur.

103 Poſtea in §. ſeq. ſic ait: *Cum igitur in doctrina fidei quiſquam incaute delirat, neque in vulgus ſua commenta diſpergit, ſibi tantum canens, huic adhibere decet ſalutarem chriſtianæ correctionis belleborum, ubi legibus eccleſiaſticis aliter cautum non ſit, hoc eſt clam, & amice ita monendus, atque docendus &c.* Non improbabilem

lem ſequitur doctrinam, præcipue, ſi quiſquam non malo animo, ſed per ignorantiam aliquam hæreſim coram alio proferat, quo caſu ſtatim eſt monendus, ut errorem deponat. Sed contraria opinio eſt communior, & in praxi receptior. Immo alia nullatenus eſt ſequenda poſt Decretum Alexandri VII. anno 1660. menſe Auguſto, in quo diſtricte mandat, quod tam hæreticus, quam de hæreſi quamvis leviſſime ſuſpectus locorum Ordinariis, vel Inquiſitoribus omnino, nulla præmiſſa correctione fraterna, denuntietur; adeo ut ad id teneatur, licet putet eum jam emendatum, ut cum Suario, Rojas, Simancas, & aliis tenet Delbene, (28) qui ſecutus antecedenter contrariam ſententiam, poſtea eam retractat propter prædictum Decretum; quod quidem conſonare videtur *Lateranenſ. Concil. ſeſſ.9. §. Ad abolenda*, & Conſtitut. Pii I. *de qua in cap. Siquis per capillum 22. q. 1.* & Conſtitut. Julii III. quæ incipit *In multis*. Et tandem ea ſententia caute eſt habenda, ne incidamus in propoſitionem 5. ab Alexandro VII. damnatam. Hæc obiter attigiſſe ſat ſit, ut quæ ſecurius amplexanda fuerint ad Lydium lapidem probentur.

(28) P. 1. dub. 18. n. 7.

104 *Cap. 6. pag. 252.* eam ſibi arrogat provinciam, ut ad eccleſiaſticos Cenſores dirigendos aliquas regulas conſtituat, & Magiſtrorum Magiſter eruditionis ſibi aſſumens ſupercilium, *magiſterii pondus tanto levius æſtimat, quanto vim magnitudinis illius ignorat*; (29) ſed hoc illi benigniſſime condonandum eſſet, ſi in aliquas minus tutas doctrinas prolabi non videretur. Statim enim *pag. 254.* hanc habet non multum prudentem propoſitionem: *Omnia ferme ſanctorum Patrum, & antiquorum volumina aliquas habent falſæ pietatis accuſationes. Immo acerrimæ apud illos leguntur orationes, quales ne imitari quidem prorſus nos vellemus, in corruptos Clericorum, & Monachorum mores, in ſuperſtitioſas, parumque pias conſuetudines, in licentiam opinionum, in vitia Præſulum.* Si noſtrum quipiam hæc proferre auſus eſſet, temeritatis nota inureretur, & forſan ipſe fortiſſima objurgatione compellaſſet. In ſanctis Patribus frequentiſſime, & in omnibus ferme falſæ pietatis accuſationes! In Eccleſiæ Doctoribus orationes à nobis nullatenus imitandæ! Reprehenſiones ſeveræ in corruptos mores, in ſuperſtitioſas conſuetudines, in opiniones noxias, in vitia nocentia, falſæ pietatis accuſari poſſunt! Et hæc *doctiſſimi, atque prudentiſſimi inter catholicos* ad temeritatem accedere non arbitrabuntur? Hæc præludit, ut *piam pervicaciam* auſus ſit dicere eam animi devotionem, qua defendimus, tuerique juramus immaculatam Deiparæ Conceptionem. Deliravit profecto. Sed de hoc ultimo loco agendum nobis eſt.

(29) Gregor. in Prolog. paſtor.

105 *Pag. deinde 256.* Cenſores admonet, ne à prudentia diſcedant, quod fieri poteſt dum adeo caute agere ſtudeant, ut in ſcrupulos,

los, cavillationes, & aſperitatem nimiam rapiantur. Et qui iſti ſunt, quos ſatagit edocere? Hiſpanos, Luſitanosque Cenſores, quos aliquantum pungit. Tales hi ſolent eſſe electi ex millibus, ut Muratorio admonitore non indigeant. Cenſoriam virgam ſemper rectam, nunquam inclinantem, ipſi ab optimis ſcriptoribus rite inſtructi manu tenent, ut æquali ſemper libra & noxia reſpuant, & ſalubria non contemnant. Harum cenſurarum quis Muratorium, niſi ſui ipſius quam maxima confidentia, cenſorio munere conſtituit decoratum? Scrupulos appellat hæreſes ſuſpicari, errores metuere, & præcavere, ne Reſpublica, aut Religio aliquod nocumentum experiatur. Hoc tamen eorum munus eſt ſemper laudandum, ſemperque laudabile, nullatenusque reprehendendum. Tanta eſt librorum, ſive libraliolorum copia ad noſtras oras frequentiſſime appulſa, atque Cenſorum trutinæ ſubrepta, ut nulla ſufficiat cautela, nullum ſuperabundet examen, nullus ſcrupulus noxius eſſe poſſit. Furtive quandoque in vulgus ſparguntur, ut & his Muratorii ſcriptionibus accidiſſe fertur. Ferme è regionibus hæreſis veneno infectis ad noſtram adventare, compertum eſt; & ſuſpectos multoties habent Auctores. Hinc vigilantia ſumma opus eſt; occultiſſima namque toxica inter eruditionis flores ſic recondunt, ut incauti lectores inmedicabili vulnere ſauciati reperiantur, ſi eis Cenſorum opera anticipatione prudenti helleborum non præparetur. In his, ſimilibusque libris, in quibus utilitas fortaſſe nulla, (exemplum habemus) forteque damnum ineſſe poteſt, expurgandis, quam maxime elaborandum eſt, neque centoculi exploratores ad detegendas eorum larvas ſuperfluere videbuntur. Nimia in his rebus ſcrupuloſa ſedulitas nemini nocere poteſt: benigna condeſcendentia, aut parum intenta vigilantia facile eſt ut evadat exitialis. Poſtquam hæc librorum exterorum ingluvies furtive in noſtram irruit Luſitaniam, pietatem, religionem, amorem in ſanctam Sedem, in Pontificia Decreta reverentiam elanguiſſe experti ſumus.

106 Cavillationem vocat in deteriorem partem accipere ſententias, ſive voces, quæ commodiſſime in ſanum ſenſum admitti valent. Si nihil aliud recondunt, neque fidei, aut honeſtati diſconveniunt, nullus erit, qui condemnet, qui calumnietur. Si tamen, ut quandoque, non conſonam ſententiam ſub vocibus duplicem ſenſum admittentibus abſcondant, non cavillatio erit, ſed prudentiſſima cautela, eam aut non admittere, aut explicare. Hæ voces faſtoſæ, hæ phraſes æquivocæ, hæ enunciationes elegantes, hæc verba vel impropria, vel per translationem ſignificantia, ad res fidei, morum, diſciplinæque expromendas non multum conducunt, & plus nocumenti, quam utilitatis afferre contingit; neque enim omnes his artibus ſic inſtructi ſunt, ut ſcribentis mentem aſſequantur.

107 Aſpe-

lem ſequitur doctrinam, præcipue, ſi quiſquam non malo animo, ſed per ignorantiam aliquam hæreſim coram alio proferat, quo caſu ſtatim eſt monendus, ut errorem deponat. Sed contraria opinio eſt communior, & in praxi receptior. Immo alia nullatenus eſt ſequenda poſt Decretum Alexandri VII. anno 1660. menſe Auguſto, in quo diſtricte mandat, quod tam hæreticus, quam de hæreſi quamvis leviſſime ſuſpectus locorum Ordinariis, vel Inquiſitoribus omnino, nulla præmiſſa correctione fraterna, denuntietur; adeo ut ad id teneatur, licet putet eum jam emendatum, ut cum Suario, Rojas, Simancas, & aliis tenet Delbene, (28) qui ſecutus antecedenter contrariam ſententiam, poſtea eam retractat propter prædictum Decretum; quod quidem conſonare videtur *Lateranenſ. Concil. ſeſſ.9. §. Ad abolenda*, & Conſtitut. Pii I. *de qua in cap. Siquis per capillum* 22. q. 1. & Conſtitut. Julii III. quæ incipit *In multis*. Et tandem ea ſententia caute eſt habenda, ne incidamus in propoſitionem 5. ab Alexandro VII. damnatam. Hæc obiter attigiſſe ſat ſit, ut quæ ſecurius amplexanda fuerint ad Lydium lapidem probentur.

(28) P. 1. dub. 18. n. 7.

104 *Cap. 6. pag. 252.* eam ſibi arrogat provinciam, ut ad eccleſiaſticos Cenſores dirigendos aliquas regulas conſtituat, & Magiſtrorum Magiſter eruditionis ſibi aſſumens ſupercilium, *magiſterii pondus tanto levius æſtimat, quanto vim magnitudinis illius ignorat*; (29) ſed hoc illi benigniſſime condonandum eſſet, ſi in aliquas minus tutas doctrinas prolabi non videretur. Statim enim *pag.* 254. hanc habet non multum prudentem propoſitionem: *Omnia ferme ſanctorum Patrum, & antiquorum volumina aliquas habent falſæ pietatis accuſationes. Immo acerrimæ apud illos leguntur orationes, quales ne imitari quidem prorſus nos vellemus, in corruptos Clericorum, & Monachorum mores, in ſuperſtitioſas, parumque pias conſuetudines, in licentiam opinionum, in vitia Præſulum.* Si noſtrum quipiam hæc proferre auſus eſſet, temeritatis nota inureretur, & forſan ipſe fortiſſima objurgatione compellaſſet. In ſanctis Patribus frequentiſſime, & in omnibus ferme falſæ pietatis accuſationes! In Eccleſiæ Doctoribus orationes à nobis nullatenus imitandæ! Reprehenſiones ſeveræ in corruptos mores, in ſuperſtitioſas conſuetudines, in opiniones noxias, in vitia nocentia, falſæ pietatis accuſari poſſunt! Et hæc *doctiſſimi, atque prudentiſſimi inter catholicos* ad temeritatem accedere non arbitrabuntur? Hæc præludit, ut *piam pervicaciam* auſus ſit dicere eam animi devotionem, qua defendimus, tuerique juramus immaculatam Deiparæ Conceptionem. Deliravit profecto. Sed de hoc ultimo loco agendum nobis eſt.

(29) Gregor. in Prolog. paſtor.

105 *Pag. deinde* 256. Cenſores admonet, ne à prudentia diſcedant, quod fieri poteſt dum adeo caute agere ſtudeant, ut in ſcrupulos,

los, cavillationes, & aſperitatem nimiam rapiantur. Et qui iſti ſunt, quos ſatagit edocere? Hiſpanos, Luſitanoſque Cenſores, quos aliquantum pungit. Tales hi ſolent eſſe electi ex millibus, ut Muratorio admonitore non indigeant. Cenſoriam virgam ſemper rectam, nunquam inclinantem, ipſi ab optimis ſcriptoribus rite inſtructi manu tenent, ut æquali ſemper libra & noxia reſpuant, & ſalubria non contemnant. Harum cenſurarum quis Muratorium, niſi ſui ipſius quam maxima confidentia, cenſorio munere conſtituit decoratum? Scrupulos appellat hæreſes ſuſpicari, errores metuere, & præcavere, ne Reſpublica, aut Religio aliquod nocumentum experiatur. Hoc tamen eorum munus eſt ſemper laudandum, ſemperque laudabile, nullatenuſque reprehendendum. Tanta eſt librorum, ſive libraliolorum copia ad noſtras oras frequentiſſime appulſa, atque Cenſorum trutinæ ſubrepta, ut nulla ſufficiat cautela, nullum ſuperabundet examen, nullus ſcrupulus noxius eſſe poſſit. Furtive quandoque in vulgus ſparguntur, ut & his Muratorii ſcriptionibus accidiſſe fertur. Ferme è regionibus hæreſis veneno infectis ad noſtram adventare, compertum eſt; & ſuſpectos multoties habent Auctores. Hinc vigilantia ſumma opus eſt; occultiſſima namque toxica inter eruditionis flores ſic recondunt, ut incauti lectores inmedicabili vulnere ſauciati reperiantur, ſi eis Cenſorum opera anticipatione prudenti helleborum non præparetur. In his, ſimilibuſque libris, in quibus utilitas fortaſſe nulla, (exemplum habemus) forteque damnum ineſſe poteſt, expurgandis, quam maxime elaborandum eſt, neque centoculi exploratores ad detegendas eorum larvas ſuperfluere videbuntur. Nimia in his rebus ſcrupuloſa ſedulitas nemini nocere poteſt: benigna condeſcendentia, aut parum intenta vigilantia facile eſt ut evadat exitialis. Poſtquam hæc librorum exterorum ingluvies furtive in noſtram irruit Luſitaniam, pietatem, religionem, amorem in ſanctam Sedem, in Pontificia Decreta reverentiam elanguiſſe experti ſumus.

106 Cavillationem vocat in deteriorem partem accipere ſententias, ſive voces, quæ commodiſſime in ſanum ſenſum admitti valent. Si nihil aliud recondunt, neque fidei, aut honeſtati diſconveniunt, nullus erit, qui condemnet, qui calumnietur. Si tamen, ut quandoque, non conſonam ſententiam ſub vocibus duplicem ſenſum admittentibus abſcondant, non cavillatio erit, ſed prudentiſſima cautela, eam aut non admittere, aut explicare. Hæ voces faſtoſæ, hæ phraſes æquivocæ, hæ enuntiationes elegantes, hæc verba vel impropria, vel per translationem ſignificantia, ad res fidei, morum, diſciplinæque expromendas non multum conducunt, & plus nocumenti, quam utilitatis afferre contingit; neque enim omnes his artibus ſic inſtructi ſunt, ut ſcribentis mentem aſſequantur.

107 Aſpe-

107 Aſperitatem ſignificat editioni librorum obices opponere, aut opprimere quæ facile emendari poſſunt. Hoc nihil aliud eſt, quam manu occulta Cenſorum lædere incorruptam integritatem. Quis noſtrorum unquam obices non opponendos oppoſuit? Quis, quod facile corrigi potuiſſet, non benigne adnotavit, ut corrigeretur? Quis ſcriptores, aut libros, Eccleſiæ ſanctæ neceſſarios, rigidiſſime excepit? Profecto non edocet Muratorius, ſed calumniatur. Verum enim verò qui ſunt hi libri Eccleſiæ utiles, & neceſſarii? An Novatorum inter elegantiæ flores noxia complurima intermiſcentium? An ſuus *Lamindi* opinionibus piis ſeſe opponens, hæreticorum libros ob eruditionem admittendos aſſerens, Cenſorum cavillationes, & aſperitates accuſans? Quæ Eccleſiæ neceſſitas, ut ejus infallibilitas aliquo modo proſcindatur, ut Deiparæ ſanctiſſimæ immaculata Conceptio non juretur, aliaque his ſimilia? An ſua opella *Portugalliæ fides* Tribunalis fidei authoritatem conculcans? Ad elegantiam ſtyli quid dicemus? Non crepitantes periodi, non confragoſæ voces, non inuſitata verba nobis placent. Non vis facundiæ in hoc dicendi genere eſt collocanda. Si eloquia puriſſima ediſcere cupiamus, habemus Cicerones, Quintilianos, Hieronymos, Leones, Ambroſios, Chryſoſtomos, alioſque ſimiles, à quibus fontibus veras dicendi leges haurire poſſimus.

108 Poſtea *pag.* 257. hanc regulam ſtatuit: *Prudentis eſt ita depellere quæ nocere poſſunt, ut interim tamen remedium ipſum maiorem non adferat Eccleſiæ, atque reipublicæ perniciem, aut maiorem non impediat utilitatem.* Hanc optimam regulam quis non laudabit? Aſt quam cito degenerat: *Venena non dantur, niſi melle circumlita: & vitia non decipiunt, niſi ſub ſpecie, umbraque virtutum.* (30) Fatetur hæreticorum libros jure proſcribi, è manibuſque fidelium tolli: en quomodo depelluntur quæ nocere poſſunt. Statim ſubjicit: *Attamen ſiquis catholicum quemque, doctum licet, piumque virum ab hujuſmodi lectione prohiberet, is in incommodum gravius Eccleſiam impelleret, læderetque prudentiæ leges apertas.* Lædit ergo Eccleſia prudentiæ leges, cum ſimiles libros omnino prohibet? Et qui ſunt hi viri docti, piique viri? Eruntne qui de ſuamet ſapientia maxime ſibi plaudunt, ſcioli inquam aliqui, qui librorum prohibitionem ſpernentes, eorum lectioni operam navare ſtudent, & eorum vel falſis, vel parum ſecuris doctrinis inſtructi, jactantioſe garriunt, quos equidem his male ſanis doctrinis imbutos experimur? Nonne ſecurius erit, quod horum virorum ſapientiam, & pietatem Eccleſia prius perſpectam habeat, ut eis facultatem hos libros legendi permittat, ut fieri aſſolet? Sed quæ prudentiæ leges iſthæc ſunt? Me non inveniſſe, fateri non erubeſco. In quod tamen gravius incommodum impellent Eccleſiam,

(30) Ambroſ. lib. de Virgin.

cleſiam qui hos libros prohiberet? Quia docti viri artes, ſophiſmata, argumentaque hæreticorum noſcere debent, ut melius orthodoxa dogmata tueantur? Et hæc eſt maior utilitas, ut libri noxii non prohibeantur? Hoc eſt maius nocumentum, quam ipſum remedium? Hæc eſt ſufficiens ratio, ut ipſe in hanc abſolutam erumpat propoſitionem: *Facere nequeunt edicta Præſulum, ut perverſi libri ſtatim à confixione aboleantur*? Si ſunt *perverſi*, cur ſtatim non ſunt abolendi? Quo jure Præſules hac poteſtate, hoc ſui officii munere exuit? *Quanto maiora timentur eſſe diſpendia, tanto promptior, & perfectior debet eſſe cautela*, ait Chryſologus. Si ſtatim noxii libri omnino non prohibeantur, multi indocti, quorum infinitus eſt numerus, & etiam docti aliqui, aut qui de ſe ipſis eam concipiunt exiſtimationem, noxiis doctrinis decepti & corrumpentur, & alios corrumpent, & poſtea ſerò medicina parabitur: *Minus jacula feriunt, quæ prævidentur.* Securius eſt *ante tempus occurrere, quam poſt illatum vulnus remedium quærere.* Id dictant veræ prudentiæ leges, cæteræ omnes ſunt fallaces. Nihil boni in horum librorum lectione inveniri poterit, quod poſthabendum non ſit in comparatione maximi, & irreparabilis damni, quod prudentiſſime timetur. Si ita non fiat, quot erunt, qui dum per amœniſſima prata ſpatiari arbitrantur, latentis inter gramina viperæ morſu amariſſimo remaneant vulnerati. Nec flocci pendendi ſunt fructus illi, quos ex jucundis quidem, ſed infectis pomæriis carpere poterit. Eruditio, elegantia, notitia ex aliis ſalubrioribus viridariis colligendæ ſuperſunt. Ut errores, ſophiſmata, fraudes, verſutiæque hæreticorum explodantur, tam gravi diſpendio opus non eſt. In promptu eſt neceſſaria, utiliſque providentia. Ideo Eccleſia quos citra corruptionis periculum doctiores agnoſcit, ad eos legendos, & refutandos libros facultate condecorat. Nullus tamen, etſi doctiſſimus, eam ſibi aſſumere debet licentiam, quin prius prædicta facultate à ſancta Sede præſtita fulciatur.

109 Verum quidem eſt, utinamque non foret, has exitiales contagiones non ſolum inter ſegregatas à gremio Eccleſiæ Provincias divagari, ſed etiam orthodoxas invadere, ut corrumpant. Id circo tanta vigilantia, nullaque ſatis, ut omnino relegentur. Id circo tot cautelæ, tot fulminatæ cenſuræ, ut non legantur, ut non retineantur, ut in fidei Tribunalibus vel tradantur, vel denuntientur, qui eos conſtiterit retinere. Si *teterrima peſtis eſt* hoc librorum genus, cur vagari, aut debacchari permittendum erit? Cur non prohibebuntur? Cur ejus lectio etiam doctis admittenda eſt? Cur non cremabuntur, ut omnino *pereat memoria eorum, & nomen eorum non memoretur ultra*? Id fieri conſueviſſe à tempore Apoſtolorum teſtatur ſacra Pagina *Actor.* 19. *Multi ex eis, qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt*

libros, & combuſſerunt eos coram omnibus. Id etiam apud gentiles obſervabatur, quoties liber aliquis bonis moribus, aut ſuæ falſæ religioni contrarius evulgabatur, teſtibus Cicerone *lib.* I. *de Nat. Deor.* & Valerio Maximo *lib.* I. *cap.* I. Id etiam apud ipſos hæreticos moris eſt, ſemperque fuit. In doctiſſimo Carena me vidiſſe recordor, Italum quemdam doctum, quia in ſua Bibliotheca inventus fuerit liber hæreticus, punitum, & abjurare coactum fuiſſe propter vehementem ſuſpicionem ex tali aſſervatione reſultantem. Credo, neque vana fides, Eccleſiam, Pontificesque Maximos prudentia præſtare Muratorio. Cur ergo non probat ille, quod Eccleſia probat? Eccleſia præcipit, quod ſimiles libri à nemine legantur, quod crementur: quomodo ergo prudentiæ legibus conſonum Muratorius dicit eſſe, quod ſaltem viris doctis legendi permittantur? Ut refutentur? Securius ſane eſt his diſputationibus omnes aditus intercludere, ſilentiumque noſtrum non *ceſſæ victoriæ*, ſed catholico contemptui tribuendum erit. Sat in inſtructionem noſtram in orthodoxis libris ſcriptum eſt. Ad hæreticorum converſionem? Dextræ Excelſi hæc converſio opus eſt. Ipſa juvabit, & dabit vera ſapientibus in illa hora quid loquantur.

110 Alii libri, etiam hæreticorum, ſi à vera doctrina non abhorrent, & literariæ reipublicæ utilia continent, non reprobantur, neque à noſtris Cenſoribus projiciuntur. Revidentur utique, & jure revidentur; immo eadem prudentia maiorem cautelam, accuratioremque indaginem præriquirit; nomen ſiquidem Authoris, aut ejus occultatio ingentem ſecum trahit ſuſpicionem. Si ab omnibus maculis depurata conſpicitur, publicæ luci, communi utilitati non denegatur. Rara tamen avis erit in terra hæretici cujuscumque liber, qui aliquo nævo non inficietur; quì enim fieri poteſt, ut corruptus homo nullum malum odorem redoleat, etiamſi mille Sabæis aromatibus oblinitum ſeſe exhibeat. Si tamen in veritatis appenſus ſtatera inventus eſt minus habens, quæ noxia poſſunt eſſe, expunguntur, cæteris innocentibus nec in minimo derogatur.

111 Huic examini, & forte rigidiori calculo ſubjici debent qui chriſtiano nomine, & à catholicis, ut dicuntur, ſcriptoribus, frequentiſſime eduntur libri, & per univerſum literarium orbem circumferuntur. Hi quidem prima facie nihil expreſſe hæreticum afferre viſi ſunt; quod tamen ex inquinatis fontibus ebiberant, inquinatum eructant. Tales ſunt aliqui libri, præcipue ad Theologiam aſceticam, aut diſciplinam eccleſiaſticam attinentes. Primi ſub ſpecioſiſſimo prætextu ducendi fideles animas per ſpirituales vias ad æternæ ſalutis portum, in Moliniſtarum, Illuminatorum, Quietiſtarum, Beguardorum, & Janſeniſtarum, aliarumque peſtium perverſa dogmata, nolentes, volentes inſenſibiliter dilabuntur; quarum pernicioſiſſimas conſequentias

ſequentias quotidie non ſine mœrore magno, maximoque religionis detrimento experimur. Cur non invigilabunt Cenſores noſtri, ut hæc nullatenus permittantur? Alii verò, ſub reformandæ religionis velamine, antiquam diſciplinam eccleſiaſticam noſtris moribus diſconvenientem ſuſcitare ſtudent, & ad hunc finem Concilia, ſanctorumque Patrum libros pro ſuo ſenſu aut deturpant, aut peſſime interpretantur: hincque plurima circa ſacramentorum adminiſtrationem, quæ ipſi ſomniant antiquitus uſitata, introducere iterum adnituntur; nec hodiernæ diſciplinæ parcunt, quin potius conviciis laceſſunt, ac dilacerant. Alii quoad moralem ſcientiam opiniones quidem ſpeculative probabiles, ſed in praxi nullatenus admittendas, à ſanctaque Sede jam propſcritas iterum docent, ſuſcitareque intendunt. Hi Auctores, aliique ejuſdem indolis multa utiliſſima, multa maximæ eruditionis interſerunt, ideoque non ſunt penitus obliterandi; ſed neceſſarium eſt, ut Cenſorum cribo offerantur, ut bonum triticum à zizania ſeparetur, illorum ſcilicet, qui butyro, melleque enutriti optime noverint reprobare malum, & eligere bonum: aliter fiet, (quod nos docet optima magiſtra experientia) ut qui labore alieno aliis eruditi videri ambiunt, neſcientes certa ab incertis ſeparare, in erroneas, falſaſque ſententias dilabantur. Unde prudentius ageret Muratorius, ſi mittenda manu in ſegetem alienam abſtineret, Hiſpanoſque Cenſores in ſuo munere explendo intactos relinqueret.

112 Mirum ſane qua calidiſſima arte, & veluti mitiſſima manu, ſed acutiſſimo calamo pungit, ac ferit, & uſque ad penetralia famæ pertingit, dum eoſdem inſimulat, ac maximi facinoris accuſat, eo quod non ſolum recentiorum libros, ſed etiam ſanctorum Patrum audeant emaculare. Impoſturæ reus judicandus erit. Sanctorum Patrum ſcripta germana omnes noſtri, Hiſpanique Cenſores quam maxime venerantur, quos Eccleſia recepit, ipſi reverenter recipiunt, amplectuntur. Sed Muratorium percontor. Aut in ipſis ſanctorum Patrum voluminibus inveniuntur quædam fidei, aut religioni conſona, vel non? Si non; quare de viris doctiſſimis, ſelectiſſimis eam temeritatem ſuſpicatur, aut in publicum prodit, ut ſugillet? Id de tantis viris credendum non eſt: ſupereſt, ut Muratorius non vello levato accuſet, ſed evidenter probet; alias calumniatoris pœnis mulctandus erit. Si verò noxiæ doctrinæ in eis reperiuntur, quæ ratio ſufficiens aſſignari poterit, ut non deleantur? Sophiſtica penitus eſt Muratorii ratio. Utilitas non eſt paucorum, ſed omnium: incommodum nullum inde paratur, nullum ipſis ſanctis dedecus, nulla inde injuria Eccleſiæ inſtruitur. Non fidiſſimis editionibus fides adimitur, ſed vitiatis. Non Patrum honos minuitur, ſed augetur, atque ab illato dedecore vindicatur. Quis proferre audebit, aurum à fæcibus expurga-

tum de ſuo intrinſeco valore deperdere, aut ſuam imminuere æſtimationem?

113 Me hercle, ſi non latet anguis in herba, Muratorii mentem non attingo. Licitum fuerit hæreticis ſanctorum Patrum libros mendis replere, ſuas ſententias vitiare, ut eas cavilloſe in nos retorqueant; nobis verò in vitium dabitur, quod iſtos libros ſic infectos emaculemus? Æquum erit, quod iſti libri iterum, atque iterum impoſturis maculatos typis mandentur; injuſtum verò quod à nobis hæ maculæ aſpergantur? Dedecus Patrum judicabitur, quod ex eorum libris inſerti à Novatoribus errores expunguntur; & non vertetur in eorum ignominiam, quod cum prædictis erroribus publicam lucem videant? Quis neſcit quanta hæretici machinentur, quanta falſa ſanctorum Patrum dictis intermiſceant, ut iis in perniciem religionis catholicæ abutantur? Quanta Auguſtino, quem ſuum ſemper faciunt, falſiſſime attribuunt? Ergo Sanctorum gloriam, & honorem quærunt, qui opera ſua ab his doloſiſſimis impoſtoribus reſtituit vindicata. Non inde malam cauſam noſtram ſuſpicari poſſunt Catholici, immo plenius iſtorum hominum verſutias agnoſcent. Non iſtud eſt à ſanctis Patribus metuere, ut effingit Muratorius, ſed pro eorum doctrina acerrime dimicare; ſic inimicorum arma fraudulenta franguntur, ſic eis blasfema clauduntur ora, cum eorum aſtutiæ declamantur. Non hoc eſt, ut ille ait, malis artibus veritatis cauſam tueri, ſed uno validiſſimo ictu falſitatem omnino proſternere. Aliis argumentationibus opus non eſt. Si nobis opponant: Sic Auguſtinus docet; uno verbo tota eorum machina ruet. Mentiris: non Auguſtini hic locus eſt, ſed veſtrorum, qui ſententiam Auguſtini deturparunt. Hac in caput ſuum retorta ſagitta repercuſſi cadent, & obmuteſcent. Si tamen adhuc garriant, quid pavendum eſt? Latrare poterunt, mordere non poterunt. Sic fecit Guillielmus Cave, cujus audacia veſtigia premit Muratorius.

114 Maxime laudat, quod aliæ Catholicorum Provinciæ *non imitentur hoc Hiſpanorum facinus*, (ſi moderatius loqueretur, melius ageret) *& prodire adhuc inter ipſos Catholicos ſanctorum Patrum opera, nec ullo quidem apice dempto, in Gallia potiſſimum.* Forte ſi Hiſpanos, Luſitanoſque imitarentur alii Catholici, ſuæ pietatis, ſuæ religionis, ſuæ maximæ in rebus fidei vigilantiæ laudabiliter æmuli, non adeo erroribus contaminati invenirentur? Quæ Catholicorum Provinciæ ita errorum immunes ſunt, quæ in aliqua noxia non prolabantur? Prætermitto, quæ Lutheranorum, Calviniſtarum, Proteſtantium, Reformatorum, & ſimilium hæreſibus omnino infectæ ſunt. Quot tamen inter ipſas catholicas Provincias Hugonis, Baii, Arnaldi, Janſenii, Molinos conſpurcati inveniuntur? Quot libri his peſtibus corrupti, ſed mira eruditione larvati in lucem prodeunt? Oh utinam mendacii

mendacii reus efficerer! Oh utinam ad noſtros fines non pervenirent! Profecto, ſi ita fieret, morum, ac religionis laxitatem nimiam non experiremur.

115 Quid tamen blatit Muratorius? Vel exteræ editiones genuina Patrum opera in lucem proferunt, vel à cavilloſis Novatoribus deturpata? Si primum, laudandi plurimum ii ſunt, & Cenſores noſtri etiam laudandi, qui germanos Patrum fœtus nec in apice offendunt. Si ſecundum, injuriam maximam Patribus inferunt, dum quæ eis falſo, & aſtute addita cognoſcuntur, quaſi ſua, legenda proponunt, in quo non modo non laudandi, ſed potius maxime vituperandi ſunt qui hæc ſic vitiata edere non reformidant. Quippe qui & Patrum exiſtimationem audacter lædunt, dum pernicioſas ſententias eis attribuunt, & perniciem legentibus afferunt, qui erroneis doctrinis, putantes eas Patrum eſſe, confidenter acquieſcunt, miſerrimeque hallucinantur. In has ſuppoſititias, nocivasque additiones merito Cenſores noſtri expungendo invehuntur. Neque ſatis eſt, quod hæ additiones in indicibus expurgatoriis adnotentur; non enim omnes eos habent, nec ſic laborare tenentur, ut quoties alicujus ſancti Patris ſententia ad manum venerit, neceſſe habeant expurgatorios indices percurrere. Facienda eſt differentia inter legitima, ſpuriaque ſcripta. Priora intacta relinquuntur, & ſi forte aliqua indigent interpretatione, id in indicibus, vel in aliis libris explicantur: cætera expurgantur, ut legentes ſciant, eam non eſſe illius Patris ſententiam, ſed ab alio ſubdole adjectam. Si id Muratorio non placet, ſuo ſenſu abundet, ſed aliis abſentibus non obloquatur.

116 Ipſe inſtar illius, qui alapam impingit, & abſcondit manum, poſtea excuſare intendit, & fatetur Hiſpanos Cenſores in germanum textum nihil tentaſſe, ſed tantum in indices, infidasque interpretationes. Cur ergo hucuſque accuſavit? Cur de ipſis aſſerit eodem in loco eos *aperte, non clanculum, truncanda eſſe quædam Patrum loca edixiſſe*? Truncanda dixiſſent, quæ eis affinguntur; vera, germanaque delenda eſſe, neque eis in mentem veniſſe, certum eſt. Sed & falſiſſimum quoque in eos dicitur teſtimonium, cum aſſeritur, Cantica Canticorum legenda denegari, quaſi neſcirent ex divina lectione, ex qua homines, divina quadam impellente vi, ad amandum Deum incitantur, minus honeſta animo concipi non poſſe. Id nunquam in noſtrum mentem venire contingit; & debebat Muratorius, ut moderationem, quam alios docet, prius ipſe obſervaret, his convitiis abſtinere. Credidit tamen Hiſpanæ gentis invidis, contumelioſisque impoſtoribus: credidit leviſſime exterorum criticis, ac maledicis ſcriptionibus, in quibus maxime verſatus ex ſuismet ſcriptis convincitur, & *quod levis mens concipit, levior protinus lingua prodit.*

117 Huic

117 Huic vitio adſcribendum eſt quod ſequenti §. ſic ſcribit: *In his procul dubio occurrunt aliqua.... aut etiam ab Eccleſiæ totius mente, ac traditione aliena. Expungenda autem iſta non ſunt è publicis editionibus.* Fortaſſe dici absque Patrum injuria poterit, eos ſcripſiſſe ſententias *ab Eccleſiæ totius mente, & traditione alienas*? Audet hæc is criticus ſcriptor? Si tamen ſunt alienæ, non ſuæ ſunt, ſed ab aliquo malevolo impoſtore inſertæ; ſancti Patres, nempe, quos Eccleſia colit *Magiſtros, & veritatis teſtes*, edocere nequaquam potuere quidquam menti Eccleſiæ non conſonum, aut traditioni contrarium. Cur ergo *ex publicis editionibus* quidquid tale inveniatur ſcriptum, *expungendum non eſt*? Nulla alia ratio, niſi quia huic Magiſtrorum Magiſtro id non arridet. Ejus fundamentum eſt inane, nullaque ſoliditate ſtabilitum, in quo certe non Eccleſiæ, ſed Novatorum jura tuetur. Non formidat Eccleſia à ſanctis Patribus, non pavet ab hæreticorum inſultibus, ſed veritatem quærit, & adulterinos partus eiſdem Patribus inſidioſe adoptatos, prudenter rejicit: lucem ambit, ac oppoſitas luminaribus ſuis ſubortas nebulas omnino diſpellit. Quid noſtra interſunt Novatorum querelæ? Oblatratus ſuos nec flocci pendamus: id in more habent; cur nobis cavendum eſt, ne conquerantur? Qua tamen ex cauſa has fundunt querimonias? Quia depuratis Patrum libris, eis omnino adimuntur arma, quibus nos ferire arbitrabantur. Eccur ergo hæc tella ex iiſdem noſtris armamentariis ſubminiſtrabimus? Ipſe fatetur mille injuriis affectos fuiſſe Monachos, eo quod M. Sc. Patrum Codices expurgaſſent, eaſque ignominias inique, & ingratiis jactata eſſe. Si Monachis id datum cum laude fuit, quare noſtris Cenſoribus adimendum, ut quod aliorum vigilantia præteriit, ipſi ſuppleant, & Patrum ſcripta ab omni labe oſtendant præſervata? Solus Muratorius id argueret, id condemnaret. Sed quid, *ſolum*, dico! Ductores habuit optimos Danielem Francum, Bailletum, aut Morhoſium: quam religionem hi profiterentur, ſuamet ſcripta patefaciunt.

118 Hæreticos contumaces, immo & relapſos plurimum excuſare intendit *pag. 326. & ſeq.* Charitatem præ oculis habendam deprædicat, cui doctrinæ & nos libentiſſime adſtipulamur. Hæc tamen debet eſſe non ficta, non falſa, non aliis virtutibus contraria. Non ſic amplexanda eſt, ut juſtitia deſeratur. Erga privatos homines aliàs delinquentes non ea charitas eſt exoptanda, quæ prævaleat charitati erga communitatem exercendæ. Similes homines rempublicam maxime lædunt aut doctrina, aut exemplo: membra putrida ſunt, quæ ſi non abſcindantur, reliquum eſt, ut & cætera contagione teterrima inficientur. Sed & diſcriminis ratio inter civiles, & eccleſiaſticos Magiſtratus ſervanda eſt. Civiles Magiſtratus legum Miniſtri huic

pietati

pietati vacare non poſſunt, quin in leges delinquant, aliàs ſanctas, juſtas, atque ab ipſis ſacris canonibus approbatas. Jubent illæ ultimo ignis ſupplicio punire delinquentes, probato plene crimine: nihil aliud poſſunt judices in conſcientia, quam in cognitos reos omni legum ſeveritate animadvertere. Si æternæ pœnæ inde ſubjiciantur, ſibi imputent, qui edoctam veritatem à Theologis ad id vocatis amplecti nimia pervicacia reſpuerunt. Agitur in his legibus de communi bono tuendo, quod ſemper præponderat. Credo ſapientiſſimos legiſlatores Muratorio prudentia excelluiſſe, qui tamen conveniens eſſe non duxerunt, aliis mitioribus pœnis uti, & tam atrox, tam pernicioſum delictum inæquali punitione caſtigare. Si in exilia mittantur, in aliis regionibus venena ſua liberius ſpargere poterunt, & ibi innocentes corrumpere; vel in eas libenter effugient, ut Judæi faciunt, in quibus ſectæ ſuæ, ſine pœnarum metu, & abſque emendationis ſpe, gaudentes, tutiſſimique adhæreſcant.

119 Magiſtratus verò eccleſiaſtici, charitate ſemper præ oculis habita, nihil prætermittunt, quod ad converſionem hæretici proficere poſſit. Monent, arguunt, edocent, Doctores vocant, qui eos vero dogmate inſtruant, neque in eos animadvertunt, dum emendationis aliqua ſpes ſuperſit. Eorum primus ſcopus eſt animas Deo lucrifacere; prudentiam, (ut Apoſtoli ſententiam ſequantur) modeſtiam, benignitatem, manſuetudinem, pietatem erga reos ſuos indiſſicienter exercent; dumque oleo curare poſſunt, non utuntur gladio, omniaque obſervant, quæ Muratorius expendit. Qui tamen, *ut acer pennis, & curvis unguibus ales*, his flexibus fertur, ut in ſanctæ Fidei Luſitanum Tribunal, quaſi in optatam prædam citiſſime deſcendat. Levitati maximæ tribuendum eſt, quod fugitivis Judæis falſiſſimas querimonias fundentibus aſſenſum præbeat. Quæſitores Luſitani rigori pietatem ſemper præferunt, non falſis informationibus, non levibus ſuſpicionibus ducuntur, non carceribus, non infamiæ addicunt, niſi quos ſacræ leges præcipiunt; nihil agunt, nihil attentant, quod ſanctionibus eccleſiaſticis, Pontificiiſque decretis ſtatutum non ſit: non ambitu, non æmulatione, non odio, amoreve moventur. In contumaces, in relapſos, in convictos, negativoſque procedit, ut jura conſtituunt; cum nulla jam ſpes ſubeſt, Curiæ ſæculari tradit, ut eos ſecundum leges puniat; nullam tamen perdit operam, ut ad Deum convertat. Si id ſperat, non illico arripit ſecurim, ſed lentiſſime procedit, quoſque vidit non voluntatis, non contumaciæ errore duci, ſed intellectus, per multos annos retinet, ut eorum converſionem conſequatur.

120 Sibi contrarius (ut frequenter aſſolet) *pag. 511. & ſeq.* hæreticos damnandos puniendos eſſe, nec à Magiſtratibus aut civilibus,

aut

aut eccleſiaſticis permittendos eſſe admonet, ibique in Phereponum vehementer, jureque optimo invehitur. Videat tamen ne in ſe ipſum ſententiam dicat, quidquid enim circa hanc rem ſcribit Phereponus, ipſe loco ſupradicto, ut Luſitanum Tribunal laceſſiret, amplecti viſus eſt. Sed quidquid ibi ipſe contra Phereponum adducit, potiori jure in eum retorquemus. Diſcat ſcriptorum non obliviſci, ne præjactæ ſagittæ in verticem ſagittantis convertantur. Hæc circa Fidei Tribunal dicta volo, nam circa alia merito Phereponus confunditur, & impugnatur.

121 Nimia charitate ſua documenta alia interſerit; vult enim quod voluntatis inclinatio ad bonum, & verum hæreſis culpam ſic extenuet, ut quamvis in errore pertinaciter quis exiſtat, non ſit ultima pœna puniendus. Veluti ſi prona ad veritatem voluntas compati poſſit cum pertinacia in errore, non teneaturque iſte ſic obtenebratus veritati ſibi propoſitæ aſſentiri, & cedere doctrinis ab Eccleſia ſemel, atque iterum definitis. Myſterium Trinitatis, Incarnationis, unionis hypoſtaticæ, Euchariſtiæ quis capere intellectu poterit, ſi prævia fax non præcedat cæcæ fidei prona voluntas, humiliſque aſſenſus, quo intellectum ipſum fidei in obſequium captivemus? Pia affectio primus gradus eſt ad fidei aſſenſum; hanc qui habeat, orthodoxis dogmatibus non difficulter annuet; qui non habeat, nullam ad bonum, & verum inclinationem habere dicendus erit, quæ inſita quadam vi ad veræ fidei aſſenſum provocat, & attrahit. Quiſque id renuat, non ſincera in bonum, & verum inclinatione præditus, ſed ingenio elato, ac vinci neſcio imbutus habendus erit. Hanc bonam voluntatem fictionibus aſſueti omnes fere hæretici fingunt, ut pœnas promeritas evadant. Sed edoctæ veritati acquieſcere nullus ſcit. Si ex hac ratione extenuanda fuiſſet eorum culpa, omnes incolumes relinquendi eſſent, omnes expectandi ad reſipiſcentiam, quæ nunquam eveniret, & Eccleſiæ gladius illuderetur, nec alii timore ſaltem ſupplicii ſimilibus erroribus abſtinerent. En quo tendit Muratorii charitas, en ſui documenti ſcopus, cujus intellectum hæc ratio non movet, ſed in contrarium ducit alias futilis, nimiumque ſuperſtitioſa. Inquit, quod *teterrimus ille mortis terror facit, ut pro apertis hæreticis fictos non raro habeamus catholicos.* Congruentius diceret, quod mortis timor facit, ut pro veris Catholicis habeamus fictos catholicos, veros tamen & mente, & corde proculdubio hæreticos.

122 Ejus ratio ea eſt; quia conſtantia, qua intrepide hi ad ultimum ſupplicium merito condemnati mortem ſubeunt, occaſionem præbet, ut ipſe error latius ſerpat, eo quod incautis hominibus videatur eam conſtantiam non animorum pertinaciæ, ſed veritatis virtuti tribuendam eſſe. Quam ineptus ſit is ſyllogizandi modus, quis non videat?

deat? Quis orthodoxus, quis veræ fidei principiis inſtructus in hanc fatuitatem declinabit? Dolebit equidem hominis cæcitatem, dolebit contumaciam, dolebit diabolicam deceptionem, dolebit miſerum morientis ſtatum; ſed conſtantiam laudare, virtuti, aut veritati eam tribuere, ipſa moveri ad eumdem errorem admittendum, nullus, ut credo, ita demens erit, ut ſic audeat, ſic decipiatur. Si tamen aliquis fortaſſe fuerit, qui in ſimile prorumpat deliramentum, ſua culpa id accidet, & ſaltem ſimilis ſupplicii timore perterritus ab eadem pervicacia ſecurius arcebitur. Eccleſia, ejusque Magiſtratus id intendunt, ut fides, & religio inconcuſſæ perſiſtant, ut tam nocua delicta puniantur, & cæteros in vero dogmate pœnarum metu contineat. Quod aliquis, vel aliqui in ſuomet judicio, ſuamet culpa, aut ignorantia fallantur, id in conſideratione Eccleſia non habet, quia multorum utilitas huic privatæ ſtultorum utilitati præferenda eſt. Idem Muratorii judicium in aliis delinquentibus æque procedit: fures, homicidæ, & alii ejuſdem generis multoties maxima conſtantia, quæ animi robori tribuenda eſt, mortem ſubeunt. Quis adeo hebes erit, quis adeo incautus, ut eam conſtantiam veritatis virtuti adſcribendam eſſe ſentiat, & ita deliret, ut furta, homicidiaque licita eſſe ſecum judicet, & inde exemplum ſumat, ut in eadem facinora prolabatur? Quis ex hac cauſa eorum punitionem differendam eſſe arbitrabitur? Rationem congruam differentiæ cuperem exaudire. Ipſe Muratorius, ſtatim poſt has ponderatas rationes, hos homines vivere diutius inter gentem orthodoxam non ſinendos eſſe ait. Ad quid ergo tot in contrarium ponderationes, tot documenta?

123 Tranſitum deinde facit ad alios non pertinaces, in vanumque deſudat; hos enim Fidei Tribunalia Luſitana ultimo ſupplicio nunquam addicunt. Cum eis reſipiſcentibus, errorem ſuum abjurantibus, & vera dogmata profitentibus benigniſſime ſe habet, & juxta renitentiæ, aut confeſſionis modum, aut nullis, aut levioribus, aut gravioribus pœnis confeſſos, pœnitentesque ſubjiciunt. Id nullus eſt qui neſciat, qui non videat, qui quotidie non experiatur. In re notiſſima ſupervacua penitus fuit Muratorii aut admonitio, aut reprehenſio.

124 Id apud ſuos ſupervacaneum eſſe fatetur, ſiquidem apud eos *non ſine prævia, eaque gravi cognitione rerum* videt procedi. Hæc eadem regula in noſtris Tribunalibus obſervatur. Neque juſta aliqua eſt cauſa, ut contrarium ſuſpicetur. Superfluum igitur fuit ea referre. Si autem retulit, & ſuos excipere ſtatim voluit, quid ſentire poſſumus, niſi eum quoad noſtra Tribunalia contrarium penitus ſenſiſſe? Cum tamen ſine ullo fundamento eam opinionem concipiat, ſupereſt, ut arbitremur eum detractionis palliatæ ſtimulo fuiſſe commotum.

125 Ait errorem fortaſſe in iis rebus, & controverſiis verſari, quas nondum Eccleſia, aut Concilia credendas ſtatuerint. Alibi ſibi contrarius, ut jam notavimus, aſſerit, nihil de fide eſſe, quod ab Eccleſia, & Conciliis definitum non inveniatur. In rebus dubiis, opinionibusque adhuc non reprobatis nemo hæreſis formalis accuſatur, neque ob id punitur. Si tamen opinionibus erroneis, ſcandaloſis, temerariis, male ſonantibus inſiſtat, cur non erit Tribunalis ad id inſtitu:i de eis judicium ferre, proferentes reprehendere, punireque, ſi contumaces in ſua ſententia perſiſtant? Cur eis ſic errantibus non acquieſcere Tribunali Fidei, ejusque Qualificatoribus judicium ſuum non ſubjicere permiſſum erit? Hæretici forte non erunt, ſed de hæreſi ipſamet contumacia ſua ſuſpectos reddit. Id edocet omnis Theologorum cohors. Eluderent ipſi Tribunalium juriſdictionem, ſi eis liberum eſſet, ſuam ſententiam nondum eſſe ab Eccleſia univerſali proſcriptam, proclamare. Non ſibi fidere, ſed Quæſitoribus, & Theologis peritis mentem ſubjicire, & aſſenſum præbere debent. Quis Theologis hanc qualificandarum propoſitionum facultatem negat? Non infallibile eſt judicium ſuum: hoc Sedis Apoſtolicæ privilegium eſt; ſed adeo moraliter certum, & pro certo habendum, ut ei reſiſtere, non aſſentiri, pervicaciter reluctari tenacitati tribuendum ſit. Lirinenſis, Caſſianus, & alii, immo & Cyprianus ipſe, hæretici non fuere, quia judicio Eccleſiæ, errore depoſito, reverenter ceſſerunt. Si tamen ſemel, atque iterum admoniti ſuo judicio adhærerent, quis dubitat, ut hæreticos fuiſſe habendos?

126 In magnam me vergere ſuſpicionem cogit, quod ad ſuum aſſumptum probandum, nullæ aliæ ei in mentem venirent quæſtiones, niſi quæ de gratia & libero arbitrio in ſcholis verſantur: has ſcilicet, in quibus, ut Lutherum, Calvinum, Wicleſumque prætermittam, Arnaldus, Baius, Janſenius, Voetius, Mareſius, aliique illorum aſſeclæ miſerrime lapſi ſunt. Dari in hac materia diverſas ſcholas, qui Scientiæ Mediæ, & Phyſicæ prædeterminationis, cum aliis quæſtionibus ex his emergentibus, aliqua notitia instructus fuerit, non dubitabit. Has ſcholas licet inter ſe dimicantes tuto defendi, & teneri poſſe poſt diuturnas concertationes decrevit Paulus V. nulla ſiquidem à vero fidei ſenſu deviare viſa eſt. Has ſententias qui ſequatur, vel alias ex his provenientes hucusque admiſſas, & ab Oraculo Vaticano minime reprehenſas, nec Fidei Tribunali ſubjicitur, neque à ſancti Officii Cenſoribus inuritur; ſciunt enim optime Qualificatores, quæ ſententiæ in ſcholis verſentur, & quæ ſine crimine defendi poſſint. Cautela tamen nimia adhibenda eſt, ne harum opinionum prætextu in propoſitiones dubias, & male ſonantes, aut hæreticis conſonas pro ſuo arbitrio quisque prorumpat. Hunc verum

ſenſum

ſenſum examinare, & depromere ad Fidei Tribunal attinere certum eſt, auditis prius eximiis, doctiſſimiſque Theologis, quibus profecto temeritatis maximæ erit non aſſentiri. Solent enim qui male ſentiunt, has excuſationes prætendere, & ſuos errores ſic technis, & pigmentis ornatos exhibere, ut omnem Theologorum cenſuram effugere conentur. In hac materia ſic caute procedere ſolet Tribunal, ſic Theologi, ut ſi propoſitio apta ſit, ut in bono, vel malo ſenſu accipi poſſit, conſideret qualitatem, moreſque proferentis, & an contra eum aliqua reſultet ſiniſtra ſuſpicio; ſi nulla in proferentem ſuſpicandi ratio detur, ſemper propoſitio in vero ſenſu accipiatur. Sin autem proferens ſuſpectus ſit, de ſenſu ſuo examinetur. Hæc eſt communis ſententia in praxi obſervata, de qua Simancas, Rojas, Navarrus, & alii apud Delbene. (31)

(31) P. 2. dub. 195. ſect. 53. & dub. 198. ſect. 11.

127 Alia addit ſuperflua ſane, aut a communiori ſententia diſcrepantia. Qui ſola ignorantia errant, falſa dogmata non amplexuri, ſi ea talia agnoſcerent, ſi eorum ſincerus animus deprehenditur, benigniſſime excipiuntur; nec rigide, ut ſupponit Muratorius, hæreticorum pœnis mulctantur. Suaviter commonentur, & ſi acquieſcunt, in pace remittuntur, vel ſaltem, cum juris regulæ aliud expoſcunt, leviſſimis pœnis paternaliter caſtigantur. Multoties accitum monent, & ſine reluctamine acquieſcentem leniter dimittunt. Nihil, quod pietatis, ac charitatis ſit, noſtri Quæſitores prætermittunt; Chriſtianos vult facere Tribunal benignitate, non rigore. Hoc ſolum utitur, cum nullum aliud ſupereſt remedium.

128 A communi autem ſententia recedere manifeſtum eſt, cum aſſerit, contra jus pugnare eam agendi rationem, ſi errantem in opinionibus Theologicis, nondum ab Eccleſia, aut à Romano Pontifice definitis, cogat Fidei Tribunal ad recipiendam opinionem contrariam. Et ut ſuam probet ſententiam, ſic diſcurrit: *Numquid enim tua opinio ab illorum opinione diverſa, ideo verior, & ſanior eſt, quia tu potentior quam illi? Ne tu quidem, ut puto, id arbitrere.* Optima ratio, ſi contentio eſſet inter duos privatos Theologos. Sed quando res agitur cum Tribunali, aut cum Epiſcopo judicante, & docente, futiliſſima eſt argumentatio, futiliſſimum quidquid ad idem intentum ratiocinatur. Tenetur ipſe Tribunali, aut Epiſcopo, viriſque doctis ad id vocatis credere, & aſſentiri, aliàs ut ſuſpectus de hæreſi, & aliquando ut contumax puniendus erit. Videatur Delbene, alios referens, qui optimas rationes ad id expendit. (32) Debuerat ergo Muratorius non condemnare quod optimi DD. docent, ſuoque non fidere judicio.

(32) P. 1. dubit. 4. petit. 2.

129 Multa alia adnotare poſſem, quæ per totum ſuum opus de *ingeniorum moderatione in fidei negotio*, & de ſcriptoribus, quos

quandoque plurimum extollit, profecto magna ex parte heterodoxos inutiliter congeſſit. Sed res iſta latiorem expoſcit indaginem. Non ſilebo tamen Druſium, & Grotium certe hæreticos inſignes. De Druſio lectionem non habeo. Grotius verò, quidquid ipſe dicat, atheus ſemper vixit, & tandem Proteſtantibus addictus obiit. Certe in jure civili optimus fuit, præcipue circa jus publicum. In epiſtolis malus non fuit, ſed inter primates locum non obtinuit; nec ſtylus fuit ſemper idem. Multa ex Bodino, (quem laudat in *epiſt. ad Gallos* 146. & 170.) atheo uſurpavit, ſimiliter ex Soccino ejuſdem ſectæ complurima mutuatus eſt, præcipue in commentariis criticis in univerſam Bibliam, in quibus per quatuor tomos diſperſa complurima inveniuntur erronea, complurima Soccianiſmum redolentia, ubi in explicandis Rabbinorum locis multoties fallitur, multos ejus errores adnotavit Eſdras Edzardi. Si verum fateor, riſu dignum mihi videtur, (parcat Petavius) quod ipſe eo animo eſſet, ut è Suecia reverſus catholicam ingrederetur Eccleſiam. Si ea ſua mens erat, quis eum prohibuit, ne ingrederetur? Cur ſaltem in morte chriſtianam religionem non fuit profeſſus? Potuit ex Atheiſmo ad Proteſtantes declinare, non potuit ad Orthodoxos? Neque plurimum movet me, quod Scripturæ, & ſanctorum Patrum ſententias in recto ſenſu multoties explicaret. Id etiam in aliis hæreticis experimur, cum inter ſe digladiantur. Neſcit enim nemo quam multæ, quam diverſæ ſint eorum ſectæ. Unusquisque ut ſuam defendat, in alios optimis & perſpicuis utitur Scripturæ locis. Sectarii iſti non in omnibus à fide catholica, ejusque dogmatibus diſſentiunt, ſed in aliquibus articulis: quoad hos Scripturæ ſenſum deturpant, quoad alios verum ſenſum retinent, veram doctrinam amplectuntur. Placebant ei plurimum Tridentini regulæ, quia rationi conformes: ſed ideo infelicior, ideo damnabilior, quia eas non recepit. Traditionibus aſſentiendum ei viſum fuerat, quia non ſequebatur ſectarios aſſerentes ſoli Scripturæ, non verò traditionibus ſtandum eſſe; ideo contra Rivetum ſic ſcripſit; & per conſequens neceſſe fuit, ut ad ejus interpretationem confugeret ad veteres ſcriptores, & univerſalia Concilia. Id etiam amplectuntur alii ſectarii, & tamen ſectarii ſunt. Suus liber *de Veritate Relig. Chriſt.* teſte Sponio, plagii accuſandus eſt, ut traductus à quodam libro arabice ſcripto adverſus Mahumedanos, & Judæos; & multa tamen continat nullatenus approbanda. Alius liber *de Antichriſto* multa continet catholicæ doctrinæ conſona, ſed multa diſſona, quod facile fuiſſet demonſtrare, ſi ad alia non provocarer. Videatur doctiſſimus Calmet in ſuis Diſſertationibus Biblicis, ubi paſſim Grotium reſpuit, ac explodit; atque doctiſſimus etiam Boſius in eumdem hæreticum acriter dimicans, ac in numeros ejus errores oſtendens. Et Pouget *in Inſt. Cathol. tom.* I.

ſect.

ſect. 4. cap. 2. §. 18. Illud certum, eum ſemper hæreticum vixiſſe, hæreticum obiiſſe. Placeat Grotius Muratorio, aliis placeat garrulis, mihi non placet, quia non placuit Deo, teſtante Apoſtolo, quod *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Nullus hæreticus, etſi doctiſſimus, etſi eruditione plenus, mihi arridet; ſuorum librorum lectioni incumbere non juvat, quamvis ſuarum eruditionum expers remaneam: *Melior eſt fidelis ignorantia, quam temeraria ſcientia.* (33) *Ubi non eſt ſcientia animæ, non eſt bonum.* (34) *Non plus ſapere, quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.* (35) Sine hæreticorum lectione ſalvabimur, ſine eorum eruditione ſapiemus, & ab eorum inſidiis fugientes, pro fide, pro vera religione imperterriti ſemper adſtabimus.

(33) August.
(34) Proverb. 19.
(35) D. Paul.

130 Ex conſulto ad hunc locum reſervavi, quod Muratorius ſub nomine Lamindi *lib. 2. cap. 6. pag.* 254. impiiſſime, nimiſque audacter ſcripſit circa pietatem, (quam pervicaciam pervicax ipſe vocat) qua immaculatam Deiparæ ſanctiſſimæ Conceptionem Hiſpani, Luſitanique præcipue venerantur, jurantque tueri. Temerarius ipſe in ea ſe proripit deliramenta, ut reprobare intendat, quod ampliſſima Orthodoxa Regna tot ſapientiſſimis Theologis referta, quod eximiæ nulli inferiores Univerſitates edocent, ac defendunt. Infelix ego, qui toties eamdem Deiparam immaculate conceptam pro viribus defendere juravi! Infelices tot egregii Conimbricenſes Magiſtri, quotannis idem jurantes! Infelix Regnum, infelices Hiſpaniæ hac perjurii labe infectæ! Supererat unus Muratorius, qui audenter nimis in tot ſapientiſſimos Præceptores, in Theologos doctiſſimos, in viros virtutibus, & ſapientia pollentes, in univerſas Religiones, in omnes noſtri Regni, & Hiſpaniæ Ordines caput extolleret, aſperiſque vocibus clamaret. Errant omnes; ſolus Muratorius veritatis viam feliciter adinvenit. Oh quantum ſuperbiæ, elatæque mentis auſu tanto apertiſſime demonſtrat! Melius illi foret, ſi taceret. Nullum bonum eventum inaugurari poſſumus in immunitatem ſanctiſſimæ Virginis MARIÆ ſic garrienti, ac in tanti privilegii devotiſſimos defenſores incompte debachanti.

131 Excuſari fortaſſe adnitatur, quia non in opinionem immaculatæ Conceptionis, ſed in juramentum de ea defendenda jacula immittat; in promptuque habebit ea verba *dicti cap. 6. Satis quibuſdam non fuit, calamo, & rationibus immaculatam Deiparæ Conceptionem tueri; quod proculdubio cum vera pietate conſonat.* Hæc eſt horum hominum verſutia, ut ſic ſermones ſuos componere ſtudeant, ut quod in corde retinent, recondere valeant; ſemperque verba habeant ad ſui defenſionem parata. Si immaculatæ Conceptionis opinio *proculdubio cum vera pietate conſonat*, quid, quæſo, ſignificant illa verba: *Quæ falſa eſſe poteſt, & certe neceſſario defendenda non eſt?* Quomodo

pium,

pium, & vere pium eſſe poteſt, quod falſum eſſe valet? Quomodo neceſſario defendendum non eſt, quod proculdubio eſt vere pium? Quid aliud ſonant alia verba: *At mihi certiſſima eſt hujuſmodi opinio, aliquis dicet. Cui? Homini nempe creaturæ fallaciſſimæ. Num, rogo, certum eſt aliquid, quia id ſibi certum videtur? Revelavit Deus quæ ſine erroris ſuſpicione credenda ſunt vera.* Inquiro tamen: Cui homini? An huic, vel illi Doctori? Certe univerſo fere populo Chriſtiano hæc ſententia ut veriſſima arriſit miraculis innumeris comprobata. Miraculis non credit Muratorius; credat tamen vel invitus S. P. Alexandro VII. ſic aſſerenti: *Sane vetus eſt Chriſti fidelium erga ejus Beatiſſimam Matrem Virginem Mariam pietas, ſententium ejus animam in primo inſtanti creationis &c.* Et ibi: *Accedentibus quoque pleriſque celebrioribus Academiis ad hanc ſententiam, jam omnes fere Catholici eam complectantur &c.* Num quod univerſi fere Catholici, atque Doctores eximii celebriorum Academiarum in unum ſentientes ſine formidine aliqua, num quod Eccleſia non reſpuit, immo ſuo conſenſu approbat, non heri, & nudiuſtertius, ſed à ſæculis libens, lubensque permittit, & privilegiis, gratiis, indulgentiiſque fovet, dicendum eſt, limites incertæ opinionis falſitati obnoxiæ non tranſcendere, ſolumque ita videri *homini creaturæ fallaciſſimæ*? Num ſolum certa eſt ea ſententia huic, vel illi, quæ certiſſima habetur apud pleroſque pios, pleroſque doctos, & Chriſtianos omnes? Certe doctiſſimus Duvallius in ſuo tractatu de Conceptione non ſolum certam, ſed certiſſimam appellat, quem ſequuntur Nieremberg, & alii ejuſdem auctoritatis. Hic univerſalis omnium conſenſus nihil moralis certitudinis affert tam piæ, receptæque ſententiæ? Num ſolum certa ſunt, quæ conſtat fuiſſe revelata? Multa adhuc ex certa revelatione non conſtant, & tamen aut vera ſunt, aut ut veriſſima habentur. Non erit de fide credendum quod adhuc revelatum non eſt, aut ab Eccleſia, ut de fide credendum, definitum. Sed multa ſunt, quæ ut certa haberi poſſunt, non fide divina, ſed humana certitudine, qua maior, extra res fidei, eſſe non poſſit. Complurimæ ſunt concluſiones Theologicæ, quæ adhuc revelatæ non ſunt, aut ab Eccleſia definitæ; & tamen effrons, temerariuſque erit, qui his concluſionibus omnimodam denegent humanam, immo & theologicam certitudinem. Nunc Mutinenſem ſcriptorem reconvenio. Cui incerta, & falſitati obnoxia videtur ea de Conceptione Deiparæ ſententia? Cui? Muratorio, *homini* ſcilicet, *creaturæ fallaciſſimæ*. Falli igitur poteſt. Teneat ergo ſuam opinionem, ſed modeſte tueatur, oſtendat ingenii moderantiam, quam deprædicat, atque ſuperbe non irrumpat in contrariæ piæ ſententiæ aſſertores.

132 Ipſe non audet expreſſe hanc piam, veramque ſententiam oppugnare,

oppugnare, nec contrariam defendere, ne Pontificiis Conſtitutionibus contraire videatur. Quod tamen directe non poteſt, id indirecte contendit. Audiamus ejus verba: *Nihil aliud tamen eſt, quam opinio humana errori obnoxia.... tamquam certiſſimam eis opinionem, quam Eccleſia ipſa tot licet piorum quorumdam precibus fatigata certam decernere nondum ſuſtinuit, & prope eſt ut dicam decerni non poſſe ſilentio ſuo quodammodo ſignificavit.* Quis adeo obtuſus erit, qui non deprehendat, eam de immaculata Conceptione contrariam ſententiam, etſi palam non proferat, mente, & animo retinere? Quantum autem Pontificiis Conſtitutionibus adverſetur, ex ipſis poſtea demonſtrabimus. Si enim errori obnoxia eſt ea ſententia; ſi ut vera ab Eccleſia decerni non poteſt: ergo vera non eſt: ergo contraria vera eſt; ſiquidem duæ contrariæ opiniones non poſſunt ſimul eſſe veræ, & ſi una vera non eſt, neceſſario altera vera eſſe debet. Id autem aſſerere expreſſe prohibent præfatæ Conſtitutiones.

133 Se tueri iterum conabitur aſſerendo, nullatenus improbare pietatem, & probabilitatem opinionis docentis Beatam Virginem fuiſſe in ſuo primo inſtanti à macula originali præſervatam; ſolummodoque invehi in temeritatem, qua ejuſdem opinionis ſectatores ſe juramento adſtrigunt ad defendendam immaculatam Conceptionem etiam cum proprio vitæ diſpendio: quod ut reprehendat, ſic exclamat: *Novitium certe Martyrum genus, quod nuſquam maiores noſtri ſomniarunt, nunquam poſteri noſtri, ſi quidquam ſapient, probent. Neque Euangelium, nec ratio recta nos docent adeo levibus de cauſis animam prodigere.* Terminos quæſtionis prætergreditur. Aliud quidem eſt, & ſane diverſiſſimum aſſerere licitum eſſe prædictum juramentum; aliud vero defendere verum Martyrem eſſe, qui pro Conceptione immaculata vitam profuderit. Illud primum nunquam Eccleſia prohibuit; hoc ſecundum fortaſſe in Theophilo Raynaudo reprehenderit. Siquidem ut habetur in Portel verbo *Conceptio*, & in P. Caſſnedi *tom.* 5. *diſp.* 12. *ſect.* 5. §. 3. *n.* 188. S. P. Paulus V. hanc damnavit propoſitionem: *Verum martyrium ſubiret, qui pro defenſione Conceptionis ſubiret martyrium.* Quam tamen damnationem invenire non potui, ſed quamdam prohibitionem Luſitanæ Inquiſitionis, cui Paulus V. annuit, ut ait Delbene. Non diſputo, an qui ex errore, aut ex ſententia firmiter retenta judicaret de fide eſſe, & in Scripturis revelatam contineri præſervationem B. Virginis in primo ſuæ Conceptionis inſtanti, vitam, jugulumque offerret carnifici, verus Martyr dicendus eſſet? Credo non defuturos eſſe Theologos, qui aſſentiantur, neque ea doctrina à Paulo V. damnata dicenda erit. Non diſputo, inquam, ſed ſolum aſſero, diverſiſſima eſſe prædicta aſſerta, quæ Muratorius cavilloſe confundit, ut vehementius reprehendat.

Licitum

Licitum eſt pro tuenda patria, pro incolumi ſervando rege, pro defendendo proximo injuſte aggreſſo vitam imminenti periculo exponere; ſi tamen occumbat, quis Martyrem dicat? Et tamen licite facit, ac ad hoc faciendum licite juramento adſtringi poteſt. Sic defendentem, aut defendere jurantem immaculatam B. Virginis Conceptionem licite operari, pro viribus defendimus. Inter Catholicos nullum in hoc juramento præſtando ineſt vitæ periculum, nulla temeritas. Si tamen tyrannus quiſque, vel temerarius, aut protervus homo quemque pie ſentientem, ei certam minitans mortem, cogeret ad abjurandam piam ſententiam, ad frangendum juramentum præſtitum, ad affirmandum piam ſententiam veram non eſſe, incertam eſſe opinionem, ſanctiſſimam Virginem non fuiſſe ab originali præſervatam, num poſſet id licite facere, tenereturque tyranno aſſentiri, ne imminenti mortis periculo ſe exponeret? Reſpondeat magnus Theologus Muratorius. Profecto ii juramenti ſui termini eſſe poſſunt; ſiquidem inter Chriſtianos neutiquam negotium ad arma, & ſanguinis effuſionem devenire poterit, præcipue poſtquam Eccleſia has contentiones omnino prohibuit.

134 Muratorius ergo, qui veritus immunitati Marianæ ſeſe opponere, in præſtitum juramentum ſe convertit: *Adeo levem eſſe cauſam* ad hoc juramentum præſtandum proferre non exhorruit. Immunitas ſacratiſſimæ Dei Genitricis, ejus privilegium, quod alteri non dabitur, ſingularis prærogativa Matri conceſſa levis, & adeo levis cauſa dicenda eſt? Temeraria propoſitio! Non levem cauſam judicant homines ſua privilegia tueri, conſervare, levis vero cauſa erit Marianum privilegium pro viribus defendere? Inane Muratorii ſtudium! Qui tamen ejus finis, quæ ratio? Quia *Eccleſiæ* (ait) *cauſa male agitur*, cum hac *interna ſuperſtitione perturbatur.* Proh facinus execrabile! Proh deliramentum nullatenus condonandum! Imperitos ipſe, ſibi ſolum ſapiens, vocat omnes, quos immaculatæ Conceptionis firma opinio impellit; & judicat Eccleſiæ multum intereſſe *hoc ſuperſtitionis vitium populo univerſo innoteſcere.* Piarum autium offenſiva hæc propoſitio judicanda eſt. Sequutus fuit Muratorius (ſi forte ipſe ejus Auctor non fuit) libellum anonymum, cui titulus: *Monita quædam ſalutaria B. Virginis ad cultores ſuos indiſcretos*, in quo etiam fidelium devotio, & opinio circa immaculatam Conceptionem tamquam indiſcreta reprehenditur. Qui quidem libellus Apoſtolicæ Sedis decreto reprobatus, & prohibitus fuit ob varias cauſas, & præcipue ob fidelium ſcandalum; cui etiam nunc cauſam dedit inconſideratus Muratorius. Vel etiam didicit à quodam Doctore, qui per decem & novem propoſitiones in Conceptionem, & juramentum de ea tuenda debachatur, & quem pleniſſime refellit Portel in *reſponſ. caſuum*

ſuum moral. p. 2. caſ. 32. per tot. Non immerito Luſitanum Fidei Tribunal averſatur, cui certe obnoxius eſſet, ſi inter noſtros hæc audaciſſima proferret. Supponit, hanc piiſſimam, & fidei proximam ſententiam à Summis Pontificibus, Epiſcopis, & Conciliis ſuperſtitioſam judicari; quod falſiſſimum eſſe nullus ſanæ mentis dubitabit. Si ea ſententia ſuperſtitioſa non eſt, immo eſt licita, pia, & contraria probabilior, utique ſuperſtitioſum non erit juramentum de ea defendenda. Multa ſæcula habet hæc ſententia, multas ætates in facie totius orbis computat hoc juramentum; & tamen neutiquam illo Eccleſia perturbata fuit; immo quietem ei attulit, quia omnes circa eam ſententiam contentiones ſedatæ inveniuntur. Si ſuperſtitioſum eſſet illud juramentum, proculdubio prohiberet Eccleſia; non enim ſineret univerſum populum Chriſtianum hoc peccato fœdari. Nota Romanæ Sedi hæc noſtra ſunt juramenta, nota Epiſcopis, nota Fidei Tribunalibus, ſed ad hæc uſque tempora minime reprobata. Ipſum ſanctæ Matris Eccleſiæ in re tam nota, tamque omnibus Academiis communi ſilentium pro tacita approbatione ſatis eſt. Quod Eccleſia hucusque ſuperſtitioſum, & peccaminoſum non judicavit, pronuntiat Muratorius. Mira ingenii libertas, mira confidentia! Nullum fidei, nullum religioni periculum, nullum animabus nocumentum hæc tutiſſima ſententia ſecum affert. Innumeras proferre poſſem Hiſpanas traditiones, quas critici moderni, licet eruditiſſimi, non juſte reſpuunt, fortaſſe ob invidiam in Hiſpanos creatam: proferre poſſem antiquorum Patrum auctoritates, quas adverſarii pro ſuo modulo interpretantur: poſſem in medium adducere Monologium Græcum: innumera facile eſſet recenſere miracula, quibus hæc in Conceptionem devotio mirifice, evidenterque comprobatur. His tamen omnibus ſuperſedeo, quæ piiſſimo Muratorio putida figmenta videbuntur, breviterque non ſpiſſa, crepitanti, confragoſaque phraſium congerie, ſed ſcholaſtica methodo oſtendam, prædictum juramentum licitum, & religioſum eſſe.

135 Suadetur igitur 1. hac intrinſeca ratione. Licitum, & religioſum eſt juramentum de tuenda veritate aliquo modo ab Eccleſia definita. Sic ſe habet prædictum juramentum. Igitur &c. Minor, in qua difficultas eſſe poteſt, concludenter probatur. Quia Eccleſia præcipiendo annuam celebrationem immaculatæ Conceptionis, aſſignata Miſſa, & Officio, conceſſiſque indulgentiis pro devote illam colentibus, atque à Xiſto IV. Conſtitutione *Grave nimis* edita declaratione, quod Eccleſia non celebrat Conceptionem dumtaxat ſpiritualem, fulminata in oppoſitum aſſerentes excommunicatione, aliquam veritatem circa immaculatam Conceptionem definit, ſicut definit circa Nativitatem B. Virginis præcipiendo illius celebrationem, ut conſtat

Fff ex

ex *D. Thom.* 3. *p. q.* 27. *art.* 4. Quo argumento utitur Cardinalis Bellarminus *tom.* 1. *Controv. de Cultu Sanctor. lib.* 3. *cap.* 16. per hæc verba: *Quod ſi ipſe quæreret, unde habeamus B. Mariam ab ipſa Conceptione ſanctificatam?.... Reſponderem, inde nos hoc didiciſſe, unde ipſe didicit B. Mariam ab ipſa Nativitate ſanctam fuiſſe. Aſſerit enim ibidem, ex eo quod Eccleſia jam tunc celebrabat B. Virginis ortum, ſe nihil dubitare, quin ortus ille ſanctus fuerit; & nos ergo ex eo, quod Eccleſia celebrat feſtum Conceptionis, nihil dubitamus Conceptionem illam ſanctam aliquo modo fuiſſe.* Optimum, & concludens argumentum: cum Eccleſia nec colat, nec poſſit colere feſtum rei non ſanctæ; aliter erraret, fidelesque in re dogmatica deciperet; quod aſſerere impium eſt, & hæreticum: ergo in celebratione Conceptionis ſub nomine Conceptionis includitur definitio alicujus veritatis circa ſanctitatem Conceptionis: ſupra hanc autem tuendam licite, & religioſiſſime cadere poteſt juramentum. Hæc paritas a feſto Nativitatis deducta confirmatur optime ex Decreto Pii V. in quo feſtum Conceptionis in omnibus, & per omnia coæquatur Nativitatis feſto, ut teſtatur Nieremberg *in lib. de Perpet. Object. feſti Conception. cap.* 21. Ad remque opportune facit Angelici Doctoris auctoritas 3. *p. q.* 27. *art.* 1. ſic dicentis: *Eccleſia celebrat Nativitatem Beatæ Virginis; non autem celebratur feſtum in Eccleſia, niſi pro aliquo ſancto, ergo Beata Virgo in ipſa ſua nativitate fuit ſancta.* Optarem rationem differentiæ à Muratorio audire, & quod nos edoceret quando Beata Virgo fuerit ſanctificata, ut naſceretur ſancta.

136 Quod aliqua veritas definiatur circa ſanctitatem Conceptionis, indubium eſt à paritate memoratæ Nativitatis B. Virginis, S. Joannis Baptiſtæ, & feſti cujuslibet Sancti indicti ab Eccleſia. Quænam verò ſit definitio? Lis eſt inter DD. Et licet aliqui æqualem definitionis, ac certitudinis gradum Conceptioni tribuant, ac Nativitati, id magis pie, quam theologice dictum fateor, attentis Conſtitutionibus Xiſti IV. Alexandri VII. & S. Pii V. ut late probant Valentia 3. *p. diſp.* 2. *q.* 1. *n.* 2. Suarius *tom.* 2. *diſp.* 30. *ſect.* 6. Vaſquius *tom.* 2. *diſp.* 117. *cap.* 5. Negari tamen non poteſt, Eccleſiam celebrando Conceptionem proprie talem B. Virginis omnino definire doctrinam aſſerentem B. Virginem immunem a peccato originali, magis piam, & magis tutam eſſe. Ita Ægidius de Præſentatione *tract. de Concept. lib.* 3. *q.* 6. *art.* 1. P. Salazar *de Conceptione cap.* 43. §. 1. Cardinalis Belarminus *tom.* 4. *controv. de amiſſion. grat. lib.* 4. *cap.* 15. 16. & 17. ubi ſententiam de Conceptione immaculata B. Virginis aſſerit contrariâ longe probabiliorem. Ergo juramentum de tuenda hac veritate, in quo ſenſu à doctis uſurpatur, eſt licitum, & religioſum,

gioſum, utpote cadens ſupra veritatem ab Eccleſia definitam. Ergo non citra temeritatem, & ſcandalum ſuperſtitioſum dicitur, & illicitum.

137 Quod Eccleſia non ſolum definire, & declarare poſſit doctrinam aliquam eſſe de fide certam, ſed eſſe magis probabilem, & tutam, ita ut in hac declaratione errare nequeat, docent Sotus *lib.* 2. *de Nat. & Grat. cap.* 17. *&* 18. Item *in* 4. *diſt.* 1. *q.* 3. *art.* 1. Canus de Sacramentis 4. *p. poſt concluſ.* 5. *& lib.* 7. *de locis cap.* 2. P. Vaſques 1. 2. *diſp.* 86. Turrianus *in* 2. 2. *D. Thom. diſp.* 14. *dub. ult. & diſp.* 56. *dub* 5. Arrubal *q.* 11. *art.* 2. quod probant exemplis, inter quæ illud notiſſimum ex *Clement. un. de Sum. Trinit. & Fid.* ubi Pontifex declarat probabiliorem eorum doctrinam, qui ſentiunt, parvulis in Baptiſmo infundi habitus fidei, ſpei, & charitatis. Neque Pontifices permitterent eam prædicari, defendi, aut publice doceri, indicto ſilentio contrariis aſſertoribus, ni ea ſententia tuta, tutior, & tutiſſima eſſet. Recogitet corde Muratorius quam ſententiam dicat incertam, errori obnoxiam, opinioni tantum humanæ innixam, & pene indefinibilem.

138 Hoc fundamento ſic inconcuſſe ſtabilito, cum Sixtinam Conſtitutionem præ manibus habeamus, operæ pretium erit demonſtrare, Muratorium in pœnas ibi, & in Conſtitutione Alexandri VII. *Solicitudo* declaratas, proculdubio incurriſſe. Ipſe opinionem de immaculata Virginis Conceptione errori obnoxiam, ac opinionis humanæ fallaciſſimæ metas non tranſgredi imperterritus, tumidusque aſſerit: hanc noſtram devotionem pervicacem, & ſuperſtitioſam ſui ſecurus affirmat; & illiciti juramenti nos omnes, totque inſignes Doctores reos conſtituit, & per conſequens peccati lethalis macula inuſtos ſupponit. Quo poſito, Xiſtus IV. inter alia hæc habet: *Sane cum ſancta Romana Eccleſia de intemerata*, (nota adjectivum *intemerata*, quo utitur S.P. cujus ſynonyma ſunt, intaminata, illibata, integra, pura, immaculata, quo nomine poſtea utitur paulo infra) *ſemperque Virginis MARIÆ Conceptione publice feſtum ſolemniter celebret, & ſpeciale, ac proprium ſuper hoc Officium ordinaverit*, (en ad ſuam Conſtitutionem idem fundamentum, quod ſupra aſſumpſimus) *nonnulli, ut accepimus, diverſorum Ordinum prædicatores.... illos, qui tenent, aut aſſerunt eamdem glorioſam, & immaculatam Dei Genitricem abſque originalis peccati labe fuiſſe conceptam, mortaliter peccare.... Qui eam ſine hujuſmodi macula conceptam eſſe affirmant, peccare graviter.* Arbitror non rectam poſſe aſſignari differentiæ rationem inter ſimplicem, & juratam aſſertionem; ſi enim licita eſt aſſertio, etiam licitum eſt juramentum ipſam reſpiciens aſſertionem, & è contra. Qui ergo tale juramentum illicitum, & pecca-

minoſum adſtruit, etiam illicitam aſſertionem, ſupra quam juramentum cadit, aſſerere viſus eſt.

139 Certum perinde eſt hanc Muratorii doctrinam toti Regno, univerſis Hiſpaniis ſcandalum maximum adduxiſſe; quod quidem omnibus modis vitare ſtuduit Xiſtus IV. per hæc verba: *Nos igitur hujuſmodi temerariis auſibus, ac perverſis aſſertionibus, quæ exinde in Eccleſia Dei exoriri poſſunt, quantum nobis ex alto conceditur, obviare volentes, motu proprio.... Qui affirmare præſumerent, eos qui crederent*, (nota, etiam prohibere affirmare, credentes immaculatam Conceptionem peccatum incurrere) *aut tenerent eamdem Dei Genitricem ab originalis peccati macula in ſua Conceptione præſervatam fuiſſe, propterea alicujus hæreſis labe pollutas fore, vel mortaliter peccare.... utpote falſas, & erroneas, & à veritate penitus alienas, editoſque deſuper libros prædictos id continentes quoad hoc auctoritate Apoſtolica tenore præſentium reprobamus, & damnamus.* Et poſtea excommunicationis ſententiam Sedi Apoſtolicæ reſervatam inurit omnibus, qui ſententias circa immaculatam Conceptionem veras non eſſe aſſerere auſi ſint. Quid aliud attentat Muratorius? Expreſſe aſſerit eam *falſam eſſe poſſe*. Qui autem affirmat eam poſſe eſſe falſam, neceſſario negat eam eſſe veram; nam quæ vera eſt, falſitati non ſubeſt. Deinde Pontifex non prohiberet negare eam eſſe veram, ſi judicaret eam falſam eſſe poſſe. Ridiculi igitur ſunt qui ſentiunt, S. Pontificem nihil aliud conſtituiſſe, quam permittere prædictam ſententiam ut piam, & probabilem; cum eam ita judicet veram, ut tam luculenter prohibeat aſſerere veram non eſſe. Si ergo vera eſt, & ut vera habenda ſententia, quæ Deiparæ Conceptionem immaculatam defendit, licitum eſt etiam juramentum de hac veritate defendenda: proinde eſt illicita, reprobata, & Pontificiæ damnationi obnoxia ea ſiniſtra opinio, quæ cum univerſali Luſitanorum, & Hiſpanorum, immo omnium fere fidelium ſcandalo hoc juramentum illicitum, & ſuperſtitioſum eſſe aſſerere non veretur.

140 Severior adhuc eſt Alexandri VII. Conſtitutio, & quod legatur digniſſima, ſaltem quoad partem noſtræ opinioni expreſſiſſime faventem. Et notandum hanc conſtitutionem editam fuiſſe quando jam ab omnibus fere Univerſitatibus de tuenda Conceptione publicum præſtabatur juramentum; neque tamen Pontifex illud prohibuit, neque conſideravit *cauſam Eccleſiæ male agi*, & ipſi Eccleſiæ multum intereſſe hanc *ſuperſtitionem populo univerſo innoteſcere*; non ſuperſtitionem timuit, quam *timuiſſe, timereque* dicit Muratorius *Apoſtolicam Sedem*; neque in illo voto religionis periculum, & peccati reatum cogitavit, alias illud prohiberet, nullatenuſque ſineret eam ſuperſtitionem exerceri, & fidelium mentibus infixam radicari. Quod autem

autem S. Pontifex nullatenus improbavit, explodit Muratorius. Videamus nunc Alexandri verba. Sic ait: *Sollicitudo omnium Eccleſiarum, quam, licet meritis, & viribus longe impares, Dei optimi Maximi voluntate, & providentia gerimus, in id nos anxie tenet intentos, & vigilantes, ut ſcandala, quæ inter fideles pro humanæ naturæ corruptione, & fragilitate neceſſe eſt ut veniant, quantum fieri poteſt, pauciſſima exoriantur, atque exorta quam celerrime, & quam diligentiſſime amoveantur: nam iis, per quos veniunt, certam peccati perniciem, quibus verò præbentur, præſens afferunt labendi periculum*, (hanc ſibi, & omnibus fere fidelibus perniciem adducere, ſub imprudentiſſimi zeli ſpecie, & ſuperſtitionis tollendæ larva, Muratorius non exhorruit) *quorum nos, pro noſtro Paſtoralis officii debito, & damnum ſummopere dolemus, & diſcrimine aſſiduo urimur. Sane vetus eſt Chriſti fidelium erga ejus Beatiſſimam Matrem Virginem Mariam pietas ſentientium ejus animam in primo inſtanti creationis, atque infuſionis in corpus fuiſſe ſpeciali Dei gratia, & privilegio, intuitu meritorum JESU Chriſti ejus filii humani generis Redemptoris, à macula peccati originalis præſervatam immunem, atque in hoc ſenſu ejus Conceptionis * feſtivitatem ſolemni ritu colentium, & celebrantium: crevitque horum numerus, atque hujuſmodi cultus poſt editas à fel. rec. Xiſto PP. IV. prædeceſſore noſtro in ejus commendationem Apoſtolicas conſtitutiones, quas ſacrum Concilium Tridentinum innovavit, atque obſervari mandavit. Aucta rurſus, & propagata fuit pietas hæc, & cultus erga Deiparam poſt erecta hoc nomine, approbantibus Romanis Pontificibus, religioſum Ordinem, & confraternitates, ac conceſſas ab iiſdem indulgentias*, (hæc eſt illa pia ſententia, quam Muratorius in verbis, *& pro mendacio interdum*, temerarie, ne dicam blaſpheme, mendacem eſſe poſſe proferre non addubitat) *ita ut accedentibus quoque pleriſque celebrioribus Academiis* (plus ſapere, meliusque his omnibus Academiis celebratiſſimis præſumit Muratorius, & definit *cum eo poſteros noſtros, ſi quidquam ſapiant probaturos*) *jam omnes fere Catholici eam complectantur* (ab hoc Catholicorum numero excluditur Muratorius, dum aſſerit hanc opinionem meræ probabilitatis errori obnoxiæ terminos non tranſcendere, nec tanta contentione tenendum, *quod aliter Deus voluiſſe poteſt, incertumque adhuc eſt, an aliter eſſe voluerit*. Rara hominis devotio, rariſſima pietatis indoles!) *Et quia occaſione contrariæ aſſertionis in concionibus, lectionibus, concluſionibus, & actibus publicis, quod nempe Beatiſſima Virgo MARIA fuerit concepta cum peccato originali, oriebantur in populo Chriſtiano cum magna Dei offenſa ſcandala, jurgia, diſſenſiones* (nonne eadem ſcandala oriri poſſunt ex libro, in quo aſſeritur, non eſſe certum Virginem

Nota.

ginem Deiparam ab originali fuiſſe præſervatam, neque id definiri poſſe?) *Rec. mem. Paulus PP.V. etiam prædeceſſor noſter vetuit horum opinionem præfatæ ſententiæ contrariam publice doceri, aut prædicari. Quam prohibitionem piæ mem. Gregorius PP. XV. ſimiliter prædeceſſor noſter ad privata etiam colloquia extendit, mandans inſuper in favorem ejuſdem ſententiæ, ut in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio, ac divino Officio celebrandis, tam publice, quam privatim, non*
Nota *alio, quam Conceptionis nomine * uti quicumque debeant. Nihilominus prout venerabiles Fratres Epiſcopi fere omnes Hiſpaniarum cum Eccleſiarum ſuarum Capitulis, datis ad nos literis, expoſuerunt, accedente etiam inſinuatione chariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi earumdem Hiſpaniarum Regis Catholici, qui ſpecialem ſuper hoc miſit ad nos Oratorem venerabilem Fratrem Ludovicum Epiſcopum Placentinum, per quem etiam delatæ fuerunt ad nos ſupplicationes Regnorum earumdem Hiſpaniarum, pergunt aliqui contrarii illius opinionis aſſertores contra præfatas prohibitiones tum privatim, tum publice præfatam ſententiam aut impugnare, aut vellicare,* (quid aliud facit Muratorius cum incertam, & indefinibilem dicit?) *& favorem à Romanis Pontificibus cultui, & feſto ſecundum illam præſtito, ita interpretari, ut fruſtrentur; immo Eccleſiam Romanam huic ſententiæ, & cultui juxta illam Beatæ Virgini exhibito favere negant,* (etiam hujus culpæ reus cenſendus eſt Muratorius. Et quomodo incerta cenſenda erit ſententia, cui Eccleſia Romana favet?) *pios Chriſti fideles è ſua quaſi pacifica poſſeſſione deturbare conando,* (& quis dubitat Muratorium à noſtra nos poſſeſſione pacifica, & immemoriali deturbare?) *unde offenſiones, ſcandala, & jurgia, quibus obviare voluerunt Paulus V. & Gregorius XV. noſtri prædeceſſores, perdurant adhuc,* (hæc omnia ſedavit Alexander, ſed Muratorius excitare cupit) *& ex occaſione eorumdem adverſantium maiora his incommoda in poſterum prudenter, & merito timentur. Quapropter ſuper his tam præfati Epiſcopi cum Eccleſiarum ſuarum Capitulis, quam memoratus Philippus Rex, ejuſque Regna nobis pro opportuno remedio inſtanter ſupplicari fecerunt. Nos conſiderantes, quod ſancta Romana Eccleſia de intemeratæ, ſemperque Virginis MARIÆ Conceptione feſtum ſolemniter celebrat, & ſpeciale, ac proprium ſuper hoc Officium olim ordinavit juxta piam, devotam, & laudabilem inſtitutionem, quæ à Xiſto IV. prædeceſſore noſtro tunc emanavit; volenteſque laudabili huic pietati, & devotioni, & feſto, ac cultui ſecundum illam exhibito in Eccleſia Romana poſt ipſius cultus inſtitutionem nunquam immutato, Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum exemplo favere, necnon tueri pietatem, & devotionem hanc colendi, & celebrandi Beatiſſimam Virginem, præveniente ſcilicet*

licet Spiritus Sancti gratia à peccato originali præſervatam, (quod Eccleſia tam perſpicuis conſtitutionibus tuetur, nos non poterimus juramento profiteri ?) *cupientesque in Chriſti grege unitatem ſpiritus in vinculo pacis, ſedatis offenſionibus, & jurgiis, amotisque ſcandalis, conſervare: ad præfatorum Epiſcoporum cum Eccleſiarum ſuarum Capitulis, ac Philippi Regis, ejusque Regnorum oblatam nobis inſtantiam, ac preces, conſtitutiones, & decreta à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, & præcipue à Xiſto IV. Paulo V. & Gregorio XV. edita in favorem ſententiæ aſſerentis, animam B. Mariæ Virginis in ſui creatione, & in corpus infuſione Spiritus Sancti gratia donatam, & à peccato originali præſervatam fuiſſe, necnon & in favorem feſti, & cultus Conceptioni ejuſdem Virginis Deiparæ, ſecundum piam iſtam ſententiam, ut præfertur, exhibiti, innovamus, & ſub cenſuris, & pœnis in iiſdem conſtitutionibus contentis obſervari mandamus. Et inſuper omnes, & ſingulos, qui præfatas conſtitutiones, ſeu decreta ita pergent interpretari, ut favorem per illas dictæ ſententiæ, & feſto ſecundum illam exhibito fruſtrentur, vel qui hanc eamdem ſententiam, feſtum, ſeu cultum in diſputationem revocare, aut contra eam quoquo modo directe, vel indirecte, aut ſub quovis prætextu, etiam definibilitatis ejus examinandæ*, (quid aliud attentat Muratorius ?) *ſive S. Scripturam, aut SS.Patres, ſive Doctores gloſſandi, vel interpretandi, denique alio quovis prætextu, ſeu occaſione, ſcripto, ſeu voce loqui, concionari, tractare, diſputare, contra ea quicquam determinando, aut aſſerendo, vel argumenta contra ea afferendo, & inſoluta relinquendo, aut alio quovis excogitabili modo* (hunc modum excogitavit Muratorius directe contra juramentum, tamquam illicitum, & ſuperſtitioſum, ſubdole, & indirecte contra opinionem, ſupra quam cadit tale juramentum) *diſſerendo auſi fuerint præter pœnas, & cenſuras &c.* Ubi ſpecialiter notandum eſt, Tribunali Fidei ſubjicere, ut debitis pœnis puniantur, omnes, qui prædictam opinionem auſi fuerint quoquo modo improbare, aut ei aliquam notam inurere. Videat Muratorius, an aliud audeat, cum ſuperſtitioſum, & pervicax dicat juramentum hujus veritatis, & piiſſimæ ſententiæ, hodieque ab omnibus fidelibus inconcuſſe retentæ, & ſine aliqua formidine pro vera habitæ. His robur addit tum ipſius Alexandri VII. Decretum, quo juſſit feſtum Conceptionis celebrari cum octava, tum Decretum Clementis XI. conſtituentis, quod idem feſtum ſub præcepto celebretur. Quæ quidem ipſius puriſſimæ Conceptionis ſanctitatem quam maxime ſuadent. Quis tam demens erit, qui huic ſententiæ omnem moralem, & fidei proximam adimat certitudinem, hujusque veritatis tuendæ juramentum ſuperſtitioſum afferat, & illicitum ? Solus Muratorius in cele-

briores Academias, chriſtianiſſimaque Regna audens inconſulte nimis.

141 Hæc ſat eſſent. Sed ex ſuperabundanti ſuadetur 2. Ex eo eſſet illicitum illud juramentum, quia prodige quis ſe devoveret pro tuenda veritate ab Eccleſia nondum definita. Hoc eſt fundamentum, cui Muratorius plurimum confidit. Atqui non prodige: ergo neque illicite. Ex dictis conſtat quænam ſit Eccleſiæ circa immaculatam Conceptionem definitio, quæ ſub juramento licite, & religioſe cadat. Quod autem non prodige, oſtenditur. Licitum eſt ſubdito pro tuendo Regis honore, & pro defendenda Regni poſſeſſione, quæ non modo probabiliori, ſed jure moraliter certo, & cui falſum ſubeſſe nequit, fundatur, ſanguinem fundere, vitamque certæ morti objicere, ut conſtat ex communi DD. aſſerentium poſſe, immo teneri milites in bello juſto pugnare cum certo mortis periculo, ſtationem ſibi à Duce aſſignatam non deſerere; immo navim, & ſe ipſos incendere, ne victoria audaciores, & ditiores reddantur infideles, ut tenent Leſſius *lib. 2. cap. 9. dub. 6. n.* 34. Bonacinas *diſp. 2. q. ultim. punct. 5. num.* 5. Trullench *lib. 5. cap. 3. dub. 3. n.* 11. Malderus 2. 2. *tract. 3. cap.* 1. *dub.* 19. Fagundes *in Decalog. tom.* 1. *lib. 5. cap.* 11. *n.* 14. apud Salmanticenſes *tract.* 13. *de Reſtit. cap. 2. punct.*2. §. 3. *n.* 37. Ergo etiam non prodige, ſed licite poteſt quis cum certo vitæ diſpendio tueri honorem Beatiſſimæ Virginis aſſerendo immaculatam illius Conceptionem: qui quidem honor, utpote longe ſuperioris ordinis, præſtabilior eſt cunctis Regnis, ac ditionibus; maxime, quod in hoc ſolum detur remotum longe periculum, & indirecta ſui occiſio tantummodo reperiatur, quæ ex cauſa licet, & probant adducta, aliaque ſimilia exempla.

142 Neque hoc argumentū effugere poterit Muratorius aſſerendo, honorem B. Virginis non conſiſtere *in dubiis laudibus*, *neque imprudenti ſacrificio. Illi honorem, ſed prudenter habendum*, atque cavendum, *ne amorem, ac reverentiam Virgini debitam ſuperſtitioſam efficiamus.* Dubiæ erunt Muratorio hæ laudes, nobis non ſunt. Ipſi incerta eſt noſtrarum laudationum cauſa, ut pro modulo ſuo, quanta dexteritate poſſit, Xiſto, & Alexandro contradicat: nobis non eſt, ne Pontificibus ipſis contraire videamur, qui omnem noſtræ piæ ſententiæ contradictionem omnino prohibuerunt. Non imprudens dici poteſt noſtrum ſacrificium: quid enim imprudentiæ habere poteſt, quod votis noſtris colamus illud ipſum, quod Eccleſia colit, eo modo, & eo ſenſu, quo illa colendum inſtituit. Non nos devovemus pro tuenda opinione mere humana, ſeu Scotiſtica, ut alii blaterant, & fingunt, ſed pro tuenda ſententia, licet nondum de fide definita, quam Eccleſia ut piam, & veriorem amplectitur, & amplectendam decernit. Non tendunt vota noſtra ad opinionem illam, ut puram opinionem,

nionem, ſed ad colendam Matrem tam inſigni honore, & privilegio decoratam, & ad colendum in Matre Filium, qui eam à communi omnium mortalium contagio immunem reddidit. Diriguntur ad obſequendum Eccleſiæ, ejuſque ſupremo capiti jubenti nihil aſſerere, dubitare, determinareve contra ſententiam Marianæ immunitati faventem. Huic expreſſiſſimo præcepto contradiceremus, ſi quandoque ab ea ſententia diſcedere placuiſſet. Juramus ergo, & licite, prudenterque juramus firmiter ſtare pro ſententia, quam Eccleſia evidenter recipit, eique nullatenus contraire, aut pro contraria quidquam determinare. Tandem id contendimus, ut ſanctiſſimam Dei parentem in ſua immemoriali poſſeſſione conſervemus, neque nobis unquam liceat eam ſpoliare honore maximo, qualis proculdubio cenſendus eſt, quod ea inter omnes filias Adæ, ſicut roſa inter ſpinas, illibata conciperetur.

143 Poſſidere autem B. Virginem præcellentiſſimum honorem immunitatis ab originali, evincitur ex traditione illius per ſingula Eccleſiæ ſæcula, quam eruditiſſime probat ſingula recenſendo P. Ferdinandus de Salazar *de Concept. ſupra citat. cap.42. per totum.* Et ſane ea eſt totius Hiſpaniæ traditio, quidquid critici aut ex contradictionis ſpiritu, aut ex invidia detrectent. Patet 2. ex fere communi Patrum ſenſu, de quo citatus Salazar, P. Velaſques de Conceptione, Fr. Ægidius à Præſentatione, P. Vega in ſua Theologia Mariana latiſſime id oſtendentes. Quamvis autem æmuli iſti Patrum loca pro libito interpretentur, in hoc ipſo Alexandrinæ Conſtitutioni contraveniunt, ubi id prohibetur in verbis: *Sive S. Scripturam, aut SS. Patres, ſive DD. gloſſandi vel interpretandi.* Patet 3. ex Tridentino *ſeſſ. 5. de Peccato Originali*, ubi licet non definiatur immunitas B. Virginis ab originali, tamen aſſeritur Virgo immaculata, & declarat Concilium ſuæ intentionis non eſſe eam comprehendere in Decreto, ubi de peccato originali agitur, confirmatque, & præcipit obſervari Conſtitutiones Xiſti IV. Verba Concilii ſic ſe habent: *Declarat tamen hæc ſancta Synodus, non eſſe ſuæ intentionis, comprehendere in hoc Decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam, & immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem; ſed obſervandas eſſe Conſtitutiones Sixti Papæ IV. ſub pœnis in eis Conſtitutionibus contentis, quas innovat.*

144 Neſcio profecto quid expreſſius, aut quid definitioni proximius, quam definire Concilium Tridentinum omnes Adæ filios peccatum originale incurriſſe, non tamen comprehendere in hoc Decreto Beatiſſimam Virginem, eamque nominare immaculatam, quod nomen, præter Chriſtum, & Mariam, nulli alii Sancto invenitur conceſſum; quod certe Concilium non faceret, ſi eam ſingulari privilegio munitam non arbitraretur, nec agnoſceret eam legem non pro ea, ſed pro cæteris omnibus latam fuiſſe. Notandum vero eſt, non ſolum lo-

Digitized by Google

qui Tridentinum de Conſtitutione Xiſtina, qua officium Conceptionis approbavit, illud recitantibus, feſtumque celebrantibus indulgentias conceſſit, ſed de ſecundò edita, qua anathemate ferit aſſerentes, Eccleſiam celebrare feſtum ſanctificationis, non vero Conceptionis B. Virginis. Ut autem apertius conſtet qualisnam fuerit mens Patrum Concilii circa immunitatem B. Virginis, & quare demum non prodierit illius definitio, audiatur P. Nicolaus Lancicius inclytæ Societatis JESU *tom.* 2. *opuſc.* 11. *de Praxi divin. præſent. cap.* 13. *pag.* 49. qui tamquam teſtis oculatus ait: *Legi, & deſcripſi anno* 1549. *ex Actis originalibus Concilii Tridentini (quæ aſſervantur in Caſtro Sancti Angeli Romano, & cum expreſſa licentia Clementis VIII. Summi Pontificis R. P. Petro de Arrubal Profeſſori Theologiæ in Collegio Romano, & mihi ejus ſocio ad aliquas horas exhibita à Cardinali Cæſio) ex aliquot Decadibus Epiſcoporum deputatorum ad tractandum de hoc puncto Conceptionis B. Virginis Mariæ, omnes aſſeruiſſe illam eſſe conceptam ſine peccato originali; ſed ob inſtantiſſimas preces aliquot Epiſcoporum, & Theologorum Sancti Dominici, qui illi Concilio aderant, rogantium, ne hac vice propter notam, quæ inureretur Ordini Sancti Dominici hoc Decreto, illud ederent, ſed ſuperſederent, & ad aliud tempus rejicerent. Concilium ſuperſedit, & Decretum illud non vulgavit hanc ſolam ob cauſam. Ita habetur in illis Actis Concilii, quæ diligentiſſime legi, & hæc tunc excepi.* Hoc ipſum refert celebris Dominicanus, & Epiſcopus Minorenſis, qui Concilio interfuit, in opuſculo,quod ſcripſit de immaculata Conceptione, ubi refert etiam miraculum in ſe ipſo expertum, ex quo motus fuit, ut Conceptionem defenderet, qui antea pro ea opinione non ſteterat, Ambroſius ſcilicet Catherinus. Idem ex iiſdem actis teſtatur Doctor Hieronymus Ormachea *in Cant. Prolegom.* 3. verbo *Concilium Tridentinum.*

145 Scio Cardinalem Pallavicinum, apud aliquos magni hiſtorici nomine laudatus, aliter rem iſtam ſcripſiſſe, & in hiſtoria Concilii Tridentini *lib.* 7. *cap.* 7. aſſeruiſſe minime diſputatum fuiſſe de immunitate B. Virginis, ſed tantum de formula, qua à Decreto de peccato originali exciperetur eadem B. Virgo. Pallavicinus ille eſt, quem magni faciunt Franciſcus Farvacques, Caſtorienſis, Bonus Merbeſius, Gaſpar Jueninus, Avermans, & alii ejuſdem farinæ ſcriptores, quibus fortaſſe Muratorius accenſendus ſit: ille eſt, de quo magni nominis Theologi, inter quos Joannes de Launoy, & Maximilianus Le-Den, conqueruntur, ita ſuam hiſtoriam compoſuiſſe, ut ex Concilio excerperet quidquid ſuas ſententias confirmare poſſet, aliqua vero reticuiſſet. Fides ea ſit iis Doctoribus. Ego non capio cur potius Pallavicino ſtandum ſit, quam Lancicio, & Arrubali, & Catherino, & Ormacheæ

cheæ rem ſedulo examinantibus, & de viſu deponentibus. Mirum tamen quod ipſe ex Actis videret, quid Cardinalis *de Monte*, quid verò Cardinalis *Cervinus* de præſervatione B. Virginis opinarentur, minime verum compertum haberet, quod alius Pauli III. Legatus Cardinalis Reginaldus *Sanctæ Mariæ in Coſmedin* ſentiret, quæ quidem reticentia jam eum in mala fide conſtituit. Sed neque, ſi verum amamus, Pallavicinus, & Lancicius ex diametro opponuntur; nam ille ſolum refert contentionem inter duos Cardinales Legatos circa formam edendi Decreti de originali peccato; alter vero de Decadibus inter Epiſcopos habitis, & de unanimi omnium conſenſu circa immaculatam B. Virginis Conceptionem definiendam. Immo quod ipſe Pallavicinus refert, plane oſtendit Concilii Patres in ea eſſe ſententia, Beatam ſcilicet Virginem in Decreto de peccato originali non eſſe comprehendendam, & ſolum dubitaſſe de formula, qua ea ab eo Decreto excipienda eſſet; quod quidem lippis tantumodo oculis non videbitur ſat eſſe, ut Eccleſiæ circa immaculatam Conceptionem verus ſenſus evidenter appareat. Neſcio quo fundamento tunc aliquot Epiſcopi reſtitiſſent formulæ, quam Pallavicinus refert, nempe: *Pie credi Virginem ſine peccato originali conceptam*. Hæc enim formula, ſi rite perpendatur, non diſcrepat à Xiſtina Conſtitutione in eodem decreto confirmata, in qua proteguntur *qui crederent, aut tenerent eamdem Dei Genitricem ab originalis peccati macula in ſua Conceptione præſervatam fuiſſe*. Cum autem Xiſtus loquatur de hac pia credibilitate, non erat cur ab illis contradictoribus reſpueretur. Formula autem Concilii ſupra relata aliis concepta verbis eamdem continet, quatenus obſervandas Conſtitutiones Xiſtinas expreſſe decrevit.

146 Utut ſit: Pallavicinus ipſe fatetur, quod eamdem formulam non tulerunt *i Veſcovi, e gli altri, che intervivano dell' Ordine Dominicano, ed ebbero dé ſeguaci*; in quo Lancicio cohæret. Obſtiterunt ii Epiſcopi, & Theologi propter notam, quæ Ordini ſuo inureretur, & propter D. Thomæ opinionem, quam accerrime tuebantur, & quam ipſe ſequutus fuerat, ut ſe conformaret ſententiæ, quæ tunc in Pariſienſi Univerſitate verſabatur; ut ipſe S.D. cuidam devoto ſuo, Fratri nempe Dominico Raſola, Diſcalceatorum Carmelitarum Generali, viro virtutibus eximio, apparens, hanc ſuæ ſententiæ cauſam aperuit, inſimulque veritatem immaculatæ Conceptionis profeſſus eſt, & venturum eſſe tempus, quo immaculata Conceptio definiretur. Certe nunc non obſtitiſſent, præcipue Hiſpani, & Luſitani, qui idem juramentum in Univerſitatibus, ut gradum accipiant, libentiſſime emittunt. Et præcipue nullatenus obſtabunt, ſi recordentur, eos fuiſſe ex primis cum ſuo ſanctiſſimo Patriarcha Dominico, qui B. Virginem ab omni macula præſervatam fuiſſe proclamarunt. Res ſcitu

digna. Siquidem, cum idem ſanctiſſimus Patriarcha, qui prius fuerat Ordinis S. Jacobi Eques, ſuum præclariſſimum Ordinem inſtituiſſet, ſicut multas Jacobei Ordinis cæremonias ad ſuum novum Ordinem invexerat, (ut ſunt Officium parvum B. Virginis aſtantes recitare; à ſalutatione Angelica Miſſam incipere; non dextera, ſed læva manu communicare, & ſimiles aliæ) ita etiam Breviarium, & Miſſale Jacobeum obſervandum aſſignavit, ut de facto per ſæcula obſervaſſe fertur. In præfato igitur tum Jacobei primum, tum poſtea Dominicani Ordinis Miſſali, ſicut hodie feſta B. Virginis Præfationem habent propriam, ſic tunc proprium habebant Hymnum *Gloria in excelſis*; in feſtis enim Deiparæ ſanctiſſimæ, ubi Hymnus habet *Filius Patris*, addebatur *Primogenitus Mariæ Virginis Matris.* Ubi habet: *Suſcipe deprecationem noſtram*, adjiciebatur *ad Mariæ gloriam.* Ubi habet: *Tu ſolus ſanctus, tu ſolus Dominus, tu ſolus Altiſſimus*, ſic legebatur: *Tu ſolus ſanctus Mariam ſanctificans, tu ſolus Dominus Mariam gubernans, tu ſolus Altiſſimus Mariam coronans.* In feſto autem Conceptionis ſic canebatur: *Tu ſolus ſanctus Mariam præſervaſti: Tu ſolus Dominus Mariam fabricaſti: Tu ſolus Altiſſimus Mariam ſublimaſti.* Adeo antiqua eſt hujus Ordinis Militaris erga Deiparæ puriſſimam Conceptionem mirifica devotio, fortaſſe à ſuo, & Hiſpaniarum Patrono per traditionem accepta, quidquid Hiſpanis traditionibus exteri Scriptores nimium detrahant. Adeo inclyti Dominicani Ordinis antiqua eſt tuendæ Conceptionis obligatio. Qui in hac materia plura ſcire cupiat, quibus meus Jacobeus, tum etiam meus chariſſimus Dominicanus Ordo nobilitantur, adeat Apologiam pro habitu Sancti Dominici in Ordine D. Jacobi typis datam Hiſpano ſermone anno 1725. & ſcriptam per D. Joſephum Lopes Arguleta, ubi late rem omnem diſcutit, comprobat, & oſtendit Sanctum Patriarcham Dominicum Conceptionis myſterium prædicaſſe. Idemque tenet inſignis Dogmatiſta Duvallius *in Apice certitudinis Theologicæ*, & doctiſſimus Nieremberg in libro *Exceptiones Tridentini pro omnimoda Deiparæ puritate cap.* 22. Nigarol. Bernardinus de Buſtos, & alii, apud quos in ejus vitæ exemplaribus habentur ejuſdem Sancti Patriarchæ hæc verba: *Sicut primus Adam fuit ex terra virgine, & nunquam maledicta formatus, ita decuit in ſecundo Adam fieri.* Hæc obiter attigiſſe libuit, ne hoc præclariſſimi Ordinis illuſtre præconium ſilentio prætermitterem, ſuamque ab origine ſententiam propalarem. His aſſenſum non dabit Muratorius, omnem ſuæ ſententiæ non faventibus fidem negare aſſuetus; ſed ego non ſurdis auribus, ſed piis lectoribus has notitias commendo.

147 Suadetur 3. ex Synodo Hieroſolymitana anno 1672. adverſus Calviniſtas, in quo interfuerunt 43. Patres, quæ ſic habet: *Nullam è*

contagione

contagione peccati mortis ſuæ cauſam habuit Virgo ſanctiſſima, ſed ex ipſis dumtaxat naturæ principiis, quibus vel ante peccatum homo conſtabat; morti quippe ſuapte natura obnoxius erat ille, quamvis optimæ. Id vero beneficii Deus illi contulit, ut in eo nequaquam operante natura, ſed gratia, immortalitatem ſibi conciliaret. Hoc ipſum, & ſanctiſſimæ Deiparæ contigit, quæ etſi bonis affluebat, ac peccatum neſciebat vel minimum, eadem illa, quæ morti addicunt hominem, naturæ elementa geſtabat, ac pariter ſubinde mortalis erat. Verum eam à Deo gratiam obtinuit, ut mortem, ſi ita voluiſſet, nunquam obiret, ſed cælo etiamnum vitæ compos inferretur, hacce tamen prærogativa uti noluit. Ex quibus verbis clare liquet, Patres illos ſenſiſſe B. Virginem ab omni originalis culpæ contagione fuiſſe liberam. Sicut enim Adam in ſtatu juſtitiæ originalis ex ſolis naturæ principiis morti obnoxius eſſet; ita B. Maria in eodem ſtatu ex ſolis ipſis principiis mortalis eſſet; & ſicut Adam in eodem ſtatu ex privilegio gratiæ immortalitatem aſſequeretur, ita B. Virgo eodem privilegio à morte immunis fieret, ni potius vellet morti ſubjici.

148 Suadetur 4. ex S. Pio V. & Gregorio XIII. damnantibus propoſitionem 69. Michaelis Baii ſic dicentis: *Nemo præter Chriſtum eſt absque peccato. Hinc B. Virgo mortua eſt propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, ſicut & aliorum juſtorum, fuerunt ultiones vel peccati actualis, vel originalis.* Hæ, & aliæ propoſitiones his cenſuris confixæ ſunt: *Quas quidem ſententias hæreticas, erroneas, ſuſpectas, temerarias, ſcandaloſas, & impias, auribus offenſionem immittentes reſpective auctoritate præſentium damnamus, & circumſcribimus, & abolemus.* Neque dici poteſt, memoratam propoſitionem ideo damnatam, quia aſſerebat afflictiones hujus vitæ, quas B. Virgo paſſa eſt, *eſſe ultiones actualis, vel originalis peccati.* In quo videtur innui, B. Virginem non ſolum originali, ſed actuali peccato fuiſſe obnoxiam. Nam contra eſt 1. quod damnatio eſt generalis, & abſoluta totius propoſitionis, in qua principale aſſumptum erat, quod *B. Virgo mortua eſt propter peccatum ex Adam contractum.* Contra eſt 2. quia Baii propoſitio eſt disjunctiva, quæ ne falſa ſit, ſufficit quod altera ejus pars veritate nitatur. Ergo Pontifices damnando abſolute talem propoſitionem, utramque illius partem damnare videntur.

149 Suadetur 5. ex Decreto Gregorii XV. 24. Maii 1622. ſilentium indicenti tum in publicis, tum in privatis ſermonibus, & ſcriptis *audentibus* aſſerere B. Virginem fuiſſe conceptam cum peccato originali: quod de publicis concionibus, lectionibus, ac diſputationibus jam ante à Paulo V. cautum fuerat, & poſtea ab Alexandro VII. confirmatum. Ubi notandum, quod cum toties à Summis Pontificibus

tificibus ſilentium imponatur aſſerentibus B. Virginem fuiſſe conceptam cum peccato originali, neutiquam hoc ſilentium indicatur aſſerentibus, defendentibus, aut prædicantibus eamdem B. Virginem ab originali culpa fuiſſe præſervatam; immo ea ſententia tot gratiis, indulgentiis, privilegiis, & conſtitutionibus foveatur. Hæc eſt ſententia, quam Muratorius dicit terminos opinionis piæ non excedere, falſitati ſubeſſe poſſe, & indefinibilem prope eſſe. Mira profecto hominis iſtius in B. Virginem devotionis, & pietatis demonſtratio! Quis prudens ejus larvas non ex primo proſpectu intuens, ſed medullitus introſpiciens, ejus ſubdolum ſcribendi genus, ejusque animum minime pium non agnoſcet?

150 Suadetur 6. ex Patribus Concilii Baſilienſis *ſeſſ.* 36. qui communi ſuffragio B. Virginem à peccato originali immunem fuiſſe decreverunt, ejusque feſtum in tota Eccleſia celebrari conſtituerunt. Sic habet *ſeſſ.* 36. *Nos vero diligenter inſpectis auctoritatibus, & rationibus, quæ jam à pluribus annis in publicis relationibus ex parte utriusque doctrinæ coram hac ſacroſancta Synodo allegatæ ſunt, aliisque etiam plurimis ſuper hac re viſis, & matura conſideratione penſatis, doctrinam illam diſſerentem glorioſam Virginem Dei Genitricem MARIAM præveniente, & operante divini numinis gratia ſingulari nunquam actualiter ſubjacuiſſe originali peccato; ſed immunem ſemper fuiſſe ab omni originali, & actuali culpa, ſanctamque, & immaculatam; tamquam piam, & conſonam cultui eccleſiaſtico, fidei Catholicæ, rectæ rationi, & ſacræ Scripturæ, ab omnibus Catholicis approbandam fore, tenendam, & amplectendam definimus, & declaramus, nullique de cætero licitum eſſe in contrarium prædicare, ſeu docere &c.* Quæ quidem illorum Patrum ſententiæ referuntur in hiſtoria Concilii Florentini *tom.* 9. Conciliorum per hæc verba: *Rebus igitur diligenter examinatis, publicam ſeſſionem celebrant trigeſimam ſextam ad XV. Kalendas Octobris ejuſdem anni, in qua ſolemni more declarant, glorioſam Virginem Mariam Dei Genitricem, præveniente, & operante divini numinis gratia ſingulari, nunquam actualiter ſubjacuiſſe originali peccato, ſed immunem ſemper fuiſſe ab omni originali, & actuali culpa, ſanctam, atque immaculatam: & hanc doctrinam ab omnibus approbandam, tenendamque judicant, ſtatuentes nulli omnino deinceps licere in contrarium aliquid prædicare, ſeu aſſerere. Cujus feſtivitatem ſexto Idus Decembris celebrandam more Romanæ Eccleſiæ comprobarunt.* Hinc miror doctiſſimum Natalem Alexandrum aſſeruiſſe Patres Concilii nihil aliud decernere, niſi eam ſententiam piam eſſe; cum tamen ex utroque contextu liquido appareat eam approbaſſe ut conſonam fidei Catholicæ, & ſacræ Scripturæ, juſſiſſeque ab omnibus teneri. Non intendimus per hoc aliquam

aliquam veri Concilii authoritatem definitivam Baſilienſi Synodo attribuere; quippe qui optime ſcimus, eam Synodum, licet à principio legitimam, tamquam à S.P.Martino V. indictam, poſtea illegitimam factam fuiſſe, atque, utpote tempore ſchiſmatis celebratam, definitionis pondere fuiſſe deſtitutam. Demonſtramus tamen qualis omnium illorum Patrum mens fuerit de immunitate B. Virginis. Adnotatum tamen volumus, falſo à quibuſdam aſſeri decreta omnia Concilii Baſilienſis fuiſſe reprobata, & omnes Theologos ſanctæ Sedi addictos ab iis receſſiſſe. Rejecit Eugenius IV. Concilium illud ut acephalum, & ſchiſmaticum, rejecit decreta, quæ ab eodem Concilio adverſus eum, & adverſus Concilium Ferrariæ primum, & poſtea Florentiæ tranſlatum emanaverant; rejecit quæ circa poteſtatem Concilii ſupra Papam promulgata fuerant, quod poſtea etiam rejecit Concilium Lateranenſe V. ſub Leone X. *ſeſſ.* 11. rejeceruntque Theologi omnes Orthodoxi. Multa in prædicto Concilio acta ſunt rectæ fidei conformia, ut circa Bohemorum propoſitiones, Græcorum errores, circa diſciplinam eccleſiaſticam, circa punitionem peccatorum publicorum, circa communionem ſub utraque ſpecie, innumeraque alia, quæ neque damnata ſunt, nec damnari potuerant, à quibus nullatenus receſſerunt Theologi, immo retinuerunt; non quidem quia decreta fuerant in Concilio, cui nulla definiendi authoritas, ſed quia alias ex Pontificiis Conſtitutionibus, & aliorum Conciliorum decretis retinenda erant. Sicut ſimiliter Nicolaus V. multa ipſius Concilii acta ob bonum pacis poſtea confirmavit. Identidem falſum eſt, quod quidam Anonymus aſſeruit, nempe præfatum de Conceptione Decretum à Sede Apoſtolica rejectum fuiſſe; nullibi ſiquidem demonſtrabitur ſequentium Romanorum Pontificum Conſtitutio aliqua, in qua illud Decretum inveniatur aut reprobatum, aut correctum. Et ſi juxta Natalem Alexandrum prædictum Concilium eam ſententiam tantummodo pronuntiavit *tamquam piam*, quomodo reprobaret Eccleſia, quod poſtea Xiſtus, Clemens, Pius, Paulus, & Gregorius expreſſiſſime decreverunt?

151 Suadetur 7. ex Concilio Avenionenſi celebrato anno 1457. quod habetur *tom.* 9. *Concil. ex collect. regia* opera P. Philippi Labboi, & P. Gabrielis Coſſarcii *pag.* 1388. ubi ex P. Hippolyto Maraccio ſic habetur: *Petrus de Fuxo Senior, Gallus, Ordinis Minorum à Martino V. Pontifice Maximo Cardinalitio honore inſignitus, vir ſuo ſæculo magnus, qui in Concilio Conſtantienſi cum Cardinalibus, & in Hiſpania Legatus, ſchiſma delevit, duos Hiſpaniæ Reges confœderavit: & diverſas Provincias, ut pater patriæ, annis triginta duobus ſumma cum laude adminiſtravit. Inter alia pietatis obſequia, quibus Deiparæ Virginis amorem in corde ſuo ardere manifeſte*

nifeſte declaravit, anno M. CCCC. LVII. Sedis Apoſtolicæ à latere Legatus celebravit Avenione Concilium Provinciale, in quo inter alias ordinationes ſtatutum edidit tenoris ſequentis: Decretum in Concilio Baſilienſi factum de Conceptione Beatiſſimæ Virginis MARIÆ ſtatuimus inviolabiliter obſervari: diſtricte omnibus inhibendo ſub excommunicationis pœna, ne quiſquam aliquid in contrarium prædicare, vel publice diſputare præſumat: quod ſi ſecus aliquis fecerit, dictam ſententiam eum incurrere volumus ipſo facto: & in prima Synodo per Diœceſes per quemlibet celebranda, prædicta ſtatuimus publicari, & curatis Eccleſiarum injungi, ut hæc populo manifeſtent. Datum in Eccleſia Cathedrali Avenionenſi die vii. menſis Septembris anno Incarnationis Dominicæ MCCCC.LVII. Pontificatus Domini noſtri Caliſti Papæ III. anno tertio: *Subſcripſerunt huic ſtatuto non ſolum ipſe Petrus, qui toti præerat Concilio, ſed Alanus Coetivus S. R. E. Cardinalis, de quo ſupra: Robertus Aquenſis Archiepiſcopus, Petrus Epiſcopus Aptenſis, Georgius Senecenſis, Gaucherius Vapincenſis, Nicolaus Maſſilienſis, Petrus Dignenſis, Petrus Glandavenſis, Palamedes Cavallicenſis, Pontius Vaſionenſis, Joannes Rhegionenſis, Stephanus Tricaſſinenſis, Michael Carpentoractenſis, & Joannes Arauſienſis. Cæterum animam cœlo reddidit Petrus hic noſter anno poſt redemptum genus humanum M.CCCC.LXIV. die iii. Decembris.* Placuit ad literam referre, ut ex eo oſtenderem ſuppoſititium dici non poſſe hoc Concilium, neque à Maraccio confictum, qui adeo individuam mentionem ejus fecit. Neque P. Labbe eum ſuppoſititium vocat, quod faceret, ut in aliis ſolet; immo ei fidem adhibuit, ſolumque aſſeruit ſe integra acta non vidiſſe. Referam ejus verba: *Avenionenſe Concilium pro reſtitutione diſciplinæ eccleſiaſticæ celebratum Præſide Petro de Fuxo Albanenſi Epiſcopo S. R. E. Cardinale, Archiepiſcopo Arelatenſi, & Legato Avenionenſi, dicitur extitiſſe in bibliotheca Illuſtriſſimi Epiſcopi Vaſionenſis, ejusque ſit mentio in Purpura Mariana R. P. Hippolyti Maraccii Clerici Regularis pag. 369. quare hic §. XVI. exhibebimus, donec integra illa acta nanciſci licuerit.* Non ideo tamen huic Concilio vim definitivam tribuimus, ſed auctoritativam, ut demonſtremus antiquiſſimum eſſe non modo in Hiſpania, ſed etiam in Gallia hunc immaculatæ Conceptionis cultum, atque præceptum: quod Marianæ immunitati maximam conciliat certitudinem, non talem, qualem veritates definitæ habere debent; ſed moralem, talemque, ut eam negare temeritati, & impietati tribuendum ſit. Quod autem aſſentatores aliqui dicunt, nempe prædictum Concilium rejectum fuiſſe, libere dictum judico; non enim aliquod producitur decretum, ex quo id probari poſſit, præcipue cum id ipſum, quod Concilium illud conſtituit, à ſequentibus Summis

Summis Pontificibus conſtitutum inveniatur. Sicut etiam ſine auctore dictum ſentio libros Maraccii pro immaculata Conceptione proſcriptos fuiſſe. Neque enim in Indice Expurgatorio nomen Hippolyti Maraccii me legiſſe memini, neque in Indice librorum prohibitorum Purpuram Marianam inveniſſe recordor. Fortaſſe aliqua in ejus operibus expungerentur: id tamen non eſt proſcribere libros, ſed aliqua inconcinna delere.

152 Suadetur 8. ex communi conſenſu Epiſcoporum, & totius populi Chriſtiani, apud quem non ſine gravi ſcandalo negaretur immunitas B. Virginis. Audiatur doctrina, & ſanctitate conſpicuus P. Jacobus Granado *tract. de Concept. diſp. 3. q. 29.* ibi: *Singularis devotio, plauſus populi Chriſtiani, celebritas Conceptionis jam pridem inſtituta clamare videntur, & ſuo quaſi jure definitionem poſtulare. Et certe vix aliud eſt dogma definitum ab Eccleſia, quod ante definitionem tanta acclamatione receptum fuerit.* Audiatur P. Vaſques *3. part. q. 27. art. 2. diſp. 117. cap. 2.* ibi: *Omnes, qui Chriſtiani nominis fidem profitentur, in hanc ſententiam uno animo, & affectu ita conſpirant, ut ſine magno populi ſcandalo jam nemo poſſit oppoſitum in concionibus exponere.* Audiatur inſignis Cancellarius Pariſienſis Gerſon *in ſermon. de Concept. Beatam MARIAM non fuiſſe conceptam in peccato originali, de his veritatibus eſt, quæ noviter ſunt revelatæ, vel declaratæ tam per miracula, quæ leguntur, quam per maiorem partem Eccleſiæ, quæ hæc modo tenet.* Audiatur erudítiſſimus Calmet, qui Muratorio ſuſpectus eſſe non poteſt, *in diſſert. Bibl. JESUS Chriſtus Matrem habuit Virginem frugi, æque modeſtam, ac puram; cujus phantaſiæ ſerenum nulla à peccato originali inducta nubes offuſcare potuerat.* Si ita indubitabiliter tenet maior pars Eccleſiæ, quid culpamur, quid arguimur, quod intrepide juremus tenere, & defendere quod omnes fere Eccleſiæ tenent, & tuentur? Audiatur Surius in Append. ad hiſtoriam Naucleri contra impugnatores immunitatis B. Virginis: *Videant,* (ait) *ne dum Matri honori, & privilegio cum multorum gravi ſcandalo, & offenſione derogant, Filii ejus in ſe ſeverum judicium provocent.* Hoc non veretur Muratorius, cum in conſpectu totius orbis, in hujus veritatis juramentum, nænias (ne aliud dicam) audacter eructat: *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt,* ait Dei Patris ſapientia: (36) quod quidem de B. Virgine ipſius ſapientiæ Matre puriſſima canit Eccleſia. Quidquid de ſublimitate, & immunitate B. Virginis dicitur, ad honorem Filii ſui pertinere indubium eſt. Si autem qui in Matre Filium elucidant, æternitatis gloriam poſſidebunt, quid ſperare poterit Muratorius, qui non elucidat, ſed denigrat MARIÆ immunitatem cum eam dubiam, incertam, opinativam, & indefinibilem deprædicat?

(36) Eccleſ. 24.

Hhh 153 Inter-

153 Interminatam lineam protenderem, ſi omnes inſignes Theologos ſic ſentientes commemorarem, ipſis tamen maior his omnibus Theologus non aſſentietur: ſed audiat Gallicum modernum Scriptorem, ac S. R. E. Cardinalem de Noailles, qui certe, ac ſi audiret Muratorium, ſuam temeritatem reprehendit. Dabo ejus verba gallice ſcripta. Sic habet titulus: *Heures du C. de Noailles ſur la Fete de la Conception de la Sainte Viergi. Typis datus libellus in* 12. *Pariſii anno* 1707. *ubi pag.* 267. ſic habet: *Le jour eſt un jour de joye: il annonce le ſalut qui doit nous être apporte por JESUS Chriſt, dont la Mere eſt aujord' hui conçûë. En qualque moment que nous conſiderions la Sainte Mere de Dieu, eloignous d' elle pour l' honneur de ſon File, toute idèe, tout ſoubçon de pechè. Celle que l' Egliſe tien avoir reçû de Dieu une grace particulieri qui l'a preſervèe de toute faute, même veniele, pendant tous le tems de ſavie, a bien pû être préſervée de la tache originele par un privilege ſingulier. C' eſt le ſentiment commun, & le plus autoriſé dans l' Egliſe, quoique l' Egliſe n' en ait pas fait une deciſion, & que cenefoit pas un article de foy; e les Papes en defendu de precher & d' enſeigner publiquement l' opinion contrarie. On ne peut trop blâmer la temerité de ceux qui ſans avoir examiné, & même ſans être capables d' examiner les raiſons de part, & de autre, prennent d' abord le parti qui leur paroît le moins contribuer à la gloire de la Sainte Viergi. Les ſimples fideles doivent reſpecter & recevoir avec joye le pieux ſentiment qui ſemble honorer davantage la Mere & le Fils; ou du moins arrêter leur curioſité, s' en tenir à u que la foy & la pietè leur enſeignent, & ne point douter que Dieu n' ait rendu Marie toute pure, & toute ſainte, au moment & de la maniere qui ont etè les plus convenables à l' execution ces deſſeins éternels, à la miſericorde qu' il vouloit exercer envers elle, & aux choix qu' il en avoit fait pour être la Mere de JESUS Chriſt.* En quam opinionem pie pervicacem temerarius explodit Muratorius, ac veluti nimium incertum audax, inconſultusque deludit. Neque ſe defendere arbitretur aſſerens eum non impugnare piam opinionem, ſed impium juramentum de ea defendenda. Agnoſcimus larvam. Si ipſe pie crederet, non impie impugnaret. Si ea ſibi opinio, non opinio, ſed moraliter certa ſententia haberetur, in juramentum de ea defendenda non exagitaretur. Si tamen ea ſibi non placet ſententia, quod arriſerit, teneat; ſileat tamen, nec alios exprobet, id enim Pontificum jubent decreta, ac ipſis noſtrum juramentum relinquat condemnandum.

154 Suadetur 9. ex infinita propemodum omnium Ordinum Doctorum, item Academiarum multitudine B. Virginis immunitatem adſtruente. Legatur eruditiſſimus Auguſtinus Barboſa ad Concilium

Tri-

Tridentinum *dict. ſeſſ. 5.* de Peccato Originali, ubi poſtquam quadraginta Doctores magni nominis (inter quos Abulenſis, Albertus Magnus, & Magiſter Sententiarum recenſentur) allegaverat, ſic ait: „ Quorum opinionem, & ſententiam tamquam receptiorem, probabiliorem, & pietati ac devotioni fidelium congruentiorem, hodie jam ab omnibus fere Eccleſiaſticis, & ſæcularibus, Prælatis, & ſubditis, ac cæteris omnibus cujuſcumque gradus, dignitatis, & ſexus exiſtentibus, adeo receptam invenimus, ut eam veritatis ſcopum attingere dicendum videretur: præſertim cum omnes inſignes Academiæ non ſolum illam receperint, ſed & publico, & ſolemni juramento ejus definitionem hilari fronte ſuſceperint, (*ſolum Muratorius, & alii ejuſdem ingenii, indignati ſuſcipiunt*) ut de Colonienſi, & Moguntina teſtatur Laurentius Surius de rebus memorabilibus anno 1501. & de antiquiſſima, & famigerata Pariſienſium Academia ſcriptum reliquerunt Caniſius lib. 1. Deiparæ cap. 7. Jacobus Gordonus tom. 2. Chronolog. in annum 11. Papæ Urbani VI. Cævall. d. q. 346. n. 18. & Balthaſar Porreño quo loco nuper citavimus in cap. 28. inſuper affirmans tam in Univerſitate Salmantina, Toletana, & Complutenſi, quam in noſtra Cæſarauguſtanorum Academia, & in Ilerdenſi, Tarraconenſi, Barchinonenſi, Hiſpalenſi, Valentina, & cæteris omnibus Hiſpaniæ ſpeciali decreto ſtabilitum fuiſſe, ut nulli ad Doctoratus gradum aditus pateat, quin prius ſub juramento non promiſerit nunquam ſe veritatem hanc oppugnaturum, & de Pariſienſi, Complutenſi, & Valentina id etiam affirmat P. Joan. Baptiſt. Lozàna in citat. cap. 22. fol. 98. qui non ſolum variis Pontificum, & graviſſimorum Doctorum auctoritatibus ab eo congeſtis cap. 13. & ſeqq. verum etiam urgentiſſimis rationibus cap. 35. in medium propoſitis hanc piam, & veriſſimam aſſertionem ingenioſe confirmat: quam & nos triginta abhinc annis adverſus Gloſſ. verbo Nativitas in cap. 1. de Conſecrat. diſt. 3. & verbo Miraculo in cap. 2. de Conſecrat. diſt. 4. dum hæc jura publice in noſtra Academia doceremus, libenti animo ſecuti fuimus variis rationibus, & fundamentis illam comprobantes. Et poſtmodum anno 1618. cum hujus nobiliſſimæ Civitatis Cæſarauguſtanæ ſupremum Conſulatum exerceremus, una cum aliis ejuſdem Civitatis moderatoribus, copioſaque Nobilium, ac Civium, & Equitum multitudine in Angelico Sacello Sereniſſimæ Deiparæ, & immaculatæ Virginis del Pilar communiter à noſtratibus nuncupato, ejuſdem piæ aſſertionis defenſionem ſolemni juramento firmavimus. His tamen omnibus contraire Muratorius, veluti ſi plus omnibus ſaperet, non addubitat, nullis rationibus, nulli auctoritatum ponderi, ſed ſuis ſolum phraſibus, & declamationibus innixus.

Si enim quod ſcribit perpendatur, totus conſiſtit in deneganda certitudine ſententiæ, quæ B. Virginis immunitati adſtipulatur. Si enim eam fateatur, neceſſe erit, quod omnis ſuorum argumentorum machina diſſolvatur.

155 Suadetur 10. ex veritate immunitatis cœlitus edocta, ac revelata S. Birgittæ, ut ex *lib.* 5. *cap.* 4. luculenter conſtat. Quantum autem hujuſmodi revelationibus deferendum ſit, ex eo liquet, quod Gregorii XI. & Urbani V. juſſu recognitæ, demumque à Bonifacio XI. & Martino V. examini, & libræ commiſſæ, laudatæ, & confirmatæ fuerint. Eadem immunitas revelata eſt S. Eliſabethæ Hungariæ Reginæ, ut ait Pelbart *lib.* 4. *Stellarii p.* 1. *art.* 3. Eamdem ipſamet Virgo ſanctiſſima edocuit Venerabilem Matrem Mariam de Agreda, ut conſtat ex ſuo mirabili libro *Miſtica Ciudad de Dios*, jam olim à S. Sede poſt accuratum examen permiſſo, & nunc ut ſperamus approbando. Juvant apparitiones Angelici Doctoris, & Mellifluì Bernardi ad quoſdam ſuos devotos, ut ex P. Bernardes ſupra tetigi. Favent innumera miracula, quæ apud pios ſcriptores paſſim habentur, quibus omnem negare fidem, pervicacis incredulitatis, & tenaciſſimæ obcæcationis crimen erit.

156 Suadetur 11. quia licitum eſt juramentum de tuenda pro viribus aliqua veritate, quæ morali evidentia habeatur tamquam de fide certa, & implicite in ſacris Scripturis revelata. Hujus generis ſunt complurimæ concluſiones Theologicæ, quæ licet non ultimo Eccleſiæ judicio expreſſe definitæ, apud Theologos habentur tamquam certæ. Atqui licite credi poteſt fide divina B. Virginem fuiſſe immaculate conceptam, liberamque ab omni originali nævo, quoties alicui moraliter conſtet eam fuiſſe in Scripturis revelatam. Igitur &c. Minor, in qua difficultas eſſe poteſt, non mea eſt, ſed P. Viva *ad propoſit.* 21. *Innocent. XI. n.* 19. ubi inquirit: *An poſſit fide ſupernaturali credi Deiparam fuiſſe ſine labe conceptam?* Et ſic reſolvit: *Equidem cenſeo poſſe immaculatam Virginis Conceptionem fide divina credi ab eo, cui moraliter conſtat eam eſſe implicite in Scripturis revelatam: etenim juxta doctrinam Suarii tom.* 2. *in* 3. *part. diſp.* 3. *ſect.* 6. *prohibitio Pontificia ne alicui propoſitioni cenſura aliqua inuratur, bene cohæret cum ſumma probabilitate, necnon cum morali certitudine ſententiæ oppoſitæ: unde non impedit, quominus ſententia, quæ cenſurari non poteſt, dici poſſit omnino improbabilis, ut habet Lugo diſp.* 20. *de Fide n.* 104. *ex Hurtado..... Quare ſicut fide ſupernaturali credere poteſt, v. g. Incarnationem propoſitam à Parocho, ille ruſticus, cui moraliter certum eſt Parochum nec fallere, nec falli; ſecus verò ſi hoc tantum ſit probabile, & incertum: ita poteſt fide ſupernaturali credere Deiparam ſine macula conceptam fuiſſe is, cui*

moraliter

moraliter conſtat id in Scripturis implicite revelari; *ſecus vero ſi hoc tantum putet eſſe tantum probabile*, *& incertum*. Unde id non poterit credere Muratorius, cui ea ſententia eſt tantummodo probabilis, & incerta, atque errori obnoxia. Cum tamen tot ſint ſacræ Scripturæ auctoritates, ex quibus Mariani Theologi immaculatam Deiparæ Conceptionem deducunt, & in eis revelatam ſine formidine credunt, ad id juvantibus innumeris ſanctorum Patrum auctoritatibus; nihil mirum, quod inde reſultet quædam moralis certitudo, quæ omnino licitum faciat prædictum de tuenda immaculata Deiparæ Conceptione juramentum. Reponet fortaſſe Muratorius, ut alii nugatores faciunt, prædictas auctoritates à noſtratibus deturpari, & detorqueri. Sed quis judex erit ſimilis impoſturæ? An Muratorius? An ſuperiore lumine inſtructus eſt, ut non fallatur ipſe, nos verò fallamur? Non inficior multas obſcuras eſſe, aliumque ſenſum habere poſſe; aliæ verò non adeo obſcuræ ſunt, ut ad B. MARIÆ immunitatem adduci non poſſint; immo videmus aliquas ab ipſa Eccleſia Conceptioni applicari, alias vero applicari permitti. Non igitur quæſtionis hujus aliquo jure Muratorius arbiter conſtituitur.

157 Suadetur 12. quia attento controverſiæ præſenti ſtatu, ita vera eſt immunitas B. Virginis, ut à parte rei illi falſitas ſubeſſe non poſſit, prout late probat Salazar *cit. cap.* 43. §. 4. ita proxime, & ultimo diſpoſita ad definitionem, ut non expectato Concilio, tuto poſſit Pontifex ad definitivam ſententiam procedere, ut cum multis tenet idem *Salaz. cit.* §. 6. Ex quibus concluditur B. Virginem in poſſeſſione ſuæ immunitatis conſtitutam nonniſi per ſummam injuriam deturbandam: hanc verò injuriam à Regina Cœli, ac terræ propulſare, effuſo millies ſervorum ſanguine licitum, ac religioſiſſimum eſt. Licet utique, immo maioris dilectionis præconio à divino Oraculo dilaudatur, qui *animam ſuam ponit pro amicis ſuis*, (37) & animam ponere pro tuenda immunitate Virgini ipſi dilectiſſimæ longe vita chariori ſuperſtitioſum, pervicax, & illicitum appellabitur? Oh temeritatem inauditam! Licuit Eleazaro confoſſa bellua triumpho ſuo obrui: *Melius eſt nobis mori in bello, quam videre mala gentis noſtræ, & ſanctorum*, (38) & ſanctiſſimæ Virginis immunitatem proprio ſanguine vindicare nefas erit illicitum, & ſuperſtitioſum? Oh audaciam inauditam! Licet pro fratribus animas ponere: *Debemus pro fratibus animas ponere*, (39) & pro aſſerendo Dei Genitricis, & noſtræ amabiliſſimæ Matris ſingulariſſimo, Virginique honorificentiſſimo privilegio Eccleſiæ auctoritate, Patrum teſtimonio, & totius populi Chriſtiani conſenſu firmato vitam profundere, ſuperſtitioſum erit & illicitum? Oh vocem, quæ à Chriſtiano ore proferatur, indignam! Licuit Samſoni, ut fidelis populi hoſtes debilitaret, inclamare:

(37) Joan. 15. 15.

(38) Machab. 1.

(39) Joan. 1. 3.

(40) Judic. 16. 30. mare: *Moriatur anima mea cum Philiſthiim*; (40) mortem verò pro avertendis adverſus Marianam immunitatem injuriis ſubire, illicitum, & ſuperſtitioſum proferetur? Oh verbum impietate fætum, Dei Matri injurium, Deo inviſum, Angelis, & hominibus ſcandaloſum!

158 Tandem ſuadetur noſtræ propoſitionis veritas ratione extrinſeca jam ſupra tacta. Pium, licitum, & religioſum eſt juramentum, quod à viris doctiſſimis, piis, timoratis, ac religione conſpicuis non probatur modo, ſed uſurpatur, & præcipitur: tale eſt juramentum de tuenda immunitate B. Virginis ab originali: Ergo &c. Pro minoris probatione prima immaculatæ Conceptionis vexillum protulit anno 1383. facultas Theologica Pariſienſis, edito decreto, ne quis gradum, vel Doctoris lauream arriperet, qui immaculatam Virginis Conceptionem à ſe defendendam jurejurando non promitteret. Et licet Natalis Alexander aſſerat non aliam eſſe *ſacræ facultatis Pariſienſis* mentem, quam quæ à Concilio Tridentino, & ab Eccleſia probatur, id certe ab omnibus aliis orthodoxis Academiis habetur. Nullus tam delirus erit, ut contra Eccleſiæ ſenſum aut votum, aut juramentum emittat. Ea tamen Natalis ſententia non contrariatur Decreto ſupra memorato, neque juramento ab omnibus gradum ſuſcipientibus emiſſo de defendenda ſcilicet ea ſententia, eoque cultu, quem Eccleſia probavit, & tot privilegiis munivit. Quo poſito juramento de re proculdubio licita, & laudabili, non video, cur non licite poſſit mortem pati qui ad infringendum licitum juramentum, & ad aſſerendum Virginem Matrem in peccato fuiſſe conceptam violenter adigatur. Hinc miror quanta confidentia ab aliquibus aſſeratur poſt Decretum Gregorii XV. & initio ſæculi xvii. incepiſſe in Hiſpaniis hoc juramentum introduci, cum conſtet jam Pariſiis obſervatum fuiſſe ſæculo xiv.

159 Pariſienſem imitata eſt anno 1451. Colonienſis Academia, Colonienſem Moguntina anno 1601. Moguntinam Valentina, & Urſaonenſis Academiæ in Hiſpania, & cæteræ, quas ſupra recenſuimus, Conimbricenſis, & Eborenſis in Luſitania; quarum demum veſtigia prementes, pleræque Chriſtiani orbis Academiæ in Germania, Gallia, Italia, Hiſpaniis, & Indiis in eamdem ſententiam conſpirarunt. Adſtipulantur Ordines ſanctiſſimi, & in primis Seraphicus, duce Doctore Subtiliſſimo, immaculatæ Conceptionis vindex acerrimus, qui præſtito juramento ad ultimum vitæ ſpiritum Marianam immunitatem proclamat. Societas JESU, ubi nullus cathedram conſcendit, laureave inſignitur, quin pari religione obſtringatur. Cenſeantur ſinguli, & vix aliquis offendetur, qui pari obſequio ſe B. Virgini non emancipet. Carmelitarum antiquiſſimus Ordo idem ſequitur erga Deiparam

ram obſequium, qui certe pro primatu in tuenda B. Virginis immunitate pugnat, & non contemptibilibus fundamentis innititur, de quo videndi Salmanticenſes, & ibi citati *tract.* 23. *cap.* 1. *punct.* 5. §. 4. *n.* 78. Nec deſunt Militares Ordines S. Jacobi, (cui, ut ſupra tetigi, hujus debiti cultus in Hiſpaniis primatus debetur) Calatravæ, & Alcantaræ in Hiſpania, Chriſti, S. Jacobi, & S. Benedicti in Luſitania, qui eodem juramento ſunt adſtricti. Quot igitur in his viri ſanctiſſimi, ac doctiſſimi ſuperſtitionis, & peccati labe inuruntur. Et ne ſuperſtitioſi, peccatique rei dicentur S. Ignatius, S. Franciſcus Xaverius, primique Societatis Patres, qui omnes Pariſiis pro ſuſcipienda laurea hoc juramentum emiſere? Peccavit juvenis ſanctitate clariſſimus Joannes Bukmans è Societate, renovato quotidie voto detuenda Conceptione? Peccarunt tot Eccleſiæ lumina, Pontifices, Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Doctoreſque innumeri, qui in Academiis, ubi præceptum viget, pro ſuſcipienda laurea Marianam immunitatem defendendam jurarunt? Peccarunt hoc ſacramento dicto tot ſapientiſſimæ, & religioſiſſimæ Academiæ, & in his Regia Luſitana, duce piiſſimo Joanne V. ac Principibus ſereniſſimis? Comitia pro inauguratione Joannis IV. in Luſitania habita; item habita Matriti ſub Philippo IV. anno 1621. præſtito per Procuratores à Populis juramento colendi, & profitendi Conceptionis immunitatem? Unus ſolus autem innocens, impollutus, & ſegregatus à peccatoribus Muratorius, qui in Chriſtiani populi faciem abſurdam ad minus, & temerariam propoſitionem evomat. Juramentum de tuenda B. Virginis immunitate ab originali peccato eſt ſuperſtitioſa, & pia pervicacia! Dicamus potius ſuam ſententiam eſſe audacem, irreligioſam, & pervicaciſſimam impietatem.

160 Hujus generis ſunt propoſitiones, (ne dicam blaſphemias) in quas prorumpit, nempe: *Maiores noſtros nunquam id ſomniaſſe*, cum tamen adeo antiqua ſit maiorum noſtrorum in Conceptionem pietas, & devotio: *Poſteros noſtros nunquam id, ſi quidquam ſapiant, probaturos*, quaſi putet ſuamet inflata ſapientia deceptus, devotionem, & ſententiam iſtam à patribus in filios traductam ſuis compoſitis eloquiis penitus eſſe delendam: *Levem eſſe cauſam iſtam ad vitam prodigendam*; quaſi levis cauſa dicenda ſit Virginis honor eximius, & pacifica immunitatis poſſeſſio: *Hanc opinionem falſam eſſe poſſe, & neceſſario non defendendam*; ac ſi honori Virginis, amori, & omnipotentiæ Dei non congruat defendere ejus Matris puriſſimæ, & amabiliſſimæ immunitatem, ne admiſſa opinione contraria, diceremus Deum Patrem omnipotentem Filiam ſuam primogenitam ante omnem creaturam, Filium ſuum ſapientem Matrem ſuam ab æternitate electam, Spiritum Sanctum amantem Sponſam ſuam ſpecioſiſſimam,

niam, cum poſſent hoc inſigni privilegio decorare, id noluiſſe. Quam abſurdum! *Iſtam ſententiam certam videri homini creaturæ fallaciſſimæ*, quaſi ipſe etiam non ſit fallaciſſimus homo: *Errori obnoxiam eſſe*, ſententiam ſcilicet, quam Eccleſia probat, & piam agnoſcit, & tot privilegiis condecorat: *Non poſſe dici certam opinionem, quam Eccleſia ipſa, tot licet piorum quorumdam precibus fatigata, certam decernere nondum ſuſtinuit, immo decerni non poſſe ſilentio ſuo ſignificavit.* Veluti ſi Eccleſiæ dilatio in definienda Conceptionis immunitate argumento eſſe poſſit ejus indefinibilitati, aut aliquid detrahat intrinſecæ veritati, ſiqua inſit; cum tamen ſciamus multa in Scripturis revelata diu Patribus latuiſſe. Noluit hucuſque Deus id Eccleſiæ indeficienter revelare; fortaſſe, ut in maiorem ſui, & Matris gloriam debeatur devotioni, quod fidei præcepto deberetur. Speramus tamen, & certo confidimus id Eccleſiam tandem tandem eſſe definituram, ut garrientium ora omnino intercludantur: *Hunc zelum ſodem eſſe, & zelum ſine ſcientia, zelum inconſultum, & prudentiæ monitis injurium.* Veluti ſi zelus ſuus imprudentior non ſit habendus, quo hanc ſopitam, vel ſilentio obvolutam quæſtionem ipſe rixarum, & contentionum æmulus iterum movet, turbineſque jam dudum ſedatos iterum excitat: *Iude ſperandum non eſſe aut præmium, aut laudem. Iraſcendam potius eſſe Chriſti Matrem, (ſi in eam cadere poſſet iræ ſenſus) eo quod ejus immunitatem eodem ardore, ac fidei revelationes tueamur.* Num ipſi revelatum eſt Deo, ejuſque Matri non placere hoc noſtrum obſequium? Num commemorabit aliquando Deum, aut Virginem Matrem ſuæ diſplicentiæ ſigna demonſtraſſe? E' contra ſunt favores, & beneficia multa erga Marianæ immunitatis defenſores à ſanctiſſima Domina, & Matre amabiliſſima, quæ ex hiſtoriis conſtant. Ego quidem ſpero firmiter B. Virginis patrocinium, eo quod, licet tantillus, pro meo poſſe eam defenderim. Sic imploro cum D. Auguſtino, & cum Eccleſia ſic rogantibus: (41) *Sentiant omnes tuum juvamen quicumque celebrant tuam ſanctam Conceptionem.* Si ſancta eſt, quomodo peccato originali maculata? *Incertum eſſe quod aliter Deus voluiſſe poteſt, & incertum adhuc eſt, an aliter eſſe voluerit.* Quomodo incertum eſt? Creavit Deus Angelos in ſua creatione puriſſimos, & impuram crearet Reginam Angelorum? In juſtitia originali creavit Hevam, quæ mortem intulit mundo, & impuram crearet MARIAM, quæ vitam mundo attulit? Creare ut contagione originali quæ ab æterno ordinata fuerat, & antequam terra fieret, jam erat prædeterminata, & concepta in mente divina, ut ipſius vitæ Mater eſſet? Præparabatur, ut eſſet templum Dei vivi, & habitaculum Spiritus Sancti, & non deſcenderet de cœlo tamquam ſponſa ornata viro ſuo? Potuit Deus omnipotens ei tantum conferre privilegium,

(41) D. Auguſt. ſerm. 18. de Sanctis. quod Eccleſia recitat 2. die infra octavam in 2 nocturno lect. 3.

vilegium, & credendum eſt noluiſſe, aut incertum erit an ita voluerit? Id ſentiat Muratorius. Ego id nunquam mihi perſuadere fas eſſe docebo, & cum P. meo Auguſtino in Manichæum ſic ſimiliter obloquentem dicam: *Hanc, quam deſpicis, Manichae, mater mea eſt, ſed manu fabricata eſt mea.* (Quod opus manu Altiſſimi fabricatum quandoque impurum factum eſt?) *Si potui inquinari cum eam facerem, potui inquinari cum ex ea naſcerer. Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Faceret Deus manu propria Matrem ſuam, & non faceret eam valde bonam, ſed macula originali deformatam? Certe inquinari diceretur ab hæreticis Deus, ſi inquinatam Filiam, Matrem, & Sponſam fabricaret. Id ſentiat Muratorius; nobis enim quod arrideat, nullatenus conſequetur. Hæc, & alia ſimilia eructare viſus eſt, quæ proculdubio à ſancti Officii Tribunali permittenda non ſunt. In memoriam revocet rectiſſimum Tribunal Alexandri VII. Decretum conſtituens ſimiles propoſitiones, earumque aſſertores proſcribendos eſſe. Quod munus ſanctæ Fidei Inquiſitioni, ei ad id data ampliſſima facultate, expreſſiſſime commendat. Hæc, quin multos libros evolverem, dixiſſe ſufficiat ad hominis iſtius in religionis negotio moderationem agnoſcendam, & ut omnibus ejus ſuſpecta indoles, tot in ſanctam Sedem obſequiis larvata, innoteſcat; atque clariſſime appareat, quem cauſæ ſuæ defenſorem Antiſigilliſtæ conducere non dubitarunt. Patronum ſcilicet, eruditum quidem, & eloquii faſtu æſtuantem, ſed meo, multorumque judicio non vera ſapientem. Nunc ad alia.

RADIUS SECUNDUS

Comminuit quæ Muratorius falſiſſime inſtructus in ſuo cap. 4. aſſerere non dubitavit.

1 CErtiſſimum plane omnibus videbitur, Muratorium à noſtra Luſitania tam longe poſitum, nihil ſcire potuiſſe, niſi quod ex informationibus ſibi datis accepiſſet. Ejus inſtructores, qui eſſent, nemini reconditur, licet manu occulta id exequerentur; Euangelica etenim veritas eſt, nihil occulte fieri, quod non reveletur. Quod igitur ei relatum eſt, id ſcripſit. Peſſimus tamen judex conſtituitur, qui ex ſolis unius partis litigantis querimoniis, alia nullatenus audita, ſententiam profert. Suis inſtructoribus morem gerit, quibus ea indoles eſt, ut ex privatis informationibus, aut querelis, nullo ſervato juris ordine, ex abrupto procedant, & in varias pœnas prorumpant, quin ita punitis defenſioni

Iii aditus

nam, cum poſſent hoc inſigni privilegio decorare, id noluiſſe. Quam abſurdum! *Iſtam ſententiam certam videri homini creaturæ fallaciſſimæ*, quaſi ipſe etiam non ſit fallaciſſimus homo: *Errori obnoxiam eſſe*, ſententiam ſcilicet, quam Eccleſia probat, & piam agnoſcit, & tot privilegiis condecorat: *Non poſſe dici certam opinionem, quam Eccleſia ipſa, tot licet piorum quorumdam precibus fatigata, certam decernere nondum ſuſtinuit, immo decerni non poſſe ſilentio ſuo ſignificavit.* Veluti ſi Eccleſiæ dilatio in definienda Conceptionis immunitate argumento eſſe poſſit ejus indefinibilitati, aut aliquid detrahat intrinſecæ veritati, ſiqua inſit; cum tamen ſciamus multa in Scripturis revelata diu Patribus latuiſſe. Noluit hucuſque Deus id Eccleſiæ indeficienter revelare; fortaſſe, ut in maiorem ſui, & Matris gloriam debeatur devotioni, quod fidei præcepto deberetur. Speramus tamen, & certo confidimus id Eccleſiam tandem tandem eſſe definituram, ut garrientium ora omnino intercludantur: *Hunc zelum ſodem eſſe, & zelum ſine ſcientia, zelum inconſultum, & prudentiæ monitis injurium.* Veluti ſi zelus ſuus imprudentior non ſit habendus, quo hanc ſopitam, vel ſilentio obvolutam quæſtionem ipſe rixarum, & contentionum æmulus iterum movet, turbineſque jam dudum ſedatos iterum excitat: *Inde ſperandum non eſſe aut præmium, aut laudem. Iraſcendam potius eſſe Chriſti Matrem, (ſi in eam cadere poſſet iræ ſenſus) eo quod ejus immunitatem eodem ardore, ac fidei revelationes tueamur.* Num ipſi revelatum eſt Deo, ejuſque Matri non placere hoc noſtrum obſequium? Num commemorabit aliquando Deum, aut Virginem Matrem ſuæ diſplicentiæ ſigna demonſtraſſe? E' contra ſunt favores, & beneficia multa erga Marianæ immunitatis defenſores à ſanctiſſima Domina, & Matre amabiliſſima, quæ ex hiſtoriis conſtant. Ego quidem ſpero firmiter B.Virginis patrocinium, eo quod, licet tantillus, pro meo poſſe eam defenderim. Sic imploro cum D. Auguſtino, & cum Eccleſia ſic rogantibus: (41) *Sentiant omnes tuum juvamen quicumque celebrant tuam ſanctam Conceptionem.* Si ſancta eſt, quomodo peccato originali maculata? *Incertum eſſe quod aliter Deus voluiſſe poteſt, & incertum adhuc eſt, an aliter eſſe voluerit.* Quomodo incertum eſt? Creavit Deus Angelos in ſua creatione puriſſimos, & impuram crearet Reginam Angelorum? In juſtitia originali creavit Hevam, quæ mortem intulit mundo, & impuram crearet MARIAM, quæ vitam mundo attulit? Crearetur contagione originali quæ ab æterno ordinata fuerat, & antequam terra fieret, jam erat prædeterminata, & concepta in mente divina, ut ipſius vitæ Mater eſſet? Præparabatur, ut eſſet templum Dei vivi, & habitaculum Spiritus Sancti, & non deſcenderet de cœlo tamquam ſponſa ornata viro ſuo? Potuit Deus omnipotens ei tantum conferre privilegium,

(41) D. Auguſt. ſerm. 18. de Sanctis. quod Eccleſia recitat 2. die infra octavam in 2 nocturno lect. 3.

vilegium, & credendum eſt noluiſſe, aut incertum erit an ita voluerit? Id ſentiat Muratorius. Ego id nunquam mihi perſuadere fas eſſe docebo, & cum P. meo Auguſtino in Manichæum ſic ſimiliter obloquentem dicam: *Hanc, quam deſpicis, Manichæe, mater mea eſt, ſed manu fabricata eſt mea.* (Quod opus manu Altiſſimi fabricatum quandoque impurum factum eſt?) *Si potui inquinari cum eam facerem, potui inquinari cum ex ea naſcerer. Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Faceret Deus manu propria Matrem ſuam, & non faceret eam valde bonam, ſed macula originali deformatam? Certe inquinari diceretur ab hæreticis Deus, ſi inquinatam Filiam, Matrem, & Sponſam fabricaret. Id ſentiat Muratorius; nobis enim quod arrideat, nullatenus conſequetur. Hæc, & alia ſimilia eructare viſus eſt, quæ proculdubio à ſancti Officii Tribunali permittenda non ſunt. In memoriam revocet rectiſſimum Tribunal Alexandri VII. Decretum conſtituens ſimiles propoſitiones, earumque aſſertores proſcribendos eſſe. Quod munus ſanctæ Fidei Inquiſitioni, ei ad id data ampliſſima facultate, expreſſiſſime commendat. Hæc, quin multos libros evolverem, dixiſſe ſufficiat ad hominis iſtius in religionis negotio moderationem agnoſcendam, & ut omnibus ejus ſuſpecta indoles, tot in ſanctam Sedem obſequiis larvata, innoteſcat; atque clariſſime appareat, quem cauſæ ſuæ defenſorem Antiſigilliſtæ conducere non dubitarunt. Patronum ſcilicet, eruditum quidem, & eloquii faſtu æſtuantem, ſed meo, multorumque judicio non vera ſapientem. Nunc ad alia.

RADIUS SECUNDUS

Comminuit quæ Muratorius falſiſſime inſtructus in ſuo cap. 4. aſſerere non dubitavit.

1 CErtiſſimum plane omnibus videbitur, Muratorium à noſtra Luſitania tam longe poſitum, nihil ſcire potuiſſe, niſi quod ex informationibus ſibi datis accepiſſet. Ejus inſtructores, qui eſſent, nemini reconditur, licet manu occulta id exequerentur; Euangelica etenim veritas eſt, nihil occulte fieri, quod non reveletur. Quod igitur ei relatum eſt, id ſcripſit. Peſſimus tamen judex conſtituitur, qui ex ſolis unius partis litigantis querimoniis, alia nullatenus audita, ſententiam profert. Suis inſtructoribus morem gerit, quibus ea indoles eſt, ut ex privatis informationibus, aut querelis, nullo ſervato juris ordine, ex abrupto procedant, & in varias pœnas prorumpant, quin ita punitis defenſioni

aditus pateſiat. An iſte procedendi modus à graviſſimo peccato immunis ſit, dicent Theologi, Juriſconſulti dicent; cum certum ſit, ſecundum totius divini, & humani juris principia, defenſionem nemini denegandam eſſe, nihilque inaudita parte definiri debere. Sic tamen agit Muratorius, nec exhorret.

2 Si perpendamus quæ ipſe aſſerit, nullus ambiget, eum in ipſum Summum Pontificem auſum fuiſſe. Sapientiſſimus enim Pontifex, qui rem omnem profundiſſime, atque maximo examine rimatus eſt, in ſua Conſtitutione *Suprema omnium* fidem adhibuit Eminentiſſimo Lisbonenſi Patriarchæ, quam is ſcriptor temerarie negat. Et poſtea in ſua Conſtitutione *Ubi primum* aſſerit de prædicta perverſa praxi ſibi conſtare *non levi aliquo, incertoque rumore, ſed ita gravibus, ſolidisque fundamentis innixum, ut prudentem omnino fidem de periculi cum veritate, tum magnitudine facerent.* Identidemque decernit ſuas literas notari non poſſe ex defectu *cauſarum, propter quas tum præinſertæ, tum præſentes emanaverint*, neque ipſas cauſas *in controverſiam vocari poſſe*, eo quod *ſufficienter adductæ verificatæ, & juſtificatæ non fuerint.* Muratorius verò & cauſas negat, & falſo rumori attribuit illius perniciofæ praxis notitiam ad S. P. perlatam. Ergo contra Pontificis mentem egit, & pœnis ibi comminatis ſubjici jure debet.

3 Notiſſimum quidem eſt, præfatam Conſtitutionem poſt Excellentiſſimorum Epiſcoporum querelas, poſt aſſertiones ſuas, poſt atteſtationes ab ipſis productas prodiiſſe. Ipſi S. P. qua potuerunt efficacia, ſuam in inveſtigando eo abuſu diligentiam, Cleri tam ſæcularis, quam regularis ignominiam inde profluentem, atteſtationes plurimas in ſui favorem elaboratas, confictamque rumoris originem repræſentarunt. Attamen ſupremus judex omnibus perpenſis, omnibus diſcuſſis, omnibus examinatis decrevit, ſibi prudenter de prædicta perverſa praxi conſtitiſſe, nec fidem adhibere nequiviſſe. Ex quo evidenter apparet, probationes in contrarium prolatas cæteris omnibus prævaluiſſe. Fit conſequens, quod Muratorius vel ſecum judicat Pontificem in re tam gravis momenti ex levibus cauſis, nec rite probatis leviter conſtituiſſe, quod audaciam ſane maximam odoratur; vel adeo levis eſt, ut atteſtationibus, quas Pontifex non probavit, omnem fidem adhibeat; aliis verò omnem adimat veritatis certitudinem.

4 Defenſionis negotium non ipſe maturiori judicio meditatus eſt; namque ſuosmet clientes in maius famæ ſuæ periculum adducit. Quis enim ſibi perſuaſum habebit, *imaginarium fuiſſe hoc malum*, ut Archiepiſcopos, & Epiſcopos Luſitaniæ ſenſiſſe ait, cui medendo anxius Pontifex providentiſſime triplici pharmaco occurrendum eſſe

c cenſuit?

cenſuit? Quis adeo demens erit, qui arbitretur, Pontificem verberaſſe aerem, inutiliterque digladiatum fuiſſe, ut caput amputaret monſtri in cerebro tantum malevolorum hominum confićti? Quis incredulus ſic blaterabit, ut audeat aſſerere, ſupremum Paſtorem enixe compeſcere cogitaſſe damnum, *cujus quidem ne in ipſa quidem Ulyſſiponenſi Civitate, atque Diœceſi vera illius veſtigia fuiſſent deprehenſa*? Quis verò non leviſſimum judicabit Muratorium, cum aſſerit *unam fuiſſe vocem* nihil tale in Luſitania contigiſſe? Mentitur ipſe, mentiuntur quoque qui ipſi hæc inaniſſima ſcribere perſuaſerunt. Bonam igitur cauſam tuendam non ſuſcepit; plus enim ſtandum eſt Pontificiæ declarationi, ac judicio, quam ſuo, ſuorumque mendacio. Unde, quo plus ſuorum clientum aſſeverationes in publicum profert, eo magis eas fucatas, & in ſancta Sede inattendibiles demonſtrat. Quod quidem in injuriam ipſorum atteſtantium cedere, nullus prudens erit, qui non profiteatur.

5 Riſu dignum erit, quod ipſe in Mutinenſi Civitate quæ in Regno Portugalliæ acta ſunt, veluti ſi omnia videret, ita ſecuriſſime referat, ut nullam rationem dubitandi concepiſſe videatur. Quæ fides ei adhibenda à prudentibus erit? Omnes, qui legerint opellam ſuam, dubitabunt utique, nullus enim non agnoſcet, eum de re non viſa teſtificari non poſſe. Ex qua revelatione reſcivit, *nullam diligentiam à ſacris Paſtoribus prætermiſſam fuiſſe in inveſtigando, an quiſpiam ex Confeſſariis in ejuſmodi exceſſum abreptus fuiſſet*? Quis eum certum fecit, *neminem ex ſæcularibus inventum eſſe, cui id acciderit*? Quæ diligentiæ factæ ſint, nos, qui vidimus, teſtes ſumus. Ipſi non invenerunt; quia tamen non invenerint, nunc ſilebimus. Et quomodo ex ſæcularibus inveniſſent, ſi (ut ipſe ait) nemo poteſt cogi ſuam detegere turpitudinem, & qui interrogati fuiſſent, vel negare tenerentur, vel fateri ſe peccatum cum complice commiſiſſe; id enim neceſſario contingeret, ſi deponerent ſe in confeſſione de complice ſui peccati fuiſſe interrogatos? Quid verò deponerent Confeſſarii requiſiti? An ſuum delictum faterentur, ſi forte erroris conſcii erant, & participes? Si verò alii neſcirent, quid probant atteſtationes negativæ? Sciebant alii, qui affirmative de certa ſcientia depoſuerunt. Et cur negantibus fides integra adhibenda eſt? Quia ſunt *pii Eccleſiæ Miniſtri, amorem veritatis, & zelum religionis profitentes*. Quis tamen affirmantes ab hac pietate, ab hoc zelo, ab hac veritate ſpoliavit? Non alius, quam Muratorius, aut qui eum inſtruxit. Hæc eſt eorum ſumma virtus, eximia charitas, excellens indoles, quæ ſolum ſuos pios, religioſos, & virtutibus ornatos deprædicant, cæteros verò mendaces, impios, & peccatores declamant. Oh jactantiam intolerabilem! *Qui veritatem occultat, & qui mendacium profert, uter-*

que reus eſt, inquit Auguſtinus. Ipſi veritatem, alia veritate mente retenta, ſeu reſtrictione mentali, cooperuerant: cum enim licitas eſſe complicum interrogationes in caſibus, in quibus interrogare conſueverant, ad illud nempe charitatis finem vitandi peccata, ſecure aſſeruerunt, nullam illius abuſus notitiam habuiſſe, ſcilicet (ut mente concipiebant) interrogandi illicite, & quando interrogandi neceſſitas non dabatur: aliàs mirum fuiſſet, quod nullus hujuſce rei ad eorum aures, vel leviſſimus rumor perveniſſet.

6 Originem *excitati turbinis*, ait Muratorius juxta inſtructiones ſibi datas, *à non paucis credi*, attribuendam ſcilicet Patribus Miſſionariis Ordinis S. Franciſci, qui zelo ſuo variis in locis ſcandala compluriima auferre curaverant; aut etiam exiliis, aliiſve pœnis, quibus Religioſi nonnulli cum Sanctimonialibus confabulantes mulctati ſunt. Hinc factum fuiſſe aſſerit, homines ad vindictam pronos non ſolum ad aures Eminentiſſimorum Cardinalium querimonias detuliſſe, ſed etiam in vulgus ſparſiſſe Miſſionarios prædictos ſacramentali ſigillo uſos fuiſſe ad procurandam ſcandalis medicinam. Quis hæc vaniloqua ad aures Muratorii longe remoti immurmuravit? An edicta Eminentiſſimorum de Miſſionariis quidquam explicant? An diſſertationes editæ de his Religioſis ſermonem inſtituerunt? An rumor ſparſus hos verbi Dei præcones expreſſe ſugillavit? Cur igitur Muratorius, cur ejus inſtructores hos Religioſos Fratres in faciem orbis, hac ſaltem levi ſuſpicione conſpurcatos, oſtendere non erubuerunt? Ad quid has rumoris cauſas exquirere, & ſomniare, immo & aſſerere non dubitarunt? Quantum vereor, quod dolor ipſe occultum detegat vulnus, viruſque mortiferum adaperiat. Doluerunt ipſi ubi proprius conſcientiæ pupugit ſtimulus.

7 Cum tamen Muratorius occaſionem præbeat, ſuſtineat pauliſper, ut eum perconter: An horum Fratrum munus ſit extra confeſſionem de moribus civium, aut incolarum inquiſitiones inſtituere; mulierculaarum, aut invidorum, aut malevolorum ſuſurrationibus anſam præbere, fidemque omnem leviſſime tribuere; accuſare quos aliquo peccato innodatos audiunt, & ad Magiſtratus, vel ſuperiores deferre; in concionibus peccata in confeſſione audita, fortaſſe audientibus, & erubeſcentibus pœnitentibus ipſis, reprehendere, & alia his ſimilia? Putaveram ejus officii eſſe, ut prudenter exerceatur, detractionibus, & obmurmurationibus obturare aures, omnem aditum intercludere, verbum Dei prædicare, confeſſiones excipere, diſſidia publica charitate componere, fraternas correctiones ſecreto facere, vel ad Prælatos Eccleſiaſticos, cum neceſſitas exigat, occulte deferre, ut peccata emendentur, non ut peccatores publice puniantur. Id prudentiæ, charitatis, & veræ virtutis leges expoſcunt: cætera, ſuggerente

rente diabolo falſiſſiſſimum zelum, imprudentiſſime attentantur. Percontor iterum, an recta juſtitiæ adminiſtratio patiatur, ut ex ſecretis, & fortaſſe falſis, aut malevolis informationibus, ſecretisve denuntiationibus ad exilia, aliasque ſimiles pœnas, non auditis, non convictis delinquentibus, procedatur? A' primis incunabilis utriuſque juris ſtudio incubui, nec tamen hunc extraordinarium procedendi modum approbatum me legiſſe recordor.

8 Ait, ad ſacra penetralia recurrere neceſſum non eſſe, ut publica flagitia reſciantur, atque eliminentur. Ita quidem, ſi publica erant. Sed ſi occulta, ſi omnibus ignota, ſi non publicis civilibus pœnis caſtiganda? Quid juris in hoc caſu? Quis conqueri poſſet, quod propter crimen publicum, riteque probatum puniretur? Si tamen nulla alia criminis publicitas eſſet, aut cognitio, ſi nulla probatio, quam ex notitia ab ipſis optimis, zeloque fragrantibus Confeſſariis ortum habuiſſet, quid ſupereſſet dicendum? Explicet id magnus Theologus Muratorius. Progreditur, & in eam levitatem labitur, ut aſſerat, veluti ſi indubitanter agnoſceret, hiſce accuſatoribus non fide dignis fidem habitam fuiſſe. Multa in hac materia jam alibi ſcripſimus, recoquere pudet. Quibus fides data ſit, ipſe neſcit; quod autem affirmet, quod nec ipſe, nec ſui inſtructores ſcire poterant, non mitioris, quam imprudentis credulitatis cenſura inuri valet. Et erunt accuſatores modicæ fidei prudentiſſimi Confeſſores ſacrilegas excipientes ob hanc cauſam confeſſiones factas? Nullius fidei erunt prudentes, doctique viri, à prædictis criminibus liberi, quibus vel ex petito conſilio, vel ex aliis principiis ille abuſus notus erat? Adeo levis eſſet Eminentiſſimus Patriarcha, adeo levis Eminentiſſimus Inquiſitor Generalis, adeo leves prudentiſſimi Inquiſitores, ut teſtibus non fide dignis fidem adhiberent, nec prius examinarent? Profecto multorum annorum, multarum informationum, multorum examinum labor præceſſit, antequam edicta ſua edere conſtituerent. Et tamen hæc evomere auſus eſt ſcriptor iſte? Proh ſumma judicii facilitas! Huic etiam attribuendum eſt quod ſcribere mendaciſſime non veretur, nempe hos flagitioſos, & punitos homines in eam prodiiſſe *confidentiam, ut etiam ſcriptis incitarint Eminentiſſimos Patriarcham, & Generalem Inquiſitorem ad acriter inſurgendum adverſus novam hanc ſectam, in eorum tamen dumtaxat cerebris natam.* Homini maledico quid rependere poſſumus, niſi ſilentium. Ipſe ſibi injuriam infert ſic loqui auſus, cum eum omnis Luſitania agnoſcat mendaciſſimum. Sciunt omnes diſſertationum, quæ in publicum prodierunt, Authores, fuiſſe viros ingenuos, ſapientes, & quibus nulla flagitia imputari poſſunt. Notiſſimum etiam eſt, nulla ſcripta in lucem data fuiſſe, niſi poſtquam aliqui Excellentiſſimi Præſules ſuis Paſtoralibus, infando, inaudito-

inauditoque attentato, pacifico Tribunali bellum indicere aggreſſi ſunt. Sicut etiam neminem latet quanta temeritate unus ex virtuoſis, quos nimium laudat hic ſcriptor, in faciem Venerabilium Cardinalium, ſtatim quod edicta ſua evulgarunt, epiſtolam anonymam, & incomptam ſcripſerit, aut ineptiis conſarcinaverit. Dicat nunc Muratorius, an etiam viris maledicis, & flagitioſis adſcribendum ſit, quod Religioſus ille anonymus multis argumentis contenderet licitam, utilemque nimis eſſe illam praxim interrogandi complices?

9 In toto hoc capite 4. nec ullum verbum profert, in quo mendacii non revincatur. His periculis libens, lubenſque ſubjicitur qui ſcribere audet quod ignorat. Quod ait, nempe Excellentiſſimos Epiſcopos in prædictis diſſertationibus ut fautores erroris traduci, refellendum venit ex his, quæ ſcripta relinquimus in Coruſcatione 2. cum totius facti ſpeciem propoſuimus. Quod addit, nempe, ipſos ſcriptores non *erubuiſſe per vulgus ſpargere, peſtem hanc per univerſam ſerpere Luſitaniam, paſſimque illius fautores, immo & Doctores offendi.* Peius eſt, quod ipſe non erubeſcat has injurias eructare. Diſſertationes illæ (eam peſtem ſpargere neceſſe non fuit, jam enim diſſeminata à ſuis patronis, & Doctoribus fuerat) prodierunt quidem, ut defenderent ſancti Officii juriſdictionem injuſtiſſime conquaſſatam, ut erroneam eſſe peſſimam introductam praxim demonſtrarent, utque certum facerent ſanctum Fidei Tribunal maxima urgente remedii neceſſitate edicta ſua ediidiſſe. Sic cauſa communis, ſic fides, ſic religio expoſcebant: condemnandum eſſet ſilentium noſtrum, cum res in aperto diſcrimine verſabatur. Quod autem ea ſcripta ſpargerentur, poſtquam controverſia *ad Pontificem Maximum fuerat devoluta*, etiam veritati non conſonat. Prodierunt, ut Paſtoralium audaciam refrænarent, & ſi Epiſcopi querelas ſuas ad ſanctam Sedem detulerant, id ignotum erat, occultiſſime ſiquidem ipſi omnia machinabantur. Licet autem id ſciretur, nequaquam hac de cauſa tuendæ veritati ſuperſedendum eſſet.

10 Diu fluctuaſſe ſcribit *Epiſcoporum animos inter patientiam, & neceſſitatem propriæ tuendæ famæ, tum ob amorem pacis, tum ob reverentiam erga ſacrum Inquiſitionis Luſitanæ Tribunal.* Qualis fuerit pacis amor, qualis in ſacrum Tribunal reverentia, eademmet facta abunde teſtificantur. Pacis amor in movenda ſine aliquo jure controverſia! In ſacrum Tribunal reverentia, perturbando ejus inconcuſſam in procedendo rectitudinem, & in annullando ejus edicta! Quid ſimile à ſæculis quandoque factum non demonſtrabitur, neque aliquo jure ſuadente ſtabiliri poterit. Inter quæ tamen fluctuare cogebantur? *Inter patientiam, & neceſſitatem propriæ tuendæ famæ?* Et quæ patientiæ, aut tuendæ famæ neceſſitati cauſa fuerat? Quis eos

læſerat? Quis vel in tenuiſſimo pallii filo offenderat? Sancti Officii edictum nihil aliud continebat, niſi ad ſuam notitiam deveniſſe aliquos imprudentes Confeſſarios falſo zelo ſeductos eam praxim in damnum animarum, & injuriam ſacramenti introducere incepiſſe, & ex officii ſui munere teneri occurere damnis, quæ religioni, aut ſacramento imminebant. Quæ in hoc tam ſancto, tam proficuo, tam neceſſario munere exercendo patientiæ ab Epiſcopis exercendæ materies data erat? Quæ famæ Epiſcopalis ſugillatio, ut eorum tuendæ famæ neceſſitati occaſionem præberet? An ipſi, omneſque erant illi imprudentes Confeſſarii, quos Tribunal in genere, nulloque indigitato reprehenderat? An ſtatim omnium Epiſcoporum cauſam tangebant, atque in eorum injuriam agebantur, quæ in aliquos, eoſque indeterminatos Confeſſarios promulgata fuerant? Quis cæcus hæc non videat? Solus Muratorius, qui ſuis falſiſſimis, compoſitiſque locutionibus rem omnem conficere arbitratus eſt. Ignorantes, qui rem ex ſolo verborum ſtrepitu percipiunt, non verò prudentes, qui rationum momenta rimantur, decipere poterit.

11 Aſt dicent (ut in Eborenſi Paſtorali ſcriptum legimus) injuriam inde maximam in Epiſcoporum vigilantiam redundare; fit enim inde conſequens, eos in extirpando eo errore, ſi daretur, deſides extitiſſe. Remotiſſima conſequentia, & ex conſulto quæſita ad contradictionis ſtimulum contegendum! Quis neſcit eos paucis retro temporibus Epiſcopalem dignitatem adeptos fuiſſe, nec omnia ſtatim ſcire potuiſſe? Quis ignorat ea, quæ in ſecretiſſimo confeſſionis tribunali aguntur, non facile extra cauſas produci, ut in notitiam Epiſcoporum deveniſſent? An quia Fidei Tribunal in ſagas, in maleficos, in ſacrilegos, in blaſphemos animadvertit, deſides inde Epiſcopi in ſuo officio explendo proferuntur? Quis ambigit has denuntiationes potius ad Tribunal Fidei ob maximum ſecretum ibi obſervatum deferri conſueviſſe? Cur ergo his fragiliſſimis argutationibus irretimur?

12 Inquit prædictos Epiſcopos ad communem Patrem, videlicet Summum Pontificem, ſuas querelas detuliſſe. In quo excuſat, ipſe condemnat: ſi enim adierant, cur ejus deciſionem non expectarunt? Cur attentatum commiſerunt? Cur quidam Præſul ſupremo capiti Paſtoralibus abſtinere jubenti non obtemperavit? Hæc tacet Muratorius; tacuiſſe tamen non debuerat, ſi veritatem adamaret. Sed quas querelas? Equidem aut falſas, aut confictas, aut ad ipſorum authoritatem non multum conducentes. Prima, quam Muratorius exponit, eam fuiſſe conſtat, nempe, *poſt ſolicitam veritatis inveſtigationem ſe nullum veſtigium, immo ne umbram quidem deteſtandæ hujus praxis in Diœceſibus ſuis inveniſſe*. Jurare audebit Muratorius has ſolicitas inveſtigationes factas fuiſſe? Aliquam ſcimus intentatam, cui

cui ſuperſedendum fuit, quia non ſolum umbræ, non ſolum veſtigia, ſed etiam probationes aliquæ apparebant. Non invenerunt Antiſtites; invenit tamen Fidei Tribunal, cujus inquiſitiones ſolertiori indagatione fieri conſueſcunt. Epiſcopi multis aliis negotiis implicati ſunt, nihil mirum quod non omnia poſſint. Fidei Tribunal in hoc ſolum religionis tuendæ negotio occupatur, ideoque vigilantius inquirit, & invenit quidquid religionem offendere aliquando contingat.

13 Secunda falſa eſt, & detractoria. Ea erat, ſcilicet: *Excogitatam, & diffuſam fuiſſe hujuſmodi calumniam à quibuſdam hominibus, ut invidia hujuſmodi crearetur adverſus ſumme pios, utileſque Eccleſiæ viros.* Quanta hic non conficta, ſed vera objicere poſſemus, ſi charitas, modeſtia, & temporum calamitas prudentiſſimum ſilentium non ſuaderent. Omittamus quæ ad calamum veniunt, & inquiramus: Etiam prudentiſſimi Cardinales hanc invidiam creare conſtituerunt? Oh maximum deliramentum! Etiam qui pro veritate pugnant, veram doctrinam tuentur, perverſam praxim damnant, invidiam virtuti, ac pietati generare dicendi ſunt? Oh inauditam maledicentiam! Oh verba indigniſſima, quod tunc in faciem Pontificis Maximi prolata fuerint, & nunc in conſpectum totius orbis audacter eructentur! An maxime pii, & Eccleſiæ utiles dicendi ſunt, qui eam intolerandam praxim introducere ſatagebant? An imprudentes Confeſſarii, qui novam ſectam exercebant, pietate, & utilitate maxima præditi dicendi ſunt? In hos ſolos pugnantium ſagittæ immiſſæ ſunt: in hos prudentiſſimi Tribunalis edicta prodierunt. Cur ergo in pios, utileſque viros creata invidia falliſſime proclamatur? Vel ipſi pii, utileſque viri præfato abuſui favebant, vel non? Si primum; non pii, ſed impii, non utiles, ſed pernicioſi Eccleſiæ dicendi ſunt. Si ſecundum, non eos vel in minimo læſit qui in impios, & pernicioſos tantummodo exarſit. Quare igitur nullo jure, nulla modeſtia, nulla charitate dictante hoc effugium, hoc repagulum, hoc falſum teſtimonium ad oculos ſupremi capitis devehere non reformidarunt? Oh quantum detegit ipſa nimia tegendi cautela! Quis tamen crediderit Excellentiſſimos Antiſtites hæc ad S. Pontificem reſcripſiſſe? Viros ſcilicet ſapientes, orthodoxos, modeſtiſſimos, omnibus virtutibus ornatos, ſic homines, quos minime noverant, detracturos? Mihi perſuadeo Muratorium hæc effinxiſſe; & dum Epiſcopos defendere putavit, gravius profecto calumniatus eſt.

14 Tertia querelæ pars tota ſiſtebat in exaggerando onere pœnitentibus impoſito denuntiandi Confeſſarios perperam de complicibus interrogantes. Sed de hac materia ſtatim ſpecialis fiet tractatio. Intolerandum illud onus vivis coloribus depinxerunt. Hos in atramentario

rio reliquit Muratoribus, quia re vera ſunt vaniſſimi. Id ſolum expreſſit, nempe per illud abſterreri fideles à ſacramentali confeſſione. Sed falſiſſima erat aſſertio; quin poſt edicta Tribunalis alacrius, & ſecurius ad Pœnitentiæ ſacramentum fideles accurrebant. Teſtes advoco Confeſſarios omnes. Fugiebant profecto ab Eccleſiis ubi de Confeſſariis erat ſuſpicio, ſed aliis confeſſionum audiendarum labor accreſcebat. Mirum tamen eſt, quod non timeretur damnum illud in onere detegendi complices, maxime autem exaggeraretur circa onus denuntiandi Confeſſarios. Illud onus non vigebat, niſi caſu, quo Confeſſarii interrogarent: & ſi iſti, ut contendunt, nullatenus de complicibus inquirebant, fruſtra illud onus timebatur. Unde ad hominem deducitur ex ſuomet timore concludentiſſimum contra eos argumentum. Ideo illud onus in pœnitentibus verebantur, quia ille abuſus in Confeſſariis frequens erat. Fruſtra rigorem legis reformidant, qui in leges nullatenus delinquunt. Non arcerentur fideles à ſacramento, ſi Confeſſarii interrogare ſoliti non eſſent. In ſolicitationibus non arcentur fideles denuntiationis onere, quo adſtringuntur, quia ſperant timore denuntiationum Confeſſarios non eſſe ſolicitaturos. Timor igitur non erat pœnitentium, ſed Confeſſariorum; detegi enim magnopere formidabant. Id circo factum fuit, ut qua data porta ruerent, ſicque imminens periculum, quod non fruſtra timebant, ſecurius devitarent.

15. Reſcripſiſſe dicit Pontificem Maximum, *ſe nequiviſſe de veritate facinoris dubitare; quando de illo fidem faciebant edicta publica geminorum Cardinalium.* Quod nefas eſſe judicavit ſupremus Paſtor, fas eſſe Muratorius arbitratus eſt, qui non ſolum dubitat, ſed expreſſe inficiatur. Credidit atteſtantibus in cauſa propria, quorum intererat negare crimen; non credidit Cardinalibus cauſam religionis communem agentibus, & quorum nullum intereſſe proprium vertebatur. Optimus defenſor, optimus judex, inſignis Juriſconſultus! Ad quos tamen reſcripſit Pontifex Maximus? Non ad omnes, ſed ad aliquos in querelis fundendis diligentiores? Quid verò reſcripſit? Se cogitaſſe de remedio adhibendo, in eoque ſuæ vigilantiæ curam impendere. Cur ergo patienter hanc ultimam rei definitionem, quæ in promptu erat, non expectarunt? Cur infandum attentatum committere non exhorruerunt? Cur commotæ tempeſtati novos turbines addiderunt? Excuſet, ſi poſſit, Muratorius. Sed quibus rationibus excuſabitur, qui à Pontifice Maximo reſcriptum acceperat, ut Paſtoralibus edendis abſtineret?

16 Quod autem addit Muratorius, nempe, *nonnullos in exceſſum abiiſſe, quando non ſolum dictitarunt, ſed etiam ad Summum Pontificem ſcripſerunt, Epiſcopos omnes Luſitanos in errore obſtinatos*

 eſſe,

eſſe, nullumque eorum obſequium, & obedientiam ſperandam fore, ad quæcumque in hanc rem prodirent Sedis Apoſtolicæ decreta; leviſſime ſcriptum credo, & quoad ſecundam partem mendaciſſime. Nemo in omnes Luſitaniæ Epiſcopos hanc protulit calumniam, & ne quidem mente ſuſpicatus fuit: nullum ex ſcriptis, quæ prodierunt, id continet. Ad Summum Pontificem neminem privatum ſcripſiſſe certum eſt. Epiſtolæ verò Eminentiſſimi Patriarchæ typis datæ extant, ac ex iis videre eſt nihil tale ſcriptum inveniri. Fortaſſe *Judicium Prudens* ex principiis, & circumſtantiis occurrentibus, quas ignorat Muratorius, conjecturaliter intulit, rem omnem ſedatam non eſſe, & illius erroris aſſertores adhuc in ſua perſiſtere ſententia; hoc tamen non de omnibus, immo nec de aliquibus Epiſcopis, quos Orthodoxos ſemper appellat, aliquando aſſeruit, ſed de illius praxis ſectariis. Si verò de aliquibus Præſulibus id ſuſpicaretur, non omnino vana fuiſſet ejus ſuſpicio; ad eam enim ſuadebant & publicæ Paſtorales, ex quibus apertiſſime conſtabat, eam adhuc retineri opinionem, nempe Pontificem Maximum ſolum prohibuiſſe maximam interrogandi frequentiam, non verò in caſibus à jure permiſſis, quoſque Authores docent; & etiam ſumma diligentia, qua exquirebantur libri prædictæ praxi faventes, ut inter ſuos liberaliter, ſed occulte ſpargerentur.

17 Hanc fundatam præſumptionem diluere intendit Muratorius contrario facto, ſi tamen falſus in facto referendo inveniatur, quid dicendum? Eum mentiendi ſtudio geſſiſſe morem. Sic ſcribit: *Sed contra evenit. Pontificiam Decretalem alacriter ſuſcepere Præſules ii univerſi, & ſumma veneratione deoſculati ſunt* (loquitur de Decretali *Suprema*) *gaudentes nihil aliud in ea inveniri, niſi ſuam ipſorum doctrinam, & prudentiſſima ratione conſultum in ea fuiſſe exceſſibus, ſiquos forte Luſitana tellus antea tuliſſet*. Quis non mirabitur Muratorium ſic aperte mentiri non puduiſſe, & ejus inſtructorem ſic ad eum referre non reformidaſſe? Tota Luſitania ſcit, nullum ex Luſitanis Præſulibus Decretalem *Suprema* ſuis in Diœceſibus publicaſſe, aut ſubditis ſuis innoteſcere juſſiſſe. Scimus omnes, eos tunc ad Summum Pontificem recurriſſe, cum dicta Decretalis ad Luſitaniam adventaſſet. Cujus veritatis evidens probatio eſt ipſius Summi Pontificis ad quemdam Præſulem epiſtola, quæ ſic habet: *Tuas recepimus literas, quas die 22. Septembris proxime elapſi nobis ſcripſiſti: conſona hæc tua epiſtola cum cæteris, quas alii Luſitaniæ Epiſcopi nobis ſcripſerunt; quocirca epiſtolæ tuæ eamdem dabimus reſponſionem, quam cæteris dedimus, editas videlicet fuiſſe à nobis literas Apoſtolicas, in quibus prohibuimus Confeſſarios exquirere nomen complicis, & locum habitationis ipſius: ſed poſt edita edicta tum Cardinalis Inquiſitoris,*

toris, tum Cardinalis Patriarchæ, in quo themate nemo profecto erit, qui nos rationabiliter redarguere poſſit, quod aerem verberavimus, vel quod cogitavimus de avertendo malo, quod non erat in rerum natura &c. Ex cujus epiſtolæ contextu tria expreſſiſſime deducuntur. Primum, eas Epiſcoporum epiſtolas ſcriptas fuiſſe poſt editam, & in Luſitania viſam Decretalem *Suprema*, eamque Epiſcorum animos quam maxime commoviſſe. Secundum, eoſdem Epiſcopos non eam *ſumma veneratione ſuſcepiſſe, aut deoſculatos fuiſſe*, neque intellexiſſe in ea nihil, *niſi ſuam ipſorum doctrinam inveniri*; ſiquidem ad eam replicarunt, Summo Pontifici objicientes, quod *aerem verberaſſet, cogitaſſetque de avertendo damno, quod non erat in rerum natura.* Tertium, eoſdem Epiſcopos prædictæ Decretali non acquieviſſe, neque putaſſe per eam exceſſibus, quos Luſitana tellus ferebat, conſultum iri, cum potius ejus reformationem poſtulaſſent. Nemo neſcit Paſtoralem Eborenſem nullam mentionem prædictæ Decretalis, ut obſervaret, feciſſe; immo ea ſpreta, ac ſi in rerum natura non extitiſſet, ſuis ſubditis juſſiſſe, quod opiniones Doctorum in ea materia ſequerentur. En quomodo ſuſceperunt: en quomodo deoſculati ſunt; & tamen his evidentiſſime contraria ſcribere auſus eſt. Oh ingenuum, veracem, prudentemque Antiſigilliſtarum doctiſſimum patronum!

18 Eodem elogio commendandum eſt, quod ſtatim proſequitur hocce mendacio, hacque in Eminentiſſimum Inquiſitorem Generalem non condonanda detractione: *Vice verſa* (ſcribere auſus eſt) *etſi ex Pontificia Paſtorali ſatis aperte deducatur, tacite improbari à Sanctitate ſua onus denuntiationis.* Quis non miratur hujus ſcriptoris in eadem periodo terminos ſibi invicem contrarios, nempe *ſatis aperte,* & *tacite*? Quod tamen verbum in illa Decretali ſcriptum legitur, ex quo illa improbatio deducatur? Legimus reprobatam praxim ea cenſura, quæ procul dubio ſatis erat, ut juriſdictionem ſancti Officii ſartam, tectamque ſervaret: legimus laudatum Eminentiſſimorum Cardinalium veræ Religionis ardentem zelum: legimus approbatam juſtam indignationem, qua ipſi commoti de avertendo tam noxio abuſu cogitaverant: legimus Epiſcopos commonitos, ut omnibus juris remediis adhibitis, compeſcendæ illi praxi invigilarent: quod verò male impoſitum illud onus fuiſſet, neque legimus, neque in prædicta Decretali vel ſomniatum deprehendimus. Et tamen Muratorius, id ex ea aperte deduci, ex tripode definit. Sic proſequitur: *Nulla tamen ibi facta eſt novæ hujus legis correctio, atque in ſua ſententia acrius quam antea idem Eminentiſſimus perſeveravit.* Inconſideratus ſane ſcriptor, ea ut certa proferens, quæ ignorat, aut nimium credulus inveridicis informationibus libenter aſſentiens! Certum eſt ſecundum

ſanctæ Inquiſitionis edictum nihil novum primo addidiſſe; ſed eo ſuppoſito, ac etiam ſuppoſita prædictæ praxis damnatione, quæ ſuam juriſdictionem ipſo jure confirmabat, ad denuntiandum Confeſſarios perperam de complicibus, eorum nominibus, & habitationibus interrogantes, & ob hanc denegatam notitiam abſolutionem denegantes, adſtringebat eos, qui hujus praxis, & doctrinæ notitiam haberent; ea tamen adhibita prudenti moderatione, ut nullatenus pœnitentes exprimeret, ut fecerat in primo edicto, ſed generaliter id juberet. Immo legenti edictum illud expreſſe liquet, illud onus pœnitentibus non imponi. Verba edicti ſic ſe habent: *Si ſciunt aliquem Confeſſarium ſæcularem, aut regularem in actu confeſſionis ſacramentalis pœnitentes interrogaſſe complices ſuorum peccatorum, & locum habitationis, & ob id non declaratum eis denegaſſe abſolutionem.* Ex quo edicti contextu conſtat, onus non dirigi ad pœnitentes, de quibus edictum loquitur, tamquam de tertia perſona, ſed ad alios, qui id aliunde ſcirent. In quo acrius quidquam calumniari poteſt? Et cur à ſua ſententia diſceſſurus erat Eminentiſſimus Cardinalis? Ea erat nos eſſe adigendos pœnitentes ad detegendos complices; ea ipſa à ſancta Sede inveniabatur approbata. Sua ſententia erat ad ſuam juriſdictionem attinere eas doctrinas noxias prohibere; eam ipſam laudaverat ſupremus Paſtor. Sua ſententia erat, illius criminis punitionem ad ſuum Tribunal attinere in circumſtantiis, in quibus illud prohibuerat; id ipſum Summus Pontifex in ſua Conſtitutione *Ubi primum* expreſſe declaravit. Sua ſententia erat, Confeſſarios ſic interrogantes denuntiandos eſſe; id ipſum à ſancta Sede præceptum extitit, ea ſola adhibita moderatione, quod juſtis de cauſis ab illo onere pœnitentes liberabat. Cui moderationi libenter acquievit Eminentiſſimus Cardinalis Inquiſitor Generalis, & jam antea animo parato erat ad acquieſcentiam; cum enim Pontifex Maximus ei familiariter ſcripſiſſet, laudaretque ejus zelum, inter alia epiſtola ejus continebat, ipſi videri duriorem obligationem ſub excommunicationis cenſura pœnitentibus impoſitam, Latio ſermone *troppo forte*; id tamen aſſerere non ut Pontificem, ſed ut particularem Doctorem; ad quem idem Eminentiſſimus reſcripſit, in Luſitana Inquiſitione moris erat à ſua origine omnia ſub cenſura præcipere; nec alium modum opportuniorem eſſe, ut delinquentes detegerentur; verumtamen, ſuam Sanctitatem eſſe dominum vineæ, qui diſponere poterat quomodo melius ſibi placuiſſet. Quid ergo corrodit Muratorius? Ad id, quod addit circa Auguſtiſſimum Regem noſtrum, mihi perſuaſum habeo eum eas Regias epiſtolas ad Summum Pontificem ſcriptas non vidiſſe: ſed neque ego vidi, ideo ſilentium pro reſponſione rependo.

19 Poſtea in has manifeſtiſſimas calumnias, & falſitates prorum-

pit,

pit, in quibus, ut Epiſcopos extollat, Fidei Tribunal probro offendit. Sic commentitie ait: *Quid tum Epiſcopi? Dolere contemptum Pontificii Decreti, ingemiſcere ob uſurpatam ab Inquiſitionis Tribunali authoritatem, & juriſdictionem non ſolum Epiſcopalem, ſed & Pontificiam; atque iraſci, quod minime tolleretur nullo jure impoſita denuntiationis obligatio, à qua abſtinuerat prudentiſſimi, & juriſconſultiſſimi Pontificis epiſtola Decretalis.* Oh fœdiſſimum convicium! Oh reprehenſibile commentum! Oh calamum ſemper ad detrahendum paratiſſimum, non atramento, ſed atra bile intinctum! Sanctum Officium contemnens Pontificium Decretum, cui conformabatur! Epiſcopi dolentes ejus contemptum, qui illud neque ſunt reveriti, neque executioni mandarunt! Fidei Tribunal uſurpans juriſdictionem Epiſcopalem, quam, ſuo jure utens, nec in minimo læſerat, & Pontificiam, quam idem Tribunal repræſentat! Antiſtites ſic ingemiſcentes, qui Pontificiam juriſdictionem in delegata nihili faciebant, eamque in Tribunali aſpernabant! In eo ſolum veritatem loquitur, quod nimium ii iraſcebantur, non ſane quia non tolleretur obligatio denuntiationis erga pœnitentes, ſed quod non in totum tolleretur. Verebantur nimium propter ſuos Confeſſarios has neceſſarias denuntiationes; detegeretur enim ſuarum querelarum minus juſta cauſa, ideo in iras prorumpebant. Exoptabant ſancti Officii authoritatem pene contritam; quod ita non accideret, iras ſuas movebat. His ſtimulis extra ſe ipſos rapiebantur, non quia illius ſectæ patroni eſſent, ſed quia eis res non accideret, ut exoptabant.

20 Ait, omnes in eam inclinaſſe ſententiam: *Paſtoralibus literis in publicum emiſſis dejiciendum eſſe male compaginatum Inquiſitionis ædificium.* Non poterat omnibus ea placuiſſe ſententia, quæ fuerat ſcandalo univerſis. Non ita deſipiunt Luſitani Juriſconſulti, quod ipſis ea placuiſſet, non ſententia, ſed inſipientium conſultorum inſania. Si quiſpiam illud mente concepit deliramentum, non is fuerat, cujus judicium ratione regitur, ſed ille, cui ſemper ineſt pro ratione voluntas. Horum indole præditi fuerant, qui non *congregationi virorum æque ſapientum, atque doctorum*, ſed conciliabulo inſipientium, atque ignorantium hominum intereſſentes, tantum, talemque virum decipere cogitarunt, & aſſequuti ſunt, ut in adeo abſonam, inauditamque ſuimet ipſius injuriam proſiliret. Tale conſilium ſolum homines juriſprudentiæ penitus ignari, quales fortaſſe forent illius congregationis Doctores, & quibus literatiſſimus accedit Muratorius, præſtare potuiſſent. Mirum, quod ipſe ſua ſolum fretus authoritate, ex magna Mutinenſi bibliotheca nec unum proferret Authorem, cui eam novam doctrinam deberemus. Quantum in ea paſtorali modeſtiæ deſideratum ſit, dixerunt alii, non ex ſynagoga maledicentium, ut maledi-

maledicus ipſe Muratorius ſtomachatus evomuit, ſed ex ſapientum Orthodoxorum Academia, quibus ſtudio fuit veritatem defendere, fidei propugnaculum ab injuriis vindicare, & certas in hac quæſtione juris regulas edocere. In hos inſpuit Muratorius: rara hominis confidentia! Is ſcriptor ille eſt, qui alibi immoderantiam ingeniorum reprehendit. Sed ibi ingenio, hic lucro ſtuduit; æquumque erat, ut promiſſum ſtipendium promereretur. Sic ſtatum rei à longe pronuntiat: quam verò mendaciter, agnoſcunt omnes. Cum autem jus à facto dependeat, qui erravit in facto, conſequens eſt, ut etiam in jure erraverit. Quomodo autem non erraret, qui Juriſprudentiæ ſcientiam non profitetur? Id videamus.

RADIUS TERTIUS

Circa onus denuntiandi Confeſſarios lucem emittit.

1 PEriculoſam aggredior provinciam; poſtquam enim Sanctiſſimus D. N. pœnitentes ab onere denuntiandi ſua Conſtitutione *Ubi primum* abſolvere dignatus fuit, proculdubio tenendum eſt, eos ad dictam denuntiationem eccleſiaſtica cenſura adſtringi non poſſe. Sed etiam multum probabile mihi videtur, eos, etſi ab excommunicationis vinculo liberi ſint, aliàs poſſe, & ex lege charitatis, aut damni publici vitandi aliquando prædictos Confeſſarios denuntiare teneri. Cum tamen Pontifex Maximus nec eos à denunciandi facultate amoveret, nec prohibuerit eas doctrinas, quibus ea pœnitentium coactio fundabatur, (licet Muratorius aliud inſinuare viſus ſit) ſed ſolum eos à prædicto onere juſtis ex cauſis eximeret, adhuc eiſdem doctrinis ſuus locus eſt. Quod Sanctiſſimus Pater nihil aliud intenderet, & exprimeret, patet expreſſe ex verbis ibidem: *Verumtamen ab hujuſmodi onere denuntiandi juſtis de cauſis eximi volumus, & eximimus perſonam ipſam pœnitentis dumtaxat in cauſa propria, id eſt, in caſu, quod ſuum peccatum confitens, à Confeſſario adigatur ad ſibi manifeſtandum nomen complicis in eodem peccato; tunc enim pœnitentem hujuſmodi ab obligatione eumdem Confeſſarium denuntiandi liberamus.* Ex quo fit conſequens, pœnitentes non abſolute eximi ab onere denuntiandi, ſed tantummodo in cauſa propria, ſeu circa proprium peccatum cum complice commune. Unde fit conſequens, quod ſi pœnitens confiteatur v. g. de judicio temerario, quod ex certa perſona concepit, & ejus perſonæ nomen à Confeſſario inquiratur, (ut de facto contigit) hunc Confeſſarium neceſſario à pœnitente denuntiandum eſſe.

2 Quæ

2 Quæ fuerint hæ juſtæ cauſæ eximendi pœnitentes, ſupremus Paſtor, ut vides, non expreſſit. Fortaſſe cauſam dedere de[illegible]cta vivis coloribus damna, quæ Epiſcopi repræſentaverant. Fortaſſe potuit eſſe ratio, ut ſic Epiſcoporum animos valde commotos ſedaret, & ſchiſmati, atque novis contradictionibus omnem aditum intercluderet, & ſancti Officii, ac Epiſcoporum, ut Pater, ut Paſtor, ut Doctor omnium, partes ageret, ac amicabi fœdere eos componeret. Et tandem quia putaverit remedium in ſua Conſtitutione adhibitum erga orthodoxos, obedientesque Eccleſiæ filios ſatis eſſe, ut nullus ultra prædictæ erroneæ praxi vel leviſſime inſiſteret. An ſatis prædicto abuſui occurſum ſit, experientia edocebit. Nobis tamen ea ſpes eſt, neminem orthodoxum à tam ſancta, prudentique Conſtitutione receſſurum, neque aliquem futurum eſſe, qui Pontificiæ ſententiæ audeat contradicere. Si tamen aliquis adeo temerarius ſit, ut in ſimiles interrogationes prorumpat, & fulminatas cenſuras aut contemnat, aut ſiniſtre interpretetur, non attingo quomodo poſſit denuntiari, & puniri, aut probari crimen, ni pœnitens ipſe teſtis fuerit: nam denuntiator, quiſque ille ſit, quod in confeſſione actum eſt, neſcire non poteſt, niſi ab eodem acceperit pœnitente; is ut teſtis relatus in teſtem vocandus eſt, & aut negabit veritatem ſub juramento quæſitam, aut ſuam propriam deteget turpitudinem. Unde denuntiationis remedium quoad alios inutile redditur, quippe qui ut teſtes referentes nullam fidem in judicio faciunt, niſi relati teſtes cohærenter deponanr; ac proinde ſemper in pœnitentes vertitur onus detegendi Confeſſarios. Si autem cum onere juramenti, ac perjurii periculo in teſtes vocari poſſunt, ut deponant, cur adigi non poterunt, ut denuntient?

3 His tamen, & aliis prætermiſſis, ſtabilitoque tamquam certo non poſſe Inquiſitionis Tribunal cenſuris cogere pœnitentes ad detegendos Confeſſarios, poſtquam Pontificia Conſtitutio emanavit; reſtat inquirendum, an ante dictam Conſtitutionem, & tempore, quo primum editum fuit edictum, juſte, & ſecundum tutiſſimas Doctorum opiniones procederet Tribunal illud illam pœnitentibus obligationem imponens, & an ob eam cauſam ab adverſariis inſimulari jure debeat? Affirmativam ſententiam, quidquit Muratorius corrodat, inconcuſſe tenendam arbitror, nec rationes in contrarium alicujus ponderis cenſendæ ſunt.

4 Præcipuum fundamentum deſumunt ex juris naturalis dictamine, quod nemo teneatur ſe ipſum tradere, aut detegere propriam turpitudinem, ac proinde tale impoſitum onus eſſe directe contra juris naturalis dictamen, cui opponi non poteſt aliquod præceptum humanum. Ad aſſumptum probandum adducit Muratorius S. P. Bonifacii VIII. auctoritatem relatam in *cap.* 8. *cap. Cum non deceat de Elect.*

ferre P. Schimier, qui eumdem Suarium ſequitur, & brevius ſe expedit. Propoſuerat ille quæſtionem, utrum jus naturale præceptivum ſit mutabile, & ad noſtrum intentum optime ſic reſolvit: *Præmonendum eſt 4. cardinem præſentis quæſtionis non in eo verti, poſſitne jus naturæ permiſſivum aliquam mutationem accipere: nam ex n. 8. demonſtratum manet jus naturæ in hoc ſenſu nihil præcipere, aut determinare abſolute, ſed conditionate ſe habere, donec à poteſtate publica, & legislativa alia fiat diſpoſitio, & legislatio. Et hinc provenit, quod potuerit de jure humano introduci ſervitus &c.* Poſtea aliis interjectis ſic ait: *Dico ſecundo. Quando materia juris naturalis pendet à poteſtate humana, jus naturæ materialiter, & improprie ab ipſa poteſtate humana tranſmutari poteſt. Ita laudati DD. Probatur. Legem naturalem improprie mutari nihil aliud eſt, quam circumſtantias ita variari, ut materia non amplius ſub lege, & legiſlatoris intentione contineatur ex num. 166. Sed quando materia juris naturalis pendet à poteſtate humana, hæc circumſtantias ita variare poteſt, ut materia non amplius maneat ſub lege, & legislatoris intentione: ergo &c. Confirmatur. Quando materia juris naturalis humanæ diſpoſitioni ſubeſt, non habet obligationem abſolutam, ſed conditionatam, quouſque videlicet humana poteſtas aliud non ſtatuerit: ergo ſi humana poteſtas aliud ſtatuat, jus naturæ deſinit obligare.*

8 Optime rem explicat P. Molina, (3) qui modeſte reprehendit eos, qui ad ſuas opiniones tuendas principiis juris naturalis abutuntur; ſic velo levato facit Muratorius: „ Adverte tamen (*inquit Molina*) „ naturam non ita nos docere ea, quæ ſunt juris naturalis, quin ex „ deducendis aliquibus concluſionibus ex principiis facile error ſurre„ pat, præſertim quando concluſiones hujuſmodi remote, obſcureque „ ex primis principiis colliguntur: quo fit, ut circa ea, quæ juris ſunt „ naturalis, error aliquando poſſit evenire. Deinde ad quæſtionis reſolutionem tranſit, & ſic reſolvit: „ Dubium tamen eſt circa rem „ præſentem, an ea, quæ juris ſunt naturalis, poſſint aliquando ita „ mutari, ut deſinant eſſe de jure naturali? Ad quod reſpondent Ariſ„ tot. 5. Ethicor. cap. 7. D. Thom. 2. 2. q. 57. art. 2. ad primum, „ poſſe interdum mutari, non tamen omnia, ſed aliqua. Ut enim in„ ter res naturales quædam ſunt neceſſariæ omnino,... ita in rebus „ moralibus quædam ſunt de jure naturali ejus conditionis, ut ne„ queant non eſſe, cujuſmodi ſunt, quæ in Decalogo præcipiuntur;... „ alia verò ita ſunt de jure naturali, ut poſſint aliquando deficere, & „ non eſſe de jure naturali. Hoc modo licet reddere depoſitum,.... „ Variatio namque eorum, quæ ſunt de jure naturali, non evenit pro„ pter variationem, aut mutationem, quæ in lege naturali fiat, ſed „ propter

(3) De Juſt. & Jur. tract. 1. diſp. 4. lit. C pag. 11

„ propter adventum circumſtantiæ, quæ extrahit objectum à numero
„ eorum, quæ lex ea comprehendebat: quare ſine ulla diſpenſati one,
„ aut mutatione legis, lumine intellectus dictante, & interpretante,
„ quod perſiſtente lege in ſe, ut antea erat, non intelligatur in tali
„ eventu, talique ſuperveniente circumſtantia. Neque enim unquam
„ de jure naturali fuit, ut enſis depoſitus redderetur furioſo illum pe-
„ tenti, quin potius contrarium ſemper jus naturale præcepit.

9 Id variis exemplis demonſtrari poteſt. Præceptum juris naturalis eſt non detrahere proximo, neque ejus occultum defectum aperire; & tamen licitum, immo & obligatorium eſt accuſare proximum, aut ſuperiori denuntiare ad finem correctionis fraternæ, quin præceptum non detrahendi offendatur, quia circumſtantia ſuperveniens, & ratio altioris ordinis ex obligatione juris naturalis illum caſum adimit. Præceptum juris naturalis eſt non furari; ſed poſita extrema neceſſitate jam furtum non committitur, quia ea extrema neceſſitas rationem illius præcepti naturalis omnino excludit. Præceptum juris naturalis eſt non occidere; & tamen ex juſta defenſione id licet, quia ratio propriæ defenſionis illius abſoluti præcepti rationem vincit. Præceptum juris naturalis eſt ſervare ſecretum, præcipue juramento firmatum, & tamen circumſtantiæ advenientes facere poſſunt, ut hic, & nunc ſecretum non obliget, immo teneatur illud detegere qui ſciat, ex fortiori adveniente præcepto. In infinitum diſcurrere poſſemus, ſed ad exemplum hæc ſufficiant, & concludamus P. Molinæ auctoritatem: *Prædictis ſi adjungas, poſitivum jus, hominumque voluntatem poſſe interdum proponere ex parte objecti circumſtantiam, qua id, quod ſecluſa tali circumſtantia eſſet juris naturalis, deſinat ad jus naturale pertinere, intelliges multa, quæ aliquibus ſolent multum negotii faceſſere.* (Si Muratorius intelligeret, non multum negotii ei faceſſeret, quod tam difficile ei viſum eſt.) *Primum eſt, jus poſitivum humanum efficere, ut aliquid liceat, quod ſecluſo tali jure eſſet contra jus naturale: non quaſi jus humanum præjudicare poſſit juri naturali, ipſum in aliquo derogando, ſed quod poſſit apponere circumſtantiam ex parte objecti, qua id deſinat eſſe de jure naturali, quod foret ſecluſa ea circumſtantia.*

10 Si id procedit reſpectu juris naturalis præceptivi, quid dicendum erit reſpectu juris naturalis permiſſivi, & conditionati? Illud certum, certiſſimumque eſt, jus naturale permiſſivum non attendi, ſeu non vigere, quoties concurrit cum jure naturali præceptivo, quale eſt, quod verſatur in bono communi, quodque privato commodo prævalere ſemper debet, & quod, quoties vertitur ratio boni communis, non attenditur damnum privatorum. Et hinc eſt, quod quicumque legiſlator humanus ratione boni communis poſſit conſtituere legem,

gem, & obligare ad ſui obſervantiam, etiam cum maximo periculo alicujus gravis nocumenti temporalis. Hæc eſt doctrina eximii Granatenſis. (4) Inquirit ille: *Utrum lex humana poſſit obligare ad ſui obſervantiam cum periculo cujuſcumque nocumenti temporalis, etiam mortis*? Et relatis variis opinionibus ſic reſolvit: „ Nihilominus dicendum eſt primo, non deeſſe poteſtatem in magiſtratu civili (& „ idem à fortiori de Eccleſiaſtico) ad obligandum ſuis legibus, & „ cum periculo vitæ, ſi neceſſe ſit. Sententia eſt communis, & mihi „ certa..... Ratio eſt, quia in republica eſt poteſtas neceſſaria ad „ ſuam conſervationem, & ad commune bonum; ſed ad hos fines eſt „ moraliter neceſſarium præceptum obligans ad aliquid agendum, vel „ ad perſeverandum in aliquo loco, non obſtante periculo mortis: „ ergo cadit hoc ſub humanam poteſtatem..... Sed dici poteſt in his „ caſibus legem naturalem obligare, & ideo non eſſe obligationem „ præcepti humani, ſed quaſi coactionem ad ſervandum naturalem „ obligationem. Reſpondetur primo, licet fortaſſe præceptum naturale tunc obliget rempublicam, vel cives in communi, non tamen „ hunc, vel illum determinate: ergo applicare obligationem ad has, „ vel illas perſonas, eſt poteſtatis humanæ, & ita intervenit verum „ præceptum humanum. Eſt præceptum naturale, quod quilibet privatus præferat, etiam cum damno ſuo, bonum commune, præcipue in materia religionis; ſed applicare hoc præceptum iis perſonis, ex quarum denuntiatione illud malum religionis vitari, vel illud bonum foveri, ad ſanctum Fidei, & Religionis Tribunal jure merito ſpectabat. Proſequitur Suarius: *Dicimus etiam non ſemper eſſe certam obligationem naturalem, ſed ſæpe eſſe poſſe rem dubiam, & dependentem ex judicio prudentiæ, an ſcilicet bono communi expediat hoc, vel illo medio uti cum tanto periculo: tunc autem interveniente judicio Principis, ſeu Prælati, ejusque præcepto, inducitur certa obligatio, quæ non poteſt dici legis naturæ, ſed humanæ.* Tribunal Fidei poſitis occurrentibus circumſtantiis judicavit, prudenti judicio præcedente, neceſſarium eſſe illud unicum medium, ut occurreretur gliſcenti errori: infelix fuit, quia non habuit prudentiam Muratorii, per quam inſtrueretur, ſed imprudentiſſimus iſte, quia neſciens neceſſitatem, quæ occurrebat, voluit à longe rem definire, ut repromiſſæ retributionis dignus efficeretur.

(4) Lib. 3. de Legib. cap. 30. n. 4.

11 Eadem eſt ſententia Patris Caſtro Palao. (5) Quærit: *An lex humana obliget cum periculo cujuſcumque gravis nocumenti*? Et reſpondet: *Certum eſt, legem humanam te obligare poſſe ad actum, cui eſt periculum vitæ annexum.... Advertendum tamen eſt, hanc poteſtatem non poſſe legislatorem exercere, niſi cum bonum commune urget: itaque non poteſt legislator obligare ſubditos ad actum graviter*

(5) Tract. 3. diſp. 1. punct. 16.

periculoſum, niſi id ſit neceſſarium bono communi. Fidei Tribunal neceſſarium duxit bono communi religionis, & ſacramenti graviter offenſi illam pravam compeſcere doctrinam, nullumque aliud remedium (ut de facto non dabatur) occurrit, niſi pœnitentes, qui ſoli errorem ad praxim deductum ſcire poterant, ad delinquentium denuntiationem cogeret; qui in eum audet, vel principia juris ignorat, vel audacem detractionem exercere cupit, vel quod non impediatur illa praxis vehementer exoptat.

(6) Tract. 11. cap. 2. p. 7. à n. 122.

12 Patres Salmanticenſes (6) optime rem explicant. Terminos prius quæſtionis proponunt in hunc modum: *Nunc ſolum agemus quomodo, & quando poſſit legislator humanus aliquid præcipere, ad cujus obſervantiam ſubditi teneantur, etiam cum periculo mortis, & conſequenter cujuslibet gravis damni*. Referunt ſtatim ſententiam affirmativam, quæ ſic ſe habet: *Prima aſſerit, omnem legem juſtam à legitimo ſuperiore latam obligare ad ſui obſervationem ſemper, etiamſi periculum vitæ, vel alterius gravis damni immineat. Hanc defendit acerrime Caietanus 1. 2. q. 96. art. 4. & contrariam dicit erroneam.... Et probant primo, quia lex, quando eſt juſta, ordinatur ad bonum commune; ſed id, quod expedit bono communi, ſemper obligat etiam cum detrimento particularium: ergo &c.* Deinde exponunt ſententiam negativam, & ſuam proponunt, mediam viam eligentes, per hæc verba: *Sed nos media via incedendo, dicimus, quod lex canonica, aut civilis non ſemper obliget, immo frequenter non obliget cum periculo mortis, aut gravis damni; poterit tamen multoties obligare, etiamſi tale periculum immineat, unde tenebitur ſubditus obedire, etiamſi vitam perdere manifeſte ſciat.... Quod autem id poſſit lege juberi in aliquo urgentiſſimo caſu, probatur; quia reſpublica, & ejus Gubernator habent poteſtatem ad præcipiendum id, quod expedit ad ſui conſervationem, & ad promovendum bonum commune; ſed ad hoc eſt multoties neceſſarium, quod aliquis ſe exponat periculo mortis: ergo id juſte præcipere poteſt, & conſequenter ſubditus ad obediendum erit obligatus.* Et poſtea *n.* 177. conſtituunt regulam generalem ad cognoſcendum quando præceptum obligat etiam cum gravi onere, & ſic edocent: *Quando id, quod præcipitur, eſt utilius bono communi, aut bono religionis, quam vitam particularis conſervari* (idem à fortiori dicendum quando ſolum periclitatur apud paucos ſecreti tenaciſſimos aliqua famæ, aut boni nominis imminutio) *non ſolum in genere, ſed hic, & nunc, & in hoc caſu particulari (quæ præponderatio arbitrio prudentum facienda eſt) lex obligat etiam cum periculo mortis; alioquin non obligabit cum tanto diſpendio. Ratio primi eſt; quia bonum commune præponderare debet commodo particulari: ergo quando expediens fuerit ad conſervationem*

boni

boni communis, quod vita particularis expendatur, jus habet ſuperior ad præcipiendum etiam cum tali periculo, cui proinde tenetur ſubditus obtemperare.

17 P. Caſnedi (7) poſtquam regulam conſtituerat, quam & nos ſequimur, legem humanam regulariter non obligare cum gravi incommodo, poſtea *n.* 100. limitat regulam, quando illa lex, ſeu præceptum includat in ſe aliquod præceptum naturale, aut divinum reſpiciens bonum publicum, in hunc modum: *Tertium eſt, quod etſi plane certum ſit, nullam legem pure humanam ſæcularem, aut Pontificiam poſſe homines in conſcientia ſub culpa mortali obligare, quoties obedienti imminet mors, aut pœna graviſſima; ſimul tamen certum eſt, quod ſi ea humana lex includat in ſe aliqua præcepta naturalia, aut divina religionis, aut charitatis erga bonum publicum, tunc ea humana lex, quatenus cum ea concurrunt ea præcepta, poterit ſubditum obligare ſub culpa, ut obediat, etſi ex ea pœna graviſſima, & mors ex ipſa obedientia immineat.* Et poſtea *num.* 109. eam rationem præſtat, quæ eſt totius negotii clavis magiſtra, nempe: *Quia naturæ res eſt, ut magis caveatur damnum totius, quam partis, & magis damnum partis nobilioris, quam ignobilioris.* Hæc eſt communis doctrina, quam docent ultra citatos Caietanus, Bonacinas, Freitas, Eſcobar, Anton. à Spirit. Sanct. Bordono, Diana, De Lugo, Marin, Lorca, La-Croix, Henriques, Durandus, Alenſis, Covas, Sanches, Araujo, Almaino, Tapia, & innumeri alii. Huic damno communi cavendo invigilavit Fidei Tribunal, aliquorum privato commodo ex ea cauſa non conſulens. Id improbare ſolum poſſunt illius erroris complices, eorum patroni, & eis favens audaciſſimus Muratorius.

(7) Tom. 5. diſp. 12. ſect. 4. §. 1.

14 Deſcendamus nunc ex generali regula ad particularem denuntiandi obligationem. Hanc dari etiam cum gravi incommodo ſequuntur plurimi, licet alii in contrariam abeant ſententiam. Primum locum obtineant dicti Patres Salmanticenſes, (8) qui ſemper mediam ſequuntur viam. Proponunt ſententiæ affirmativæ fundamentum per hæc verba: Probatur primo: „ Quia incommoda, quæ adveniunt „ Pœnitentiæ ſacramento ob omiſſionem denuntiationis, prævalent in„ commodis privatis, cum illa ſint contra bonum commune religio„ nis, hæc verò contra perſonas particulares: ergo denuntiandi ſunt „ ſolicitantes, etiam cum periculo gravis damni. Explicatur ratio; „ quia maiora ſunt damna imminentia religioni, & communitati, „ quam particularibus, & privatis perſonis: ſervanda ſunt ergo præ„ cepta tendentia in bonum commune tuendum; ſed præceptum de„ nuntiandæ ſolicitationis jubet ſolicitantes denuntiare ob vitandum „ damnum commune, utpote illatum ſacramento, & religioni: ergo

(8) Tract. 21. cap. 4. p. 4. num. 87.

„ denun-

„ denuntiandi ſunt. Secundo: Hæreticus etiam cum periculo gravis „ damni juxta omnes DD. eſt denuntiandus: ergo & ſolicitantes. Pa„ tet conſequentia. Ideo primum eſt verum, quia hæreſis affert con„ tagium oppoſitum bono religionis, & quod eradiceur tantum ma„ lum, vertitur in bonum illius; ſed idem contingit in caſu ſolicita„ tionis: ergo eodem modo debet denuntiari.

15 Procedit hæc opinio in obligatione denuntiandæ ſolicitationis, ſed idem & à fortiori ratione in noſtro caſu aſſerendum eſt, quia maius eſt periculum, maiusque damnum contra ſacramenti religionem verſatur, quod, poſitis Pontificis Conſtitutionibus, dubitari neutiquam poteſt. Id ex ipſis Salmanticenſibus concluditur ex ratione, quam præſtant in prædicta quæſtione. Proſequuntur igitur *num.* 89. „ Sed nos media via incedimus, & dicimus, quod regulariter loquen„ do excuſatur ſolicitatus, aut ſolicitationem ſciens cum gravis da„ mni periculo à denuntiando ſolicitantem: at in aliquo caſu gravi „ cum vitæ periculo ad id tenebitur. Duplicem partem continet re„ ſolutio, & ideo ſeorſim eſt probanda. Et quidem quoad primam „ ſic oſtenditur. Nam licet ultroneè concedamus legem humanam „ poſſe obligare etiam cum mortis periculo, quando id ad bonum „ commune conſervandum expedit, ut diximus tract. 11. p. 7. à n. „ 125. minime tamen quando ad id non eſt neceſſarium..... Quod „ autem aliquando teneantur etiam cum vitæ periculo denuntiare, „ patet. Nam poteſt evenire, quod bonum fidei Catholicæ ex omiſ„ ſione denuntiationis periclitetur, ut ſi ſolicitans eſſet magnæ autho„ ritatis, & ſeducendo pœnitentes frequenter hoc crimen committe„ ret, ex quo juſte timeretur tum deſpectus hujus ſacramenti, tum „ quod timore ſolicitationis ardens deſiderium illud recipiendi in pœ„ nitentibus tepeſceret. In hoc ergo caſu credimus, teneri fideles ad „ ſolicitantem cum vitæ periculo denuntiandum; quia bonum com„ mune, & religionis omni damno privato præponderat. Et hoc tan„ tum probant rationes pro ſecunda ſententia expenſæ. Quare credi„ mus Auctores utriusque opinionis nihil aliud intendere, cum pri„ mi dicant, quod regulariter excuſantur fideles à denuntiando cum „ gravi damni periculo: & ſecundi aſſerant, quod præcepta humana „ aliquando obligent cum gravi incommodo, dum ita poſtulat bo„ num religionis, aut ita legislator intendit.

16 Nunc accommodando doctrinam ad caſum, de quo agimus, omnia concurrebant, quæ Salmanticenſes ponderant. Introducentes praxim erant maximæ authoritatis: pœnitentes frequenter ſeducebantur cum interrogarentur de complicibus, & eis aſſereretur, quod illos non detegendo indiſpoſiti erant ad obtinendam abſolutionem ſacramentalem: ſcandalum jam erat commune: fideles retrahebantur à ſa-

lutari

lutari ſacramento: remedium aliud in promptu non erat: ſigillum ſacramentale frangebatur. Poterat igitur Tribunal ad occurrendum imminenti damno præcipere omnibus, qui ſcirent, & etiam ipſis pœnitentibus, ut tanti erroris aſſeclas denuntiarent, vel ut ipſi timore denuntiationum illa praxi abſtinerent, vel debitas pœnas darent, ſi ſancti Officii edicto non parerent. Quid ergo garrit Muratorius, ſi neſcit quam urgentiſſimam neceſſitatem haberet Tribunal ad ita procedendum, ignoratque quantum prædicta praxis jam graſſaretur? Credidit ſuis clientibus; ſed debuerat prius audire partes, ne tantæ effrænatæ licentiæ argui poſſet.

18 Negari non poteſt maximum verſari religionis damnum in eo, quod ſacramentum rite non adminiſtretur, quod exponatur revelationi ſigilli, quod fideles arceantur à frequentia *ſacramenti tantopere proficui*, quod occaſio detur ſcandalis, & oblocutionibus, & qui negare audeat, neceſſe eſt contra ipſum Pontificem Maximum faciem ſtatuat. In eo verò, quod hic, vel ille pœnitens denuntiet Confeſſarium, ſolum poteſt conſiderari (caſu, quod detur) aliquod particulare damnum. Eſt autem omnium conſtans, & inconcuſſa ſententia bonum commune præferendum eſſe cuilibet privatorum incommodo. Id probant AA. omnes ſupra citati. Ultra relata loca id probat terminanter auctoritas Bonacinæ (9) ſic docentis: *Nemo tenetur in delictis ab aliis commiſſis in ſui damnum, ſeu in cauſa propria denuntiare delinquentem*, (en regula, cui innititur Muratorius, & cui nemo refragatur) *niſi aliter poſtulet commune bonum, aut niſi alia circumſtantia obligationem inducat.* En limitatio, quæ in noſtro caſu verificanda eſt. Poſtea iterum eamdem regulam conſtituit per hæc verba: *Non eſt obligatio denuntiandi, quando ex denuntiatione magnum imminet periculum, & detrimentum denuntianti.* Quale magnum periculum, quale attendibile detrimentum, quod pœnitentibus ex tali denuntiatione immineat? Nullum aliud, niſi quod Antiſigilliſtæ fingunt, ut denuntiationes effugiant. Quaſi hanc objectionem divinarent Salmanticenſes, (10) ſic advertunt: *Sed hic valde notandum eſt, quod periculum gravis damni, maxime infamiæ, fere nunquam ex denuntiatione oritur, ſed tantum ſomniatur, maxime à fœminis, quæ communiter trepidant timore, ubi non adeſt timor.* Nunc verò non trepidant fœminæ, ſed ipſi Confeſſarii, eorumque patroni & ſomniant, & reformidant.

(9) De Oner. denuntiand. diſp. 6. p. 1. §. 3. n. 1.

(10) Loc. ſup. cit. n. 92.

18 Sed proſequamur Bonacinæ auctoritatem. Ipſe ſtatim regulam ſupra poſitam limitat in hunc modum: *Modo crimen non vergat in damnum, & detrimentum publicum; bonum enim commune præferendum eſt privato;* ad quod citat duplicem Navarrum, Avilam, Grathium, Lazarium, Suarium, Filliucium, & alios. Unde hæc exceptio illius regulæ conſtituit aliam regulam in fortiori naturali jure fundatam,

fundatam, quod damnum privatum attendi non debet, quando vertitur damnum commune. Ideo idem Auctor ab illa propoſita regula excipit caſus, in quibus habetur ratio boni communis: *Primum crimen hæreſis; quia hujuſmodi crimen vergit in detrimentum commune. .... Secundo excipi poteſt juxta communiorem ſententiam crimen læſæ Maieſtatis;... in his enim duobus caſibus agitur de bono communi reipublicæ, quod præferendum eſt privato..... Tertio excipitur ab aliquibus Doctoribus caſus blaſphemiæ; eo quod honor, & gloria Dei præferri debeat.... Quarto excipitur crimen Confeſſarii ſolicitantis in confeſſione.* Proponit poſtea *p. 3. n. 11.* rationem dubitandi, quæ eſt eadem Muratorii, ſeu eorum, qui eum conduxerunt, in hunc modum: *Objicies ſecundo. Præcepta humana non obligant cum gravi incommodo.... Reſpondeo ſecundo præcepta etiam humana aliquando obligare cum gravi incommodo, dum ita poſtulat bonum communitatis, aut religionis, ſeu dum legiſlator intentionem habuit obligandi etiam cum gravi incommodo, ut docui in tract. de Legib. diſp. 2. q. 8. p. 2. num. 5. & ſeq. Bonum autem religionis, & ſacramenti præponderat incommodo pœnitentis, & legiſlator etiam in hoc eventu intentionem habuit obligandi.... Contrarium ſentire videtur.... Sed contraria ſententia, ſaltem regulariter loquendo, ſuſtinenda eſt. Tum quia fere nunquam hujuſmodi periculum imminet. Tum quia incommoda, quæ ſequuntur ex abuſu ſacramenti Pœnitentiæ in hac materia, prævalent incommodis privatarum perſonarum.* In idem inclinare videtur Diana, (11) eamdemque ſententiam tenent Eſcobar, & Freitas, (12) qui addit, *quod, attenta practica, contraria ſententia amplectenda eſſe videtur*, & Fr. Anton. à Spirit. Sanct. (13) addit dictam contrariam ſententiam eximentem ab onere denuntiandi probabilitate carere poſt Decretum Alexandri VII. qui jubet *ſub excommunicatione ſibi reſervata, & aliis graviſſimis pœnis, ut omnes denuntient Dominis Inquiſitoribus ſuſpectos etiam leviter de hæreſi, ... & ad id teneri omnes declarat Sanctitas ſua.*

19 Optime ad rem facit ſententia P. Viva ſic docentis: *Fit quarto, quod ſi denuntianti immineat periculum vitæ, famæ, aut amiſſionis magnæ partis bonorum temporalium, juxta ſententiam Fagund. p. 2. lib. 4. cap. 3. poſſit excuſari à denuntiatione facienda. Verum communiſſime docent cum Acunna, Lezana, & aliis apud Dian. p. 4. tract. 5. reſol. 19. quod ſi ex omiſſione denuntiationis in diſcrimen vocetur bonum fidei, nullatenus poſſit denuntiatio omitti etiam cum vitæ diſcrimine.* Et poſtea *n. 13. Ex quibus pariter fit, denuntiandum eſſe hæreticum dogmatizantem etiam à complice delicti, quamvis aliquatenus tunc ſe ipſum prodat. In aliis delictis ab hæreſi formali putant Suar. loc. cit. Portellus, Simanchas, Penna, quod nemo*

teneatur

(11) In Coord. tom. 5. tr. 9. conf. 12. n. 4.

(12) Eſcob. p. 2. q. 3. n. 33. Freitas in addit. ad tract. de Confeſſ. ſolicitant. q. 10. n. 15.

(13) A' Spirit. S. de Sacram. Pœnit. tr. 5. diſp. 18. §. 7.

(14) Ad propoſ. 5. Alexand. VIII. num. 11

teneatur complicem manifeſtare ob periculum propriæ infamiæ. Sed communius cum Bonacina, Acunna Sanctar. Diana loc. cit. reſol. 9. affirmant.

20 Id nimis durum Muratorio videtur, nimis durum aliis ejuſdem indolis, nimis durum piis literatiſque viris, quos adeo extollunt; id tamen, quia non dolent injuriam Sacramenti, religionis jacturam, & fidelium ſcandalum; dolent tamen hujus vel illius pœnitentis ſomniatam infamiam. Oh ridendam, ſeu plorandam maxime falſiſſimam charitatem! Oh ſubdolum falſificati zeli figmentum! Quis verò maturo judicio rem perpendat, & non percipiat horum hominum pervicaciſſimam pietatem? Si iſti laudati virtuoſi, piique Confeſſarii, ſi Muratorius ex eorum ore garriens, negant praxim, facta negant, ſi affirmant nec leviſſimum inveniri prædicti erroris veſtigium, quid timent, cur horrent, quare blaſphemant contra onus pœnitentibus impoſitum? An iſti coguntur denuntiare innocentes? An infamiam aliquam paſſuri ſunt, ſi non ſint Confeſſarii ob illam culpam denunciandi? Apertiſſime pateſcit eum prætextum quæri, ut in ſanctum Officium ſub pietatis colore audentius blaterent, atque denuntiationis periculum evadant. Si tamen de facto detur error ille, qui fieri poteſt, ut Confeſſarii ſic errantes, ſic ſacramento abutentes non denuntientur? Denuntientur, inquient, ſed non à pœnitentibus. Et quis erit, qui denuntiare poſſit crimen ſub ſecreto Confeſſionis latens, ſi non denuntient ipſi pœnitentes? En quo tendit tota machinatio; en ſcopus omnis.

21 Quid tamen novum afferet hæc obligatio pœnitentibus impoſita? Certum eſt, denuntiationem alicujus delicti, eſſe actionem indifferentem ipſis complicibus; ſi enim velint, non obſtante ſuo periculo, denuntiare delictum, nullo jure prohibentur. Quis antem dubitare jure poterit, poſſe ſuperiores circa actiones indifferentes præceptum imponere, quando id viderint expedire. Immo, quis neſcit poſſe legislatores, aut Magiſtratus præcipere id ipſum, ad quod aliquo præcepto dictante tenentur ipſi ſubditi? Sententia hæc eſt, à nullo unquam Doctore dubitata. Nunc ſic: ſed multoties obligatur unuſquiſque ex charitatis præcepto poſtponere damnum proprium, ad vitandum commune damnum: ergo etiam ad id à ſuperioribus cogi poterit. Probatur minor, in qua difficultas eſſe poteſt, authoritate DD. *Certum eſt* (inquit Caſtr. Pal.) (15) *te debere in æquali tui, & reipublicæ neceſſitate non ſolum bona fortunæ, ſed etiam vitam exponere, pro reipublicæ conſervatione. Sic D. Thom. ab omnibus receptus 2. 2. q. 29. art. 3. quia bonum commune præferendum eſt ſpeciali, & pars exponenda eſt pro conſervatione totius.* Et poſtea: (16) *Proximo communi, (hoc eſt reipublicæ) in gravi neceſſitate conſti-*

(15) Tract. 6. d. 1. p. 19.

(16) P. 19. n. 10.

tuto teneris cum periculo vitæ propriæ ſuccurrere.... Ratio eſt; quia vix fieri poteſt rempublicam pati gravem in ſpiritualibus neceſſitatem, quin plures particulares patiantur extremam. Deinde illa neceſſitas communis eſt graviſſimum damnum, cui merito ſuccurri debet amiſſione vitæ alicujus particularis, quæ minus damnum eſt. Adde cum vitia in communitate graſſantur, & plures pervertuntur, bonor divinus periclitatur. Teneris ergo pro illius defenſione periculum vitæ ſubire. Ex quo fit, ſi ſcias concionatorem pravam doctrinam in populo ſeminare, pluresque eſſe pervertendos, & ſpem habeas impediendi, ſi te opponas, te obligatum eſſe.

22 Eamdem doctrinam cum Suar. Bonacin. Coninch, Dian. Villalob. Trullench, & aliis tenent Salmanticenſes: (17) *Si neceſſitate gravi ſpirituali communitas aliqua laboret, debes, etiam cum vita, fama, facultatumque periculo ei ſuccurrere, ſi aliter ei ſubveniri non poteſt. Tum quia damnum grave commune præferendum eſt. Tum quia moraliter impoſſibile eſt, communitatem gravi neceſſitate ſpirituali laborare, & plures particulares non pati extremam, immo & cultum divinum periclitari.... Quia in his caſibus imminet periculum grave commune, cui cum quolibet periculo particulari ſubveniendum eſt.* Plane, poſito errore illo, non ſolum periclitatur honor ſacramento debitus, ſed patitur Chriſtiana reſpublica maximum ſpirituale damnum, & fideles experiuntur graviſſimum detrimentum, dum ea ex cauſa à ſacramentis arcentur, immo & ipſi denuntiantes eidem damno graviſſimo ſpirituali exponuntur, quod vitare tenentur, etiamſi alicui damno temporali ſe offerant; præcipue cum illud exageratum onus grave non ſit, cum & poſſint denuntiationes facere quin ſuum peccatum declarent; & licet declarent, nec id in actis ſcribitur, nec inde reſultat infamia gravis, quia manet tecta culpa ſub inviolabili ſecreto recondita: & licet apud Dominos Inquiſitores aliquam exiſtimationis diminutionem patiatur, debet denuntians ſe ei ſubjicere propter maximum bonum, quod inde reſultat. Unde cum ipſe pœnitens ex charitate debeat potius eligere proprium damnum, tale quale conſiderari valeat, nilmirum, quod etiam ad id ex ſuperiorum præcepto cogi poſſit, nec in tali præcepto aliqua deformitas conſideranda ſit.

(17) Tract. 21. cap. 5. §. 1. n. 32.

23 Non conſideratur hæc deformitas, nec pœnitentium onus attenditur in crimine hæreſis. Quidquid contrarium perſuadere cupiat Muratorius ex Luppo, Delbene, & Carena; nam contraria ſententia, eſt omnium fere Theologorum, & in praxi ſervata, præcipue poſt Decretum Alexandri VII. jubentis *ſub excommunicatione ſibi reſervata, & aliis graviſſimis pœnis, ut omnes denuntient Dominis Inquiſitoribus ſuſpectos etiam leviter de hæreſi.... Et ad id teneri omnes*

declarat

declarat ſanctitas ſua. Ut refert citatus Fr. Anton. à Spirit. Sanct. ubi dicit opinionem contrariam poſt prædictum Decretum eſſe improbabilem. Bonacina jam citatus: *Primo crimen hæreſis, quia hujuſmodi crimen vergit in detrimentum commune.* Salmanticenſes ſup. cit. *Nec hinc inferas quod poſſint fideles præ gravi incommodo excuſari à denuntiando hæreticum. Nam magna eſt differentia inter illum, & ſolicitantem. Etenim hæreſis ex natura ſua ſerpit ut Cancer, eſtque contagium directe bono communi, & Chriſtianæ religioni oppoſitum.... quare illius denuntiatio nunquam, etiam cum gravis damni periculo, omittenda eſt; cum bonum privatum ſit bono communi poſtponendum.* P. Viva ubi ſupra: *Ex quibus pariter fit, denuntiandum eſſe hæreticum dogmatizantem, etiam à complice delicti, quamvis aliquatenus tunc ſe ipſum prodat.* Inutiliter defatigabor in re adeo communi. Hæc ſententia eſt omnium fere Theologorum, atque hodie proculdubio ſic inconcuſſa retinet praxis.

24 Neque refragantur authoritates à Muratorio adductæ. Primo, quia ut plurimum probant eam fuiſſe aliquorum opinionem. Tribunal autem Fidei, non tenebatur eam ſequi opinionem, ſed jure poterat conformari probabiliori ſententiæ, quæ plus reſpicit religionis, quam privatorum utilitatem. Secundo, quia citati AA. loquuntur inſpecto edicto verbis generalibus concepto, & evulgato, quale eſt illud de quo ipſi loquuntur; tunc enim ea regula obtinet, quod non cenſeatur lex velle obligare cum tanto onere: ſecus dicendum quando lex exprimit, quia tunc ſuperior, juſtis de cauſis intendit obligare, etiam cum dicto onere. Id autem poſſe legislatores humanos, ſupra expoſuimus ex Suario, & aliis; neque facile erit invenire, qui doceat contrarium. Tertio, quia negamus tunc offendi jus aliquod naturale: quod enim conſiderari poterit, eſt ſolum jus naturale permiſſivum; quod non viget, quando eſt aliud præceptum fortius dictans bonum commune præferendum eſſe privato. Unde ridendus eſt Muratorius, quia principia juris naturalis non optime callens hoc naturale jus declamatoriis verbis inſipienter exaggerat.

25 Aliud exemplum habemus in perſonis ſolicitatis, quæ quidem Confeſſarios ſolicitantes denuntiare tenentur; quod præceptum, ſecundum meliorem opinionem, etiam urget, quamvis mulier ſolicitata conſenſerit, & complex fuerit. Sufficiat referre P. Vivam *loc. cit.* in his verbis: *Sed communius cum Bonacina, Acunna, Sanctar. Dian. loc. cit. reſol. 9. affirmant. Immo ex quadam Epiſtola nomine Urbani VIII. ad Archiepiſcopum Mediolanenſem miſſa apud Dian. p. 4. tract. 5. reſol. 31. certum omnino eſt, fœminam teneri ad denuntiandum Confeſſarium ſolicitantem, quamvis ipſa conſenſerit, & fuerit complex. Eſto non debeat ſuum conſenſum prodere, nec de ipſo interrogari,*

gari, nec in actibus Curiæ ſcribi, etiamſi à complice Confeſſario manifeſtaretur. Immo addunt multi, eam teneri declarare ſe ſolicitantem fuiſſe, ſaltem ex charitate, ut Confeſſarii pœna ex ea cauſa minuenda ſit. Sed neque in hoc caſu peccatum mulieris in actibus curiæ ſcribendum eſt. Quod ſimiliter obſervandum eſſet in noſtro caſu, in quo pœnitentis peccatum ſcribendum non erit, ſed ſola ejus denuntiatio; ac proinde ceſſat periculum, quod Muratorius magni facit, execratoriis, indignisque verbis utens, dum ait, *dict. cap.* 8. *Quid ergo de novitio iſto præcepto, ſeu jugo dicendum, quo compellerentur homines ad detegendum probrum ſuum non Deo, ſed homini; & quidem homini illi, qui nomina ſua referret in libros Inquiſitionis, ad perennem ſuæ infamiæ memoriam? Haberent hic Luſitani veram animorum, & conſcientiarum carnificinam*, (his eiſdem verbis utuntur hæretici dum in Pœnitentiæ ſacramentum acerrime invehuntur) *ſi vis futura eſſet hujuſmodi edicto.* Quaſi unus de ſtultis locutus eſt. Nomina denuntiantium ſcribenda ſunt, non eorum peccata. Non coguntur pœnitentes ad detegenda peccata ſua, ſed confeſſariorum delicta. Nulla reſultat eis infamiæ ſuæ perennis memoria; nam ex denuntiatione nulla eis reſultat crudeliſſima infamia, nec aliquod ſupereſt exiſtimationis, aut pœnæ diſcrimen. Non illud edictum eſſet animorum, & conſcientiarum carnificina; immo conſcientiarum, & animorum tutela; accederent enim tunc fideles ſecurius ad pœnitentiæ ſacramentum. Neque Muratorius bene perpendit, quod ſuis contumelioſis verbis, in ſanctum Officium compoſitis, eructare cogitavit. Vel enim dabatur ille pernicioſiſſimus abuſus, vel non dabatur, ut ipſe contendit? Si non dabatur; nulla carnificina conſiderari valet, ubi nulla dabatur carnificinæ occaſio: ſi verò dabatur, mirum eſt, quod non doleat Muratorius conſcientiarum, & animorum carnificinam in ſacramento pœnitentiæ, in quo Confeſſarii tam crudelem carnificinam exercebant; eam autem doleat, ubi Fidei Tribunal de illo malo avertendo cogitaverat. Muratorius tamen totus maledicentiæ, non modeſtiæ incubuit. Speret retributionem, quam ob ſcriptiones ſuas illi dabit in die illa juſtus judex.

26 Quod plus in hac materia ſtringere mihi videtur, illud eſt, nempe, Confeſſarium ipſum ſolicitantem, ſi forte ſolicitatæ confeſſionem exciperet, teneri eam obligationis circa denuntiationem faciendam monere. Eum intendebant excuſare aliqui DD. quia tunc Confeſſarius de hoc onere moneret pœnitentem contra ſe ipſum, ad quod non teneretur, eo quod præcepta Eccleſiaſtica non obligant cum gravi onere, & incommodo. Nonne hæc eadem eſt ratio à Muratorio adeo ponderata? Sed tamen Confeſſarius tenetur pœnitentem admonere de ſua obligatione, nec poteſt eum abſolvere abſque eo onere,

ut

ut conſtat ex Alexandro VII. in proſcriptione Propoſitionis VII. quæ ſic habebat: *Modus evadendi obligationem denuntiandæ ſolicitationis eſt, ſi ſolicitatus confiteatur cum ſolicitante, hic poteſt ipſum abſolvere abſque onere denuntiandi.* Ad vitandum illud onus denuntiandi compIurimæ excogitatæ ſunt viæ à laxioribus DD. quarum præcipua eſt illa, quia denuntiantibus infamia timeri poteſt. Sic in ſimili ea eſt excogitata tergiverſatio, ut praxis illa ſerpat, illud damnum averti non poſſit, & Confeſſarii impune graſſentur. Certe Muratorio, & ejus clientibus, eorumque ſophiſmatibus adaptare poſſumus, quod P. Viva circa dictam propoſitionem, & præfatas, opiniones, & argumentationes ſcribit: *Refugit animus* (inquit ille) *alias præruptas vias in medium proferre; quæ ſi eſſent perviæ, aditum omnino occluderent ad ſacrum Tribunal, & magnum aperirent oſtium huic enormi ſceleri, quod impune perpetraretur.* Id exoptant ſectarii illi, id tuetur bonus Muratorius.

27 Fortius, ni fallor, argumentum præſtat, quod ſupra tetigimus ex Pœnitentiali Romano, Bucardo, Ivone, Morino, & aliis. Nam qui impedimentum novit ad contrahendum matrimonium ortum ex peccato occulto, v. g. copulam habitam cum futura uxore à fratre, aut conſanguineo viri, tenetur ſub culpa mortali illud denuntiare, ſi ex occulta fraterna correctione non ſperetur fructus, aut negotium moras non patiatur, ut optime docet P. Sanches, (18) immo ipſe peccati conſcius debet tale impedimentum denuntiare, licet probare non poſſit. Cujus rei ratio ea ſolidiſſima eſt: *Quia tenetur quilibet, ſaltem ſuperiore præcipiente, detegere peccatum inferens damnum tertio, teſte D. Thom. 2. 2. q. 70. art. 1. ad 2. quem omnes ſequuntur: ex hoc autem quod impedimentum non detegatur ſequitur grave damnum: ſi enim impedimentum ſit dirimens, manebunt conjuges in perpetuo concubinatu, filiique erunt illegitimi: ſi autem ſit ſolum impediens, eſt graviſſima injuria ſacramenti Matrimonii, quod cum peccato lethali contra Dei, & Eccleſiæ ſtatuta initur &c.* Nunc ad rem: ea illicita interrogatio complicum fit cum maxima injuria, & irreverentia ſacramenti, quod ex parte Confeſſarii adminiſtratur ſacrilege cum lethali peccato, & cum ingenti damno fidelium, qui ſic à prædicto ſacramento arcentur, & mille ſacrilegis confeſſionibus exponuntur. Ergo omnibus modis vitari id debet, etiam cum aliquo detrimento denuntiantium; qui tamen licet aliquod gravamen ſentiant, maius bonum conſequuntur, ſcilicet ſecuritatem, ut ad ſalutare ſacramentum ſine timore revelati ſigilli accedant. Videmus frequentiſſime eas abſolutas denuntiationes omnibus, & quibuſcumque ſine exceptione aliqua ſub excommunicationis pœna in Parochialibus monitionibus præcipi, nec expavemus, nec blateramus.

(18) De Matrimon. lib. 3. diſp. 13.

mus. Aſt Muratorius poſthabita modeſtia, incomptis verbis, audacibus vocibus illud præceptum à ſancto Officio, neceſſitate cogente, impoſitum ſpernit, conviciatur, illudit. Optimum advocarum convitiatorem conſtituerunt Antiſigilliſtæ!

28 Diluamus tamen omnia phantaſmata, quæ Muratorius ſuo *capite* 8. nobis offert ſuo Laconiſmo ad fallendum propoſita. Sic ait 1. *Laudem profecto pietatis, & Eccleſiaſtici zeli nemo negat Eminentiſſimo Cardinali à Cugna; at ipſi curandum erat, ne pateretur ſe ab ipſo zelo abripi extra limites officii ſui.* Quis non miratur audaciam hominis ſic in ſacratam, & venerabilem Purpuram debachantis? Ut liberius audeat, proponit laudem, ut irroget injuriam. Verum enim verò, quis te conſtituit judicem, ò Muratori, ut decernas Eminentiſſimum Inquiſitorem generalem metas ſui officii exceſſiſſe? Unde tibi tanta authoritas? Et tu tui officii metas non tranſcendis temerarie nimis? Oh quantum mortalia pectora cogit auri ſacra fames! Oh quantum aberrant motus animi tam longe à ratione poſiti! Sed quid miror! Maledixiſti: officii tui menſuram adimpleviſti. Vide tamen quantum audeas; cum non ſolum in Purpuratum Principem, ſed etiam in Pontificem Maximum probrum jacere auſus es. Supremus Paſtor laudat Eminentiſſimum Cardinalem, quia pro munere ſuo, compeſcendo introducto damno invigilaverit. Tu vero condemnas, quod ipſe laudat. Pontifex Maximus declarat cognitionem illius criminis, & authoritatem compeſcendæ præverſæ praxis ad ſanctum Officium attinuiſſe: tu verò id negas. Audes igitur in eumdemmet Pontificem, dum quod ille aſſerit, tu contradicis. Multum profecto tuamet te fefellit imago, & in abruptum conjecit.

29 Ait 2. ſeu potius mordet: *Ad hujuſmodi tamen novitatem animos eidem addit Medina &c. Verum Villalobos.... & Coriolanus, ... qui etiam Petrum Navarrum ſecum ſentientem adducit, huic opinioni ſeſe opponunt, quum controverſum ſit, an infamia complici in confeſſione revelato inferatur.* Non ſoli Medinæ, Lopes, & aliorum ſententiæ confidit Fidei Tribunal, ſed ſuæ juriſdictioni multiplicatis indultis, & longæva poſſeſſione firmatæ: nec ſolis iis Authoribus, ſed multis aliis, quos infra dabimus, aſſerentibus dictam doctrinam de interrogandis complicibus eſſe ſcandaloſam, temerariam, pernicioſam, & injurioſam ſacramento. An Fidei Tribunal recte ſenſiſſet, an male ſentiat Muratorius, definiit Vaticanum Oraculum in ſua Conſtitutione *Ubi primum.* Sed iſte Mutinenſis calumniator non de alio cogitavit, quam de tranſcribenda quadam manuſcripta farragine jam abunde diſcerpta, & iiſdem AA. allegandis jam refutatis. Non ex numero Doctorum, ſed ex intrinſeca ratione res metienda eſt. Ratio intrinſeca Medinæ, & aliorum eſt, quia aſſerere, & docere

cere pœnitentes teneri ad declarandos complices, alias eſſe indiſpoſitos, Confeſſarioſque non poſſe eos abſolvere; licitum quandoque eſſe complices ſuperioribus pandere, ut peccata vitentur, & alia ejuſdem furfuris, tendit in injuriam ſacramenti, & vel eſt hæreticum, vel hæreſi proximum, aut ſaltem erroneum, & ſcandaloſum. Quis unquam, niſi Muratorius, qui ſpecialia Inquiſitionis indulta callere non conſuevit, dubitavit aliquando, id prohibere, id emendare, id punire, ad ejuſdem Inquiſitionis Tribunal ſpectare? Qui dicunt opinativum eſſe, an pœnitens detegendo complicem abſque neceſſitate, eum infamet apud Confeſſarium, proculdubio errant. Id in opinione poſitum non eſt: omnes ſequuntur infamari complicem apud Confeſſarium, quoties abſque juſta cauſa detegitur. Huic infamiæ rationi innituntur tot Concilia, tot Decreta, tot DD. ſententiæ, ut aſſerant, & conſtituant complicem nullatenus eſſe detegendum, & Confeſſarios nullatenus debere de complicibus interrogare.

30 Addit multos caſus occurrere, in quibus *abſolutio pœnitenti neganda eſt, niſi complicem revelet.* Late probatum relinquimus nullum eſſe caſum in quo pœnitens ad id teneatur. Caſus, qui ab aliquibus Doctoribus afferuntur, ſunt metaphiſici, & nunquam in praxi verificandi. Hos tamen (ſi forte occurrant) Fidei Tribunal in ſuo edicto reſervavit. Aliud tamen eſt, & quidem diverſiſſimum teneri pœnitentes ad declarandos complices, aut Prælatis, aut Magiſtratibus, quando id publica utilitas expoſcit; aliud verò ad id teneri in Confeſſionis Tribunali. In primo caſu ad id tenentur aliquando conſcii, & ſi renuant, indiſpoſiti erunt cenſendi. In ſecundo vero caſu neque tenentur, neque ad id adigi poſſunt; & Confeſſarii, qui eam obligationem docent, errant, & injuriam irrogant ſacramento. Et qui frequenter id perſuadebant, eamque praxim obſervabant, erant maxime ſuſpecti, quia male ſentiebant in adminiſtrando tam proficuo, & neceſſario ſacramento.

31 Etiam addit: *Medinæ quoque opinionem improbarunt Fermoſinus &c.* Non vidit Fermoſinum, aliàs apertiſſimum mendacium non proferret. Nullus A. Medinæ opinionem accuſat, ut improbabilem. Sequuntur contrariam, quia melior ſibi viſa fuit, aliis aliud placuit. Non tenebatur Tribunal Fidei prius conſulere Muratorium ut ſuæ opinioni adhæreret. Homo ipſe eſt, & erroribus adeo obnoxius, ut frequenter experimur. Ut Fidei Tribunal non poſſet jure argui, ſat erat, quod ſe prudenter opinioni probabili conformaret, immo in terminis propoſitis, conformem ſeſe exhibuit probabiliori, & certiori ſententiæ; neque enim eſt aliquis, qui eam juriſdictionem neget ſancto Officio, in terminis, in quibus eam exercere cogitavit. Sat erit teſtem contra producentem adducere ipſum Fermoſinum. (19)

Refert

(19) Dict. p. 5. q. 2. §. 9.

Refert ille Medinæ ſententiam, neque illam reſpuit (hæc enim definiendi facultas Mutinenſi Oraculo reſervabatur) immo ſequitur cum aliqua explicatione, aut reſtrictione. Hæc ſunt ejus verba: *Nam ſi v. g. diceret pœnitenti, non poſſe, nec ſibi licitum eſſe impendere beneficium abſolutionis ſacramentalis, niſi pœnitens Confeſſario complicem declaret, videtur obicem ponere virtuti pœnitentiæ ſacramenti, negando ei datam eſſe poteſtatem abſolvendi à peccatis, niſi complicem manifeſtet, quaſi per hoc male ſentiat de efficacia dicti ſacramenti, indeque Confeſſarius, ut male ſentiens ſit ſaltem ſuſpectus in fide.* En Medinæ opinio. Quæ verò Fermoſini ſententia? *Sed quia de hoc dubio nihil, nec in Concilio ſupremo, nec in Inquiſitione Valliſoletana aliquid motum viderim, exiſtimo reſpondendum ſub diſtinctione.* Ex quibus verbis optime demonſtrat ad ſanctum Officium ſpectare eam quæſtionem decidere. Sua autem diſtinctio ſic ſe habet: *Nam ſi conſtaret talem Confeſſarium velle ſimili aſſertione, & compulſione introducere errorem in doctrina, quæ affirmat complicem non eſſe revelandum in confeſſione ſacramentali, tunc quidem revelandum eſſe Confeſſarium.* Quid aliud reſpicit Inquiſitionis Luſitanæ edictum niſi hunc introductum errorem in doctrina. Do ejus verba Latinitati reddita: *Notum facimus omnibus, qui præſens edictum viderint, aut ejus notitiam quoquo modo habuerint, ad noſtram notitiam per perſonas doctas, & timoratas perveniſſe* (has perſonas, quas Tribunal illud agnovit timoratas, & doctas, Muratorius aſſerit infames, criminoſas, & nulla fidedignas) *aliquos imprudentes Confeſſarios introducere intendere doctrinas admodum præjudiciales, & injurioſas Pœnitentiæ ſacramento, ſuadentes pœnitentibus in actu confeſſionis ſacramentalis, ut declarent nomina complicum ſuorum peccatorum, & habitationis locum, quod ſi renuant, in eum exceſſum progredientes, ut eis denegent ſacramentalem abſolutionem. Et licet tales Confeſſarii, ut in praxim deducant hanc erroneam, & ſcandaloſam doctrinam indiſcreto prætextu procurandi bonum ſpirituale animarum, & finem vitandi aliquas ruinas ſpirituales, & temporales, utantur, abutanturque probata aliquorum Doctorum opinione aſſerentium, poſſe Confeſſarios in aliquibus caſibus pœnitentibus perſuadere, ut complices eis detegant: quia tamen ex noſtri muneris officio tenemur vitare introductionem doctrinarum erronearum, maleſonantium, & ſcandaloſarum, per quas panditur via, ut odioſum reddatur Pœnitentiæ ſacramentum, & arceantur fideles ab ejus frequentia, exponanturque periculo faciendi confeſſiones ſacrilegas &c.* Quis non videt prædictum edictum dirigi ad extirpandam erroneam præjuditialem, ſcandaloſamque doctrinam? Negare hanc Inquiſitoribus poteſtatem ſolum auderent hujus temporis ſpirituales viri, & Muratorius ab eis oppignoratus.

32 Ait

32 Ait 3. *Interim animadvertere juvat, juſtitiæ, & charitatis legibus facile eos contraire, qui peccantibus aut hæreſim, aut ſuſpicionem hæreſis liberaliter objiciunt. Vix enim in ullum grave peccatum laberentur homines, quin probro onerari poſſent, quaſi crederent licere homicidium, fornicationem, fraudem &c. Nullus Theologorum unquam hæc ſomniet. Quis enim non videt, nimium intercedere diſcrimen inter facientem peccaminoſam actionem, ac dicentem licere eam facere?* Farraginem ſupradictam iterum recalcat, & cum ſcriptore blaterat anonymo. Nemo noſtrum ſomniat, licet ſomniet Muratorius, quibuſcumque peccatoribus hæreſis crimen objicere. Scimus homicidium, furtum, mendacium &c. peccata eſſe, neque tamen eorum criminum reos aut hæreticos, aut de hæreſi ſuſpectos judicamus. Scimus tamen multa eſſe peccata (quæ Muratorius aut ignorat, aut fraudulenter recondit) quibus ſuapte natura hæreſeos aut gravior, aut levior ineſt ſuſpicio. Inter hæc abuſum ſacramentorum cenſeri nemo ambigit. Dari autem in tali praxi hunc abuſum nemo inficias ibit, niſi velit in ipſius Summi Pontificis Decreta temerarius abripi. Homicidium, furtum &c. non ſunt crimina hæreſis ſuſpicioni obnoxia; ſi tamen quis ea licere diceret proculdubio hæreticus haberetur. Sic in ſimili interrogare complices, peccatum eſt, & quidem non ſolum malum quia prohibitum, ſed prohibitum quia malum, niſi aliqua rationabili cauſa excuſetur; non tamen ſtatim Confeſſarius perperam interrogans hæreticus cenſendus eſt, aut de hæreſi ſuſpectus. Si tamen aliqui aſſerant licitam eſſe illam praxim, utile eſſe peccata confeſſa, vel complices in confeſſione detectos aut punire, aut ad ſuperiores deferre; ſi id pœnitentibus ſuadeant tanquam conveniens aut neceſſarium; ſi ex ea cauſa pœnitentes inabſolutos remittant; ſi licentiis extortis abutantur; ſi cognita in confeſſione ſecreta ob affectatos fines ſaltem indirecte aperiant, ſibique ad bonum finem id licere arbitrentur, quis dubitat aut hæreticos, aut de hæreſi ſuſpectos cenſendos eſſe, & ſaltem de animo apud judices fidei interrogandos eſſe? Sic res ſe habebat: garriat quantum libeat Muratorius. Ipſe fatetur hæreſis odorem, ſi ad id *aliqua concurrant indicia*. Et quæ maiora indicia, quam adhæſio reprobatæ praxi, ſuaſio pœnitentibus facta ſic expedire, licentias extorquere ad detegendos complices, eos multoties detegere, ut emendentur, ut pœnas luant, ut ab Ordinibus, & muneribus arceantur, pœnitentes inabſolutos remittere, ſi complices detegere reluctentur? Maiora ne expoſcit Muratorius? Oh quam ineptum patimur contradictorem!

33 Ait 4. *Fertur etiam vulgatus rumor renovatam à Confeſſariis (ſi qui fuerunt praxi nunc damnatæ addicti) temporibus noſtris fuiſſe ſectam Illuminatorum, ſæculo Ch. XVII. in Hiſpania vix na-*

 tam,

tam, & ſuffocatam. Non alia ex cauſa, ut mihi creditur, niſi quod inter illorum errores hic etiam deprehenditur apud Malvaſiam, & Berninum. Non poſſe abſolvi ſolicitantes in confeſſione, niſi declarent ſolicitatas: ***Sed inter complices in peccato nemo referre audeat mulieres ſolicitatas, ideoque nil rei eſt Confeſſariis, de quibus nunc agimus cum Illuminatis.*** Socrates dixit. Tanta ne diſtantia intercedit inter dictam propoſitionem, & eam de qua agimus, nempe: ***Non poſſe abſolvi pœnitentes, niſi declarent complices?*** Quis non agnoſcit, ſi non identitatem, ſaltem maximam affinitatem? Et quis aliàs certiorem fecit Muratorium inter complices referri non poſſe ſolicitatas? Nonne ſi illæ conſenſerit inter complices referendæ ſunt? Profecto permultæ conſentiunt, ideoque ſemper ea adhibetur cautela, ne ſuum peccatum adaperiant. Immo experientia docet, quod & ego obſervatum habui, regulariter non audere Confeſſarios ſolicitare mulieres honeſtas, niſi quas ex confeſſione noſcunt ad conſentiendum aptas. Si verò Confeſſarii, de quibus agimus, non ſolum de complicibus interrogarent, ſed etiam de aliis perſonis non complicibus pœnitentium, quorum aliquod peccatum occaſione confeſſionis imprudenter detectum fuit, eritne tunc aliquid rei his Confeſſariis, cum Illuminatis? Verum enim verò, ſi illa propoſitio nihil affinitatis habet, cum ea, qua de agimus; habebit alia, qua ipſi Illuminati afferebant, licitum eſſe revelare peccata confeſſa *ei cui obedientiam præſtarunt, & ſibi invicem.* Hæc erat eorum propoſitio 23. ut refert P. Arbiol in lib. *Deſengaños Miſticos.* Quæ quidem erronea doctrina noſtro hoc ſæculo obtinebat. Utinam mentirer!

34 Sed cur ad hæc recurrimus? Quis dubitat eamdem doctrinam tunc temporis ab iiſdem Illuminatis introductam fuiſſe favente maxime Archiepiſcopo Ferdinando Guerreiro? De hac praxi in Hiſpania ſerpente teſtantur Bañes, Lorca, de Lugo, Marin, & alii. Illud certum, maximeque deplorandum eſt, vaferrimum pœnitentiæ hoſtem variis fraudibus, mutataque fronte hunc errorem ſæpius introducere attentaſſe. Initium cepit in Armenia, invaſit Coloniam, & Moguntiam, imperiit Belgium, in Hiſpaniam irrupit, & noſtram Luſitaniam ſartam tectam non reliquit. En quomodo ſuffocatus fuit ille error. Multa capita erexit tortuoſus ille Draco, abſciſſo uno, crevit aliud. Quod veneno ſuo inficere cogitaret Portugalliæ Regnum, non hujus temporis figmentum eſt à perverſis hominibus in odium virtutis excogitatum, ſed hypocriſis ſtudium fuiſſe teſtatur vir optimus, nulla mala fide notatus P. Caſnedi (20) in his verbis: ***Quæ doctrina hodie multo magis timenda, quod Rigoriſtæ ſub charitatis prætextu obligant tum pœnitentem, ut complices declaret Confeſſori; tum Confeſſorem, ut de licentia pœnitentis monere poſſit complicem***

(20) In Crit. Theol. tom. 1. d. 1. ſect. 5. n. 127.

plicem eo fine, ut complex emendetur: & pœnitentes firmius de non peccando propoſitum, monito complice, concipiant. Similiter boni Eccleſiaſtici prætextu, ne lupi pro agnis, & animarum paſtoribus deſignentur, obligant Confeſſores, ut male morigeratos deferant Epiſcopo. Non indico horum Rigoriſtarum intentum, nempe, confeſſionis ſacramentum reddere impoſſibile. Indico tamen conglutinatam hypocritica charitatis glutino rigoriſiſſimam doctrinam cum laxiſſima praxi. Quid rigidius, quam obligare pœnitentem, ut complices ſui criminis Confeſſori aperiat, & ut det facultatem Confeſſori, ut utatur notitia ſacramentali, & ut Confeſſor teneatur adire complices, & eos monere? Quid laxius, quam inviolabile confeſſionis ſigillum toties ficto charitatis prætextu exponere fruſtrationi, quot ſunt peccata pœnitentis babentis complices, & confeſſionem odioſiſſimam reddere? An dicemus prædictum doctum Patrem hæc odio virtutis, & virtuoſorum hominum effinxiſſe?

35 Tot annos jam habet ætatis hic error, quem ille conſpicuus Pater jam arguebat, introductumque non à virtuoſis, ſed ab hypocritis Confeſſariis deplorabat. Aſt, inquit Muratorius, & exclamando quærit, *ubinam vel unus oſtendi hactenus potuit pravis hiſce opinionibus infectus?* Profecto non unum ſed plures, eosque primæ claſſis homines indigitare poſſemus: ſed nobis animus non eſt quemquam in individuo nominare, aut lædere. Noſtra non attinet perſonas oſtendere, ſed errorem exterminare. Hæc eſt lenis, pacifica, prudensque mitiſſimorum Inquiſitorum indoles; hæc eſt ſegnis, diuturna in puniendis delinquentibus laudatiſſima dilatio. Neminem intendit in opinione offendere, niſi quando jam non aliud ſupereſt remedium. Poſſet, ni maturiſſime, & charitative nimis procederet, aliquos punire, carceribusque ſuis mancipare; fortaſſe ſi id ſtatim obſervaret, & non plus pietati prudentiæque, quam juſtitiæ, & rigori indulgeret, apparerent delinquentes aliqui, & garrientium ora intercluderentur. Sed prudentiſſimum Tribunal illud non mortem peccantium ambiens, ſed medellam, tonitruo potius, quam fulmine uſus eſt. Terrere potius voluit, quam caſtigare, de vitando egit contagio, non de puniendo delicto. Edictum edidit eo ſancto fine, ut ad vocem clamantis expergiſcerentur, qui ceciderant, & agnita veritate, aut perfuſa luce, aut incuſſo terrore, ac denuntiationum metu prædicti imprudentes Confeſſarii à praxi adeo perniciosa abſtinerent; contumaces verò excuſari nullatenus poſſent. Quem hæc prudentia, hic zelus, hæc benignitas offenderet, niſi Muratorium, ejusque clientulos, eos ſcilicet quibus talis error quamplurimum arriſerat. Nunc cum percontor, quis Illuminatorum errores condemnaverit? Certum eſt id per edicta ſua feciſſe Hiſpanum Inquiſitionis Tribunal. Potuit

ergo Inquiſitio Hiſpana id efficere, & nemo adeo abruptus fuit, ut eam juriſdictionem ei denegaret; attamen in præceps fertur Muratorius, & Inquiſitioni Luſitanæ hunc juriſdictionis defectum objicere non veretur! Mira confidentia! Sed officium ſuum exequitur, & corrodit.

36 Ait 5. & inſurgit arguendo, ut putat, efficaciter, ſed revera futiliſſime: *Si pœnitentes obligantur ad denuntiandum Confeſſarium de complice interrogantem, quis non videt eos quoque obligari ad denuntiandum proprium crimen, & ignominiam, quod juri naturæ repugnat*? Plurimi non vident; & tamen perſpicacius vident, quam Muratorius. Hoc jus naturale ei, qui non firmos habet obtutus, ſic per quandam apprehenſionis imaginem repræſentatur, ut lippis cæcutientibusque oculis fallaci ſpecie quid magnum appareat, cum tamen nihil aliud ſit, quam ſomniatum phantaſma. Certe quid, qualeque ſit hoc jus naturæ videtur ignorare, licet Imperator Juſtinianus dixerit, jus naturale, eſſe illud, *quod natura omnia animalia docuit*. Quale ſit hoc jus naturæ, quantum, quandove obliget jam late explicavimus; à nobis diſcere poteſt Muratorius, ſicut contrariam ſententiam à ſuorum didicit ſcriptionibus. Qui propoſitionem protulit erroneam cogitur publice ſuum errorem fateri, & hanc pati erroris ignominiam. Qui proximo publice detraxit, tenetur publice palinodiam canere, & ſe mentitum fuiſſe cum maximo ſui dedecore declarare. Qui falſum teſtimonium dixit in tertii præjudicium, debet ſuam falſitatem, non obſtante injuria inde reſultante, profiteri. Innumera alia ſunt exempla, quæ juri naturæ nullatenus repugnant, immo eidem juri, quin & divino repugnat, quod ita non fiat. Quare hoc? Quia tunc obligat præceptum altioris ordinis, quo poſito, ceſſat illud jus naturale permiſſivum conditionatum, quod in illo caſu jam non datur. Ex duobus malis minus eſſe eligendum jura decernunt, edocent Doctores. Cur? An malum ex ſe malum eligi quandoque poteſt? Minime: ſed quia illud minus malum, quod eligitur, ad conſpectum maioris mali, jam non eſt malum, ſed apprehenditur ſub ratione boni ad vitandum malus malum. Minus malum eſt, quod unuſquiſque ſe ipſum prodat, quam quod perniciosus error in damnum reipublicæ graſſetur, in cujus comparatione illud exaggeratum malum nec malum eſt, nec ſpeciem mali habet, niſi apud eos, qui craſſiſſima laborant ignorantia. Pudeat Mutinenſem Magiſtrum, quod eum Didaſcalus edoceat Luſitanus.

37 Adhuc tamen ſtante in ſuo robore illo jure naturæ, nihil inde conſequitur Muratorius. Ejus ratio ſic ſe habet: *Neque enim ſatis foret generalibus verbis Confeſſarium accuſare, quum caſus dentur, in queis Sacerdos jus habet interrogandi de complice, ſed*

opus

opus foret individuare peccatum, ex quo pateret, meritò puniendum eſſe Confeſſarium, uti damnatæ curioſitatis reum. Fallitur, ut perſæpe, & in omnibus fallitur, quinimo deceptoriis verbis utitur ad fallendum. Satis foret generalibus verbis accuſare, v. g. Confeſſarium inquirere complicum nomina, & alias circumſtantias ſuperfluas ad ſpeciem peccati cognoſcendam; perſuadere in confeſſione neceſſarium eſſe ad complicis emendationem, petere, & extorquere licentiam ad uſum notitiæ ſacramentalis, & ex hac cauſa denegare abſolutionem, idque ſcire ex certa ſcientia. Si progrediatur ad alias peccati declarationes ſuſcipiens denuntiationem admonebit denuntiantem, ne ad alia ſe extendat, & prudenter inquiret, quæ ad criminis cognitionem ſatis fuerint, quin denuntiator ſe ipſum prodat.

38 Falſum eſt dari caſus *in queis Sacerdos jus habeat interrogandi de complice.* Late de hoc jam diſſeruimus. Jus habet Sacerdos ad inquirendas circumſtantias, ex quibus ſpecies peccati plene dignoſcatur. Ad interrogandum de nomine complicis nullum jus habet; immo tenetur non interrogare, ſi juris diſpoſitiones, & Conciliorum decreta contemnere non audeat. Caſus, qui à Doctoribus aſſignantur, ſunt metaphyſici, ac in praxi minime admittendi. Permittamus tamen contingere poſſe illum caſum. Quis pœnitens ſic hebes erit, adeoque obtuſum geſtabit pectus, qui Confeſſarium propter illum caſum accuſet, caſum ſcilicet, quo ipſe ſuæ obligationis admonitus lubens, volensque declaravit complicem, lubens volensque, nulla coactione præcedente, à Confeſſario petiit, ut ea notitia uteretur, ad bonum commune, aut privatum, quod alia via obtineri non poterat. Is enim eſt caſus, quem DD. fingunt. Dato autem, quod ipſe pœnitens aliquo ſcrupulo ageretur, qualis eſſet homo mediocriter doctus, qualis Confeſſarius, etiam moralis ſcientiæ novitius, qui conſultus pœnitentem circa ſuam obligationem non inſtrueret? Imaginaria proculdubio nobis phantaſmata proponunt hi Rigoriſtæ, quæ ſuamet inſtabilitate evaneſcunt.

39 Adnotemus fraudem, quæ continetur in iis verbis: *Uti damnatæ curioſitatis reum.* Nihil aliud deprehendit Muratorius, quam *curioſitatis* culpam? Oh quam laxus ejus eſt animus, quam laxa ejus doctrina! Etiam ſuadere, cogere, docere, extorquere licentiam, denegare abſolutionem, eſt ſimplex *curioſitatis* culpa? Fidei Tribunal non damnat *curioſitatis* crimen; ſed praxim erroneam, ſcandaloſam, injurioſam ſacramento, avertentem fideles ab uſu ſacramenti; ſic eam damnat Pontifex Maximus; hac ex cauſa eam improbant tot Concilia, explodunt tot Doctores. Sed Muratorius ſolam *curioſitatis* culpam invenire potuit. Optimus juris, Theologiæque Profeſſor! Morem tamen geramus tantiſper Muratorio. Hæc *curioſitatis* culpa erit

erit ne Ordinariis locorum denuntianda? Ipſe ab hoc periculo Confeſſarios eximere exoptabit. Neceſſe tamen erit ut ſupremi legislatoris in faciem reſiſtat. Quomodo ergo hæc denuntiatio, hæc criminis indago, hæc punitio facienda erit, quin ſit neceſſarium *individuare peccatum, ex quo pateret merito puniendum eſſe Confeſſarium*? Quidquid reſpondeat circa Ordinarios, erga Fidei Tribunal acceptum habeat. Inquiat, has coram Ordinariis denuntiationes faciendas eſſe non à pœnitentibus ſed ab aliis. Bene: Sed hi alii num ſcire poſſunt, quod peccatum confeſſum fuerit? Scire poſſunt Confeſſarios non interrogaſſe in caſibus, in quibus jus habent interrogandi. Inutiliſſimæ profecto denuntiationes! Unum ſupereſt, quod vel Confeſſarii interrogent, ut errantes, vel ut curioſi, nullatenus puniantur; neutiquam enim crimen probari poterit. Id intendunt Confeſſarii iſti; id defendit Muratorius. Conſequens eſt, ut error gliſcat, ut praxis ſerpat, ut Pœnitentiæ ſacramentum cum ipſius injuria miniſtretur, ut fideles ab eodem ſacramento arceantur. En dæmonis aſtus: en Scriptoris iſtius, & ſuorum ſtudium.

40 Alio ſe vertit Mutinenſis iſte Scriptor, & ait 6. *Quod evidentius deformitatem præcepti illius coarguit: vix fieri poſſet, quin Pœnitentiæ ſacramentum in graviſſimum diſcrimen, & contemptum pertraheretur, ubi edicto illi parendum foret. Nam quoties Confeſſarius denuntiatus interrogaretur à Quæſitoribus Fidei de complicis nomine veſtigato, is aut ſe tueri non poſſet, à revelanda Confeſſione abſterritus, & iniquum foret ei defenſionis aditum præcludere. Aut ad ſacramentale ſigillum frangendum is adigeretur, exponendo cauſam, cur à pœnitente complicem exquiſiſſet.* Hinc ſigilli neceſſitatem extollit, & injuſtitiam illius præcepti conviciatur. Qui legiſſet ſæpe dictam manuſcriptam farraginem, ediſcet utique nihil aliud agere Muratorium, quam ad idem reddere, quod jam in Diſſertatione *Criſol critico* abunde conſpicitur exploſum. Uno verbo argumentum ſolvo. In eo crimine veſtigando, & puniendo eodem modo procedendum eſt, quo proceditur in ſolicitationis crimine, aut quomodo agitur in Tribunali circa hæreticos, aut de hæreſi ſuſpectos. Ita decernit Pontifex Maximus in ſua Conſtitutione *Ubi primum*. Qui cupiat ſcire, quomodo hæc agi poſſint ſine ſigilli periculo, adeat AA. ad marginem citatos. (21)

41 Quod

(21) De Lugo Suar. Laiman, Bonacin. Palao, apud Salmant. tract. 6. cap. 14. p. 3. n. 41. Delrio diſquiſ. magic. lib. 6. cap. 1. ſect. 2. Bernard. Dias Ochagav. Onuphr. apud Dian. in coordin. tom. 1 tract. 8. reſol. 60. P. Suar. Granat. Sanch Reginald. Riccius, Menoch. Maſcard. Farinac. Rodrig. Aldrete, apud Suar. Luſit. de Pœnit. tract. 6. diſp. 5. n. 524. Barboſa plures referens in cap. omnis Chriſtian. de Pœnit. & remiſſ. n. 15. Gobat, & Stoz apud La-Croix tom. 2. lib. 6. dub. 1. n. 2000.

41 Quod verò attinet ad Muratorii argumentum in promptu eſt reconventio. Quidquid enim ipſe proponit, in Pontificiam Conſtitutionem convertitur, & maiori cum ratione. Siquidem quando pœnitens ipſe denuntiat, juxta doctrinam Barboſæ ubi ſupra, jam Confeſſarius ſigillo non adſtringitur, & ceſſat omnis vis argumenti. At verò quando tertius denuntiat, cum non intercedat pœnitentis licentia, non poteſt Confeſſarius neque in ſui defenſionem ſigillum revelare. Et tamen Summus Pontifex in prædicta Conſtitutione expreſſe decernit, quod teneantur denuntiare, qui ſciant Confeſſarium de complice interrogaſſe. En, poſito hoc Pontificis Decreto, vel Confeſſarius *à revelanda confeſſione abſterritus ſe tueri non poterit*, & punietur indefenſus, quod jura non patiuntur. Aut adigendus eſſet ad ſigillum frangendum, *& Pœnitentiæ ſacramentum in graviſſimum diſcrimen pertraheretur*, ubi prædictæ conſtitutioni parendum eſſet. Idem ineſſet periculum, ſi denuntiatio apud Epiſcopos fieri contigiſſet. Quid ergo? Non fient denuntiationes ob hæc vitanda pericula? Id intendunt hi tam pernicioſæ praxis introductores: his ſuis ſubdolis argumentis adſtipulatur Muratorius. Hic adaptanda ſunt verba Stoz ubi ſupra circa ſigillifragos, quæ mutatis verbis ad intentum conducunt: *Si lex ſigilli* (ait ille) *vetet, ne in ſigillifragum inquiratur, lex illa eſt contra ſe ipſam, & tollit media ad ſui conſervationem neceſſaria; fruſtra enim eſt lex, ubi non eſt judex, qui obſervantiam urgeat: immo impunitas, quam talis lex ſigillifrago daret, eſſet maxima occaſio frangendi ſigillum.* Et ſtatim proponit remedium: *Saltem poterit talis inquiſitio, & probatio fieri, ut convincatur Confeſſarius, & fateatur ſe fregiſſe ſigillum, abſtrahendo quomodo, & in qua materia; per quod probabile eſt non frangi ſigillum.* Si non poſſent denuntiationes fieri in prædicto crimine, ipſa lex ſigilli eſſet contra ſe ipſam, & impunitatem præſtaret delinquentibus, qui libere, & ſine metu pœnæ, pœnitentes adigerent ad declarandos complices, extorquerent licentias, iis uterentur, ſigillum frangerent, & propter ſigilli legem in tuto poſiti, noxiam illam praxim impune retinerent. Hæc maxima damna nihili pendit Muratorius, & ſpecioſis prætextibus denuntiationes arguere in animo habet. Certe delicti patronus exhibetur.

42 Certe in ſolicitationis crimine in eodem diſcrimine Pœnitentiæ ſacramentum verſabitur. Aut enim ſolicitans indefenſus punietur; aut, ut ſe defendat, explicabit verba, quæ protulit, & cujus occaſione, quo animo, & fortaſſe etiam ad ſui excuſationem reponet ſe non ſolicitantem, ſed ſolicitatum fuiſſe, exponetque cauſas cur ea verba protulit ſolicitationem redolentia, ac proinde *ſigillum ſolveret confeſſionis*. Ergo non eſt denuntiandus Confeſſarius? Quam peſſima illatio!

illatio! Quam opportuna ad non puniendum delictum! Quam apta ut ſolicitationes frequententur! Sed ea depicta ratio in conſideratione non fuit, quin Pontifices juberent denuntiare Confeſſarios ſolicitantes, & quin Pontifex Maximus in prædicta Conſtitutione *Ubi primum* decerneret denuntiandos Confeſſarios ſic interrogantes. Cur ita? Quia illa crimina oportet omnino vitare, utpote religioni noxia, & ſacramento injurioſa: cætera minus attenduntur, quia crimen probari poteſt, ut alia ſimilia difficilis probationis probari ſolent; præcavere autem ne ſigillum ſolvatur, ad prudentiam judicum; ſecundum normas in ſimilibus caſibus præſcriptas procedentium, ſpectare dignoſcitur, non ad Muratorium, qui hæc ignorat. Fingamus hypotheſim, quod Confeſſarius Molniſmi ſectator (oh utinam nullus eſſet!) Pœnitenti confeſſo aliquod peccatum fragilitatis, aſſeruiſſet, illud peccatum non eſſe, ut v. g. tactus impudicos, & ſimilia; vel actus turpes, mente in Deum defixa, non eſſe peccaminoſos, ſed licitos. Teneretur iſte pœnitens denuntiare illum Confeſſarium, necne? Univerſaliter docent DD. delicti conſcium, etiam cum maximo ſui detrimento debere denuntiare hæreticum dogmatizantem. Iſtum autem Confeſſarium dogmatizare, certum eſt, & adeo perientloſius, quanto ſecretius in confeſſione id facere ſolet. Nunc inquiro. Quomodo pœnitens iſte denuntiationem inſtituet? An neceſſarium erit dicere ſe confeſſum fuiſſe peccata turpia, & Confeſſarium docuiſſe ea peccata non eſſe? Non ſat erit in genere deponere Confeſſarium aſſeruiſſe talia peccata, mente in Deum elevata, peccata non eſſe? Credo id nemini ambigendum. Sic in noſtro caſu, in quo Confeſſarius (velit, nolit Muratorius) dogmatizat aſſerendo licitum, & obligatorium eſſe detegere complices, alias pœnitentes non eſſe diſpoſitos.

43 Nunc ad rem. Ponamus in caſu propoſito ad Tribunal vocari Confeſſarium rationem villicationis ſuæ redditurum. Fortaſſe is ſe excuſare velit aſſerendo ſe eam doctrinam abſolute non docuiſſe, ſed in caſu quo revera peccatum non dabatur, v. g. in caſu quo mulier confeſſa fuerit (is enim caſus nunc in more habetur apud ſpirituales Confeſſarios) violentiam à dæmone paſſam, eam autem nullatenus conſenſum præbuiſſe. Non diſputo de hac doctrina, meo judicio nullatenus admittenda; neque enim his violentiis aſſenſum unquam præberem, ut de facto mihi contigit cum quadam fœmina, quam, non aſſentiendo, ſed reprehendendo, & aſpere arguendo à prædictis mentitis vexationibus ſine alio diſpendio liberavi, & ad viam veritatis reduxi. Sed data hypotheſi; en habemus Confeſſarium, ſe ex hac cauſa excuſantem, & per conſequens fractum ſigillum. Et vel Confeſſario ſe tuendi aditus denegatur, vel ipſe exponitur ad ſigillum Confeſſionis aperiendum. Non igitur is Confeſſarius propter hoc periculum denuntia-

denuntiabitur? Quid reponit Muratorius? Ipſe recogitet, & quidquid dixerit in eum retorquebitur.

44 Sane, ſi ejus mens non læva fuiſſet, ſi ambitu cæcus non abduceretur, agnoviſſet utique hæc, ſimiliaque crimina, quæ religionem offendunt, denuntianda legitimis ſuperioribus ſemper fuiſſe, & videret ſuamet compoſita exclamatione Pontificem Maximum offendere; quippe quæ, nulla habita ponderati argumenti ratione, prædictos Confeſſarios denuntiandos eſſe decrevit. Aſt dicet, denuntiari quidem juſſiſſe, ſed non à pœnitentibus. Futiliſſima ad rem diſtinctio! Quocumque modo, vel à quibusvis denuntiatio fiat, ſemper Confeſſori juſta competit defenſio, juſta eſt ei admittenda excuſatio. Probato interrogationis facto, ſemper ei ſupereſt ea exceptio, nempe interrogaſſe in caſu licito, & à jure permiſſo; hincque explicare tenebitur (ſi talis excuſatio admittenda eſſet) quo in caſu de complice interrogaret. En pullulat fracti ſigilli periculum: *Et nihilo ſecius nunc* Pontifex Maximus *Confeſſarios compellere videtur ad ſanctam hanc legem diſrumpendam, ut ſe ab illius vexatione expediant.* Si de Pontificia Conſtitutione id aſſerere ſacrilegium erit, de ſancti Officii edicto pronuntiare, erit proculdubio temerarium. Ad idem tendit utriuſque lex, utriusque præceptum, utriuſque providentia. Ea ſola adhibita differentia, quod Pontifex Maximus cum ſupremus ſit legiſlator, potuit errori compeſcendo alia adhibere remedia, & *juſtis de cauſis*, quas recondit, pœnitentes ab onere denuntiandi eximere. Aſt Fidei Tribunal, non ita poterat, & medicinam applicavit, ut ei prudenter neceſſarium ad extirpandam noxiam praxim viſum fuit.

45 Verum enim verò, neque illa excuſatio à Muratorio cogitata locum habere poteſt in præſenti quæſtione; nulla ſiquidem veſtigati complicis juſta cauſa afferri poteſt. Non poteſt Confeſſarius dicere interrogaſſe in caſibus à jure permiſſis, ſeu qui à DD. edocentur. Hi enim caſus ſunt metaphyſici, qui in praxi ad legitimam excuſationem nullatenus ſunt admittendi; quia ſemper aliquod generant ſcandalum, & Confeſſarii in hac materia adeo perículoſa ſequi, & in praxi habere debent opiniones plus ſacramento faventes, quia vel inquirit ad corrigendos complices, & hic prætextus ei invenitur prohibitus; vel ad denuntiandum ſuperioribus; & tunc vel eſt fractio ſigilli cum licentia extorta, vel oritur ſuſpicio revelati ſigilli, quod utrumque cavendum eſt. Audiamus P. Caſnedi loco jam citato *num.* 131. *Etſi hoc factum, quatenus Confeſſor violavit ſigillum, non ſit ad rem; & tamen quatenus oſtendit omnem, ſive de licentia, ſive ſine licentia pœnitentis notitiæ uſum eſſe eliminandum. Sive enim pœnitens det, ſive non det licentiam, ſemper per ſcientiæ ſacramentalis*

Ooo *uſum*

uſum oritur ſuſpicio de violato ſigillo, & confeſſio per ejus ſcientiæ uſum ſit odioſa. Et ideo rectè P. La-Croix vir apprime doctus, & cordatus, in ſuo tomulo 7. p. 2. q. 287. n. 1945. monet, quod inter opiniones probabiles ſequenda ſemper ſit in praxi opinio, quæ favet ſigillo; qui enim non faventem ſequitur, communiter committit ſcandalum, ſaltem apud rudiores putantes frangi ſigillum. Ecce ſemper ſcandalum, etſi cum licentia pœnitentis Confeſſor utatur notitia ſacramenti. Immo q. 290. n. 1958. loquens de licentia, quam pœnitens dedit Confeſſori, ait: Quod ſi ea licentia detur, petente ipſo Confeſſario, cenſenda ſit invalida &c. Si verò ad hos fines de complice non interrogavit, nec ab eo licentiam extorſit, peccavit equidem, quia pœnitentem coëgit, ut ſine neceſſitate complicem apud ipſum infamaret. Ergo nulla ei ſupereſt ſimilis interrogationis legitima excuſatio, ac proinde nullatenus in conſideratione eſſe debet.

46 Præterquam quod hi caſus metaphyſici, licet eos admittamus, nullatenus jubentur denuntiari, immo ab hac obligatione eximuntur. Neque pœnitentes hos caſus ſunt denuntiaturi, neque ad id ab aliis prudentibus Confeſſariis conſulendi; ſed tantum in terminis aut edicti ſancti Officii, aut Pontificiæ Conſtitutionis, quando ſcilicet inquirunt Confeſſarii complicum nomina, & extorquent à pœnitentibus licentias ad uſum notitiæ ſacramentalis eo prætextu, ut corrigantur, & emendentur complices, vel ad alios fines ſpirituales obtinendos. Unde in his caſibus, in quibus denuntiationes fieri debent, cavilloſa, ſubdolaque erit pertentata criminis cauſa. Præterea in his negotiis ſegniter procedit Tribunal, & non una, aut duplici denuntiatione moveri ſolet; multas exquirit, eaſque rite probatas, denuntiantium qualitate, veriſimilitudine, moribuſque rite perſpectis, prudenterque prius examinatis teſtibus. Unde impoſſibile eſt, quod excuſatio illa obtinere poſſit.

47 Garrit igitur Muratorius, dum hanc Tribunalis prudentiſſimam lentitudinem, acuratiſſimumque in rebus agendis examen ignorans, Eminentiſſimum Quæſitorem Generalem levitatis accuſare, & in eum leviſſimum calamum acuere non exhorruit. Et mirandum, quod ad detrahendum rectiſſimo, piiſſimoque Tribunali uteretur verbis Chriſti Domini (Matth. 23. 4.) *Alligant onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum, & qui dilatant philacleria ſua, & magnificant fimbrias.* Explicat, *authoritatis ſuæ.* At vero non applicaret potiori jure ea verba Confeſſariis interrogantibus, pœnitentes adigentibus, ſigillum revelantibus. Hæc ſunt onera importabilia nulla ratione, nullo jure, nullo æquo animo ſuſtinenda; ea tamen non plurimi facit Muratorius. Onus denuntiationis conſcientiæ fidelium importabile carpit, pernicioſum declamat; onus autem

tem adigendi pœnitentes, extorquendi licentias, puniendi complices, infamandi eos apud ſuperiores, id non plorat, id non carpit, id non accuſat, id in conſideratione non habet. Oh impiam pietatem! Oh fraudulentam manſuetudinem! Oh crudelis rigoriſmi crudeliſſimam benignitatem!

48 Sed age mecum, & adi non ſolum *Sapientiſſimi Pontificis Benedicti XIV. Breve*, ut Muratorius petit, ſed ipſum Muratorium, dum mordet. Sapientiſſimus Pontifex *damnat praxim illam ut perniciosſam.* Et nihil amplius, Muratori? Ut ſcandaloſam, erroneam, tendentemque ad infamandos proximos, & eos avertendos à ſacramenti frequentia, ipſique ſacramento injurioſam. Omnia hæc ſiles non bona fide, Muratori. Cur ſiles? Quia hæc ipſa cenſura in ſanctæ Fidei Tribunali inveniebatur facta, & menti Pontificiæ conformis. Hæc taces, hæc non commemoras, ut liberius mordeas, & Fidei Tribunali neges eam authoritatem, quam cenſura ipſa proclamat. Agere putabas cum Æthiope rudi, cum Doctorello ignoto, qui tuas fraudes detegere neſciret? Oh, depone ſapientiæ tuæ jactantiam, ſi vis ſapiens judicari. Dic amabo: Sapientiſſimus Pontifex in ſuo Brevi opinionem illam damnavit in ambiguo, *ſi qua fuit, vel futura ſit*? Minime. Quare tu ergo ea verba ſcripſiſti? Certe ut delictum committeres, & Pontifici Maximo non crederes, cum aſſereret ſibi de prædicta praxi, & opinione certo conſtare. Dic ulterius. Sapientiſſimus Pontifex præſcripſit in ſuo Brevi *Suprema* modum procedendi? De alio cogitavit, quam de damnanda praxi? Nonne in laudes prorupit Eminentiſſimorum Cardinalium propter fidei, & religionis ardorem, quo tanto malo arcendo vigilaverant? Cur ergo ei neceſſe fuerat *addere verba de probanda, & præcipienda pœnitentibus denuntiatione delinquentium*? Ut inferas, quod *ſi probaſſet, præcepiſſet.* Sed loqueris contra juris regulas, hæc enim dicunt: *Qui tacet conſentire videtur*: *Qui non prohibet, cum poſſit, approbare cenſetur*: *Si voluiſſet, aut noluiſſet, expreſſiſſet.* Sed quod effugium quæris? Quia, inquis, *mitiſſimus Chriſti Vicarius abſtinendum cenſuit ab inferendo quidquam probri ampliſſimo Cardinali, qui ex nimio tantum zelo novitatem hanc, alioqui minime ferendam, à parum cautis conſultoribus excogitatam, amplexus fuit.* Si manſuetudinem laudas, cur non ſequeris exemplum? Supremus Dominus, univerſalis Paſtor ampliſſimum Cardinalem amore, laude, ac reverentia proſequitur. Tu vero, quidam homo, nulla, quam ſciamus, dignitate refulgens, probro, maledicentia, & injuria afficis, & maxima verecundia non perfunderis? Jam non miror, quod præruptus audeas doctiſſimos Conſultores, incautos exprobare. Et tu cautior in tuo componendo libello famoſo? Illi incauti fuerunt circa pœnitentes, quia cautiſſimi

 ad

ad avertendum damnum, quod alio modo averti omnino non poterat. Tu è converſo cautus nimis erga pœnitentes; ſed valde incautus erga tanti damni ſectarios. Quis te rigoriſmo infectum non ſuſpicabitur? Ego ſane id non conjicio; ſed in eam ſuſpicionem adacti ſunt, quicumque libellum tuum legere potuerunt. Id mihi certum, egregios Conſultores, Quæſitores doctiſſimos, ſaltem in hac materia, in qua tota vita ſua verſati ſunt, te longiſſime eſſe doctiores.

49 Aſt, inquit, licet non diſertis verbis ſaltem ſufficientibus, *novitas iſta prorſus exploſa à Pontifice dignoſci potuit, quum Epiſcopos Luſitaniæ hortatur, & excitat*, ut efficacioribus quibuſque juris remediis noxiam hujuſmodi novitatem ſtrenue inſectentur: *Inquit* juris remediis, *ſcilicet ſuſpenſione, anathemate, carcere, etſi qua ſunt delictis paribus in jure præſcripta.* Si tantum mordet Fidei Tribunal, cur laudat Antiſtites, qui nec ſuſpenſione, nec carcere, nec anathemate, nec aliis juris remediis noxiam illam novitatem inſectati ſunt; ſed ſiluerunt, literas Pontificias executioni non dederunt, ita parvi pependere, ut ejus nullam mentionem fecerint, ac ſi in rerum natura non extitiſſet? Laudandi maxime Antiſtites, qui non paruerunt, nec compeſcendo gliſcenti damno aliquo juris remedio invigilarunt? Corrodendus autem ampliſſimus Cardinalis, quia nimio exarſit zelo? Peccavit iſte in exceſſu, ſed illi in omiſſione præjudicialiſſima. Illi tamen nimium extollendi; iſte verò demiſſiſſime depellendus! Obcæcatus ſcripſit Muratorius, ideoque rem non æqua lance, juſtoque pondere dimenſus eſt. Sed ad punctum. Hæc juris remedia quomodo executioni dari poſſunt ni delinquentes agnoſcantur? Quo modo compeſcendi ſunt, ſeu curandi ea juris medicina, ni crimen probetur? Quomodo probari poterit, ni denuntientur? Et à quibus denuntiari poſſunt crimina occultiſſima, & quæ in pœnitentiali ſecretiſſimo foro perpetrantur, niſi ab ipſis pœnitentibus, cum quibus res agitur, propalentur? Oh, inquiet, damnata ea doctrina jam conſpicitur à Pontifice Maximo, nullus deinde erit, qui eam ſectetur. Ita faxit Deus! Nec aliud intendit Fidei Tribunal. Sed ſi contemnantur cenſuræ, ſi interpretationibus deludantur, ſi ea doctrina ſectariorum mentibus infixa reſideat, ſi affectatis prætextibus ad praxim reducatur? Quid juris in hoc caſu? Quis hos ſectarios denuntiabit? Nullus tandem erit, ſi ad querulos pœnitentes non referatur? Ipſi injuriam, infamiamque non exhorreſcunt, cum conqueruntur, timebunt verò, cum denuntiationem inſtituunt? Illudant, quibus comptis valeant verbis, hi Doctores denuntiationis onus, eloquii gyros ſinuent, tandem tandem crimen nullatenus probabitur, nullatenus punietur, ni pœnitentes, vel volentes, vel inviti, vel ab aliis relati in teſtes ſint vocandi. Cum autem hoc natura maxime exhorreat,

exhorreat, inquirant Confeſſarii, adigant pœnitentes, extorqueant licentias, deferant ad ſuperiores, puniant ſine juris ordine ex ſola Confeſſariorum delatione infelices complices: id enim ad religionem, ad reipublicæ quietem, ad conſcientiarum levamen nihil obſtat, dummodo Confeſſariis iſtis ſuus honos ſervetur, & ſuus error innoteſcere non poſſit. Sed, ut concludam, à Muratorio inquiro: Denunciationes criminum non ſunt juris remedia? Titulum habemus expreſſum in jure *de Accuſationibus*, *Inquiſitionibus*, *& denuntiationibus.* A' quibus verò hæ faciendæ ſunt, niſi ab iis, qui ſcire poſſint? Quid novum, quod complices ipſi vocentur in teſtes. Pater tenetur accuſare filium, maritus uxorem, frater fratrem in criminibus læſæ Maieſtatis divinæ, & humanæ, & quæ jura publica, rempublicam, & religionem graviſſime offendunt, adeò ut etiam ſervi, criminoſi, & infames ad ejus criminis accuſationem admittantur *Cap. præſumunt.* 2. *q.* 7. cum vulgaribus. Demus tamen Eminentiſſimum Cardinalem ſuo zelo commotum in præcepto denuntiandi pœnitentibus impoſito exceſſiſſe. Nonne illico in ſecundo edicto, abſtinuit, in quo certe pœnitentes ipſi non comprehendebantur. Certe uſus fuit ea prudentia, quam Inquiſitoribus proponit Innocentius III. *in cap. qualiter de accuſationibus*. Ait ille: *Si contra præſcriptum ordinem tanquam homines exceſſiſtis; non pudeat vos errorem veſtrum corrigere.... ita videlicet, ut inveniatis occaſionem aliquam congruentem, per quam ne veſtra vileſcat authoritas: quanto cautius, & prudentius poteritis ſuperſedeatis ad præſens.* Hoc jure uſus eſt prudentiſſimus Cardinalis. Id fecit, ex quo non vileſceret Tribunalis authoritas, ſed corrigeretur primi edicti ſeveritas. Id vitio vertit Muratorius, ut vilipendio afficiat ampliſſimum Cardinalem: *Quam quisque norit artem, in hac ſe exerceat*; ſic fecit Muratorius.

RADIUS QUARTUS

Plus Eminentiſſimorum Cardinalium fidei adhibendum eſſe, quam cæteris atteſtationibus, demonſtrat, deſtruitque cap. 5. Muratorii.

1 NON admodum in hac re immorabor, ad convincendum enim Muratorium in ſuo *cap.* 5. ſat eſt, quod Pontifex Maximus plus Cardinalium, quam Epiſcoporum detulerit atteſtationibus. Hoc ſupremi capitis judicium temerarius ſpernit Mutinenſis libelli conſarcinator, dum in contrariam ſententiam, quin contrarias videret, ut fatetur, atteſtationes,

tiones, aperte fronte abiiſſe viſus eſt. Et in primis leviter ſcribit, quæ neſcit. Nam aſſerit: *Denuntiationes, & querelas de hac re factas ad Tribunal Inquiſitionis, Romam tranſmiſſas fuiſſe.* Quod quidem falſum eſt. Neque enim Eminentiſſimus Cardinalis à Cugna, neque Tribunal has denuntiationes Romam tranſmiſit. Neque prædictus In-Inquiſitionis Quæſitor Generalis aliquid de hac re ſcripſit ad Pontificem, niſi poſtquam iſte ad eum ſcripſit. Deus teſtis eſt, ſcit ipſe quod non mentior, ipſumque Dominum meum Pontificem Maximum hujus veritatis teſtem offero. Mentitur Muratorius, & cum *ſemel malus ſemper præſumatur malus in eodem genere mali*, quæ fides ei adhibenda eſt, adeo multiplicatas eructans falſitates?

2 Factum verum in hac materia jam in coruſcatione ſecunda univerſo orbi eluxit. Quod vero ad Epiſtolas attinet, ſic res ſe habet. Statim quod Fidei Tribunal, & Eminentiſſimus Patriarcha edicto, & Paſtorali ſuis gliſcenti errori occurrere meditati ſunt, aliqui Confeſſores, quibus ea praxis multum arriſerat, movere potuerunt Regni Antiſtites, ut Fidei Tribunali prætextu uſurpatæ juriſdictionis, & oneris pœnitentibus impoſiti ſeſe opponerent. Ipſi verò his ſuggeſtionibus aſſentientes, putanteſque ſuam lædi juriſdictionem Ordinariam, maxima cautela, ut res ſecurius, ut exoptabant, ageretur, ad Pontificem Maximum ſcripſerunt, variis affectatis, minuſque veris informationibus. Has Epiſtolas ſcriptas fuiſſe poſt Breve *Suprema*, & quod ipſi de eodem conquererentur, vel ex eo liquet, quod idem S. P. ad eos reſcripſiſſet, aſſerens, negare fidem S. R. E. Cardinalibus *nefas eſſe*, & nullatenus dici poſſe eum *verberaſſe aërem*, ad avertendum damnum, quod in rerum natura non fuiſſet. His querelis, falſiſque informationibus conſpectis, ſanctiſſimus Dominus ad Eminentiſſimum Inquiſitorem Generalem propria manu familiarem ſcripſit Epiſtolam menſe Septembri *anno* 1745. in qua poſt aliqua amicitiæ, & benevolentiæ ſigna, demonſtrabat plane quantum Epiſcoporum inſtantiis præoccupatus fuerat; inquirere, aiebat, nomina complicum non continere hæreſis ſuſpicionem; cogerè honeſtam mulierem ad propriam turpitudinem detegendam ſibi videri *troppo forte*; eum ſolummodo loqui ut Doctorem particularem, ſperareque quod ipſe Generalis Inquiſitor hoc negotium componeret, quomodo ſibi melius viſum fuiſſet. Ad hæc reſpondit Eminentiſſimus Cardinalis ei viſum fuiſſe admodum neceſſarium occurrere emergenti damno, quod ex pernicioſa praxi imminebat; Tribunalis legem, moremque eſſe nihil præcipere, quam ſub maioris excommunicationis cenſura; cenſereque modarationem edictorum poſitis occurrentibus circumſtantiis nullatenus convenire: ſuam ſanctitatem eſſe Dominum vineæ, de eaque ad libitum diſponere poſſe.

3 Ex

3 Ex prædictæ Epiſtolæ tenore luculenter apparet, qua tergiverſatione in Curia apud Romanum Pontificem actum fuerit, nam inſinuabatur edictum Fidei ſimpliciter prohibuiſſe actus interrogandi complices, cum tamen tale edictum omnino dirigeretur ad praxim pernicioſam, & erroneam doctrinam, neque juberet denuntiare Confeſſarios ſimpliciter interrogantes, ſed inſimul ſuadentes, docentesque licitam eſſe prædictam praxim, nomina complicum extorquentes, & ex hac cauſa abſolutionem denegantes: ac proinde non bona fide ſe gerebant, qui hæc, ut par erat, non explicabant.

4 Adveniente quadrageſſimali tempore *anno* 1746. Fidei Tribunal, ut quotannis in more habet, ſuum fecit evulgare generale edictum, in quo, ſuppoſito primo, ſuppoſitoque etiam prædicto Brevi *Suprema*, in quo illa praxis, ac doctrina expreſſiſſime damnabatur, denuntiare juſſit Confeſſarios prædicto errore innodatos; ea tamen adhibita moderatione, ut nullatenus eam obligationem pœnitentibus imponeret, ſed aliis quibuscumque ejuſdem praxis notitiam habentibus; immo excludere ipſos pœnitentes clare patet; quia de pœnitentibus loquitur tanquam de tertiis perſonis: ſed Epiſcopi, jam præoccupati, noluerunt intelligere, ut bene agerent, & Muratorius ſtuduit negligere, ut liberius detraheret. Ut prodiit hoc edictum Archiepiſcopus Eborenſis, cujus veſtigia Algarbienſis fuit ſecutus, rem inſolitam aggreſſus eſt. Paſtorales literas ſuas evulgare fecit (an jure, poſtea dicemus) per quas, inter alia, conquerebatur ſanctum Officium ſuam uſurpaſſe juriſdictionem, jubebatque ſuis ſubditis, ut ſibi, non verò Fidei Tribunali delinquentes prædictos denuntiarent. Inauditum attentatum!

5 Tunc Eminentiſſimus Cardinalis, cum aliis juris remediis uti poſſet, prudentiſſime abſtinuit, atque ad Pontificem Maximum ſcripſit cum Paſtoralis ejuſdem copia, illatam ſibi injuriam conqueſtus. Ad eum reſcripſit ſanctiſſimus, (& hæc eſt ſecunda ejuſdem Epiſtola ad Eminentiſſimum) Archiepiſcopum Eborenſem, ad eum ſcripſiſſe ſuamque Paſtoralem tranſmiſiſſe, ad quam nullum cogitaverat reſponſum reddere, ægre namque nimis ferebat, quod ipſe Archiepiſcopus novam igni materiam applicaſſet, quem ipſe extinguere cogitabat, hocque commiſiſſe attentatum. Ad ſuam notitiam deveniſſe Fidei Tribunal ad eum magnæ exiſtimationis Nuntium deſtinaſſe, hoc tamen neceſſarium non eſſe, eo quod ipſe negotium illud in favorem Tribunalis definiturus erat. Poſtea menſe Junio ejuſdem anni tertiam ſcripſit epiſtolam, in qua Eminentiſſimo Cardinali aſſerebat ſe in Arce Gandulphi tunc degere benignitate aëris fruiturum, ut poſtea potioribus viribus laborem ſuſciperet Canonizationum, & Beatificationum, quas die beatiſſimi Apoſtoli Petri expedire decreverat: quibus

bus finitis, ſtatim definiendo negotio, quod ſibi tantum curæ, & univerſo orbi tam magnum ſcandalum attulerat, omne ſuum Paſtorale ſtudium promittere impenſurum. Incredibile eſſe quantum per varias vias quaſſatum inveniri; eum tamen de nihilo alio cogitare, quam de ſervandis incolumibus clavibus Petri in male adminiſtrato pœnitentiæ ſacramento adeo offenſis, & de tuendo ſancti Officii ſplendore, ut ejus edicta ſervarentur illæſa.

5 Die ſecunda menſis Julii ejuſdem anni ſuam edidit Conſtitutionem *Ubi primum*, in qua prudentiſſimus, benigniniſſimusque Eccleſiæ Pater rem omnem conſtituit, & decrevit, conſulens damnis, quæ propter inſiſtentiam Luſitanorum Antiſtitum timebantur, ſi quodammodo eorum inſtantiis non faveret. Adveniente prædicta Conſtitutione, Eminentiſſimus Generalis Inquiſitor ad Pontificem Maximum ſcripſit grates referens, ſeque, ſuique Tribunalis Miniſtros ejus pedes reverenter pro edita Conſtitutione deoſculari: verumtamen eoſdem Miniſtros in prædicta Conſtitutione invenire aliquam clauſulam, quæ in crimine adeo gravi, ejus criminis probationem nimis difficilem reddebat. Quid ad hæc ſanctiſſimus? Ad eumdem Eminentiſſimum reſcripſit in forma Brevis, ſe difficultatem agnoſcere, ſic tamen conſtituiſſe: verebatur enim, quod ſi aliter decerneret, eveniſſet caſus aliquis adeo notabilis, qui non ſolum Portugalliæ Regno ſed etiam toti Eccleſiæ maximum ſcandalum attuliſſet. Quid hæc ſignificent, prudentes judicabunt. Non falſa enuntio, ſed quæ ex ipſis Epiſtolis evidenter probantur. Si eadem prudentia in hac materia ſilentium non præſcriberet, explicarem utique, quæ hæc damna, ſcandalaque eſſent, quæ Pontificem Maximum deterrere potuerunt. Sat ſit dicere has fuiſſe *juſtas cauſas*, quas ipſe ſupremus legiſlator in ſua Conſtitutione commemorat, ut ſic diſponeret.

6 Ex his jam percipis, lector, quanta mendacia Muratorius in ſuo libello glomeraverit. Nunc ejus ſtringamus verba. Sic ait: *At excipiebant Archiepiſcopi, & Epiſcopi haſce teſtificationes ab hominibus parum probatæ vitæ, atque invidentibus bonæ famæ piorum quorumdam virorum prodiiſſe.* Aſt Muratorius leviter ſcribens non attigit, magnam ipſis Archiepiſcopis, & Epiſcopis inferre injuriam, dum eos facit clariſſimæ detractionis reos. Quibus perſuaſum erit Regni Antiſtites prudentes, ſobrios, pios, optimis moribus imbutos, virtutique deditos ſic in abruptum ferri potuiſſe, ut viris, quos neſciebant, coram Pontifice Maximo ſic peccaminoſe detraxerint, ut eos parum probatæ vitæ aſſeruerint? Viris inquam Sacerdotibus, Confeſſariis, Parochis, Religioſis, Prælatis prudentibus, ſapientibus, nullo probro hucuſque notatis, & quorum atteſtationes Epiſcopi ipſi non viderant. His injuriam dicerent religioſiſſimi Epiſcopi?

copi? Hanc pro libito objicerent calumniam? Id credere ego ſane nunquam fas eſſe docebo. Et, vel Archiepiſcopi, Epiſcopique ſic ſcripſerunt, quod ego falſum eſſe arbitror, aut non ita ſcripſerunt, ut confingit Muratorius? Si primum, crimen, quod non probare poterant, objecerunt, & imprudenter calumniati ſunt, ſuoque jure, ſuomet facto ceciderunt: calumniatoribus enim nulla fides in jure adhibenda. Si ſecundum, eos calumnioſe ſugillat Muratorius, dum defendere arbitratur.

7 Gravior, deteſtabiliorque eſt, quæ ſequitur audax, lhetalis, & maledica detractio: *Exiſtimationem*, inquit, *& honorem Cardinalium popoſciſſe, ut quando nimis facile antea accuſatoribus fidem habuerant, caverent, ne erraſſe viderentur; conquiſitos propterea teſtes; neque defuiſſe aſſentatores, & malevolos, & metu tantarum poteſtatum adactos, qui ſe audiviſſe, aut experientia didiciſſe teſtarentur flagitioſam opinionem, & praxim jam diffuſam per Luſitaniæ ditiones.* En habes maxime reprehendendam, intolerandamque calumniam, non in alios, quam in Eminentiſſimos Cardinales. Et non contremuit, non aruit manus hujus audaciſſimi ſcriptoris, cum hæc ſuo venenoſo atramento depingere non exhorruit! Sua hæc proterva calumnia erit cenſenda; optimorum, modeſtiſſimorumque Antiſtum eſſe non potuit; neque enim alicui probo viro credendum eſt, eoſdem Antiſtites in re tam gravi apertiſſimum mendacium eſſe prolaturos. Et certe erga Eminentiſſimum Cardinalem à Cugna impoſtor eſt Muratorius: ipſe enim, ut diximus, nullas atteſtationes aut quæſivit, aut remiſit. Unde omnis iſtius hominis detractio reſpicit Eminentiſſimum Cardinalem Patriarcham: Quantum virum! Qualem Præſulem! Hunc laceſſere audet Muratorius, dum effræni lingua aſſerit eum quæſiiſſe falſas atteſtationes, atque malevolos aſſentatores adegiſſe. Blaſphemavit. Quis unquam de tali Principe ſacrorum Præſulum norma tam infanda proferret?

8 Quid tamen in tantum virum potuit Muratorius mendaciter effutire, quod, qui ejus dicendi libertatem æmulentur, in ſuos clientes non poſſint retorquere? Exiſtimatio, & honor Cardinalium id potuit expoſcere, ut non ejus nimia credulitas patefieret, & hæc cauſa potuit Purpuratos Principes movere, (ait ille) ut aſſentatores quærerent, & poteſtate adigerent. Nonne etiam Antiſtitum honos, exiſtimatioque expoſcebant, ut ſua poteſtate freti, ſuos alumnos inducerent, adigerentque, ut negativas atteſtationes proferrent? Caium recentiſſimum commemorare poſſemus, qui hanc reconventionem confirmaret, ſed æquum eſt ſilentio præterire. Nonne honos, exiſtimatioque Antiſtitum expoſcebat, ne leves, ac creduli apud Apoſtolicam Sedem haberentur ob facilem aſſenſum ſuis Antiſigilliſtis præſ-

titum, ac ſemel inſtitutum injuſtiſſimum bellum, quibus artibus poſſent, ad obtinendam concupitam victoriam, tuerentur? Nonne eorum honos ac exiſtimatio poſtulabat, ut ſpirituales, quos vocant, viros, innocentes oſtenderent, à pœnis debitis liberarent, neque ſe errantium patronos miſerrime proderent? Profecto hæ cauſæ vehementius urgerent, ut eorum animi, eorum curæ, metu infamiæ, in paria ſtudia declinarent.

9 Non eam ego carpo viam, qui Antiſtitum dignitatem veneror, eorum virtutes agnoſco, neque hucuſque (Deo grates rependo) in viros virtutibus ornatos invidiam creavi. Propono tamen evidentiſſimam reconventionem potiori jure fundatam, quæ primo in proſpectu palam ſeſe offert Muratorio reponenda, qui promiſſæ retributionis ſpe deceptus ſic iſtam detractionem Epiſcopis affingere non exhorruit. Antiſtites bona fide fortaſſe ducti arbitrabantur ſectam illam confictam eſſe, quia recenter ad Epiſcopalem dignitatem evecti non poterant ſtatim notum habere, quod in ſecretiſſimo confeſſionis foro, non ab omnibus, ſed ab aliquibus imprudentibus Confeſſariis agebatur. Inquiſitionum ab ipſis factarum, etſi ipſi id aſſerant, mirum eſt, quod nullam notitiam haberemus. Fortaſſe ſi inquirerent, ut opus erat, & invenire exoptantes, proculdubio ſaltem veſtigia invenirent: & admirandum ſit, quod jam adeo notus rumor nullatenus ad eorum aures pertingeret. Cum tamen illud à depravatis hominibus, ut fingitur, ortum habuiſſe arbitrarentur, nihil mirum, quod contemptui omnino dandum eſſe judicarent. Magis tamen mirandum eſt, quod aliqui etiam de aliena Diœceſi, Lisbonenſi ſcilicet ampliſſima, libentiſſime ſuum proferrent teſtimonium. Quod igitur de ſimilibus teſtibus de factis alienis extra ſuum territorium deponentibus judicium ferendum erit? Id jura decernunt. Suſpicandum ſupereſt, eos ſic in ſuis Diœceſibus ut in aliena, pro forma inquiſitionem inſtituiſſe. Non levia ſuppetunt fundamenta, ut intelligamus aliquem, vel aliquos rem tantam omnino non latuiſſe. Sed quidquid de hoc ſit: non bellum aggreſſivum agimus, ſed defenſivum. Quid tamen ſignificat illud *Paſſim* toties in Eborenſibus Paſtoralibus enuntiatum, niſi multis in caſibus licitam eſſe eam praxim, quam Pontifex Maximus apertis verbis abſolute condemnat? Quid aliud probant anonymæ Epiſtolæ ad Eminentiſſimos Cardinales ſcriptæ, errorem apertiſſime defendentes, & eam praxim licitam, utilemque eſſe aſſerentes? Quid aliud ſibi vult anonyma illa farrago, cujus jam ſæpe meminimus, ubi in puncto ſecundo inquiritur, *an interrogare in quocumque caſu de complicum nominibus ſit praxis, ſeu doctrina erronea, & ſcandaloſa? Reſpondetur negative*; & poſtea defenditur non compati errorem cum charitate, quæ in dictis interrogationibus exercetur, &

quæ

quæ ſolum propria eſt eorum qui zelo vitandorum peccatorum flagrare conſpiciuntur? Judicium ferant alii.

10 Pergit calumniari Mutinenſis ſcriptor. Siquidem a nemine aſſerebatur eum errorem communem eſſe univerſo Luſitaniæ Clero, ut Muratorius fingit, ſed aliquibus imprudentibus Confeſſariis, ut clare pateſcit tum ex edicto ſancti Officii, tum ex Paſtorali Eminentiſſimi Patriarchæ, tum ex ipſis diſſertationibus editis, in quibus ea calumnia non injiciebatur univerſo Clero, ſed aliquibus; & quarum omnium totus ſcopus erat, errorem condemnare, & Fidei Tribunal injuſtiſſime impetitum defendere. In hoc munere erant omnes fere regni ordines, paucis hominibus exceptis, qui forſan praxi, & doctrinæ cognoſcebantur, aut timebantur addicti: horum forſitan eſſent complurimæ atteſtationes, quibus plurimum confidit Muratorius; quos, licet indicandis eorum nominibus ſuperſedeat, nos qui novimus, non citra veritatem, indigitare poſſemus. Fruſtra tamen iſti contumelias vererentur, ſi veræ ſententiæ adhærerent. Si errori non adſtipularentur, ſi ei ſeſe palam objicere conſtituerent, non probra, ſed promeritas laudes accepiſſent. Sed quia praxi conſentiebant, ideo loqui auſi non fuerant; non quia timerent convicia, ſed quia eorum error ita odibilis univerſo populo factus fuerat, ut magno ſeſe offerrent periculo, ſi eum publice defendere auſi fuiſſent. Prodiere quidem ſcripta multa acriora fortaſſe; ſed res ſic expoſcebat. Calami proculdubio acuebantur, non tamen in determinatas perſonas, ſed adverſus erroneæ praxis ſectarios, quicumque illi eſſent. Quicumque offenſus judicetur, ipſe reus judicio ſuo conſtituitur. In aliquos Præſules, non abnuo, ſcriptæ cenſuræ recidebant; ſed rejici, & redargui imprudentiſſimæ Paſtorales ſuæ, ut æquum erat, non valuerant, ſi auctores earum ſimul non redarguerentur. Id eis permittebatur, quia pro religione, pro Pœnitentiæ ſacramento, pro vero dogmate pugnabant. In religionis, & fidei cauſa omnes pares ſumus, ut reprehenſione dignum acerrime impugnemus, ut docet Sotus in *releɛt. de ration. tegend. & detegend. ſecret. memb. 2. q. 3.* Eos prohibendos non eſſe, etiam Apoſtolicæ Sedis confirmavit auctoritas, cum ſemel atque iterum rogata, ut eas diſſertationes ſupprimi juberet, eam dicitur fuiſſe tanti Pontificis ſententiam, ſe non prohibiturum ſcripta, quæ pro veritate pugnabant, & ſi Epiſcopi aliquantulum impetebantur, ſibi imputarent, quod cauſam dederint.

11 Maximam argumentationis ſuæ vim reponit in eo, quod plurimi ex atteſtantibus, audiendis confeſſionibus frequenter incumbentes aſſererent, nunquam ſibi innotuiſſe præſcriptæ praxis abuſum. Certe Antiſtites, qui negare ſtudebant, etſi invenirent Confeſſarios aliter aſſerentes, eorum atteſtationes non producerent, ſed eorum, qui

 de

de negativa teſtabantur. Non ambigimus tamen multos, eosque graves viros, illius abuſus penitus ignaros eſſe. Quid tamen hæ negativæ probant atteſtationes? Si ipſi neſciebant, aliis innotuerat abuſus ille: *Certe*, inquit Muratorius, *ſi aliquando pœnitenti alicui negata abſolutio fuiſſet, quod complicem non neceſſarium ad integritatem ſacramenti revelare noluiſſet, perculſus ille novitate rei, & facile etiam curioſitatis indebitæ injuſtitiam ſentiens, vix querimoniis in publicum temperaſſet, & ad alios ſaltem Confeſſarios injuriam ſibi inlatam detuliſſet.* Arma in ſe præſtitit Muratorius. Hæ querimoniæ frequenter jam fiebant; multas egomet ipſe non ſemel audivi, nec ignorabant Confeſſarii iſti; adeoque non ignorabant, ut ad eas debilitandas, id attribuant hominibus aut malevolis odio virtutis excitatis, aut propter crimina ſua punitis, qui pœnas, quas luebant, revelato ſigillo attribuere non dubitabant. Ergo aliquis publicus rumor erat, quem ipſi non ignorabant: aliquæ fiebant publicæ querelæ, quæ ipſos non latebant. Falſo ergo teſtabantur ſibi ne veſtigium quidem abuſus illius quandoque innotuiſſe. En habemus teſtes ex ſuamet depoſitione clariſſime convictos, aut ſaltem falſitatis ſuſpicione maculatos. Identidem has illatas injurias aliis Confeſſariis notas fuiſſe ipſa facti contingentia abunde demonſtrat. Complurimi enim de hoc facto apertiſſime teſtantur: neque Eminentiſſimi Cardinales eum abuſum prohiberent, ſi ex Confeſſariorum, & prudentum virorum admonitiones ad eos non deveniſſent. Ergo argumentum Muratorii in eum ipſum evidenter convertitur.

12 Eadem ineptia, qua argumentatus fuit prædictus anonymus Antiſigilliſta, utitur etiam ſuus Mutinenſis tranſcriptor; quia ſcilicet: *Si aliquis Confeſſariorum pravam illam opinionem tutatus eſſet, à Theologis aliis improbaretur, & quiſquis horum noviſſet, doluiſſet, & Epiſcopos hujus abuſus conſcios feciſſet: Nec ullum tamen hucuſque ex hac cauſa reprehenſum, aut caſtigatum reperiri.* Non adeo ſtulti illi fuiſſent, ut ſimilia erronea dogmata publice edocerent. Securius gliſceret error in Confeſſionibus diſſeminatus; mulieres namque maiori ex parte rudes, & indoctæ, aquibus, præcipue in materia ſexti Decalogi præcepti, hæ interrogationes fieri ſolebant, & ad detegenda aliena peccata proniores, facile prædictæ doctrinæ vel acquieſcerent, vel à ſacramento abhorrerent; hacque de cauſa nec à Theologis reprehendi, nec redargui poterant. Scimus tamen publice defenſam fuiſſe hanc doctrinam licet larvatam, ne ejus dolus pateſceret: ſcimus alias concluſiones prohibitas fuiſſe defendi, quia aliquid hujuſmodi erroris continebant. Doluiſſe complurimos hanc introductam praxim certum eſt. Sicut etiam proculdubio certum eſt introductæ praxis Eminentiſſimos Cardinales conſcios feciſſe, ideo ſuis publicis

publicis literis eam prohibuerunt: ac proinde iterum in Muratorium retorquetur argumentum. Confeſſarii prudentes, ad quos ea querella deferebatur, nec debuerant complicum nomina inquirere, nec ſuperioribus in individuo denuntiare; obſtabat nanque lex ſigilli intemerata. Sat eis fuit in genere eoſdem Eminentiſſimos admonere, ut convenienti providentia tanto malo occurrerent. An fuerit aliquis reprehenſus, id neſcit Muratorius, id enim occulte fieri ſolet. Caſtigatum fuiſſe, proculdubio non conſtat. Sed quod prudentiæ tribuendum erat, Muratorius in argumentum convertit. Ante prohibitam praxim, damnatumque errorem nullus jure puniendus foret, quia vel in ficto charitatis prætextu, vel in bona fide, vel in ignorantia excuſationem haberet. Ideo neceſſaria prius fuere edicta, ut nullus excuſationem prætendere poſſet. Poſt edicta difficillimum fuit ad ulteriora procedere propter obſtacula ab Epiſcopis objecta, quorum hæc mens fuerat, hic labor, hoc ſtudium. Scimus aliquem ex hac cauſa carceribus mancipatum, neque ignoramus, quæ à quodam Præſule acta, ſeu attentata ſint. Muratorius hæc neſcit: nos qui videmus, ſeu potius ploramus, teſtes ſumus.

13 Ambages in hac re nullæ ſunt, niſi quas fingit Muratorius, vel quibus cauſam dedere tot injuſtiſſimæ contradictiones. Dicit arduum nimis eſſe decernere, quid ſentiendum ſit inter tot pugnantia teſtimonia. Aranearum telis irretitur. Quædam teſtimonia negativa ſunt, affirmativa alia. Muratorius, qui judicis partes ſibi aſſumpſit, & ſe Juriſconſultum ambiit oſtendere, ſe ipſum in Tribunali ſedentem conſideret pro ferenda ſententia contra reum de aliquo crimine accuſatum. Deponunt tres, vel quatuor teſtes fidedigni ſe vidiſſe, aut de ſcientia certa id ſcire. E' contra verò mille producuntur teſtes ſe non audiviſſe, ſe non vidiſſe. Quibus ergo teſtibus ad probationem perpetrati criminis fidem adhiberet? Nihil in praxi communius. Sufficiat allegare Anacletum Reifenſtuel: (1) *Magis credendum eſt duobus teſtibus affirmantibus, quam centum negantibus, ut inquit Innoc. cap. cum ſuper de renunt. Abbas cap. cum in tua n. 2. de teſtib. & Joan. Andreas cap. cum Joannes n. 8. de fid. inſtrum. addita ea ratione: quia poſſibile eſt, quod etiam ubi plures ſunt præſentes duo tantum ad id quod agitur, ſint attenti, cæteris non advertentibus, vel non curantibus, vel poſtea non recordantibus.* Id quod regulare eſt in quacumque cauſa, præcipue obſervandum eſt in caſu propoſito, in quo res occultiſſime agitur, & cujus ſolum poſſunt eſſe conſcii ii, cum quibus ipſa res agitur, & in qua teſtes negantes ſolum deponere poſſunt de ſua inſcientia, qua non obſtante, res contingere potuit, & de facto contigit. Ad hæc, ſi has negativas atteſtationes ſub oculos haberemus, fortaſſe aliquibus exceptio illati criminis objici poſſet.

(1) Ad tit. de teſtib. §. 9. n. 323.

14 Fatetur

14 Fatetur Muratorius *compertum habere Romam adductas pro Eminentiſſ. Patriarcha Atteſtationes complurium, ſimulque gravium virorum utriuſque Cleri teſtantium jam invectum errorem nunc damnatum, ejusque conſectaria deplorantium, ita ut eidem Purpurato juſta videatur adjuiſſe cauſa Paſtoralis ſuæ evulgandæ.* Et non erubuit Muratorius paucis antea verbis hos, quos nunc fatetur graves viros, aſſentatores, & malevolos, ac metu adactos nominare? Non exhorruit vel mente concipere Purpuratum illum potuiſſe eos atteſtantes metu adigere, ut falſo deponerent? Sic proſequitur: *Verum minime novi, quid referant bujuſmodi teſtes, & an intra unam Diœceſim Ulyſſiponenſem ſe contineat illorum aſſertio, quod in præſenti cauſa noſſe plurimi referret.* Si minime novit, cur ſe judicem conſtituit? Maximæ levitatis accuſandus erit, qui rei ſtatum neſciens, decernere negotium omne auſus eſt. Quid vero referret ſcire, an intra unam Diœceſim ſe illorum aſſertio contineretur? Nihili. Ut Eminentiſſ. Patriarcha ſuas Paſtorales literas evulgaret, ſat erat quod error intra ſuæ Diœceſeos limites contineretur, neque enim alienos terminos prætergrediebatur. Ut autem Eminentiſſ. Inquiſitor Generalis ſuum edictum ederet, ſat etiam erat quod ſciret ab aliquibus eam obſervari praxim, ut generaliter pro ſuæ juriſdictionis terminis errorem damnaret, ne ii imprudentes Confeſſarii, quos commemorat, alios aut doctrina corrumperent, aut exemplo. Hoc rite factum eſſe, relictis aliis ſuper variis erroribus ſanctæ Sedis Decretis, ſat demonſtrat ſanctiſſ. Dom. Noſtri tertia in hac materia pro toto orbe Conſtitutio, licet de ſolis Luſitaniæ imprudentibus Confeſſariis quæſtio eſſet.

15 Hæc proinde aſſerit: *Sub oculos tantummodo babui præcipuam denuntiationem eorum, qui & accuſatores, & teſtes fuiſſe traduntur ejuſmodi flagitii, ab Epiſcoporum tamen patronis impugnatam, & uti nullius roboris demonſtratam.* Vel mentitur ipſe, vel certe à ſuis conductoribus deceptus eſt. Denuntiationes, quæ in Fidei Tribunali fiunt, occultiſſime ſervantur, nec extra cauſas producuntur. Ex certa ſcientia aſſerere poſſum eas à Tribunali Romam tranſmiſſas non fuiſſe: ſi aliquam vidit Muratorius firmiter teneat falſam eſſe, & ab adverſariis confictam. Aſt in re juris quam inepte ſcripſit! Denuntiationem vocat, & accuſationem aſſerit: ignorare videtur quantum diſcrimen inter unam, aliamque rem intercedat. Iterumque errare viſus eſt, quaſi ſentiat denuntiatores legitimos teſtes eſſe non poſſe, eorumque depoſitiones nullius roboris eſſe. Cum tamen homo ſic ſcientiis omnibus inſtructus ſcire debuiſſet, denuntiationes alias eſſe proprie judiciales, in quibus denuntiatorum teſtimonia reſpuuntur, quia vices accuſatoris agunt; alias verò eſſe denun-

tiationes

tiationes charitativas, quæ ad criminis punitionem primario non tendunt; in quibus, cum judicium inſtituitur, denuntiatores in legitimos teſtes admittuntur. Iterum etiam in ipſis denuntiationibus judicialibus, alios dici mere voluntarios, alios verò neceſſarios cenſeri denuntiatores: illos à teſtimonio ferendo regulariter jura removent; hos verò proculdubio admittunt. Neceſſarii verò denuntiatores illi dicuntur, qui aut ex officio, aut ex aliquo præcepto, aut ex charitatis, vel juſtitiæ lege denuntiare tenentur. (2) Et cum denuntiatores, de quibus ſermo eſt, non judicialem inſtituerent denuntiationem, immo & neceſſarii dicendi ſint, fit conſequens juſte potuiſſe in legitimos teſtes admitti. Ac proinde fruſtra judicis officium ſuſcepit Muratorius, etiam fingens ſe judicio ferendo abſtinere: & male judicavit *teſtes ab Eminentiſſimis Cardinalibus pro ſe adhibitos neque numero, neque dignitate, neque aliis de cauſis comparandos eſſe cum tot piiſſimis Epiſcopis, & præclariſſimis utriusque Cleri teſtibus, quibus veritati minime conformis viſa eſt ejuſmodi, ſaltem in ardore certaminis nimium amplificata, accuſatio.* Epiſcopi, & utriusque Cleri teſtes, ſolum aſſerere poterant, ſe non inveniſſe, ſe neſciviſſe. Quis autem ignorat hanc aſſertionem negativam eſſe? Accuſatio nimium amplificata non fuit, quia fuit reſtricta ad aliquos imprudentes Confeſſarios. Teſtes, licet eſſent pauciores, utpote affirmantes, negantibus, licet pluribus, erant præferendi; dignitate verò non præcellebantur ab aliis. Maior fides eis adhibenda erat, quia nulla exceptio eis opponi poterat: at verò negantibus aliqua fortaſſe, ſaltem quibuſdam, complicitatis exceptio objicienda eſſet.

16 Præſentit invictiſſimum argumentum, quod ex verbis Pontificiæ Conſtitutionis apertiſſime oritur, & fatetur, *vix fieri poſſe, quin merito inſimulatus quiſquam fuerit ejuſmodi erroris.* Ergo huc uſque in vanum deſudavit, ut oſtenderet Epiſcopos ne veſtigium quidem ejuſmodi abuſus reperiſſe. Addit, *veriſimile eſſe non exceſſiſſe improbandam hanc praxim extra fines Ulyſſiponenſis Diœceſis.* Conjectura eſt, & quidem nullatenus probabilis, etiam per teſtes ab Epiſcopis productos, & per negativam deponentes. Alias Diœceſes hac labe, licet non omnes, infectas fuiſſe, nos ſcimus, qui præſentes ſumus. Multæ ex productis atteſtationibus commemorabant aliquos in individuo caſus, qui alias Diœceſes reſpiciebant. De uno ex atteſtantibus pro negativa productis, qui tunc temporis in Conimbricenſi Civitate degebat, & qui in audiendis confeſſionibus frequentiſſimus erat, non deerit, qui deponat, ſolere prius inquirere, an confitens peccata haberet ad ſextum præceptum attinentia, & eorum

(2) Paſſarin. in Tribun. reg. q. 28. num. 5. Navar. cap. 25. num. 33. Reifeſt. ad tit. de Accuſat. §. 4. num. 299. & communiter DD. ad eumdem tit.

rum complices, idque prius inſtanter rogare per amorem Dei, & propter Beatæ Virginis Conceptionem. Alios multos caſus in aliis Diœceſis contingentes referri poſſent. Neque tamen inde fit, nec quiſpiam aſſerit, omnem Clerum Luſitanum hoc abuſu conſpurcatum eſſe. Aliqui erant imprudentes Confeſſarii, qui eam improbandam praxim introducebant. Quis tamen neſcit parvum fermentum totam maſſam corrumpere? Quis ignorat contemptam ſcintilam maximum excitare incendium? Non integram Luſitaniam infecerat lues illa, ſed inficere poterat; æquumque fuit opportuno occurrere medicamento. Non per ſolam Ulyſſiponenſem Diœceſim peſtem illam graſſari ipſa Pontificia conſtitutio argumento eſt; ſi enim per exhibitas atteſtationes conſtaret praxim illam terminos Lisbonenſes non tranſiliiſſe prudentiſſimus Pontifex aliarum Diœceſum famæ, & incolumitati proculdubio conſuluiſſet.

13 Amplificet igitur Muratorius ſuam inTribunal accuſationem; ſciat tamen, ad Tribunal ſupremi judicii, quod nobis minatur, ſe eum etiam eſſe deferendum; ſtrictiſſimam rationem redditurum, cur nos ad certamen ſuis ſcriptionibus provocaverit, cur veræ doctrinæ aſſertores contumeliis laceſſiverit, cur rectiſſimum prudentiſſimumque fidei Luſitanum Tribunal opprobriis quaſſaverit, cur pecuniis inhians tantam audaciam aggreſſus fuerit? Concludimus ergo adeo obcæcatum ſcripſiſſe, ut non viderit, id ipſum, quod in eximiam laudem Pontificis Maximi (forſitan ad tegendum, quod hucusque dixerat) adnotare libuit, in Luſitani Tribunalis præconium, ſuismet verbis convertendum eſſe: *Paucorum prævaricatio, ut in tot aliis ab Apoſtolica Sede damnatis propoſitionibus factum novimus, ſatis fuit, ac futura eſt*, ut Fidei Tribunal Luſitanum pro munere, vigilantiaque ſua, *quid ſentiendum, fugiendumque decernat. Et quamvis ne unus quidem proſcriptæ ſententiæ auctor, aut diſſeminator fuiſſet, juſta nihilo ſecius nunquam deficit cauſa proſcribendi* (rumor ſcilicet ſparſus, & pœnitentium quærellæ) *ne quiſquam in poſterum ad perniciosum illud dogma deflectat*; & ut fideles eo timore adacti, à Pœnitentiæ ſacramento non arcerentur. Hæ juſtæ cauſæ clariſſime in ſancti Officii edicto continentur. Si id Pontifici Maximo licuit, ejus in ſimilibus cauſis ampliſſimo Delegato licuiſſe certum eſt, cui generaliſſima facultas *optima plantandi, noxia deſtruendi* à ſancta Sede conceſſa reperitur.

RADIUS

RADIUS QUINTUS

Praxim interrogandi complices, & adigendi pœnitentis ad eos detegendos illicitam ſemper fuiſſe clariſſime demonſtrat.

1 **A**d firmandam prædictam demonſtrationem, nullo ſtudio opus eſt. Fundamentum nullo unquam tempore ruinoſum, lucemque indefectibilem ei præſtat univerſalis Eccleſiæ Doctor, qui eam praxim notat ut perverſam, pernicioſam, intolerandam, erroneam, ſcandaloſam, ſacramento Pœnitentiæ, ac famæ proximorum injurioſam, ad ſacri ſigilli violationem tendentem, atque fideles ab ipſius uſu ſacramenti abalienantem. Quid amplius deſiderari poſſumus? Bene ſit Pontifici Maximo. Dominus conſervet, & vivificet eum, quia ſubortas nebulas perfuſa luce penitus diſſipavit. Bene etiam ſit Luſitano Fidei Areopago, qui ipſi Pontificiæ condemnationi præcurrens, in materia dogmatis à verò fidei judicio non aberravit. Bene ſit iis, quos Muratorius malevolos aſſentatores nominat, qui, licet ſpirituales non dicantur viri, nec animarum zelo igneſcant, pro vera doctrina fortiter dimicarunt. Et non pudet Muratorium hos mordere. Non pudet contra fidei propugnaculum, ex quo mille clypei pendent, tam incompte inſurgere! Oh, ſi recogitaret corde, in maligno poſitus non videretur, neque noſtrum Concilium malignantium dicere auſus eſſet. Deus illi parcat, tantumque facinus non ulciſcatur.

2 Cenſura illa, qua Pontifex Maximus eam pernicioſam praxim, noxiamque inuſſit doctrinam, eam illicitam, erroneam, falſamque, etiam ante Pontificias Conſtitutiones, ſemper fuiſſe, non modoque eſſe malam quia prohibitam, ſed etiam prohibitam quia ex ſe malam aperte demonſtrat. Alibi retuli P. Cardenas, & P. Caſnedi, nunc ad rem ejus verba repetere liceat locis ſupra citatis: *Cum Papa ex Cathedra damnat aliquam opinionem in materia morum, ut ſcandaloſam, damnat ut falſam: ergo omnis ſcandaloſa in materia morum, damnata ut talis à Papa ex Cathedra eſt certo falſa, quia habet contra ſe certum Papæ judicium. Antecedens probatur; quia ſi damnata à Papa ut ſcandaloſa non eſſet falſa, ſed vera, licitum eſſet à parte rei ejus objectum, & non niſi ob ignorantiam eſſet illicitum: ergo Papa damnans, ut illicitum, erraret in materia morum..... E contra cum ſit certum judicium Papæ damnantis opinionem, ut ſcandaloſam,*

dalоſam, eſt certum eſſe illicitum ejus objectum. Ratio à priori eſt; quia Papa damnans opinionem in materia morum ut ſcandaloſam, non damnat eam in materia morum..... Sed damnat ut à parte rei ſcandaloſam, aliàs erraret in materia morum; ſed doctrina in ſe ſcandaloſa non poteſt eſſe vera: ergo cum judicium Papæ ſit certum, opinio damnata ut ſcandaloſa eſt certo falſa. Secundo, quia opinio damnata à Papa ut ſcandaloſa manet omni tempore, etiam futuro, ſine omni fundamento probabili; ſed damnata, quæ nunquam poteſt eſſe probabilis, eſt certo falſa: ergo omnis damnata eſt certo falſa. Ergo certo eſt illicita; ergo certo eſt ex ſe mala.

3 Si verò verum amamus, Pontifex Maximus non aliquod novum judicium in hac re fecit, ſed reddidit infallibile ſua definitione, quod jam inter Doctores commune erat, ſemperque obtinuerat. Sic etiam Luſitanum Fidei Tribunal non proprio judicio praxim illam damnavit, ſed Theologorum ſententiæ conformem ſe exhibuit. Nullus enim eſt, qui prædictam praxim non reſpuat, non explodat, non condemnet; quidam hæreticam, ſeu hæreſi proximam, alii peccaminoſam, alii ſcandaloſam, alii ſacramento injurioſam, alii deſtructivam finis ſacramenti, alii famæ proximorum nocivam. Medina, Lopes, Quiniaduenas, Alphonſus de Leon, hæreticam dicunt, vel de hæreſi ſuſpectam doctrinam illam. Et ſane eorum ſententiam apud alios exploſam legi, immo & à Muratorio ſpretam; ſed ejus fundamentum ſolidis rationibus arietatum non vidi. Quid enim aliud eſt dicere, pœnitentem teneri detegere complices, non poſſe abſolvi ni detegant, teneri præſtare licentiam ad uſum notitiæ ſacramentalis, ſibi ipſis perſuaderi licitum, & utile eſſe uſum prædictæ notitiæ, niſi docere, menteque retinere hanc doctrinam? Quid aliud eſt, niſi quædam doctrina falſa, & nullatenus ad praxim deducenda? Quiſquis neget à ſummo puppis in præceps ponto datur. Aſt illudere tentant, aſſerendo nunquam talem doctrinam publicè traditam fuiſſe. Quid tamen refert, quod publice non edoceretur, ſi in ſecreto ſacramenti foro ſuadebatur? Error non deſinit eſſe error, quia latenter diſſeminatur; quin periculoſior eſt, quia occulte ſerpit, & ignotus emendari facile non poteſt. Equidem Medinæ non plures ſunt qui Theologica præſtent ſcientia: eumque à ſcopo non deviaſſe ſuo facto probat Pontifex Maximus, quatenus eam doctrinam tradentes, eamque praxim obſervantes Fidei Tribunali ſubjicit, & jam antea ſubjectos declarat, decernendo adverſus eos in eodem Fidei Tribunali procedendum eſſe eodem modo, quo ibi procedi ſolet contra hæreticos, aut de hæreſi ſuſpectos: *In Officio* (ait Sanctiſſimus in Conſtitutione *Ubi primum*) *ſanctæ Inquiſitionis prædictorum regnorum, atque ditionum ſevere puniantur, & contra eos, & eorum quemlibet*

in

in eodem officio procedatur. . . . . Similiter in eodem officio procedendum erit contra Confeſſarios quoque, ut ſupra delinquentes, ac de nomine complicis pœnitentem interrogantes, eidemque pœnitenti, niſi ſibi manifeſtet, abſolutionem denegantes. . . . Prædictorum Regnorum, ac ditionum Inquiſitores poteſtate à nobis tradita, & quatenus opus ſit, de novo conceſſa, prout in cauſis fidei, juxta ſacrorum Canonum formam, necnon ſancti Officii Inquiſitionis hujuſmodi Conſtitutiones, privilegia, conſuetudines, & decreta, diligenter inquirant, & procedant.

4 Fermoſinus (1) *Nam ſi v. g. diceret pœnitenti non poſſe, nec ſibi licitum eſſe impendere beneficium abſolutionis ſacramentalis, niſi pœnitens Confeſſario complicem declaret, videtur obicem ponere virtuti ſacramenti Pœnitentiæ, negando ei datam eſſe poteſtatem abſolvendi à peccatis, niſi complicem manifeſtet, quaſi per hoc male ſentiat de efficacia dicti ſacramenti, indeque Confeſſarius, ut male ſentiens ſit ſuſpectus in fide. . . . Nam ſi conſtaret talem Confeſſarium velle ſimili aſſertione, & compulſione introducere errorem in doctrina, quæ affirmat complicem non eſſe revelandum in confeſſione ſacramentali, tum quidem revelandum eſſe Confeſſarium.* Certum eſt autem, hos imprudentes Confeſſarios inter ſe conſtituiſſe doctrinam communi contrariam, dum judicabant, & ad praxim reducebant, licitum eſſe inquirere nomina complicum in ſexto Decalogi præcepto, ad eos emendandos, alioſque fines ſpirituales aſſequendos.

(1) Dict. p. 3. q. 2. §. 9.

5 Trullench (2) poſtquam dixerat peccare Confeſſarios, qui complicum nomina interrogant, temerariamque eſſe, ac perniculoſam hanc doctrinam, quia eſt *contra bonos mores, & quæ de ſe redderet confeſſionem exoſam*, ſic notat prædictam doctrinam: *Sufficit ergo notare hanc ſententiam, ut temerariam, ſcandaloſam, pernicioſam, & minime in praxi admittendam.* Fr. Didacus Nugno Cabezudo (3) ſic ait: *Per ſe loquendo, atque adeo communiter, & regulariter, non eſt conveniens talis interrogatio, & oppoſitum hujus eſt temerarium, & pernitioſum tamquam ſacramenti deſtructivum.... Ad quartum reſpondetur illum caſum eſſe metaphyſicum, & ita verificatur noſtra concluſio non ſolum regulariter, ſed univerſaliter, quod ſcilicet perſona complicis nunquam eſt manifeſtanda in confeſſione.*

(2) Tom. 3. lib. 4. cap. 6. dub. 15. n. 14.

(3) In addit. ad 3. p. D. Thom. q. 11. art. 2. diff. 2.

6 Diana, (4) cum Sylvio, Maldero, Villallobos, Coriolano, Roderico, Ledeſma, Bañes, Soto, Petro Fay, Lorca, & aliis, ſic docet: *Talis correctio non poteſt fieri ſine injuria ſacramenti. . . . Et nunc iterum doceo cum Maldero tract. de Sigil. cap. 17. ubi ex duplici capite exiſtimat improbandum eſſe, ſi Confeſſarius extorqueat complicem, ut eum corripiat, aut corripi curet. Primo, quia fit injuria ſacramento. Secundo, quia fieret etiam injuria complici, ...*

(4) In coordin. tom. 1. tract. 8. reſol. 47. 48. & 49.

Nam ultra inordinationem, & deformitatem, quam continet hæc inquiſitio, ſi fiat in confeſſione, fit injuria ſacramento, quo utitur ut medio ad rem illicitam, & quo odioſum, & oneroſum illud reddit tam ipſis pœnitentibus, quam aliis hominibus, qui graviter ferent, actiones ſuas, & negotia media confeſſione manifeſtari, & præbetur occaſio, ut abſterreant alios à confeſſione, ubi etiam citat Duvalium, Lorcam, & Lopes de Texeda.

(5) In D. Th. 2. 2. q. 33. in fine.

7 M. Bañes, (5) quem ſequuntur Lorca, Nugnus, Heno, Octavius Maria, & omnes Thomiſtæ latiſſime probat, & concludenter oſtendit contra Archiepiſcopum D. Ferdinandum Guerreiro, qui contrariam ſententiam, ut nimis utilem introducere ſatagebat (ut teſtantur Lorca, de Lugo, Marin, & alii) talem opinionem eſſe erroneam, multis inconvenientibus expoſitam, ac ſacramento injurioſam. Id refert Cardinalis de Lugo (6) per hæc verba: *Poſteriorem, & contrariam partem acriter defendendam ſuſceperunt aliqui Theologi, præſertim M. Bañes 2. 2. q. 33. in fin. ubi primo late oſtendit non eſſe medium conveniens ad correctionem alterius notitiam, quæ habetur in confeſſioue. Secundo affert multa inconvenientia, quæ ex uſu contrariæ ſententiæ ſequi poſſunt. Tertio probat uſum illius ſententiæ eſſe injurium ſacramento.* Idem refert P. Marin, (7) qui proculdubio eamdem ſententiam amplectitur. Potuerunt tunc Theologi in Archiepiſcopum ſic docentem invehi, nec ob id lacerati ab aliis magni nominis Doctoribus leguntur, immo probati atque laudati. Nunc, quis? Muratorius, ſanam doctrinam defendentes diſcerpit, redarguit, reprehendit. Oh tempora, oh mores!

(6) De Sacram. Pœnit. diſp. 16. ſect. 8. n. 424.

(7) Tom. 3. diſp. 4. ſect. 4. §. 79. & ſeq.

8 Lorca ubi ſupra idem refert per hæc verba: *Adverſus quam doctrinam reclamarunt plures, & reſtiterunt execrantes eam ut injurioſam Sacramento, nocivam conſcientiis, & ſemen ſcandalorum, & diſſentionum.* Sic fecerunt illi, ſic nos etiam facimus; non reprehendendi ſumus, ſicut nec illi fuerunt. Sed Muratorius, ſeu ejus ore Antiſigilliſtæ, non dolent illud noxium conſcientiis venenum, nec ei avertendo ſtudent; plorant autem plurimum, quod imprudentes Confeſſarii detegantur, denuntienturque. Fr. Franciſcus Heno (8) ſic de prædictis ait: *Et equidem ſunt ſacramento injurioſi, ac contrarii inſtitutioni Chriſti, qui hoc ſacramentum inſtituit, non ad fraternam correctionem.* P. Octavius Maria à S. Joſepho, (9) ſic docet: *Dicendum eſt igitur cum communi D. Thomæ ſchola quod talis correctio non poteſt fieri ſine injuria ſacramenti.* Wigant, (10) hæc habet: *Sacerdoti non licet à pœnitente exigere, ut ob finem correctionis complicem ſibi extra confeſſionem manifeſtet. Tum quia exinde facile ſequuntur multa puſillorum ſcandala putantium violari ſigillum ſacramenti &c.*

(8) De Pœnit. tom. 2. diſp. 10. q. 5. §. reſolv. 2.

(9) In oper. mora tom. 2. tit. 207. n. 2026.

(10) In exam. Confeſſ. tr. 13. exam. 7. n. 121.

9 Fr.

9 Fr. Antonius à Spiritu Sancto (11) hæc profert: *Hinc ſit peccare mortaliter Confeſſarium, qui poſtulat à pœnitente, ut ſibi revelet complicem ad eum corrigendum. Ita Bañes, Villalobos, quos refert, & ſequitur Trullench ſup. n.* 14. *irrogat enim gravem injuriam pœnitenti, & maiorem complici, & multo maiorem ſacramento, reddendo illud odioſum. Tum quia inde poſſent gravia inconvenientia evenire: poſſet enim accidere, ut complex eſſet ſoror, aut mater Confeſſarii, aut alius, qui jam ſit emendatus. Immo addit Medina in ſumm. lib.* 2. *cap.* 4. §. 1. *pag.* 210. *quod, ſi Confeſſarius dicat pœnitenti ſe eum non poſſe abſolvere, niſi complicem revelaret, teneri pœnitentem, tanquam hæreticum, Inquiſitoribus denuntiare; ſed hæc doctrina nimis rigida eſt,* (ſufficeret denuntiare ut doctrinæ ſcandaloſæ ſectarium) *nam licet hæreticum ſit aſſerere eſſe licitum infamare proximum; eſt tamen dubium an revelare complicem Confeſſario ſit eum infamare* (propter hanc infamiam, quæ irrogatur, hæc revelatio omnino prohibetur; ac proinde nullum in hoc caſu dubium datur. Et ſicut eſt hæreticum aſſerere licitum eſſe infamare proximum, ita hæreticum eſt aſſerere licitum eſſe, quod revera eſt illicitum) *ſufficit ergo notare hanc ſententiam ut temerariam, ſcandaloſam, & pernicioſam. Ita cum Henriques, Rodrigues, Villalobos, Lopes, Trullench ſupra num.* 14. Quæ idem proſequitur jam retuli *coruſ.* 4. *rad.* 3.

(11) De Sacram. Pœnit. tr. 5. diſp. 8. ſect. 2 §. 17.

10 Idem docent Leander à *ſanctiſſ. Sacramento tom.* 1. *tract.* 5. *diſp.* 5. *q.* 65. Suares Luſit. *tract.* 13. *diſp.* 3. §. 18. Caſnedi, La-Croix, Di-Caſtil. Tamburin. Mendo, aliique, quos alibi commemoravi, Corella *tract.* 7. *confeſſ.* 12. Molin. Suar. Granat. Leſſius, Salonius, Bonacin. Vega, Azor. apud Dianam, Filiucius, Laiman, Valentia apud Mendum in *ſtatera*, Moya *in ſelectis tom.* 2. *tract.* 3. Sanches *in ſelect. diſp.* 5. & omnes fere in materia ſcribentes. Hæc omnia per totum hoc opus, prout materia poſtulabat, diſperſa inveniuntur, atque etiam in anteactis diſſertationibus commemorata ſunt; ſed placuit hîc referre, ut clariorem lucem accipiant, quæ, ſubſequi nunc pergo.

RADIUS SEXTUS

Injuſtas Epiſcoporum querelas, & Muratorium earum patronum diſſipat, & confundit.

1 SI Muratorius cæco impetu in abruptum non raperetur, & gravatos ocellos abſtergeret, atque rite, ut par erat, tum ſancti Officii edicta, tum Pontificis Maximi Conſtitutiones perpenderet, videret utique ac intelligeret, nullam juſtam querelandi cauſam Epiſcopis datam fuiſſe, ipſosque aut juriſdictionis tuendæ ſtudio captos, aut vanis Antiſigilliſtarum fraudibus deceptos, in rem novam, neque à ſæculis viſam prorupiſſe. Tantus amor, tanta reverentia, tantum in Tribunal illud obſequium ab Epiſcopis Luſitanis præſtitum ſemper fuit, ut cum præterito ſæculo ob Judæorum ſubdolas, falſaſque querimonias ſuſpenſa eſſet ejus juriſdictio, rem nullam ad Tribunal ſpectantem Epiſcopi decidere voluiſſent, omnique in hac materia negotio ſuperſederent, quouſque diſſipatis nebulis, ſedatiſque exortis contentionibus idem Tribunal ad ſuum antiquum ſtatum reſtitueretur. Oratores omnes fuerunt, patroni fuerunt omnes, defenſores omnes fuerunt; agnoſcebant ſiquidem quantum Fidei, religionis, ac morum cauſa ab eodem Tribunali dependeret. Oh quantum tempora mutant! Nunc enim omnes velut agmine facto in Fidei Tribunal ingruere non dubitarunt, ut ſi poſſent, aut ejus edicta ſupprimerent, aut in mala fide apud ſanctam Sedem conſtituerent. Conſenſerunt,amplexatique ſunt Epiſcopi omnes Hiſpani, Luſitanique Fidei Tribunal, cum erigeretur, nec juriſdictionis ſuæ imminutionem doluerunt, quia religionis cauſa plus eos movebat; nunc verò ob ſomniatam, leviſſimamque authoritatis tutelam, in cauſa, in qua religio ac ſacramentum Pœnitentiæ periclitabatur, arma ciere non dubitarunt. Quæ tanti fuerit diſcriminis cauſa modeſtia ſilet; qui rem medullitus eviſcerat, profectò aut ſuſpicatur, aut agnoſcit. Reſtiterunt juriſdictionis prætextu Epiſcopi in Belgio, qui tuendæ religioni ſatis eſſe confidenter putaverant, Tribunalis erectioni: ſed quid inde? Tota fidei cauſa miſerrime deſcivit. Quid aliud in Luſitania accidere potuiſſet, ſi Luſitani omnes tenaciter orthodoxi pro Fidei Tribunali non ſtetiſſent? Si periculo huic vitando Antiſtites prudenter proſpicerent, ſi charitatis, paciſque amore ducerentur, ſi totius orbis ſcandalum vitare cogitaſſent, quin res extra cauſas produceretur, amicabili fœdere ſe componerent; dubia, quæ eis occurrebant, inter ſe cum Eminentiſſimo Inquiſitore Generali confer-

conferrent, & certus ſum, omnia, quin ad aures populi diſſentio perveniret, ſedanda eſſe. Si autem concordia ſuffragia non conjungerentur, communibus votis, rem ſecreto ſanctæ Sedis arbitrio committerent.

2 Luſitani igitur Antiſtites, etſi aliàs ſummis laudibus extollendi, in hac agendi ratione laudandi minime ſunt, neque per futura ſæcula à prudentibus quandoque laudabuntur. Mirum eſt, quod Epiſcopi has querelas ad Pontificem Maximum non referrent, niſi poſtquam ipſe per ſuum Breve *Suprema* laudaverat Eminentiſſimorum Cardinalium zelum, praximque damnaverat, eoſque commonuerat, ut omni paſtorali cura gliſcenti damno omnibus juris adhibitis remediis invigilarent. Mirum, quod nihil curæ impenderent, ut ſupremi Paſtoris mandatis obſequerentur; ſed in contraria abirent vota, & ſuorum Confeſſariorum exiſtimationem illibatam defenderent. Quod plane oſtendit eos, non tam edictis Tribunalis, quam præfato Brevi commotos extitiſſe. Et tamen, quod jura ſua, ſi qua haberent, Pontifici Maximo proponerent, quamvis juriſdictio ſua nec in minimo læſa inveniretur, condonandum fuerat; nam hominum eſt errare, & objecta ſui juris ſpecie facile potuerunt dementari. Quod verò, re ad ſanctam Sedem ab ipſis occultiſſime delata in eam temeritatem prorumperent, ut paſtoralibus literis in publicum editis Fidei Tribunal impeterent, ejus edicta prohiberent, ſubditos ab ejuſdem Tribunalis obedientia eximerent, Pontificium Breve poſthaberent, & nulla ejus facta mentione juberent ſubditos ſuos, opiniones Doctorum ſequi, neſcio qua excuſatione contegi poſſit. Hæc ſilet Muratorius, cum tamen, ut boni judicis partes impleret, in conſideratione habere debuiſſet. Aſt officium ſuum in eo repoſuit, ut ſanctum Officium Luſitanum, quibus poſſet improperiis, laceſſeret.

3 Id certe nullo jure, nulla ratione, nulla prudentia dictante actum fuit, & ut materies ſuccenſo igni miniſtraretur, extitit attentatum. Quis unquam vidit, quod Ordinarii judices in Pontificium Delegatum, in Fidei Tribunal, in Inquiſitorem Generalem legati à latere in cauſis fidem concernentibus authoritate fulgentem, Paſtorales literas aliquando ediderint, & publicaverint? Quantum ſcandali populo Chriſtiano, quantam hæreticis obloquendi occaſionem adduxerint, quis ignorat? O' ſi ipſi, Eminentiſſimi Patriarchæ, quem neque juris ſcientiæ, neque juriſdictionis ordinariæ zelo excellunt, veſtigia ſequerentur, quam facile tot contentiones ſupprimerent, quam prudenter tot ſcandala vitarent! Oſtenderent profecto ſe religionis tantum amore moveri, in unumque ad eam fovendam conſpirare. Non eorum animos, non intentionem, non fidem vel leviſſime condemno, id enim eſſet ſacras infulas non revereri; ſed mentes falſis

imaginibus

Digitized by Google

imaginibus deceptas juſtiſſime deploro. Eorum famam apud complures ſugillatam lamentor; ſcio etenim apud plures erroris patrocinium exiſtimari, quod proculdubio de tantis, talibusque viris neque ſupererat ſuſpicandum. Ipſi quidem, quantumvis innocentes, dedere cauſam, quam omnino excluderent, ſi prudentioribus ducti conſiliis, firmiter ſtatuerent, prius eſſe pro vero dogmate unanimiter pugnare, quam juriſdictionum minutiſſimos apices diſcutere. Forſitan ſi ita conſtituerent, nullus auderet ſuſpicari eo ſpiritu moveri, *qui ſeminat inter fratres diſcordiam.* (1)

(1) Proverb. 6.

3 Multa refert Muratorius, quæ in Epiſcoporum querelis continebantur, quæ tamen ab ipſo conficta, non inaniter conjicio; neque enim par eſt credere eos ſic diſipuiſſe, ut inepta quæque coram Summo Pontifice tractarent. Somniavit Muratorius, & quæ juridice probare non poterat, oratoriè aſſerere contendit. Equidem ad quid prodeſſe poſſunt, quæ congerit de authoritate, dignitateque Epiſcopali? De ea quis dubitat? Succeſſores dici Apoſtolorum quis ambigit? Sed etiam in hoc fallitur: nam Epiſcopi non in omnibus, & per omnia ſunt Apoſtolorum ſucceſſores, nec in eamdem poteſtatis plenitudinem dicendi ſunt ſucceſſiſſe. Eam Apoſtoli à Chriſto Domino habuerunt tam ordinis, quam juriſdictionis; Epiſcopi verò juriſdictionis poteſtatem mediate à Chriſto Domino, immediate ab ejus in terris Vicario accipiunt, & cum ſubordinatione ad ipſum, qui eam, prout neceſſitas poſtulaverit, minuire, augereque poteſt. Quod dictum volo, ne cum hæreticis ſentiamus, Epiſcopos æquali, & independenti authoritate fulgere; neve cum Lutheranis, Calvinianis, Proteſtantibus, Græciſque ſchiſmaticis primatum Eccleſiæ Romanæ proſcindere videamur. Succeſſores dicuntur Apoſtolorum Epiſcopi, non quidem vera ſucceſſione, ut Petri ſucceſſores ſunt Pontifices; ſed quia, pro *patribus nati ſunt filii*, (2) ubi explicat Auguſtinus: *Id eſt, pro Apoſtolis Epiſcopi conſtituti fuerunt, qui ideo Apoſtolorum ſucceſſores dicuntur.* Videantur AA. ad marginem citati. (3)

(2) Pſalm. 44. verſ. 17.

(3) Savarus ad Sydon. lib. 4. epiſt. 11. verb. Antiſtites Salas de Legib. diſp. 8. ſect. 4. P. Suar. de Legib. lib. 5. cap. 7. Bellarm. lib. 4 de Roman. Pontific. cap. 19. Dian. 1. p. tract. 10. reſol. 8. Laym. in ſum. tit. de Leg. cap. 3. Tapia tom. 1. Catenæ lib. 4. de Legib. q. 8. art. 3. & 4. Perg. Inſtit. Cathol. cap. 3. §. 7.

4 Ego vero alienis verbis utar, ut aſſertioni meæ maius pondus adducam: *Quamvis juriſdictio Ordinaria Epiſcoporum* (inquit Reifenſtuel ad tit. de Offic. Ord. §. 3. n. 69.) *ſecundum ſe, ac in generali conſiderata, à Chriſto fuerit inſtituta; adeoque non ſit poteſtas gubernandi pure temporalis, & civilis, ſed ſpiritualis ac divina; nihilominus ſi ipſa conſideretur quoad has vel illas perſonas, quibus confertur, & in ordine ad certas Diœceſes, loca, ſeu populos, reſpectu quorum ea confertur, ſic ipſa deſcendit immediate à Romano Pontifice, tanquam Vicario Chriſti, & ſupremo Eccleſiæ univerſalis Paſtore. Ita Pirinh loc. cit. appellans hanc ſententiam veriſſimam, & hodie communem Theologorum, & Canoniſtarum. Id ipſum in re,*

ſub

ſub aliis tamen terminis, tradit Fagnanus ubi ſupra num. 30. dicens, quod quantum ad immediationem virtutis, poteſtas Epiſcopi ſit immediate à Chriſto Domino, non verò quantum ad immediationem ſuppoſitorum agentium: ſic enim (ut idem in progreſſu explicat) mediat Summus Pontifex, vocans alios Epiſcopos in partem ſolicitudinis, eisque dividens certas Diœceſes, harumque populos gubernandos; quamvis virtus poteſtatis Epiſcopalis ut ſic deſcendat immediate ex Chriſti inſtitutione. Idem tradit Sannig h. t. cap. 6. num. 3. & Engel. tit. de Maiorit. & obed. n. 34. ubi ait, poteſtatem Epiſcoporum ſub diverſo reſpectu (videlicet modo explicato) dari à Chriſto, & à Papa.

5 Et poſtea *n. 72. Nihilominus præter jam dictam differentiam, aliud adhuc diſcrimen intercedit inter præfatam poteſtatem juriſdictionis à Chriſto immediate conceſſam D. Petro, & cæteris Apoſtolis. Nam poteſtas fundandi ubique terrarum Eccleſias, creandique Epiſcopos, B. Petro collata fuit non ſolum ratione Apoſtolatus, ſed etiam ratione officii Vicariatus Chriſti, ac veluti ordinaria, & perpetuo duratura; quæ proinde cum officio Vicariatus Chriſti tranſit ad legitimos ejus ſucceſſores Romanos Pontifices. In aliis autem Apoſtolis poteſtas illa, & juriſdictio, ſolummodo fuit perſonalis, utpote ipſis una cum Apoſtolatu, & dono linguarum, atque miraculorum, propter neceſſitatem illorum temporum, & primæ fundationis Eccleſiæ, per ſpeciale privilegium à Chriſto Domino conceſſa, & cohærens: atque idcirco privilegium illud, veluti perſonale, in morte ipſorum extinctum fuit, nec tranſit ad ſucceſſores ipſorum, quales ſunt Epiſcopi Papa inferiores, can. in novo diſt. 21. & can. Quorum vices diſt. 68. Altera vero pars nempe juriſdictionem Epiſcoporum quantum ad immediationem ſuppoſitorum agentium, ſeu prout reſpicit has, vel illas perſonas, Eccleſias &c. quibus, vel reſpectu quarum eſt collata, immediate provenire à Papa, clare deſumitur, ex can. Qui ſe ſcit 1. q. 6. ubi Vigilius Papa ſic ait.* Ipſa namque Eccleſia (*Romana*) quæ prima eſt, ita reliquis Eccleſis vices ſuas credidit largiendas, ut in partem vocatæ ſint ſolicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis: *Quibus ſimilia habentur in can. Decreto 2. q. 6. & can. Multum 3. q. 6. & can. Sacroſancta diſt. 22. nam ex illo loquendi modo manifeſte habetur, alios Epiſcopos habere juriſdictionem ſuam, ſeu partem ſolicitudinis, immediate ab Eccleſia Romana, quæ prima eſt, & Magiſtra aliarum. Accedit, quod Eccleſia Romana inſtituit Epiſcopatus, can. Omnes diſt. 22. ac Eccleſias ſingulas ſingulis Præsbyteris dedit can. Legimus diſt. 93. Id ipſum confirmat, & amplius declarat Gloſſa un. in cap. Quod Translationem de Offic. Legat. pluribus allegatis juribus oſtendens, quod ſolus Papa Epiſcopos creat, transfert, de-*

ponit, eorumque poteſtatem auget, vel reſtringit, & ipſe Diœceſes erigit, dividit, ampliat, vel minuit: quod eſt evidens ſignum, Epiſcopos proxime, ac immediate accipere juriſdictionem ſuam à Papa. Alioquin certe, ſi poteſtas juriſdictionis Epiſcoporum immediate foret à Chriſto, ea non poſſet amplius per Eccleſiam auferri, vel reſtringi: prout patet in poteſtate Ordinis Epiſcopalis, quæ cum immediate ſit à Deo, nequit per Eccleſiam amplius tolli, ſeu limitari, quin ſaltem valide exerceatur. Hinc clare patet quantum deliraverit quidam Epiſcopus, qui extra ſe ipſum raptus aſſeruit, Papam non poſſe ſuam juriſdictionem tollere, aut imminuere. Et alius cum affirmaverit, non obſtantibus Conſtitutionibus *præſentis Papæ*, quod ſanctum Officium procederet contra ſuos ſubditos non eſſe paſſurum.

6 Proſequitur Reifenſtuel *n.* 75. *Nec obſtat illud Actor. cap.* 20. Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei: *Reſpond. enim* (accipiat Muratorius, qui hac utitur auctoritate, hanc reſponſionem) *hinc ſolem ſequi, juriſdictionem Epiſcoporum eſſe mediate à Spiritu Sancto, nempe mediante authoritate Eccleſiæ, non autem immediate: quomodo etiam Epheſ.* 4. *dicitur, quod* Deus dedit quidem quoſdam Apoſtolos, alios autem Paſtores, & Doctores: *Vel certe illud ex eo ſic dicitur, quia Epiſcopatus ſecundum ſe, ac in generali, eſt à Deo inſtitutus: nam iidem Epiſcopi, ad quos ibidem loquitur Apoſtolus, non immediate à Chriſto, ſed ab Apoſtolis, à quibus tunc proprie in Eccleſiis fuerunt conſtituti Epiſcopi, ſuam acceperunt poteſtatem juriſdictionis: ſicque præſens inſtantia parum urget. Nec obſtat ulterius, quod Epiſcopi ſuccedant in locum Apoſtolorum.* Can. in novo diſt. 21. *cum ſimilibus, & fatetur Concilium Trident. ſeſſ.* 24. *cap.* 4 *ibi*: Epiſcopos, qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt: *Reſpond. enim, hinc neutiquam ſequi, etiam Epiſcopos immediate à Chriſto ſuam accipere juriſdictionem, prout receperunt Apoſtoli, ſicut ex eo, quod omnes homines ſuccedant primo parenti Adamo, peſſime infertur, eos omnes immediate à Deo formari ex limo terræ. Succedunt itaque Epiſcopi in locum Apoſtolorum, tum ratione ordinis Epiſcopalis; tum etiam per quandam ſimilitudinem, & proportionem, ratione officii ſui: quia ſicut olim ſub Chriſto adhuc vivente primi fuerunt duodecim Apoſtoli, dein ſeptuaginta duo diſcipuli; ita nunc primi ſub Romano Pontifice ſunt Epiſcopi, dein Præsbyteri, Diaconi &c. Non verò ſuccedunt Apoſtolis Epiſcopi quoad omnia alia: quia non habent donum linguarum, & miraculorum, nec auctoritatem ſcribendi libros Canonicos, neque poteſtatem prædicandi, ac fundandi Eccleſias in toto terrarum orbe, ut habuerunt Apoſtoli.* Bellarmin. cit. lib. 4. de Romano Pontifice cap. 25. *Nec obſtat tandem illud vulgatum dictum,*

Epiſcopus poteſt in ſua Diœceſi, quod Papa in tota Eccleſia, niſi quid ſit ſpecialialiter exceptum: *Reſp. enim dictum illud eſſe intelligendum cum debita ſubordinatione ad Summum Pontificem, & ſalvis Conſtitutionibus Papalibus, quibus Epiſcopus ſubeſſe debet, prout amplius declaratum eſt ſuperius.* Titul. de Conſtitutionibus §. 4. n. 77. & 78. Videatur Concilium Florentinum, & in eo ad Baſilienſes Doctiſſimi Joannis à Turrecremata latiſſima reſponſio, ubi oſtendit nec eoſdem Apoſtolos poteſtatem juriſdictionis habuiſſe immediate à Chriſto Domino, ſed mediate à Petro. Eruditiſſima eſt ea diſſertatio, & quod legatur digniſſima.

7 Hinc liquet temerarie nimis ſe geſſiſſe Luſitaniæ Epiſcopos cum auſi fuerint in Fidei Tribunal, qui poteſtate utitur Delegata, & Pontificiam repræſentat in omnibus Fidei cauſis, & ei connexis, aut dependentibus, ac ſpecialibus indultis ſubnixa, quæ Muratorius perpendere debuerat; non verò regulas generales ab ipſis Pontificibus limitatas in ſpecialibus cauſis, prout eſt ea, de qua agitatur: ut ſatis demonſtratum fuit in antecedentibus diſſertationibus, & ſtatim demonſtrabimus. Unde prædicti Epiſcopi non tam attentarunt in Fidei Tribunal, quam in ipſum Pontificem Maximum in eo repræſentatum, cujus juriſdictione fruitur, quamque ſuo nomine, auctoritateque exercet; ideoque Ordinaria juriſdictio Delegatæ iſtiuſmodi inferior eſt. Hac de cauſa in Decretalibus prius ponitur titulus *De Officio, & poſtate judicis Delegati*, & poſtea ſubſequitur titulus *De Officio Ordinarii.* Eſt textus expreſſus *in cap. ſane* 11. *de Offic. & poteſt. judic. Deleg.* Sic ait S. P. Alexander III. Carnotenſi Epiſcopo: *Sane, quia nos* (& infra) *tuæ quæſtioni duximus reſpondendum, quod judex à nobis delegatus vices noſtras gerit, unde in cauſa illa ſuperior eſt, & maior illis, quorum cauſam ſuſcepit terminandam. Ideoque ſi Epiſcopus, vel alia perſona, quæ non ſit de juriſdictione illius, in cauſa, quam ei delegamus, rebellis, aut contumax fuerit, ſecundum qualitatem facti poterit, vel interdicti, vel ſuſpenſionis ſententia a judice Delegato compelli. Ita quod judex ſecundum negotii qualitatem temperate procedens, Epiſcopo vel ingreſſum Eccleſiæ, vel Sacerdotale officium interdicat; aut etiam terram illius, quæ ad juriſdictionem ſuam pertinet, ſpecialiter interdicto ſupponat.*

8 Videat, & laudet Muratorius, non verò mordeat, & diſcerpat, ſummam prudentiam, maximamque manſuetudinem, qua Fidei Tribunal hocce juris remedio, & aliis contra ejus rectum miniſterium perturbantes in ſuis indultis clare expreſſis, cum poſſet uti, pro pace, pro concordia, pro vitando ſchiſmate, ſcandaloque ſuborituro, libenter abſtinuit. Videat, quo jure defendat Epiſcopos publicis Paſtoralibus hanc publicam temeritatem attentantes. Idem aſſumptum clare

 probatur

probatur ex *text. in cap. Paſtoralis* 11. *de Offic. Ordin.* atque hæc eſt communis ſententia, de qua communiter ſcribentes ad prædictos titulos, & textus, aliique multi. (4) Indeque eſt, quod Epiſcopi non poſſunt ſubditos ſuos abſolvere à cenſura à Delegato impoſita ex *dict. cap. Paſtoralis*, & multo minus eximere ab obedientia ipſi Delegato debita, aut ab onere ab eo impoſito. Caſu autem quod dubitatio aliqua moveretur ſuper quæſtione juriſdictionis, ad Delegatum, proindeque ad Fidei Tribunal ſpectabat decernere, an juriſdictio ſua eſſet, necne. Eſt doctrina *text. in L. Si quis aliena ff. de Judic.* ubi inſignis Barboſa *text. in cap. ſuper literis de reſcriptis* ubi communiter DD. & eſt expreſſa Conſtitutio *Gregorii XV. quæ incipit Sanctiſſimus verſ. ſiqua vero* 20. *Septembr.* 1621. docentque ſupra citati. Et ſi nullatenus ad concordiam reduci poſſent, recurrendum eſſet ad Summum Pontificem juxta expreſſum textum *in cap. per hoc de hæret. in* 6. & ſententiam communem; (5) non verò publicis, incomptiſque literis Tribunal impetere, laceſſere, ac in eo Summam Pontificiam auctoritatem lædere, ac contemnere. Profecto non ſano uſi ſunt conſilio, nec eorum conſiliarii quæſtionem juris, ut par erat, attigerunt, neque calluit Muratorius in declamando eruditus, in re verò juris exponenda minime doctus.

9 Inutiliter ergo ipſe Epiſcoporum authoritatem extollit, quam nemo inficiatur. Inutiliter authoritatem Apoſtoli ad intentum adducit, & quæ retorqueri poſſet, dum ipſi, non ſibi, nec univerſo gregi attenderent, ut noxia illa doctrina non amplius graſſaretur, ſed Confeſſariis à ſe delectis, ne eorum bona exiſtimatio aliquod detrimentum pateretur, ſi forte aliquis ejus falſæ praxis ſectator inventus debitis pœnis ſubjiceretur. Ad eos ſpectare corrigere, arguere, docereque populos, nec ullus in dubium revocat; ſi autem ipſi taceant, aut recta non doceant, cur Tribunal ad corripiendum, ad arguendum, ad docendum inſtitutum ſuis edictis non clamabit? Cur non vociberabimur omnes, cum Pænitentiæ ſacramentum in maximum diſcrimen adducatur. Sequi debemus Epiſcopos, cum recta docent; ſicque intelligendus eſt Ignatius Martyr *in Epiſt. ad Smyrneos.* Sed quid ſi à rectæ doctrinæ tramite, vel per ignorantiam, vel per contumaciam, vel alio quocumque prætextu contigerit deviare? An ſequendi eſſent Novatus, Novatianus, Calliſtratus, contra quos ſcripſit Cornelius Papa? An audiendi eſſent non minus quam 87. Epiſcopi cum ſuo Cypriano, licet aliàs orthodoxi, in ſuo rebaptizationis dogmate, quod proſcripſit Stephanus Papa? An ſequendi eſſent Baſilides, & Martialis, contra quos ſcripſit Cyprianus in Concilio Carthaginenſi? An Meletius, Euſebius, Theognius, Euſtaſius, Macedonius, Theodorus, Urſacius, Flacillus, Acacius, Patrophilus, Dianius, & alii, qui Athanaſium

(4) Innocent. Bellarm. Felin. Porcel. feſſe Urructiaguit. Cancer. Marta, Dian. Merlin. Fontanel. quos citat, & ſequitur Coſtiad. deciſ. 34. à n. 1.

(5) Abbas in cap. fin. de re judic. Fellin. Barth. Jaſſon quos refert Mart. de Juriſdict. p. 4. caſ. 120. n. 14. Cortiad. ubi ſupr. late Fermoſin. poſt tit. de For. compet. in prim. alleg. pro Tribunal. S. Offic. art. 1. n. 2.

naſium damnaverant? An omnes ii, qui Conciliabulis Ariminenſi, Seleucienſi, Conſtantinopolitanoque interfuerunt? An qui S. Joannem Chryſoſtomum tot perſecutionibus vexarunt? An audiendi Neſtorius, Cyrus, Sergius, Pirrhus, Petrus, Paulus, Macarius, Theodorus, qui in VI. Synodo œcumenica damnati ſunt? An ii, qui tot Pſeudo Pontifices ſunt ſequuti, & diro ſchiſmate Eccleſiam quaſſaverunt? An Janſenius, aliique multi Epiſcopi ei adhærentes? An Armeni Epiſcopi in hac eadem materia pernicioſiſſimum abuſum introducentes? An Granatenſis Archiepiſcopus, qui hanc eamdem opinionem, quam reſpuimus, amplectebatur? Abſit omnino. Non meus eſt animus noſtros orthodoxos Luſitanos Antiſtites cum his omnibus comparare: quippe qui omnes agnoſco, omnes veneror, omnes virtute ac ſapientia pollentes profiteor, & quos ex diuturna Academiæ Conimbricenſis conſuetudine, communibus amicitiæ nexibus devinctos ſemper habui. Utor igitur his exemplis, ut Muratorium redarguam, & oſtendam Epiſcopos audiendos eſſe, non quia Epiſcopi ſint, ſed quia recta doceant: ſi verò non recta ſequantur, non audire, ſed explodere fas, æquumque ſit cuique meliora ſapienti. Videatur M. Soto jam ſupra citatus. Homines ipſi ſunt, & errare potuerunt, non in fide, ſed in facto, & in jure particulari, in quo non omnes verſati ſunt. Sicut & erravit Muratorius, etiam cum Pontificias Conſtitutiones præ oculis haberet, & interpretari ambiret.

10 Erraſſe autem ex eo perſpicuum fit, nam ex regula generali, quam fatemur omnes, deſcendit ad particularia, ut quæ minime novit, ex tripode definiat. Et in primis ignorantia ſumma confundit Inquiſitores illos primitus conſtitutos, ut Epiſcopos juvarent, & quibus inferiores erant, qui dicebantur Provinciales, cum Inquiſitionibus poſtea erectis cum pleniſſima, & independenti juriſdictione, in quibus Epiſcopi jus habent ut Ordinarii Inquiſitores ad ferendas ſententias, veluti myſtici illius corporis partes, non verò, ut ſuperiores. Deinde aſſerit ex Inquiſitorum inſtitutione Epiſcopalem juriſdictionem deliquium paſſam non fuiſſe. Et ſane quidem in habitu eam conſervari, contradixerit nemo. In actu verò, ubi Inquiſitiones inſtitutæ ſunt, ſaltem in Hiſpaniis, ob ſpecialia indulta, conſopita jacet, & quaſi revinctis manibus, ut nihil in cauſis Fidei, ſeu connexis, & dependentibus per ſe ſolos quidquam valeant judicare. Omnes ſiquidem hæ cauſæ privative ad Fidei Tribunal, ex Pontificiis Conſtitutionibus ſpectare dignoſcuntur. Hæc non ignoraret Muratorius, ſi legeret Conſtitutiones Julii III. Pauli IV. Gregorii XIII. Clementis VIII. Pauli V. Pii V. Gregorii XV. Urbani VIII. & Pauli III. ac ſpeciales conſuetudines, per quas juriſdictionem acquiri nemo neſcit, notas haberet. Ignoravit certe Conſtitutionem Pauli III. quæ incipit *licet ab initio* 21. Januar.

nuar. 1542. per hæc verba ſic decementis: *Ac eis contra omnes, & ſingulos à via Domini, & Fide Catholica aberrantes, ſeu de eadem fide male ſentientes, aut alios quomodolibet ſuſpectos, illorumque ſequaces, fautores, & defenſores, ac eis auxilium, conſilium, vel favorem, publice, vel occulte, directe, vel indirecte præſtantes, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, aut præeminentiæ fuerint, etiam abſque Ordinariis locorum, etiam in cauſis, in quibus ipſi de jure intervenire habent, inquirendi, & per viam Inquiſitionis, vel inveſtigationis, ſeu alias etiam ex officio procedendi, ac culpabiles quoſcumque, ſeu ſuſpectos, præcedentibus indiciis, carceribus mancipandi, ac contra eos uſque ad finalem ſententiam incluſivè procedendi.* Ignoravit Conſtitutionem Pii IV. die 14. Aprilis an. 1561. quæ incipit *cum audiamus*, in qua conceſſum fuit Inquiſitoribus quaſcunque cauſas ab Ordinariis in ſuam cognitionem advocare: *Quaſcumque cauſas hæreſis, & illius pravitatem hujuſmodi ſapientes coram Ordinariis Regnorum, Provinciarum, & locorum præfatorum nunc, & in futurum, in quibuſcumque ſtatu, & terminis pendentes, quandocunque tibi expediens viſum fuerit, ab ipſis Ordinariis ad te avocare.*

11 Ipſe qui Carenam allegat, in eo, ſi non cæcutiret, idem videre poſſet: (6) *Inquirit ille. An Epiſcopi poſſint facere proceſſus contra hæreticos?* Et reſolvit affirmativè inſpecto communi jure, quod neque Muratorius ſequitur: *Quæſtio hæc facillime ex ſupra dictis ſolvitur, diximus enim contra hæreticos, Inquiſitores, & Epiſcopos etiam diviſim poſſe procedere, cap. per hoc §. Verum de hæretic. in 6. Eymiricus* (quem etiam Muratorius refert) *in direct. 3. p. n. 51. Pegna comm.* 100. *Farinac. d. q.* 186. *n.* 56. *ubi alios refert.* Hanc diviſionem non patitur Muratorius, qui ſibi ratum habet, nihil poſſe ſine Epiſcopis Fidei Tribunal. Sed legat quæ ſequuntur: *In ſola Hiſpania, & Luſitania contrarium obſervatur, ſoli enim Inquiſitores hi formant proceſſus, & capiunt reos in cauſis fidei; & Epiſcopi, ſi aliquas contra ſimiles reos habent informationes, tenentur eas tranſmittere Inquiſitoribus. Ita Molin. de juſt. & jur. alleg. diſp.* 28. *n.* 13. *&* 14. *& Caſtro Palao d. p.* 23. *n.* 6. *Unde autem id habeant Inquiſitores Hiſpaniæ, Juriſconſultis remittendum cenſeo.* §. autem antecedenti dixerat idem Carena, quod quando diſcordant Inquiſitores, & Epiſcopus, cauſa refertur ad Inquiſitionem generalem: *Dubitatur ſexto, quid agendum diſcordantibus Inquiſitore, & Epiſcopo? Reſpondeo proceſſus merita una cum votis conſultorum remittenda eſſe ad ſupremum Urbis Tribunal univerſalis Inquiſitionis, prout idem agunt Inquiſitores inferiores Hiſpaniæ, qui referunt hujuſmodi cauſas ſupremo Tribunali in illo Regno, ita in dict. Clement.* 1. *bene Caſtro Palao dicto* puncto

(6) Lib. 1. tit. 4. de Epiſcop. §. 3.

Digitized by Google

punct. 13. *n.* 15. Ex quo liquet, etiam diſcordante Epiſcopo, has, ſimileſque cauſas ab Inquiſitore Generali, cum ſuo conſilio decernendas eſſe; nec Epiſcopos, quidquid ibi agatur, reclamare poſſe.

12 Dato autem, quod juriſdictio Ordinaria in his cauſis, quæ fidem, religionemque concernunt, non eſſet ſopita propter maiorem auctoritatem juriſdictionis Delegatæ, expediebat nimium, quod Epiſcopi ſuo iuri, ſi quod haberent, libenter cederent. Audiatur idem Carena §. 5. *Nulli dubium, quin longe melius ſit cauſas hæreſis, & ſuſpicionis illius ab Epiſcopis remitti Inquiſitoribus, quam ipſos in eis procedere. Quia ut ait Simancas.... ſi Epiſcopi ipſi procedunt, cauſa omnis ita confunditur, ut vix, aut nunquam veritas inveniri queat* (ſic in præſenti caſu propter Epiſcoporum contradictiones factum eſt, idque in mente habuerunt illius erroneæ praxis introductores) *quod ego frequenter Vicariorum imperitia contigiſſe ſcio: ideoque ſubdit, quod id lege Pontificia providendum eſſet.* Ita ſpecialibus Conſtitutionibus factum eſt, ita ut omnes hæ cauſæ ad ſanctum Officium privative ſpectent. Proſequitur Carena: „ Deinde ſecretum eſt „ nervus cauſarum omnium S. Officii, id coram Inquiſitoribus in„ violabiliter obſervatur, coram Epiſcopis autem impoſſibile eſt hoc „ ſecretum obſervari &c. Bene Pegna in 3. p. Directorii com. 101. „ verſ. quamquam verò, ubi quod ſtylus hic, quod ſoli Inquiſitores „ forment proceſſus, videtur jam uſu receptus, & eum ibi multum „ commendat, ob idque Eminentiſſimus, & Reverendiſſimus Domi„ nus meus Cardinalis Camporeus Epiſcopus Cremonenſis, cujus ſum „ Auditor, cum ampliſſima juriſdictione, in omnibus cauſis, in qui„ bus perſona laica jus dicere, & judicari poteſt, ſupra 14. annos, „ ſemper omnes cauſas hæreſis, & ſuſpicionis illius remiſit ſtatim ad „ Reverendiſſimos Inquiſitores, quia ipſe Eminentiſſimus Dom. uti „ unus ex ſupremis Inquiſitoribus optime novit, quam magna ori„ antur inconvenientia (*hæc ſub oculos non habuerunt Luſitani Epiſ„ copi*) ſi Ordinarii, qui nec tutos, nec ſecretos habent carceres, & „ Miniſtros, informationi horum proceſſuum ſe ingerant. Tandem ad „ finem hujus tituli apponere volo verba Pegnæ in ſua praxi Inqui„ ſitorum, manuſcripta lib. 2. cap. 63. ait enim: Gratiſſimum foret ſanctiſſimo, & Dominis Cardinalibus, Inquiſitoribus Generalibus, ut Epiſcopi per ſe ipſos in his cauſis tractandis, & judicandis aſſiſterent, & magna, ac communi concordia ſic cum Inquiſitoribus agerent, atque hunc ſibi finem proponerent, ut veritas inveniretur, Fides Catholica ſtabiliretur, atque omnis omnino hæreſis, & hæreſis ſuſpicio, & quælibet doctrinæ novitas à ſuis Diœceſibus expelleretur. Huculque Pegna. *Et hæc bene notanda ſunt per Epiſcopos, maxime eos, qui in hujuſmodi cauſis omnia curant per eorum Vicarios expediri.*

Locutos

Locutos fuiſſe videtur hos DD. cum Epiſcopis noſtris, qui propriæ juriſdictionis prætextu, non de expellenda noxiæ doctrinæ novitate, ſed de ea neganda, ac diſputanda juriſdictione cogitarunt. Hoc laudat Muratorius, hoc tuetur.

(7) In aphoriſ. Inquiſit. lib. 1. cap. 2. n. 11.

(8) De Cathol. inſtit. tit. de Epiſcop. n. 4.

(9) Orig. Inquiſit. lib. 2. cap. 1. n. 2.

(10) P. 4. tract. 8. de poteſt. Inquiſit. reſol. 3.

13 Ultra prædictos AA. Souſa (7) ſic habet: *In iis locis, ubi ſunt Epiſcopi, & Inquiſitores, tantum Inquiſitores procedunt in cauſa hæreſis, & ad ipſos mittere debent Epiſcopi, quidquid contra reum habere potuerint.* Simanchas (8) ſic ait: *Hodie munus hoc Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis mandatum eſt, ſive propter varias Epiſcoporum curas, ſive propter quorundam abſentiam, vel ignaviam, vel imperitiam.* Paramus (9) ſic ſcribit: *Quibus Epiſcopis negligentibus tam ſalutiferum officium exercere, quibuſdam autem ob diverſa negotia impeditis, Summi Pontifices matura deliberatione decreverunt viros doctos, & Catholicos eligi, qui tamquam Apoſtolicæ Sedis Delegati hoc tam ſanctum Officium exercerent.* Diana (10) hæc docet: „Igitur poſſunt DD. Inquiſitores exercere omnia, quæ „ſibi competunt de jure communi, vel ex conſuetudine, vel quid„quid uſu receptum fuerit. Unde ex his apparet, quod ſi aliqui huic „ſententiæ contradicunt, non ſolum contra rationem, ſed etiam „adverſus voluntatem Regis inſurgunt: ut patet ex dictis: DD. enim „Inquiſitores nunquam ſe extendunt ad aliquid faciendum, niſi id „ſibi competat de jure, ſeu conſuetudine, vel ſaltem exemplis non „conſtet, hoc aliás factum fuiſſe. . . . quæ omnia, ſi aliqui ſcirent, „& conſiderarent, non equidem contra Dominos Inquiſitores obmur„murarent, dicentes illos multa exercere, quæ de jure facere non „poſſunt; nam multa etiam licite faciunt, ſtante uſu, & conſuetudine. Hanc reprehenſionem à Diana accipiat Muratorius, contra noſtra indulta, uſus, & conſuetudines inſcie incauteque ſcribens.

(11) De incantat. opuſc. 1. ſeſſ. 3. c. 1.

Valle de Moura (11) commemorans aliquas Conſtitutiones Pontificias in favorem Inquiſitionis, ſic ait: „In quibus noſtris generalibus In„quiſitoribus conceditur à Pontificibus. . . . plena, & libera facultas, „ut quandocumque viſum fuerit, ab Ordinariis, eorumque judici„bus, & perſonis advocandi quaſcumque cauſas hæreſis, & hæreſim „ſapientes. . . . Immo ſpectato jure Conſtitutionis Sixtinæ Inquiſito„res poſſunt, & tenentur ſe intromittere de enpſalmis, aliisque ſi„milibus ſuperſtitionibus. . . . . conveniтque communi praxi Inqui„ſitionis regulariter procedendi in aliis delictis, etiam ſapientibus „hæreſim non manifeſte. . . . Jam hodie omne delictum, quod ex „titulo hæreſis ſpectat ad Inquiſitores, ſpectat privative ad omnes „alios judices. . . . Immo Epiſcopi exercentes talem juriſdictionem, „peccant graviſſime; tum ob alienam uſurpatam, tum quia non „modicum detrimentum poterunt fidei negotio afferre.

14 Videat

Digitized by Google

14 Videat nunc Muratorius, qua ratione Ordinariam juriſdictionem læſam, & uſurpatam carpit à Sancto Fidei Tribunali; cum potius Ordinarii prætextu ſuæ juriſdictionis Delegatam læderent, tot Conſtitutionibus, & immemoriali conſuetudine firmatam. Præcipue cum ſancti Officii edicta, nec verbum afferrent, ex quo Ordinariæ juriſdictioni, aut Epiſcopis detrahere, aut eos à ſuo munere exercendo prohibere viſum eſſet; quin potius cum Eminentiſſimus Cardinalis Patriarcha ſimiles Paſtorales literas evulgaret, non modo non ſe læſum exiſtimavit Tribunal illud, ſed Eminentiſſimi zelum quam maxime commendavit, & in communi Religionis cauſa cum illo concorditer ſe geſſit. Eandem ſervarent concordiam Epiſcopi, eumdem zelum oſtenderent, tam recta, & juri conformia veſtigia ſequerentur, & res omnis ſine diſſidio compoſita videretur, nec tam maximum detrimentum fidei negotio afferrent. Quid aliud nunc Epiſcopi, aut eorum nomine Muratorius prætentabant, quam id ipſum, quod Epiſcopi in Belgio inſtituerant, ut Inquiſitioni erigendæ omnibus viribus obſtarent: *Cur* (aiebant ipſi apud Stradam) (12) *auxiſſet tot Epiſcopos, ſi religionis injuriam ipſi propulſaturi non erant....* *Immo* (inquit idem Strada) (13) *Epiſcopos non levi affectos injuria videri, dum religionis cauſæ, quarum cognitio ad ipſos jure pertinet, ad poſterius hoc Tribunal transferuntur.* Quid Belgio accidit? Proh dolor! Non vigilarunt Epiſcopi ſuæ juriſdictionis æmuli, & religio omnimodam decadentiam omnibus ſæculis deplorandam paſſa eſt.

(12) Lib. 2. pag. 75.

(13) Lib. 5. pag. 218.

15 Quæ hic afferre poſſem, relinquo poſtea expendenda; nunc ſolum de revincendo Muratorio in prædicto *cap.* 6. agendum eſt. Sic enim pergit: *Adhuc enim Epiſcopus in ſua Diœceſi ordinarius eſt Inquiſitor, ſive Inquiſitor natus, & in crimina ad Religionem pertinentia ſuum pergit eſſe jus Epiſcopali foro.* Quomodo Inquiſitor eſt Ordinarius, mi Muratori? Neſcis? Te edoceam. Ita Inquiſitor eſt Ordinarius, ut non ſeparatim cauſam religionis decidere valeat, ſed ſimul cum aliis unam vocem, ut quilibet eorum tantummodo habeat, & aliorum pluralitati acquieſcere teneatur, vel ſaltem ſupremi conſilii deciſioni, ut ex Carena jam diximus. Ita Inquiſitor eſt Ordinarius, ut ad definitivam ſententiam procedere non valeat; ſed quoties inveniat quem crimine ad ſanctum Officium attinente innodatum, teneatur remittere, ut ſupra notavimus. Suum equidem pergit eſſe jus Epiſcopali foro. Sed ad quæ? Ut doceat, ut prohibeat, ut erroneas doctrinas condemnet, & ſimilia de quibus *in Clement.* 1. *de hæretic.* Sic tamen, ut cætera, quæ ibi commemorantur, nec Inquiſitores, inſpecto eodem jure communi, ſine Epiſcopis, neque Epiſcopi ſine Inquiſitoribus poſſint. Ubi notandum, quod inſpecta prædicta Clementis Conſtitutione poſſunt Inquiſitores ſine Epiſcopis, &

è converſo, citare, arreſtrare, inquirere, vocare teſtes. In quo igitur exceſſit Tribunal illud ſuo jure utens? Prohibuit noxiam doctrinam: hoc ipſum facere poſſent Epiſcopi, ut & fecit Eminentiſſimus Patriarcha. Forſan obſtitit illi Tribunal? Reſtitit huic Eminentiſſimus Patriarcha? Minimè: Sed reſtiterunt ſine jure Epiſcopi. Inquiſitionem criminis voluit inſtituere, ut eodem jure poterat, ad quod proculdubio neceſſarium erat vocare teſtes, & jubere, quod qui ſcirent criminoſos, denuntiarent. Id ipſum poſſent Epiſcopi, ſi vellent, & ſacramenti rectam adminiſtrationem provehere cogitarent. An Fidei Tribunal hanc eis juriſdictionis provinciam interdixit? An aliquam ſine ipſis ſententiam in reos illius criminis promulgavit? Qua igitur ratione conqueſti ſunt? Videat Muratorius, quanta inſcitia, quanta rerum ignorantia hoc jus Epiſcopalis fori minime læſi nobis obtrudat. An adeo exquiſitus eſt noſter Barboſa, ut nunquam in illo videremus, quanta poſſint Epiſcopi tum ex ordinaria, tum ex Delegata poteſtate? Negat fortaſſe Barboſa hanc Delegatam poteſtatem, qua fruitur Luſitanum Tribunal? Aſt Muratorius ſibi ipſi maxime fidens, putavit nos ſuo Oratorio dicendi genere ſic concutere, ut ſileremus.

16 Obloquitur adhuc ille, & pergit in hunc modum: *Atque hæc ipſa jura lædere minime conſuevit Apoſtolica Sedes, niſi cum Epiſcopi ſua culpa iiſdem ſe privant, & expoſcit neceſſitas Eccleſiæ univerſalis &c.* Se igitur iiſdem ſua culpa privaverunt Epiſcopi, cum eorum ordinaria juriſdictio ſic limitata, ſic reſtricta fuerit ab Apoſtolica Sede, ut Pontificiæ Conſtitutiones adteſtantur. Id non meo judicio aſſero, ſed ex Carena, ex Simanchas, ex Paramo, & aliis, qui partim multis occupationibus, partim negligentiæ Epiſcoporum referunt hanc ampliſſimam Fidei Tribunalibus juriſdictionem attributam. Ipſa nunc facti ſpecies idem comprobat. Vigilavit Fidei Tribunal, & invenit erroneam illam praxim graſſari: Epiſcopi tamen ſua bona fide ducti, etiam poſt publicum rumorem, & ſancti Officii edicta nihil invenerunt. Si ita contigit Paſtoribus vigilantiſſimis, minus vigilantibus quid accideret? Ineptiſſime addit: *Quod tamen minime impedit, quominus, & Epiſcopi authoritate ſua ordinaria utantur ad cohibenda populi vitia & peccata, quæcumque Religionis puritati adverſantur.* Quis eos cohibuit, ne id muneris exercerent? Quis eam auctoritatem eis negavit? Sanctum Officium aliquod eis oppoſuit impedimentum? An inhibuit, ne ſuo muneri ſatisfacerent? Fortaſſe & eis objici poſſet, quod non facerent; immo ſanctum Officium, ne faceret, impedirent. E' contra, ſolus qui rem omnino neſciat, dubitabit ad Inquiſitionis Tribunal ſpectare cohibere *Populi vitia, & peccata, quæcumque Religionis puritati adverſantur.* Nunc perpende,

lector,

lectoꝛ, qui potius conquerendi jus habent: an Epiſcopi, quos ſanctum Officium minime cohibuit, ne ſua Ordinaria juriſdictione uterentur: an verò Fidei Tribunal, cui Epiſcopi ſuis Paſtoralibus literis detrahere curaverunt, & impedire, ne ſua auctoritate Delegata uti poſſet? An Epiſcopi, qui juſſerunt ſubditis ſuis, ne ſancti Officii edicta ſervarent; an Fidei Tribunal, quod nec verbum quidem ſcripſit Ordinariam lædens juriſdictionem?

17 Utitur ad ſua ſophiſmata probanda Decreto Urbani IV. quod dirigitur ad Inquiſitores, antequam Fidei Tribunal eo modo, quo poſtea, erectum eſſet; cum tamen, ut negotium aliquod conficeret, particularia decreta, quæ poſtea ad Inquiſitiones Hiſpaniæ, & Luſitaniæ emanarunt, producere debuiſſet. Adducit etiam Decretum Bonifacii VIII. & remittit lectores ad Eymericum, ut ibi petant, quid Epiſcopus ſine Inquiſitore poſſit, & è contra. Optimum ſcribendi genus in controverſiis definiendis! Jam nos, ſine Eymerico, ex ipſo fonte hauſimus, & ſupra ſcripſimus. Jus commune illud decretum ſpectare nemo dubitat: & obſtare non poſſe ſpecialibus Conſtitutionibus, quæ ſequenti tempore, prout neceſſitas poſtulaverat, emanarunt, certum eſt. Sed eo communi jure, & Decreto Bonifacii attento, quid poterant Epiſcopi ſine Inquiſitore, & è contra? Tacuit Muratorius mala fide ſemper ſcribens. Non indigemus Eymerico, habemus enim hanc Decretalem in corpore juris expreſſam. Sic habet Decretalis *in cap. per hoc 17. de hæret. in 6. Per hoc quod negotium hæreticæ pravitatis alicui, vel aliquibus ab Apoſtolic. Sed. generaliter in aliqua Provincia* (ſi ergo ſpecialiter ſit data, ut de facto data Fidei Tribunali invenitur, non cumulative, ſed privative data intelligitur, (14) & præcipue quando juriſdictio perpetuo conceſſa fuerit, (15) ut Fidei Tribunalibus conceſſa invenitur) *civitate, vel Diœceſi delegatur, Diœceſanis Epiſcopis, quin & ipſi auctoritate ordinaria, vel delegata, ſi habent, in eodem procedere valeant, nolumus derogari.* (An in aliquo Ordinariis eorumque juriſdictioni, quam habent, derogatum fuit per ſancti Officii edicta?) *Verum, ut dictum inquiſitionis negotium, efficacius, melius, utiliusque procedat, concedimus, quod per Epiſcopos ipſos, & per Inquiſitores de facto eodem inquiri valeat communiter, vel diviſim.*) En juriſdictio cumulativè conceſſa, ut Inquiſitores diviſim ſine Epiſcopis procedere valeant. Quis autem neſcit in juriſdictione cumulativa præventioni locum eſſe?) *Et ſi diviſim proceſſerint, teneantur ſibi invicem communicare proceſſus, ut per hoc poſſit veritas inveniri.* (An ſanctum Officium aliquem proceſſum hucuſque habuit, quod cum Epiſcopis non communicaret, ut eorum juriſdictioni derogatum eſſe conquerantur? Certè hucuſque nihil aliud Fidei Tribunal fecit, niſi ea quæ ad inquiſitionem criminis,

(14) Gloſ. ind. verb. generaliter Arch. Dom. Franc. Anchar. Zabarel. quos refert Paſſarin. ad eumdem text. Farinac q. 196. n 59. Delbeu. dub. 195. ſect. 20. n. 2.

(15) Gratian. Forenſ. cap. 154. n. 37.

criminis, & delinquentium attinere dignoſcuntur. Id autem diviſim facere poſſe, idem Bonifacius expreſſe decrevit.) *Et niſi hoc caſu Inquiſitores in ſententiæ prolatione Diœceſanis, vel è contra duxerint deferendum, per utroſque ſimul ſententia proferatur.* (Ecce, prout utilius duxerint, poſſunt Inquiſitores formare proceſſus, ita ut, illis formatis, ſimul cum Epiſcopis ad ſententiam definitivam procedant. Quid aliud nunc obſervant? Ergo nulla Epiſcopis injuria illata eſt:) *In qua ferenda, ſi non convenerint, per utroſque negotium ſufficienter inſtructum ad Sedem Apoſtolicam remittatur.* Hodie ſpeciali jure ad conſilium Inquiſitionis ſupremum cauſa remittitur, ibique decernitur, neque in ipſo conſilio ſupremo quidquam juris Epiſcopi prætendere poſſunt, de quo extat Conſtitutio Clementis VIII. (16)

18 Vidiſti jam, lector, quantum idem allegatum Bonifacii Decretum, etiam jure communi inſpecto, loquaci Muratorio contradicat? Videas nunc, quæ Paſſarinus habeat ad eumdem textum, *num.* 8. *Itaque igitur Ordinariis ſupradictis non fit præjudicium in juriſdictione cognoſcendi cauſas fidei per delegationem Inquiſitorum. Quæ tamen*, (nota limitationem) *ſit facta generaliter, ut in textu dicitur.* Et poſtea *n.* 11. *Secunda regula textus plura continet, & præcipue quatuor. Primo enim conceditur, ut in cauſa fidei Epiſcopi, & Inquiſitores de eodem facto inquirere valeant communiter, vel diviſim. Secundo vult, ut ſi diviſim inquiritur, teneantur ſibi invicem communicare proceſſus, ut per hoc veritas melius poſſit inveniri. Tertio ordinat, quod niſi in hoc caſu Inquiſitores in prolatione ſententiæ, vel è contra duxerint deferendum, per utroſque ſimul ſententia proferatur....Sed in his aliter diſpoſitum fuit per Clementem V. & habetur Clem. I. eodem tit.* Mirum, quod nobis Muratorius objiciat Bonifacii Decretum, cum jam aliter diſpoſitum inveniatur in Concilio Vienneſi. Tranſcribit igitur Paſſerinus Clementis V. Decretalem, cujus & nos alibi mentionem fecimus, & poſtea *n.* 12. ſic ait: *Primo igitur in hac Decretali commiſſum fuit Epiſcopis, & Inquiſitoribus, ut in cauſa hæreſis, & de eodem facto poſſint ſimul, & diviſim inquirere.... Et dè hoc extat Conſtitutio Urbani IV. Licet ex omnibus, in Bull. Pennæ pag. mihi* 41. *in qua vult, ut per concurſum proceſſuum, vel aliàs quomodolibet Inquiſitorum proceſſus non impediantur. Sed quod, Ordinariorum proceſſibus non obſtantibus, ipſi Inquiſitores ſuos proceſſus facere poſſint in eodem negotio.* En quam Decretalem nobis obtrudit Muratorius, in qua conſtituitur Ordinarios non poſſe impedire proceſſus ab Inquiſitoribus factos. Aſt Epiſcopi, & cum eis Muratorius edicta ſancti Officii, & inquiſitiones, quas facere intendebat, impedire tentabant. Scribebat profecto Muratorius indoctis, non verò juris profeſſoribus.

(16) Torreblanca de Magia lib. 3. cap. 25. Dian. Delbene, Salgado, Azevedo apud Cortiada dec. 30. n. 32. Molin. de juſt. & jur. tom. 6. tract. 5. diſp. 28. n. 14. Solorzan. de Jure Indiar. tom. 2. lib. 3. cap. 24. n. 36.

19 Profe-

19 Proſequitur Paſſarinus *n.* 14. *Ex hoc habetur, quid ſit procedere diviſim; non eſt enim vel tantum Epiſcopum ſine Inquiſitore, vel tantum Inquiſitorem ſine Epiſcopo procedere, & proceſſus formare; ſed ut declaravit Benedictus XI. in Extravag. Ex eo de hæret. eſt utrumque procedere in eodem negotio diviſim, ſcilicet per diſtinctos proceſſus formatos à ſingulis eorum ſine alterius concurſu. Eymer. 3. p. q. 52. & ibi Penna comm.* 101. Verba Benedicti non refert Paſſarinus; referam ego ut res clarius percipiatur: *Conſultationi veſtræ breviter reſpondemus, quod quando utrique procedunt ſejunctim, ſibi debent in fine tantum, cum nihil reſtat agendum, niſi quod ſententia promulgetur, communicare proceſſus.* Si hæc vidit Muratorius, cur ſubdole ſcripſit? Si non vidit, cur publicè loqui auſus eſt? Pergit Paſſarinus: *Verum, ut advertit idem Penna, licet de jure ſuper eodem negotio fieri poſſint diverſi proceſſus, tamen commodius eſt, ut ubi ſunt Inquiſitores, per Inquiſitorem, qui ad hoc habet carceres, & miniſtros deputatos, proceſſus fiat, vocato Epiſcopo, aut ejus Vicario ad omnia illa acta, ad quæ debet vocari juxta Decretum Clement. IV. & hoc hodie uſu eſſe receptum videtur..... In Hiſpania verò Epiſcopi non poſſunt diviſim ab Inquiſitoribus procedere, ſed ſoli Inquiſitores procedunt, & Epiſcopi tenentur tranſmitere ad Inquiſitores quaſcumque denuntiationes ad ſanctum Officium ſpectantes, ut ex Sanctarell. & Soecin. probat* Penna *part.* 3. *com.* 101. Barboſ. *in collect. lib.* 5. *tit.* 2. *cap.* 17. *n.* 3. Souſa *lib.* 1. *Aphor. cap.* 2. *num.* 11. Molina *tract.* 5. *d.* 28. *num.* 13. Diana *p.* 4. *tract.* 8. *reſol.* 2. Palaus *tract.* 4. *d.* 8. *p.* 13. *n.* 6. Carena *ad quæſt.* 1. Fulcod. *n.* 13. Delbenius *latè hoc explicans d.* 195. *ſect.* 20. *n.* 14. Et poſtea *n.* 26. *In regnis autem, & ſtatibus Inquiſitionis Hiſpaniæ hæc quæſtio locum non habet, cum ibi Ordinarii non forment proceſſus in cauſa fidei, nec reos citent.*

19. Iterum quæſo videas, lector, Cardinalem Guidonem Fulconii Epiſcopum Sabinenſem, & poſtea Pontificem Maximum, Clementem IV. dictum, qui non pro Ordinariis, ut ipſe erat, ſed pro Inquiſitoribus ſententiam protulit. Inquirit ille: *An poſt injunctas Inquiſitoribus cauſas fidei in eiſdem Ordinarii poſſint procedere?* Et ſic reſolvit: „ In prima igitur quæſtione dico, quod Ordinarii nec poſſunt, nec debent procedere in negotio, quod eſt Fratribus injunctum: nam ad curiam ſuam videtur illud revocaſſe Dominus Papa. Et ideo ceſſat aliorum officium; ut extra de Offic. legat. licet, & extra ut lite pendent. cap. 2. Eccleſiæ S. Mariæ, & de appellat. in noſtrum. Nec calumnietur quis, quaſi non evocaverit ad Curiam ſuam, quod ipſe non audit: nam facere videtur, vel gerere, qui per alium gerit ff. de Adminiſtr. tutor. ita autem §. geſſiſſe cum ſuis

„ concor-

„ concordantiis.... Item probatur hoc idem per inconveniens. Nam „ ſi poſſent Ordinarii procedere, cum conſtat, quòd Inquiſitores poſ- „ ſunt, diſtraherentur homines ad diverſa Tribunalia, & ſic pro- „ miſcuis actibus rerum turbarentur officia, quod eſſe non debet cap. „ de Epiſcop. & Cleric. Repetita, & de teſtament. Conſulta divalia.... „ Item & alibi eſt expreſſum, quod legatus generalis ad ſe revocare „ non poteſt negotium alicui ſpecialiter delegatum: ut extra de Offic. „ legat. Studuiſti. Ergo multo minus alius Ordinarius.... Item conſ- „ tat, quod Delegatus in commiſſo ſibi negotio eſt maior quolibet „ Ordinario: ut extra de Offic. & poteſt. Judic. Deleg. Sane.

20 Verum quidem eſt, quod hæc Guidonis ſententia procedebat ante Conſtitutiones Bonifacii, Benedicti, & Clementis: ut optime notat Carena in annotationibus ad eumdem Fulconium. Sed fundamenta Fulconii, quem ſequuntur Archidiaconus, & Geminianus concludenter urgent poſt ſpeciales Conſtitutionines pro Hiſpaniæ, & Luſitaniæ Inquiſitionibus. Hacque de cauſa ſic ait dictus Carena *n.* 13. *Atque hæc, quæ ſupra dixi, utique ſervantur in tota Italia; in Hiſpania verò Epiſcopi, & Ordinarii non poſſunt diviſim ab Inquiſitoribus procedere, ſed ibi ſoli Inquiſitores procedunt; quinimo Epiſcopi tenentur tranſmittere ſtatim omnes, & quaſcumque denuntiationes in his materiis ad ſanctum Officium ſpectantibus ad Inquiſitores &c.* Addunt verò ſupra citati, omneſque alii, quod ſi Epiſcopi, aut Inquiſitores ſimul aliquem citare faciant, (idem eſt de præcepto denuntiationis, ſive de vocatione teſtium) citatus teneatur comparere coram Inquiſitoribus, non verò coram Ordinario, etiam ſi iſte præveniat. Cujus ratio eſt, *quia cum Inquiſitor* (ait Carena) *procedat auctoritate Sedis Apoſtolicæ ſibi ſpecialiter delegata, & Epiſcopus auctoritate pure, & mere Ordinaria, utique eſt maior Ordinario in ea cauſa.* Et addit poſtea: *Ex quibus apparet hanc eſſe communem Canoniſtarum ſententiam, à qua in praxi propterea non eſſet recedendum.*

21 Dicat nunc Muratorius, quo jure potuerunt Epiſcopi contra communiſſimam receptamque ſententiam, contra inconcuſſam immemorialemque conſuetudinem, contra canonum Decreta, contra Pontificias ſpeciales conſtitutiones, quibus Fidei Tribunal munitur, ſic ex abrupto procedere? Quo jure, auctoritate Ordinaria confiſi, in Delegatam, in cauſis Fidei ſua maiorem, immo & contra Pontificiam, quam Tribunal ejus nomine exercet attentare potuerunt, quod ejus edicta convellerent, & ſuis Paſtoralibus literis offenderent? Quæ juriſdictionis ſuæ zelotypia, ſi tandem tandem, licet ipſis denuntiatio fieret, illico quod agnoſcerent erroneam, & ſcandaloſam praxim, ſe intromittere in negotio illo non poterant, & tenebantur ad Tribunal denuntiationes, dictaque teſtium remittere? Quæ obcæcatio eos deluſit,

luſit, ne adverterent, quod ſubditi potius ad Tribunalis præceptum attendere, quam ſuæ deberent obedire, & coram ipſo Tribunali comparere? Quis adeo obtuſus erit, ut non videat omnes interpoſitas querelas ſimulatas fuiſſe, & jure deſtitutas? Quis non agnoſcat omnes Muratorii peroratorias declamationes fucatas eſſe, & non modo juris particularis, ſed etiam juris communis ignorantia plenas?

22 Nunc eadem ipſius verba, declamationesque in ipſum retorqueo: *Hiſce poſitis videas injuria conqueſtos fuiſſe Luſitaniæ Epiſcopos de contempta ſua dignitate, atque auctoritate*, quando in ſacræ Inquiſitionis Tribunal, eo inconſulto, & graviter offenſo, *legem tulerunt novam*, & inauditam, *qua afficerentur univerſi Diœceſeon Luſitanarum populi*, ut fidei edicta contemnerent, & ſanctæ Sedis Delegatis non obtemperarent: *Nam quod controverſia illa ad Apoſtolicam Sedem perducta fuerit, injuriam non minuit* ipſis Delegatis *illatam*; *hæc enim illata jam fuerat*, *ex lege inſueta*, nempe Paſtoralibus incomptis, detractoriis, & juriſdictioni Delegatæ omnino contrariis: *Exigebat res nova, res tanti momenti*, (*nempe agebatur de gravandis populis ad tot Diœceſes expectantibus*, horribili obligatione detegendi complices, de injuria ſacramenti, fractioni ſigilli, & pravæ adminiſtrationi ſubjecti, de vitando communi populorum ſcandalo) ut nullæ moræ admitterentur, neque neceſſe foret *ſuffragia quoque Præſulum exquirere*: nunquam enim Fidei Tribunalia, ſaltem Hiſpana, & Luſitana, id in more habuerunt; immo frequenter damnare propoſitiones, & doctrinas erroneas conſueverunt, ut innumera ſunt exempla: ſufficiat *Illuminatorum*, quos ſine Epiſcopis, immo aliquo contradicente, Inquiſitio Hiſpana condemnavit; immo ſi ea ſuffragia exquirerentur, omnis res in contentione poſita eſſet. Quod ſi Luſitani Præſules, etiam poſt laudatum à Pontifice Maximo Eminentiſſimi Inquiſitoris Generalis zelum, & poſt damnatam erroneam praxim, unanimiter reſtiterunt, & Breve *Suprema* executioni non mandarunt; quid ſperandum ſupererat à principio, cum res adhuc à ſancta Sede deciſa non inveniretur? Certe error gliſceret, praxis ſerperet, fideles ſcandalizarentur, ſacrilegia fierent, & ſacramentum Pœnitentiæ converteretur in animarum damnum, cum ad earum fuerit inſtitutum ſalutem. Hoc erat gravamen populorum, cui promptiſſimo remedio occurrendum fuerat. Nam illud denuntiandi non omnium, ſed aliquorum eſſet. Si autem, ut Muratorius contendit, nullus erat Confeſſarius illi praxi, illique doctrinæ addictus, nulla proinde foret denuntiandi obligatio, nullum populorum gravamen. Somnium ergo fuit hoc gravamen, ut illud aliud verum cautela nimia occluderetur. Populi ita ſunt Epiſcoporum ſubditi, ut etiam Sedis Apoſtolicæ cum maiori præeminentia ſubditi ſint, & etiam

Delegato-

Delegatorum circa ea, quæ ad ſuam juriſdictionem proculdubio ſpectare dignoſcuntur. Non gravabat Fidei Tribunal ſubditos alienos, ſed proprios; quin immo Epiſcopi attentabant ad alienum privativum forum ſpectantia.

23 Epiſcopalis authoritatis eſſe *novas ſententias regulis fidei, & morum contrarias in prima inſtantia damnare, & prohibere*, nemo dubitat, inficiatur nemo. Id certe eis competit, non ut definitive, & infallibiliter decernant, quid eſſe certo contra Fidem, aut mores; ſed doctrinaliter, & præceptivè etiam, dependenter tamen ab Apoſtolicæ Sedis infallibili judicio. Aſt non ſolis ipſis, ſed Fidei etiam Tribunalibus, & potiori jure datum eſt: ut ſtatim Muratorium edocebimus. Quin etiam Theologis datum eſt Theologicam inurere cenſura in novis doctrinis, & quæ Moribus, aut Fidei videantur eſſe contrariæ; & præcipuè id ad Qualificatores authoritate Pontificia deputatos ſpectare nullatenus eſt ambigendum: *Inquiſitores cum Epiſcopis* (ſeu Epiſcopi cum Inquiſitoribus) *ad cauſas fidei conveniunt.* Sed quando? *In fine tantum, cum nihil reſtat agendum, niſi ultimam proferre ſententiam.* In reliquis ſuas partes agere hucuſque non conſueverunt. Præparatoria, qualis eſt denuntiationis præceptum, aut doctrinarum prohibitio, ad finalem ſententiam non ſpectant. Hanc ſententiam judicialem negligere, aut ſpernere nunquam licuit, neque Fidei Tribunal ab exordio ad hæc noſtra uſque tempora in more habuit. Sed quid? *Num ergo in tanto ponderis negotio* Epiſcopis *negligere, ne dicam contemnere*, licuit rectiſſimi Tribunalis edicta? *Et propterea quin* injuſtus *fuerit eorum dolor, &* illegitima *querela, dubitare nos non ſinit Pontificis ſapientiſſimi Epiſtola Paſtoralis, ſive Decretalis. Namque is, uti præ cæteris ſcientiſſimus, quam reverentiam* ab ipſis etiam Epiſcopis exigat Delegata dignitas, Inquiſitorumque poteſtas ſatis demonſtrat, cum Eminentiſſimum Cardinalem Inquiſitorem Generalem pro munere vigilantiaque ſua juſta indignatione commotum maxime extollit: ut diſcerent Ordinarii, ut Muratorius diſceret, quanta veneratione edicta ſua ſuſcipienda eſſent, & amplectenda. Propterea, non ad Eminentiſſimos Cardinales, *ſed ad ipſos ſcripſit Epiſcopos.* Cur tamen ad eos ſcripſit? Fatetur Muratorius: *Ut eis ſignificaret, quid ſentiendum ea de re in poſterum foret.* Quid ergo inde colligitur? Ea ſignificatione Epiſcopos indiguiſſe, non Eminentiſſimos Cardinales, qui ei errori compeſcendo invigilaverant.

24 Excuſare intendit ipſe Muratorius, quod ſcilicet prima fronte offertur; nam quiſque rem ſerio intelligat, cognoſcet utique, eas laudes potius continere incitamentum, & adhortationem ut præferunt verba, quæ Muratorius (ipſe viderit an bona fide) præterit, nempe, *hac mentis noſtræ ſignificatione, & Apoſtolicis inſuper hortationibus*

nibus intenſius acuere. Fingit *ſuppoſitum contumelioſa accuſatione ſanctiſſimo Patri fuiſſe, Epiſcopos protervos ne ipſius quidem ſanctæ Sedis judicio frontem eſſe inclinaturos.* Sed hoc calumnioſe dictum; nam ante Bullam *Suprema* nec ſomniabatur hæc renitentia. Quod poſtea aliquibus in mentem venerit, non profecto extra chorum ſaltavit qui hanc ſuſpicionem concepit; namque prædicta Pontificia Paſtoralis neutiquam executioni data fuit; immo poſt eam omnes eorum querelæ inſtitutæ ſunt, veluti arguendo ipſum Pontificem Maximum: ita ut mitiſſimus Pontifex neceſſarium duxerit ad eos reſcribere eum *aerem non verberaſſe*, & quod *fidem non adhibere Cardinalibus nefas eſſet.* Sed quid aliud *fuit eis mandare, ut pro ſe quiſque veſtrum opportunioribus, quaſcumque prudentia ſuggeſſerit, initis rationibus, & efficacioribus juris remediis, quoad opus fuerit, contra delinquentes Miniſtros adhibitis, noxiam hujuſmodi novitatem ſtrenue inſectemini, & pene naſcentem opprimatis?* Quid, inquam, aliud hoc eſt, niſi reprehendere, quod non inſectarentur, edocere quod ſectentur, commonere ut ſequantur veſtigia Eminentiſſimorum Cardinalium, eorumque zelum adjuvent? Quid aliud fuit damnare præfatam erroneam praxim eiſdemmet verbis, quæ continebantur in ſancti Officii edicto, niſi ipſos Epiſcopos inſtruere, rite ab Eminentiſſimis Cardinalibus eamdem praxim damnatam fuiſſe? Quid aliud in Conſtitutione *Ubi primum* continetur, niſi cognitionem illius criminis eo modo, quo ſanctum Officium illud damnavit, ad ejus juriſdictionem attinuiſſe, ac attinere, quod Epiſcopi abſolute negabant? Nunc pro coronide inquiro: Eminentiſſimus Patriarcha non eſt etiam Apoſtolorum ſucceſſor? Non fulget Epiſcopali dignitate? Non ei poteſtas eſt damnandi ſententias fidei, & morum regulis contrarias? Cur ergo eum momorderant, quia eamdem praxim damnaverit? Cur ad ejus venerabilem præſentiam anonymam epiſtolam, ſeu ſatyram emiſerunt, ei, quia eamdem praxim proſcripſerit, fœdiſſime inſultantes? Cardinales Epiſcopis debebant reverentiam, Epiſcopi verò eam non debuerant Cardinalibus? Oh quam cæcus ſcripſit Muratorius! Quanta falſa confinxit! Quanta protulit, quæ tacere debuerat! Ei adaptare poſſumus illud Horatii: (17)

(17) Lib. 1. ſatyr. 4.

Fingere qui non viſu poteſt: commiſſa tacere
Qui nequit: hic niger eſt, hunc tu Romane caveto.

RADIUS SEPTIMUS

Muratorium ferit, & oſtendit Fidei Tribunal ſuo jure poſſe damnare propoſitiones, & teneri fideles ſuo præcepto obedire, dum aliud à Sancta Sede non decernitur.

1 PLus erraſſe videtur Muratorius in ſuo *cap*. 7. quam olim erraverant Beguardi in ſua propoſitione: *Nullus tenetur reſpondere judicibus, nec Inquiſitoribus, niſi in articulis fidei, & ſacramentorum.* Hi enim ſaltem fatebantur in articulis ſacramentorum reſpondendum, & obediendum eſſe Inquiſitoribus. Aſt iſte Mutinenſis Theologus, ac Canoniſta hanc Inquiſitoribus facultatem omnino adimit; eis namque negat poteſtatem, evulgandi leges, ſive præcepta attinentia ad Fidei doctrinam, & ſacramentorum praxim. Quam inutilis eſſet ejus auctoritas, quàm contemptui fuiſſet habita, ſi ejus præceptis obediendum non eſſet! Nemo neſcit, eſtque proloquium in jure, conceſſa aliqua juriſdictione, conceſſa etiam cenſeri omnia ea, quæ ad ipſam juriſdictionem exercendam neceſſaria ſunt; neceſſariam autem eſſe vim obligandi ſubditos, eisque præcipiendi, quæ ad conſervandam fidem, religionem, & rectam ſacramentorum adminiſtrationem neceſſaria fuerint, ſolus hic novus Juriſconſultus dubitaret, aut inficiaretur. Fidei Tribunal edicta ſua promulgare conſueviſſe circa res fidem, & religionem attinentes, ipſa ſæculorum inconcuſſa praxis ſemper habuit, neque tantum id obtinuiſſe uſu, aut conſuetudine, ſed ex communi jure, & ex ſpecialibus conſtitutionibus nemo hucuſque ambigere auſus eſt: hæc edicta vim obligandi ſubditos obtinere, nullus, niſi pene indoctus, ancipiti animo hæſit, præter Muratorium: *Interdictum non eſſe Epiſcopis novam opinionem, aut praxim configere, & vetare* certum eſt; dependenter tamen à ſanctæ Sedis ultimo, & infallibili judicio. Non tamen ita abſolute, ut Muratorius conſtituit; nam opiniones, quæ inter Theologos communiter admittuntur ut probabiles, vetare, aut configere Epiſcopi non poſſunt, retentis iiſdem circumſtantiis. (1) Id poſſunt Ordinarii, dummodo ejus leges communi juri, aut ſpecialibus Decretis non adverſentur. Id poſſunt ſuperiores omnes, qui ſibi ſubditos habent. Cur idem datum non erit Inquiſitoribus Generalibus circa ſibi ſubditos in rebus ad ſuam juriſdictionem ſpectantibus? Legantur tituli Juris Canonici *de Officio & Poteſtate*

(1) P. Caſned. ubi ſup. diſp. 11. n. 127.

Poteſtate Judicis delegati, & in ff. De eo, cui mandata eſt juriſdictio. Delegatum eſſe maiorem Ordinario, in rebus ſibi delegatis jura ſtatuunt, DD. uno ore docent, quare non poterit qui maiori, quam qui minori refulget poteſtate?

2 Ut hanc poteſtatem neget Generali Inquiſitori Luſitano, ait: *Opus eſſe intime agnoſcere, quæ, & quanta ſit ſacrorum Inquiſitorum auctoritas.* Ille tamen non intime, ſed ſuperficialiter agnovit, corticem corroſit, non medullam extraxit. Totus eſt ut oſtendat Inquiſitorum auctoritatem delegatam eſſe, & qui fere ſemper omnia ſine auctore loquitur, nunc AA. citat ad id probandum. Et hæc eſt intima rei agnitio? Rei, inquam, quam norunt juriſprudentiam primis labris attingentes? Sed & ipſe, qui intimam rei agnitionem oſtentat, primis rem attigit labris. Inquiſitionum auctoritas delegata eſt à Pontifice Maximo, ideoque maioris dignitatis. (2) Delegata eſt, ſed ad univerſitatem cauſarum fidei, & omnium, quæ cum eis connexæ, aut dependentes ſint, & univerſaliter omnium, in quibus aliqua hæreſis ſuſpicio interveniri poteſt, & proinde blaſphemiæ hæreticalis, percuſſionis ſacrarum imaginum, maleficiorum, incantationum, ſuperſtitionum, & ſimilium, quæ referuntur à DD. (3) Delegata eſt, ſed quæ plurimum accedit ordinariæ, (4) ideoque omnia poteſt in cauſis delegatis, quæ Ordinarius. Delegata eſt, ſed privativa ad omnes alios judices, & in Hiſpaniis ex ſpecialibus indultis, etiam privativa ad Ordinarios, quibus ſolum reſervatum eſt in finalibus ſententiis cumulativum ſuffragium, (5) adeoque præſtat, ut ſi Epiſcopus cum Inquiſitoribus in Tribunali concurrat, ſedere debeat poſt primum, ſeu Præſidem Inquiſitorem (6) Delegata eſt, ut communis ſententia habet, & ſæpe in hoc opere ſecuti ſumus, ſed adeo ordinariæ ſimilis, adeo conformis, ut inter interpretes contentio ſit, utrum ſit delegata, an verò ordinaria: *Alii namque voluerunt Inquiſitores*

Ttt ii *eſſe*

(2) Bolonetus, Riminaldus, Mattheucius, Gambacurta, Vela, Merlinus, Fermoſinus, Xammar, Tondutus, Molina, Guterres, Ripoll. Fachineus, Cancer. Fontanel. Urreati Goyti apud Cortiada deciſ. 34 n. 3.

(3) Zerola, Bobadilla, Farinac. Torreblanc. Seſſe, Vela, Tondut. Chartar. Sanches, Solorzan. Barboſ. Mattheus, Dian. Delbene, Caſtro Palao, de quibus Cortiad. deciſ. 30. n. 12.

(4) Gloſ. in cap. Cum cauſam de Appell. verſ. Delegatus, ubi Fagnanus n. 4. Barth. in l. More maiorum de Juriſd. omnium judic. Maranta p. 4. Specul. diſt. 5. n. 55, & plures alii.

(5) Molin. de Juſt. & Jur tom. 6. tract. 5. diſp. 28. n. 13. Azor Inſtitut. Moral lib. 8. cap. 18. q. 8. Torreblanc. de Magia lib. 3. cap. 9. à n. 9. Bobadill. in Politic. lib 2. cap. 17. n. 72. Solorzan, de Jur. Indiar. tom. 2. lib. 3. cap. 24. & alii plurimi ſupra relati.

(6) Gratian. Foren. cap. 106. n. 38. Hermoſill. p. 5. gloſ. 2. Prologi n. 61, Solorzan. de Jur. Indiar. tom. 2. lib. 3. cap. 24. n. 36. Barb. voto 126. n. 173. lib. 3.

eſſe judices ordinarios. Alii vero affirmarunt eſſe delegatos. Alii dixerunt, in ſe, & à principio eſſe delegatos, accedere tamen ad conditiones ordinariorum. Alii tenuerunt eſſe ordinarios quoad utilitates juriſdictionis delegatæ. Alii docuerunt hodie magis pro ordinariis, quam pro delegatis exiſtimandos eſſe. (7) Ad quem tamen effectum hanc intimam rei agnitionem nobis exhibet? Ut oſtendat delegatos, nullam aliam habere juriſdictionem, quam à delegante Romano Pontifice acceptam. Magnam novitatem, doctrinamque hucuſque reconditam nobis ediſcendam offert! Atque ad id verberat aerem, & nos remittit ad literas Romanorum Pontificum in Bullario Romano, & alibi, & à Pegna, & Delbene relatas? Satius foret, quod aliquas ſpeciales proderet, ex quibus probandum pareſceret aſſumptum, nempe ſanctum Fidei Tribunal non poſſe doctrinas noxias, ac propoſitiones erroneas damnare, prohibere, punire. Et ipſe, ſi legit Bullarium Romanum, nullas invenit ſpeciales ad Hiſpanias? Saltem inter eas multas non invenit. Indultum Julii III. *anno* 1551. quod incipit *Dudum*, in quo officio Inquiſitionis committitur fideles Chriſti ab omnibus, qui exoriri poſſint, erroribus eripere? Non invenit indultum Gregorii XIII. quod incipit *Romanus Pontifex* 24. Februarii 1558. & aliud, quod incipit *Dum diverſas* 27. Decembris 1579. in his verbis: *Circa hæreſum, & aliarum falſarum doctrinarum extirpationem*? Quomodo extirparet, ſi non prohiberet? Quomodo extirparet, ſi non poſſet diſcernere, & decernere quæ vera, quæ verò falſa habenda ſunt? Etiam non invenit aliud Pii IV. *In excelſa* 20. Septembris 1560. in quo ſpecialiter Luſitanæ Inquiſitioni indulgetur: *Prava deſtruere, optima plantare, & errantes ad portum veritatis reducere..... ac omnem juriſdictionem in eas exercere, prava deſtruere, optima plantare, libere, & licite valeas facultatem concedimus*? Quomodo deſtrueret, quomodo plantaret, quomodo errantes ad viam veritatis reduceret, ſi ei negaretur poteſtas docendi, quæ prava, quæ optimave fuerint? Quomodo errantes reduceret, niſi docendo, declarando, prohibendo, puniendo? Etiam qui nobis Carenam legendum offert, in eo non invenit hæc verba? (8) *Paulus III. in ſua Conſtitutione incip.* In Apoſtolici culminis ſpecula, *quæ habetur inter literas Apoſtolicas pro ſancto Officio poſt Directorium, facultatem dedit Inquiſitoribus procedendi contra quoſcumque etiam exemptos, aſſerentes propoſitiones ſuſpectas, ſcandaloſas, periculoſas, errores continentes, ac alias catholicæ fidei minus conſonas, chriſtianæque pietati, ac bonis moribus minus conformes.*

3 Etiam ſi indulta hæc tam clara non eſſent, neſcit Mutinenſis ſcriptor conſuetudinem optimam legis eſſe interpretem, (9) conſuetudineque juriſdictionem acquiri poſſe, (10) & hanc eſſe antiquiſſi-

mam

(7) Cortiad. dict. deciſ. 30. n. 10.

(8) Caren. p. 2. §. 4.

(9) Cap. Cumana de Elect. cap. Cum dilectus de Conſuetud. L. Si de interpretatione, l. Nam Imperator ff. de Legib.

(10) Cap. Duo ſimul de Offic. Ordin. cap. Contingat de Foro competenti.

mam Inquiſitionum Hiſpanicarum, ut ſimiles propoſitiones, & doctrinas prohibeat? Præcipue cum ad id accedat rationabiliter præſumpta Papæ licentia: non enim eſt veriſimile, *Pontificem velle, ut in neceſſitatibus quotidianis, ſeu caſibus frequenter occurrenntibus. ſemper ad ipſum, utpote gravioribus negotiis diſtentum, fiat recurſus. Accedit quod ſæpe non poſſit tam cito Sedes Apoſtolica conſuli, prout poſtulat præſens rerum qualitas.* (11) Hæc non recogitavit, non perpendit, non ruminatus eſt Muratorius, ſed ſcribendi munus ſuſcepit, ut in eam prorumperet ineptiam, ad rem omnino inutilem, nempe, à poteſtatibus ſæcularibus ſacram auctoritatem non potuiſſe conferri: Quis unquam tale aſſertum ſomniavit, ut ipſe exploderet? Si tamen non potuerunt conferre, poſſunt ex vi protectionis Regiæ, & Patronatus jure, & ex ſpecialibus indultis conſervare, defendere, tueri, & invigilare, ne Tribunali conceſſæ facultates illudantur, ejuſque offendatur à ſancta Sede conceſſa juriſdictio. Videatur Salgado *de Supplic. ad Sanct. p. 2. cap. 33.* Quaſi verò prædicta ineptia non ſufficeret, addidit aliam, nempe: *Presbyteris, ſive Theologis meris facultatem à Deo collatam non eſſe condendi leges, uti datam Epiſcopis.* Quis hanc Epiſcopis negavit auctoritatem? Quis meris Theologis attribuit? Neſcit tamen, quod ſi Theologis data non ſit hæc auctoritas, conceſſa eſt clavis ſcientiæ, ut qualificare poſſint propoſitiones, & docere quæ hæreticæ, quæ erroneæ, quæ ſcandaloſæ &c. Qua poſita cenſura, datum eſt ab ipſis Pontificibus, non ut meri Presbyteri, ſed judices cum ampliſſima facultate delegati poſſint prohibere prædictas propoſitiones, cum dependentia tamen à ſupremo Eccleſiæ judicio. Patiatur igitur Muratorius, ut ei dicam, nullam ei eſſe auctoritatem, ut Eminentiſſimos Cardinales reprehendat, & Inquiſitionis Luſitanæ Tribunal tot conſpicuis refertum viris laceſſat; id altiorem cothurnum expoſcit, non ſuum nulla prærogativa inſignitum. Patiatur iterum, & patiantur Epiſcopi orthodoxi, cum quibus non loquor, quod aſſeram, nullam hucuſque fuiſſe à meris iſtis Presbyteris damnatam propoſitionem, cujus damnatio à Pontificibus Maximis non fuerit approbata; multas verò inveniri ab Epiſcopis aliquibus aſſertas doctrinas, quæ ab Eccleſia, & Conciliis reperiuntur damnatæ. Janſenius pro exemplo ſatis ſit; multa ſuperius recenſui, & infinita propemodum poſſem in aciem producere. Non prætereat quod addit, ſcilicet: *Delegatos nihil proprium habere, ſed ejus, qui mandavit juriſdictione uti*; & adducit ad id probandum *l. 7. de Officio ejus, cui mandata eſt juriſd.* cum tamen ſi in jure verſatus fuiſſet, allegaſſet *l. 1. §. 1. eodem titul.* iterumque non ignoraſſet in eo textu agi de delegato Magiſtratus, non verò de delegato Principis, ſi non potius credendum ſit Muratorio, quam magno Cujacio,

(11) Reifenſt. ad tit. de Conſtitut. num. 472.

qui

qui *in lib. 5. ff. de Offic. Proconſul.* ſic explicat dictam *l. 1. Quando juriſdictio mandatur à Magiſtratu, nam ſi mandatur à Principe ut in legato Proconſulis, tunc habet propriam*: cui Proconſuli, cujus poſt Principem majus eſt imperium *l. Et ideo ff. de Offic. Proconſul.* comparant omnes DD. legatos Pontificis, teſte ſupra citato Cardinali Fulcodio. Tandemque non ignotum ei eſſet quanta intercedat differentia inter ſimplicem delegatum ad hanc, vel illam cauſam, & delegatos ad univerſitatem cauſarum, cum tribunalibus erectis cum Generali Inquiſitore, cum juriſdictione ad omnia regna, & dominia ditionis Luſitanæ, & cum ſupremo Concilio, ad quod omnes cauſæ irrevocabiliter terminandæ remittuntur; & neque ad ſanctam Sedem recurſus admittatur. Videbitur id novum Muratorio; ſed adeat triplicem Innocentii VII. Bullam anno 1485. & 486. in quibus indulgetur Hiſpanis Inquiſitionibus: *Non ad nos, ſeu Sedem Apoſt. ſed ad te debeat appellari.* Adeat indultum Alexandri VI. anno 1494. in quo idem confirmat, & ampliat in *quibuſcumque cauſis, & negotiis officium Inquiſitionis concernentibus, cum eorum dependentiis, & emergentiis.* Adeat indulta Julii II. anno 1507. Leonis X. anno 1518. Adriani VI. an. 1538. Clementis VII. an. 1529. & iterum an. 1532. Pauli III. anno 1539. Hæc adeat, & ignorantiam deponat. Hæc omnia rimari debuiſſet, ut in publicum ſcriberet; contemptui tamen habuit. Proh Dii, quam ineptum habemus contradictorem!

4 Ex his progreditur ad oſtendendum *nihil aliud auctoritatis, & poteſtatis eſſe cuicumque Inquiſitori ſive in Italia, ſive in Hiſpania, & Luſitania, quam quæ eis tributa eſt à Sede Apoſtolica.* Si adderet, vel per conſuetudinem legitime introductam, non erraret, id enim in repetitis indultis expreſſum habetur, & præcipue in Conſtitutionibus Clementis VIII. an. 1596. & 1599. in quibus ſancti Officii conſuetudines circa cauſarum, & criminum cognitionem roborantur. Qui autem DD. allegaverat, ut probaret, quod omnibus notum eſt, à nemineque fuerat dubitatum, poſteat ut oſtendat qualis ea ſit, nullam adducit ſcriptorum ſententiam. Dicit eam cognoſcendam eſſe *ex edicto, quod identidem Inquiſitores promulgant à Romana Inquiſitione probato, atque præſcripto.* Non tamen offert formam edicti à Romana Sede probati. Optimum revincendi genus! Sed videamus, an in tali edicto aliquid inveniatur, ex quo in faciem ejus inſpuamus. Ejus formam tradit Carena *p. 2. tit. 9. §. 7.* ubi hæc habet: *Sed prius edicti totius formam præmitto eo modo, quo ex S. C. S. Officii de Urbe præſcripto ſolet in Italia publicari.* In eo autem edicto inter alia hæc habentur: *Che habbiano abuſato, ò abuſino il ſacramento della Penitenza contro i Decreti, & Conſtitutioni Apoſtoliche.* Stat ergo quod ex edicto conſtat, ad ſanctum Officium ſpectare

ctare jubere denuntiare, qui abutantur ſacramento Pœnitentiæ. Nunc dicas, Muratori. Eſtne abuſus ſacramenti Pœnitentiæ nomina complicum inquirere, adigere pœnitentes ad eos declarandos, negare abſolutionem, ſi nos non declarent, extorquere licentias ad uſum notitiæ ſacramentalis, & hac notitia abuti? Tu ipſe id confeſſus es. Ergo juſte potuit damnare, & prohibere Fidei Tribunal hunc peſſimum, noxiumque abuſum, quin edicti formam à S. C. ſancti Officii præſcriptam transgrederetur? Ergo garrulus, & inconſideratus ſcripſiſti. Præterquam quod edicta Luſitanæ Inquiſitionis regulanda ſunt juxta conceſſiones ſpeciales ipſi Inquiſitioni factas, non aliunde.

5 Addit, eam poteſtatem itidem agnoſcendam eſſe *ex variis Romanorum Pontificum literis, & Bullis, quibus explicantur pertinentia ad Inquiſitorum juriſdictionem.* Ita quidem. Sed quid proſequitur Muratorius? *Scilicet eorum curæ committitur invigilare, ne hæreſes, aut propoſitiones, aut actiones ad fidei doctrinam ſpectantes, & jam antea ab Eccleſia damnatæ locum habeant in grege Dominico, & ut inſontes animadvertant.* Quam Bullam profert, in qua hæc inveniatur reſtrictio facta? Nullam exhibet, nec exhibere potuit. A' quo hanc interpretandi, & reſtringendi Pontificias Conſtitutiones poteſtatem accepit? Si certum, aut veriſimile id fieret, exorirentur frequenter doctrinæ erroneæ, moribus contrariæ, periculoſæ, ſcandaloſæ, & Pontificiis delegatis nullatenus liceret interim veram proponere doctrinam, ac Chriſtianæ incolumitati proſpicere. Quod quam alienum à recta ratione, atque à Pontificum mentibus ſit, nemo non videt. Sed religionis pericula parvi pendit hic ſcriptor, dummodo partes Epiſcoporum ex condicto ſuſcipiat. Sat eſſe ad id Epiſcopos fortaſſe reponet: ſi tamen ſecundum Pontificum intentionem ſufficerent illi, fruſtra Inquiſitiones inſtituerentur; quæ tamen ideo inſtitutæ ſunt, quia omnis Epiſcoporum vigilantia ſufficiens viſa non fuit. Teſtetur id Hollandia, Anglia, & cæteræ Provinciæ ob erronea dogmata à gremio Eccleſiæ Matris infeliciſſime ſegregatæ. Ex quo autem Doctore eam hauſit limitationem? A' nullo, quem proferat, ſed ex ſua cerebrina, & inconcludenti conjectura. Id ſuadent ſequentia verba: *Dixi jam damnatæ. Neque enim eis conceſſum videtur, ut inconſulto Summo Pontifice aliquod novum dogma, ſive propoſitionem damnent, ita ut eorum decreta conſcientias fidelium obligent.*

6 Nos verò, etſi laurea ac Magiſterio inſigniti, quia *erubeſcimus ſine lege loqui*, aliquas conſtitutiones jam ſupra dedimus, alias aſſignabimus, & DD. in medium adducemus, ut agnoſcatur Muratorium leviter, & audacter ſcripſiſſe, dum ex proprio marte, & auctoritate nullibi ei conceſſa, reſtringere cogitaſſe, quod neque ſancta Sedes, neque DD. aliquando reſtrinxerunt. Et in primis in aciem

pro

pro rectiſſimo Tribunali volat ſanctiſſimus Dominus noſter Benedictus Papa XIV. per hæc verba: *Triſtia nos hæc nuntia cum accepimus, ſimul audivimus contra exitialem hujuſmodi abuſum protinus justa indignatione pro munere ſuo commotos fuiſſe dilectos filios noſtros S. R. E. Cardinales Nunum à Cunha in iiſdem Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis Generalem Inquiſitorem, & Thomam de Almeida Patriarcham Lisbonenſem, atque utrumque ſolicite gliſcenti malo compeſcendo, atque etiam eradicando adlaboraſſe. Nos autem, ne in tam gravi animarum diſcrimine ulla ex parte Apoſtolico noſtro miniſterio deeſſe videamur, neve mentem hac ſuper re noſtram apud vos obſcuram, aut ambiguam eſſe ſinamus: Notum vobis eſſe volumus, memoratam ſuperius praxim penitus reprobandam eſſe, eamdemque à nobis per præſentes noſtras in forma Brevis literas reprobari, atque damnari tamquam ſcandaloſam, & pernicioſam, ac tam famæ proximorum, quam ipſi etiam ſacramento injurioſam, tendentemque ad ſacroſancti ſigilli ſacramentalis violationem, atque ab ejuſdem ſacramenti Pœnitentiæ tantopere proficuo, & neceſſario uſu fideles abalienantem &c.* Reprehendit fortaſſe S. P. Fidei Tribunal, quia praxim præfatam eo inconſulto damnaverit, proſcripſerit, prohibuerit? Nihilo ſecius; immo laudat, & fatetur id ſui muneris fuiſſe. Ergo non dubitavit Pontifex doctiſſimus de hac Tribunalis facultate. Temerarius eſt ergo Muratorius, & irreverentia magna erga ſanctam Sedem conſpurcatur, qui reprobare audet, quod ſancta Sedes expreſſe laudat, & contradicere ſtudet, quod Romanus Pontifex non contradixit. Damnat ipſe, condemnat, corrodit, quod ſanctum Officium *pro munere ſuo* damnaret, prohiberet doctrinam, praximque revera erroneam, ſcandaloſam, ſacramenti deſtructivam, & famæ proximorum injurioſam; ſiquidem, ut alibi, ſi rite recordor, cum P. Caſnedi, & aliis jam dixi, damnatio Papæ non facit, quod re vera hæretica, erronea, aut ſcandaloſa ſit aliqua doctrina, quæ antea talis non eſſet, ſed infallibiliter oſtendit jam antea in ſe ipſa fuiſſe damnabilem. Parcere ergo potius debuerat hic Ariſtarchus Tribunali rectiſſimo, (etiam dato quod juriſdictionis ſuæ metas excederet) quia damnaverit, vetueritque, quod revera damnabile erat, fidelibusque noxium. Dolere itidem debuerat, quod adeo noxia praxis apud Confeſſarios virtuti addictos invaluiſſet. Verum enim verò ſuus bonus animus, jam ex aliis abunde probatus, in contraria duxit.

7 Vires auget hæc reconventio ex familiaribus epiſtolis ipſius Pontificis Maximi ad Eminentiſſimum Cardinalem, quarum ſupra meminimus, in quibus cum ſanctiſſimus circa obligationem pœnitentibus impoſitam tamquam particularis Doctor aſſereret, eam obligationem ſibi videri *troppo forte*, etiam non omitteret eumdem Cardinalem

nalem admonere circa juriſdictionem, ſi eam non judicaret eidem competere. Unde cum de hoc nec verbum quidem ea epiſtola habeat; immo in alia promitteret ſancti Officii auctoritatem illæſam ſervare; & poſtea in ſua Conſtitutione *Ubi primum* eamdem ſancti Officii juriſdictionem adeo expreſſe fateretur per hæc verba: *In Officio ſanctæ Inquiſitionis prædictorum Regnorum, atque ditionum ſeverè puniantur, & contra eos, & eorum quemlibet in eodem Officio procedatur non minus, ac contra illos ibidem procedi ſolet.... ſimiliter in eodem Officio procedendum erit, & procedi volumus, & ſtatuimus.... Prædictorum Regnorum, ac ditionum Inquiſitores poteſtate à nobis tradita, & quatenus opus ſit, præſentium tenore de novo conceſſa, prout in cauſis fidei, juxta ſacrorum Canonum formam, necnon ſancti Officii Inquiſitionis hujuſmodi conſtitutiones, privilegia, conſuetudines, & decreta &c.* Clare S. P. aſſerit in eo negotio ſanctum Officium poteſtati ab eo ſibi traditæ ſubniti; immo & conſuetudines approbat. Et poſtea Epiſcopis liberum tantum relinquit de eo crimine cognoſcere, quando ita *nudus actus fuerit, id eſt, iis circumſtantiis deſtitutus, quæ de prava credulitate, vel de mala adhæſione ad praxim reprobatam* nullum veſtigium relinquat. Ex quo evidenter pateſcit, quod quoties detur error, aut erroris ſuſpicio non ad Ordinarios, ut Muratorius blaterat, ſed ad ſanctum Officium ex ſuis Conſtitutionibus, & conſuetudinibus ejus cognitio criminis privative ſpectat. Quod autem poſt tam expreſſam conſtitutionem adhuc Muratorius contradicat, & Apoſtolicas literas ſiniſtre interpretetur, temeritati maximæ tribuendum eſt, & reor ipſum pœnas prædictæ Conſtitutionis incurſum eſſe.

8 Ut autem aliis probationibus utamur, certum eſt ſanctum Officium procedere poſſe contra omnes non ſolum hæreticos, ſed de hæreſi ſuſpectos, aut infamatos *cap. Commiſſum* 15. *de Hæret. in* 6. ibi: *Contra hæreticos, credentes, receptatores, fautores, & defenſores eorum, necnon contra infamatos de hæreſi, vel ſuſpectos.* Idem & clarius probatur ex *cap. Accuſatus* 8. *eodem tit.* ibi: *Accuſatus de hæreſi, vel ſuſpectus.* Et ibi: *Eum verò, qui in una hæreſis ſpecie, vel ſecta commiſit, aut in uno fidei articulo, ſeu Eccleſiæ ſacramento erravit.* In prædicta autem praxi errorem dari circa adminiſtrationem ſacramenti Pœnitentiæ certum eſt, ſicque invenitur definitum. Et notandum eſt, quod ibi agitur etiam de levi, & modica ſuſpicione, ut conſtat ex verbis: *Si autem levis, & modica ſuſpicio illa fuerit &c.* S. P. Xiſtus V. in ſua Conſtitutione *Inter alias* 20. Jan. 1586. ibi: *Cauſaſque omnes, & quaſcumque hæreſim, & à Fide Catholica apoſtaſiam, quomodolibet concernentes, & ſapientes.* S. P. Clemens VIII. ſic decernit in ſua Conſtitutione *Cum nuper* 12. Junii

1596. *Cum poteſtate, & auctoritate contra omnes, & quoſcumque hæreticos, & quibusvis hæreſibus, & erroribus infectos.... necnon de hæreſi, ſeu apoſtaſia ſuſpectos.* Et in Conſtitutione *Cum venerabilis* 29. Julii 1602. *Necnon de hæreſi, ſeu apoſtaſia ſuſpectos.* S. P. Paulus V. in ſua Conſtitutione *Cum officium* 4. Julii 1616. ibi: *Contra omnes, & quoſcumque hæreticos, & quibusvis hæreſibus, ſeu erroribus infectos.... necnon de hæreſi, ſeu apoſtaſia à fide ſuſpectos.* S. P. Urbanus VIII. in Conſtitutione *Cum officium* 29. Januarii 1630. ibi: *Contra omnes, & quoſcumque hæreticos, & quibusvis hæreſibus, & erroribus infectos.... necnon de hæreſi, ſeu apoſtaſia à fide ſuſpectos.* Conſtitutio S. P. Pii IV. *Cum audiamus* 14. Aprilis 1561. *Quaſcumque cauſas hæreſis, & illius pravitatem hujuſmodi ſapientes coram Ordinariis Regnorum, Provinciarum, & locorum præfatorum nunc, & in futurum, in quibuſcumque ſtatu, & terminis pendentes, quandocumque tibi expeditius viſum fuerit ab ipſis Ordinariis ad te advocandi.* S. P. Paulus V. in Conſtitutione *Cum ſicut* 16. Septembris 1608. *Et juxta facultatum ſibi contra hæreticos, aut de hæreſi quovis modo ſuſpectos à Sede Apoſtolica conceſſarum tenorem procedas.* In idem eſt Conſtitutio *Univerſi* S. P. Gregorii XV. & Decretum S. P. Alexandri VII. quod refert Delbene (12) ibi: *Vide etiam Alexandri VII. Decretum anno 1660. menſe Auguſto.... in quo diſtricte mandatur, ut tam hæreticus, quam de hæreſi quomodocumque vel leviſſime ſuſpectus locorum Ordinariis, vel Inquiſitoribus omnino denuntietur.* Omnes has, & plures alias conſtitutiones habemus in Collectorio ſancti Officii, & ultra has alias adducit Pegna in Directorio, & Delbene, (13) ad firmandam hanc concluſionem: *Inquiſitores poſſunt procedere non ſolum contra hæreſim, ſed etiam contra crimen, quod ſapiat hæreſim, tametſi non manifeſtam.* Specialiſſimæque ſunt Conſtitutiones S. P. Pii IV. & S. P. Pauli III. quas ſupra retuli. Et quod omne tulit punctum, eſt Conſtitutio S. P. Clementis VIII. pro indice expurgatorio, in qua expreſſe Inquiſitoribus conceditur expungere non ſolas propoſitiones expreſſe hæreticas, ſed omnes illas, quæ cenſura theologica afficiuntur: *Licet Romanus Pontifex eas tales non declaraverit.* Quid clarius? Quid ad revincendum Muratorium expreſſius?

(12) De Offic. ſanct. Inquiſit. p. 2. dub 118. ſect. 21. n. 9.

(13) P. 2. dub. 237. ſect. 9. n. 8.

9 Contra eumdem Summum Pontificem extollit caput Muratorius imitatus ſuſpectum, & audacem Caramuelem in ſua *Theol. fundam. n.* 311. *fundam.* 11. qui aſſerens, *non dari in mundo viſibili auctoritatem damnandi opiniones probabiles*, in Inquiſitionem Hiſpanam commotus invehebatur propter damnatas ab eadem propoſitiones, quæ continebantur in quodam libro Carmelitarum diſcalceatorum; dicebat autem ille: *Alterius eſt dare Eccleſiæ articulos fidei, & definire,*

definire, quænam propoſitiones ſint hæreticæ, & alterius eſt hæreticos, ſeu perſonas, ſeu propoſitiones comburere. Cæterum quos Eccleſia hæreticos dixerit, ſeu articulos, ſeu homines, poterit Inquiſitio ultima ſententia condemnare. Hæc eadem eſt Muratorii theſis aliis verbis concepta. Quam jure merito impugnavit P. Çardenas (14) his verbis: „ Videant lectores quam levi fundamento ducatur hic Auctor, dum nonvult condemnari ab Inquiſitione, niſi propoſitiones formaliter hæreticas. Nunquid ergo cæteræ propoſitiones theologica cenſura dignæ impugne graſſabuntur? Graſſabuntur utique cum periculo impingendi in propoſitiones hæreticas. Id exoptat Muratorius; id Antiſigilliſtæ exoptabant: „ Eſt enim certiſſimum „ (*proſequitur Cardenas*) ad ſolum Romanum Pontificem ſpectare „ condere articulos fidei, & ad Inquiſitores expungere propoſitiones „ hæreticas, ſed non ſolas, ſed etiam omnes illas propoſitiones, quæ „ cenſura theologica dignæ ſunt, licet Romanus Pontifex eas tales „ non declaraverit. Ita enim conſtat ex Bulla Clementis VIII. anno „ 1595. pro indice expurgatorio.

(14) Tom. 1. de Probabil. diſp. 9. cap. 16. n. 10.

10 Quid aliud deſiderare poſſumus, ut Muratorium levitatis arguamus? Sed alios demus Auctores. Lorca (15) ſic habet: „ A' „ Theologis, & Magiſtris ſacræ doctrinæ notari propoſitiones, & „ dogmata quædam, quæ præter id, quod falſæ ſunt, habent aliquid „ cenſura dignum, eo quod aliquatenus ſanæ doctrinæ adverſantur. „ Quod etiam praxi, & uſu Patrum ſanctæ Inquiſitionis receptum „ eſt, qui non ſolum propoſitiones hæreticas, ſed etiam alias inferioris notæ cohibent, & in eos, qui proferunt, animadvertunt pro „ qualitate, & quantitate notæ. Cardinalis de Lugo (16) ſic ait: „ Dicendum eſt ab eadem fidei virtute, & ab eodem habitu piæ affectionis prohiberi omnes aſſertiones externas, quæ licet non ita „ immediate, vel clare, mediate ſaltem, vel dubie proferunt ſpeciem „ aliquam, vel ſuſpicionem contra fidem; hæc enim omnia derogant cultui debito divinæ veracitati, quam ob ejus infinitam excellentiam ita debemus colere, ut nec mediate, nec per conſequentiam, nec alio modo apparere poſſit, quod eam negamus; ſed „ ita potius obſervare debemus verba noſtra, ut ſinceram omnino fidem oſtendant. Unde merito hæc etiam peccata ab iiſdem fidei Inquiſitoribus puniuntur. Dandinus (17) hæc docet: „ Hæ igitur ſunt „ regulæ, quibus dignoſcitur, quando hæreſis ſuſpicio inducatur à „ propoſitione, cujus aſſertores ſunt propterea puniendi ab Inquiſitoribus, non ſolum ex conſuetudine, ut notat Corduba ubi ſupra ſub „ notabil. 4. ſed ex Conſtitutione Pauli III. ut probat Fermoſin. tract. „ crimin. tract. 2. in cap. Cum Chriſtus q. 9. n. 6. & rationabiliter „ propter criminis gravitatem, ſimul & propter affinitatem cum hæreſi.

(15) In 2. 2. D. Thom. q. 11. art. 2. diſp. 40. n. 1.

(16) De Fid. diſp. 20. ſect. 5. n. 154.

(17) De Suſpectis cap. ult. ſect. 2. ſubſect. 2. n. 65.

„ reſi. Et licet in pluribus caſibus nihil contra fidem immediate, vel „ mediate dicatur; plura tamen dicuntur contra charitatem, juſti- „ tiam, & alias virtutes, quarum indemnitas ad curam Inquiſitionis „ pertinet, (*diſcat Muratorius*) quæ ſicut non tantum habet pro- „ hibere libros circa fidem, ſed etiam bonos mores; ita etiam poteſt „ linguam coercere ab hujuſmodi propoſitionibus, quæ graviſſime „ bonos mores poſſunt perturbare. Et ſane non attingo, quomodo poſſit ſancta Inquiſitio prohibere libros, in quibus aliquid contra bonos mores continetur, & non poſſit prohibere doctrinam, praximque, ex qua boni mores graviſſime offenduntur, & Pœnitentiæ ſacramentum in maximum diſcrimen adducitur. Bene igitur idem Dandinus *num.* 29. ſic docuerat: *Bene, ſapienterque igitur inſtitutum eſt, ut vulgarizantes, & diſſeminantes hujuſmodi propoſitiones juſtiſſimorum Inquiſitorum judicio condemnentur, & ab iiſdem debitis pœnis afficiantur, ab aliis denuntiandi ſint; ut recte perpendit Tranſmiera ubi ſupra.*

(18) P. 2. tit. 10. §. 4. n. 15.

11 Carena (18) ſic habet: *Paulus III. in ſua Conſtitutione* In Apoſtolici culminis ſpecula, *quæ habetur inter literas Apoſtolicas pro ſancto Officio poſt Directorium, facultatem dedit Inquiſitoribus procedendi contra quoſcumque, etiam exemptos, aſſerentes propoſitiones ſuſpectas, ſcandaloſas, periculoſas, errores continentes, ac alias Catholicæ fidei minus conſonas, chriſtianæque pietati, ac bonis moribus minime conformes, vel publice proponentes, & populis prædicare audentes.* Quid plus docent prædicatæ propoſitiones, quam occulte, & in confeſſionariis edoctæ, ut eas poſſit Inquiſitio cohibere, has verò minime valeat? Profecto hæ periculoſiores ſunt, & ſtrictius profligandæ.

(19) P. 2. dub. 195. ſect. 54.

12 Delbene (19) ſic inquirit: *An debeant Inquiſitores circa declarationem propoſitionum, vel actionum vocare Qualificatores? Ubi etiam quid ſi ipſi Inquiſitores ſint Theologi.... Reſpondetur quoad primum affirmative juxta regulam, quod ſtandum ſit peritis in arte, & docent communiter Doctores, quos ſequitur Freitas in addition. ad tract. de Confeſſ. Solicit. q. 5. n. 42. & Rojas de Hæretic. p. 1. n. 204. & 384. quatenus expreſſe ait, quod in exponendis verbis dubiis, & in agnoſcendis factis vocandi ſint ſacræ Theologiæ periti, (qui vulgo Qualificatores vocantur) & eorum aſſertionibus omnimodam Inquiſitores fidem habere debeant; quodque hoc jam ſit in uſu, & conſuetudine diu receptum. Videri etiam poteſt Martinus Delrio in Diſquiſit. Magic. lib. 5. ſect. 15. axiom. 1. & Inſtructio Toletana anni 1561. n. 1. Quod ſi Inquiſitores ſint Theologi, poterunt & ipſi Inquiſitores etiam propter dictam rationem cognoſcere, utrum dictum, vel factum ſapiat hæreſim, necne. Quamvis ſemper in praxi vocari ſoleant Qualificatores*

Digitized by Google

ficatores juxta ſupra dictam inſtructionem Toletanam. Idem habet Carena, (20) omneſque alii ſcribentes in materia, quorum nec ullus hucuſque dubitavit poteſtatem Inquiſitoribus eſſe, medus ſuis Qualificatoribus, prohibendi propoſitiones ſcandaloſas, temerarias, erroneas &c. Neque aliud unquam, niſi à juris prorſus ignaro, in controverſiam adduci potuit, cum regula notiſſima ſit, quod conceſſo fine, cenſentur conceſſa media, per quæ pervenitur ad finem *cap. Infirmitas de Pœn. cap. Quoniam de Sententia Excom. in 6.* & conceſſa juriſdictione, competunt omnia neceſſaria ad eam exercendam *l. 2. ff. de Juriſd. omn. judic.*

(20) In Adnotat. ad Pegnam in prax. Inquiſ. lib. 2. cap. 7. n. 1.

13 In Tribunali ſanctæ Inquiſitionis poſſe notari, & cenſurari propoſitiones, ultra expreſſa Julii III. & Clementis VIII. indulta, docent cum Caſtr. Turrerem. Symanc. Caietan. Bañes, Lorc. Suar. Coninch, Torr. Caſtr. Pal. Lug. Ripald. Ovied. Munſt. & P. Marin. (21) Et has propoſitiones ſic notatas, etiamſi aliquod dubium verſaretur, prohibere poſſe, & punire tranſgreſſores eſt doctrina, quam tradit Caſtro (22) per hæc verba: *Eſſe aliquas propoſitiones, licet in ſe hæreticæ non ſint, propter aliquam notam poſſe & debere inhiberi ab his, quibus onus incumbit hæreticos punire, ne populo doceantur, vel prædicentur: quod hoc Inquiſitoribus etiam incumbat, nullus ſanæ mentis dubitare poteſt; ſaltem dum Pontifici conſulitur, ne morbus per moram augeatur.* Et poſtea *cap. 5. Licet Epiſcopi, aut Inquiſitores non poſſint de hæreſi, præſertim cum res eſt dubia, cenſere, & definire; poſſunt tamen aut propter ſolam dubitationem.... aut propter ſcandalum, aut propter aliam cauſam inhibere Doctoribus, & Prædicatoribus, & omnibus aliis, ne quomodolibet illam docere audeant, aut publice prædicare. Siquis vero contra hujuſmodi prohibitionem egerit, merito ab illis puniri poteſt.* Hanc Tribunali Fidei auctoritatem non renuit confiteri Illuſtriſſimus Præſul ſuæ juriſdictionis aliàs æmulator acerrimus (23) dum aſſeruit: *Sicut in eo dubio, ſic & in aliis erunt judices competentes, ita ut ad illud Tribunal competat cognitio utrum factum, vel dictum ſapiat hæreſim vel non.*

(21) De Not. quibus cenſurari ſolent propoſit. in Tribun. ſanct. Inquiſit. tr. 14. de Fid. Divin. diſp. 14. ſect. 2. n. 17.

(22) Adverſus hæreſ. lib. 1. cap. 3.

(23) Illuſtriſ. à Cunha de Confeſſ. ſolic. q. 3. n. 4.

14 Idem adſtruunt Freitas, Rojas, Delrio apud Delbene ubi ſupra, Paſſerin. *in cap. Ut commiſſum 12. de Hæret. in 6. n. 26.* Dian. *p. 4. tract. 8. reſol.* 84. & Pignatelli ſupra citatus, qui ſic ait: *In exponendis dubiis, agnoſcendiſque factis, vel catholicis dictis, aut ſuſpectis vel hæreticis periti ſacræ Theologiæ profeſſores ſunt vocandi, qui vulgo Qualificatores nuncupantur, quorum aſſertionibus omnimodam adhibeant fidem.* Id fecit Luſitanum Fidei Tribunal. Quid ergo ei imputandum eſt, quod fecerit id ipſum, quod omnes DD. uno ore profitentur? Quid audet Muratorius? Sibi Doctoris aſſumpſit

pſit ſupercilium, & neque didaſculi nomen promeretur. Oratorie ſcripſit, aut declamatorie; ſed juridice, ac theologice ab ſcopo omnino deviavit.

15 Negat contra omnium ſcribentium ſententiam, Fidei Tribunal aliquod novum dogma damnare poſſe, ita ut eorum decreta conſcientias fidelium obligent. Definitive damnare ad ſolos Pontifices Maximos attinere, id certum, inconcuſſumque eſt. De hac definitione non loquimur, ſed de prudentiali, & aliàs obligante fideles, dum à ſancta Sede aliud non ſtatuatur. Hanc, & non aliam habent Epiſcopi ipſi, hanc Fidei Tribunal, neque ea auctoritas ei negari valet. Sufficiat referre P. Caſnedi ſic dicentem: (24) „ Certum eſt, „ quod licet nulli infra Pontificem, etſi ſelectorum virorum cœtui, „ conveniat judicium fide divina infallibile de opinionis improbabi„ litate, attamen Congregationibus, Univerſitatibus, Epiſcopis, Præ„ latis, Theologis convenire auctoritatem declarandi prudentialiter, „ & ſæpe certo moraliter opinionem habitam, ut probabilem, non „ eſſe probabilem, eſt extra omnem dubitationis aleam. Et poſtea *n.* 117. „ Certum 4. declarationem prudentialem aliam eſſe ſine juriſ„ dictione, aliam cum illa. Hæc convenit cuique, qui jure juriſdi„ ctionis gaudet, ut ſunt Inquiſitiones, & Cardinalium Congrega„ tiones, Epiſcopi, Prælati regulares, Univerſitates &c. Illa conve„ nit viris doctis omni juriſdictione carentibus. Si declaratio pru„ dentialis ſit unita juriſdictioni, obligat etiam ratione juris &c.

(24) In Cril. Theolog. tom. 1. d. 1. ſect. 3. n. 116.

16 Deliravit profecto Mutinenſis iſte, dum Fidei Tribunali negavit poteſtatem condendi leges, ſeu ſtatuta, ſeu edicta pro ſuo territorio, ſeu pro ſuis ſubditis, in quos juriſdictionem delegatam exercere poteſt, & ſubditorum conſcientias obligare. Neceſſe erit, quod eidem Tribunali in omnibus fidei cauſis, & eis connexis juriſdictionem omnino inficietur. Siquidem poteſtas condendi has leges pars eſt juriſdictionis; (25) quæ quidem recte exerceri non poteſt, niſi mediante illa poteſtate, aliàs facile illuderetur ea juriſdictio, ſi is, cui ea conceſſa fuit, non poſſit ſubditos ſuos neceſſariis legibus obligare, ut notant omnes ſcribentes. Et ſane propter hanc rationem Prælati omnes tam ſæculares, quam regulares, quibus in ſubditos competit juriſdictionis auctoritas, etiam ſuis particularibus legibus, aut ſtatutis obligare ſubditos poſſunt, ut tenent communiter DD. adeo ut etiam Mendicantes Guardiani id habeant (26) pro ſuis ſubditis: cur ergo conceſſa tam ampla circa negotia fidem attinentia juriſdictione, denegabitur poteſtas promulgandi publica edicta, vim legis habentia, obligantiaque fidelium conſcientias? Certe exequi, & ad effectum produci non poſſet ea juriſdictio, ſi ea auctoritas, & poteſtas Tribunali conceſſa non eſſet; cum tamen, ut jam diximus, conceſſa juriſdictione,

(25) Caſtr. Pal. tract. 3. d. 1. p. 22. n. 10. Abb. in cap. Gravem de Sent. excom. n. 1. Suar. de Leg. lib. 4. cap. 6. Salas de Legib. d. 8. ſect. 19. n. 92. Bonacin. de Legib. diſp. 1. q. 1. p. 3. n. 33.

(26) Schimier alios referens in tract. leg. tom. 1. tr. 1. §. 4.

riſdictione, conceſſa etiam cenſentur omnia, quæ ad eam optime exequendam neceſſaria ſunt. Neque quidquam offendit, quod hæc Inquiſitionis juriſdictio delegata ſit, & à Pontifice habeatur; nam, ſi verum amamus, etiam Epiſcopi ſuam poteſtatem, & juriſdictionem à Pontifice habent, nec alia inter unam, & aliam intercedit differentia, quam quod una data ſit ratione officii, ideoque ordinaria dicatur; ſecus alia. (27) Immo hæc excellentior ſit, quia nomine ipſius ſupremi legislatoris proculdubio exercetur.

(27) Videantur Bellarmin. Valent. Suar. Salas, & Bonacin. apud Caſtr. Pal. ubi ſup. p. 23. à n. 4.

17 Quod autem Fidei Tribunal has leges, ſeu hæc edicta promulgare poſſit, eiſque vim obligandi ineſſe, audiatur Pegna (28) per hæc verba: „Ex prædictis infertur juſtiſſima eſſe Inquiſitorum „ hæreticæ pravitatis edicta, illiſque parere oportere, quibus cave„ tur, ut de quolibet crimine ad hæreſim pertinente, etiamſi occul„ tum ſit, fiat denuntiatio, cum, ut prudenter cenſuit Artualdus, „ etiamſi id non præciperetur, nos facere teneamur. Clarius ad rem ſcripſit Delbene in hunc modum: „Dico 4. Edicta Inquiſitorum „ cum ferantur auctoritate Apoſtolica, non habent minorem vim „ quam leges canonicæ. Et quamvis videantur eſſe præcepta ab ho„ mine; tamen, quia Tribunal, à quo procedit, eſt perpetuum, ideo „ per modum legis perpetuo durant, ſcilicet uſque ad promulgatio„ nem aliorum edictorum, ſicuti de Bulla Cœnæ dici ſolet. Suares *de Fid. diſp.* 20. *ſect.* 4. *n.* 11. Fagund. *de Præcep. Eccleſ. p.* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 31. Avila *de Cenſur. p.* 2. *cap.* 5. *d.* 5. *dub.* 5. *concl.* 3. Joan. Sanch. *in Select. diſp.* 11. *n.* 62. *& alii paſſim.* Idem habet Carena *p.* 2. *tit.* 9. §. 7. *n.* 34.

(28) In praxi Iuquiſit. lib. 1. cap. 6, ubi videndus etiam Carena.

18 Ineptum igitur eſt, quod ipſe Muratorius ait, nempe: *Facultas hæc legislativa in iis tantum reſidet, quibus à Deo collata fuit.* Si enim loquitur de hac poteſtate in actu primo, proculdubio certum eſt omnem poteſtatem à Deo eſſe. Male tamen id applicat ad præſentem controverſiam; ſiquidem hæc poteſtas legislativa reſidet in omnibus, quibus à Pontifice conceditur, (loquor de Eccleſiaſtica) eaque ipſa partialis Epiſcopis competens, ab ipſo Pontificio fonte promanat, (29) ut ſupra jam diximus. Noto præterea illa verba: *Sive in Concilio aggregatis*, quaſi intelligat ibi ineſſe Epiſcopis leges ferre pro tota Eccleſia; cum tamen, cum in Conciliis aggregantur, nullam poteſtatem legislativam exerceant erga univerſam Eccleſiam, ſed tota ea vis, & Conciliorum efficacia à Summo Pontifice dependeat, ut eſt commune, ac tritum apud Doctores. In ſuis autem Diœceſibus poteſtatem habere *ad avertenda è populo ſuo ſemina perverſæ doctrinæ*, jam profeſſi fuimus; cum ea tamen mica ſalis, ut propoſitiones damnare poſſint auctoritative quidem, non tamen definitivè; hoc enim Pontificis Maximi proprium eſt. Sed id ipſum

(29) Caſtr. Pal. ubi ſupra Reifenſtuel ad Decretal. lib. 1. tit. 2. §. 4. an. 77. & ab iis citat.

ipſum habet ex delegata poteſtate Fidei Tribunal, ut jam oſtendimus, expreſſæque Pontificiæ Conſtitutiones ſupra relatæ id demonſtrant. Unde æqualis in hoc munere exercendo poteſtas eſt Epiſcoporum, ac Inquiſitorum; immo horum eſt amplior, ſuppoſita privativa juriſdictione eis conceſſa, ut prælibatum manet. Unde nullatenus fines ſuæ vicariæ poteſtatis tranſiliunt Inquiſitores damnando propoſitiones eo modo, quo Epiſcopi ipſi damnare poſſunt, ſcilicet dependenter ab infallibili ſanctæ Sedis definitione.

19 Ineptum etiam eſt quod adducit circa univerſalem Romanam Inquiſitionem: *Et dum hæc* (ait) *ante mentem meam recurrunt acerrimæ diſputationes inter Theologos obortæ, eæque nondum ſopitæ, num declarationes ab Eminentiſſimis Cardinalibus in Congregatione generali Romanæ Inquiſitionis emanantes deciſivæ ſint &c.* Mihi perſuadeo mentem ſuam offuſcatam extitiſſe, dum hæc ſcribebat; aliàs perſpiceret ad rem non facere diſputationem hanc; ea enim movetur circa obligationem legis generalis totam Eccleſiam obligantis, ut in ipſo Diana videre poterat: non verò circa obligationem legis particularis obligantis ſubditos ſuos, de hac enim nullus dubitare poterat, aut dubitavit unquam. Unde potius currit argumentum ab ipſa Inquiſitione Romana ad alias eiſdem privilegiis fungentes, ſicut enim ea poteſt erga ſubditos ſuos leges, ſeu edicta promulgare, quibus fideles ſuæ ditionis adſtringantur; ita etiam aliæ; immo & ampliori facultate: nam ipſa Romana Inquiſitio præſentem habet Romanum Pontificem, quem ſine mora conſulere poteſt, cùm aliqua nova quæſtio emergit: at verò aliæ Inquiſitiones procul ſunt à ſupremo legiſlatore, & ideo poſſunt, ut gliſcentibus erroribus facilius occurrant, noxias damnare doctrinas, & optimas plantare, ut ex conceſſione Pii IV. habet expreſſe Luſitana Inquiſitio. Hic adnotare oportet Muratorii verba, ejusque argumentationem inutiliſſimam oſtendere ex Paulo III. anno 1544. qui primus erexerat Inquiſitionem Romanam, qui expreſſe teſtatur: *Nunquam intentionis noſtræ fuiſſe, aut eſſe, quod per conſtitutionem, aut deputationem noſtram, aut ſuper illas confectas literas Officium Inquiſitionis in quibuscumque Regnis, Provinciis, & locis, aut aliquibus perſonis Officium Inquiſitionis hujuſmodi dicta Apoſtolica auctoritate exercentibus, ſeu facultatibus illis per quoſcumque Romanos Pontifices anteceſſores noſtros, ac nos, & Sedem Apoſtolicam præjudicaretur, & quatenus per eamdem conſtitutionem, aut deputationem noſtram, aut deſuper confectas literas, quoad præjudicium attinet, per præſentes revocamus, caſſamus, & pro nullis, & infectis haberi volumus.* Quod poſtea confirmavit Julius III. & Clemens VIII. Unde licet magna, maximaque ſit, quam veneramur, Romanæ Inquiſitionis dignitas, & auctoritas, id non impedit, quod

quod Hiſpanæ, & Luſitanæ Inquiſitiones magnis, maioribusque forte privilegiis ſuffultæ inveniantur. Non defecit igitur Luſitana *à reverentia debita Apoſtolicæ Sedi*, à qua hanc prærogativam expreſſiſſime accepit, accedente diuturna conſuetudine, & ſcientia, ac conſenſu Summi Pontificis, qui minime ignorat, immo multoties approbavit, quæ in eadem Luſitana Inquiſitione obſervari conſueverunt.

20. Similiter futile, fucatum, & ridiculum eſt quod addit, *ut potiſſimum, quod animadvertit Pignatellus tom. 1. conſult. 59. ſacra Congregatio Concilii cenſuit non licere Epiſcopis præcipere, ut quilibet de populo denuntiare debeat crimina Clericorum ſub pœna excommunicationis.* Hoc præceptum quidem *abſurdum, & periculoſum eſſet*, ut enim jam alibi ſcriptum relinquimus cum Suario, Caſtro Palao, Anacleto, & aliis, hæ leges ſic generales comprehendentes omnia, & ſingula peccata, & crimina ſunt plurimum difficiles, ut obſerventur, ac ita non tam communi bono, ut de ratione legum eſt, utiles, quam pernicioſæ, ac pluribus damnis obnoxiæ eſſent. Quid autem ex hoc infert Muratorius? Rideamus: *Si id* (concludit) *minime licet Epiſcopis, ad quos ex innata auctoritate incumbit cura, & correctio gregis; num id licebit Inquiſitoribus vicaria tantum poteſtate utentibus, inſcia, & inconſulta Sede Apoſtolica, cujus vices limitata ſolum & præſcripta facultate gerunt?* En quem defenſorem conduxerunt, hominem ſcilicet nugacem, & inepte ſcribentem. Num quæſtio eſt, Muratori, de hac omnium criminum denuntiatione præcipienda? Num ſancti Officii edicta præcipiunt denuntiare omnia crimina Clericorum? Cur non erubuiſti hoc argumentum conficere, quod nec Logices novitius efformaret? Poſſuntne Inquiſitores præcipere denuntiare hæreticos, aut hæreticorum fautores, poligamos, ſolicitantes, aut de hæreſibus ſuſpectos, & alios ſimiles? Teneris non inficiari. Num *periculoſa, & abſurda* dicenda ſunt hujuſmodi edicta? Delbene, Carena, Pegna, Tranſmiera, Salleles, & omnis ſcribentium chorus juſtiſſima eſſe proclamant. Ergo etiam juſtiſſima ſunt edicta, quæ præcipiunt denuntiare delictum publicæ religioni, publicæ cauſæ noxium, cui error, ſcandalum, injuria proximorum ineſt, & ſacramenti.

21. Si adhuc inſiſtas id poſſe vicaria ſua poteſtate circa propoſitiones à ſancta Sede jam damnatas. Contra eſt, quod hæc vicaria poteſtas eſt abſoluta, & generalis circa omnes propoſitiones temerarias, erroneas, ſcandaloſas &c. ac proinde circa omnes eſt eadem prohibendi facultas, de qua eſt expreſſa conſtitutio Pauli III. quam ſupra retulimus. Sed ulterius inquiro: In qua conſtitutione definitum invenitur, non confitentes ſemel in anno, & non ſumentes ſacram Euchariſtiam, contemnentes cenſuras eccleſiaſticas contemptu poſiti-

vo, aut alias ceremonias, & ritus, audientes confeſſiones ſine ordine competenti, Sacerdotes celebrantes, & non conſecrantes, hoſtiamque non conſecratam populo miniſtrantes, alioſque ſimiles, eſſe hæreticos, aut de hæreſi ſuſpectos? In qua conſtitutione Pontificia id ſpecialiter commiſſum Inquiſitoribus invenitur? Oſtendat Muratorius. Et tamen in his omnibus Fidei Tribunal procedere poſſe, & jubere delinquentes denuntiare, eſt inter DD. tritum, & vulgare. (30) Negari non poteſt, quia ſic Sanctiſſimus definiit, in prædicta reprobata praxi dari injuriam, & abuſum ſacramenti Pœnitentiæ; ſanctum vero Officium procedere poſſe contra abutentes ſacramentis in eorum adminiſtratione, atque injuriam eis irrogantes, eſt commune. (31) Sanctum Fidei Tribunal procedere poſſe quoties interveniat in dicto, vel facto hæreſis, aut hæreſis ſuſpicio eſt indubitabile, ad idque habemus innumeras Pontificum Conſtitutiones ſupra relatas: in abuſu autem ſacramentorum dari hæreſis ſuſpicionem eſt definitum à S.P. Pio IV. in ſua Conſtitutione *Univerſi Dominici gregis*, ubi ſic habetur: *Nos in animum inducere nequeuntes, quod qui de fide catholica recte ſentiunt, ſacramentis in Eccleſia Dei inſtitutis abutantur, aut illis injuriam faciant.* Ad ſanctum Officium ſpectare cognoſcere, an factum, vel dictum ſapiat hæreſim, aut errorem, aut quid noxium jam ſupra diximus, & expreſſe habetur in ſupra citata Pauli III. Conſtitutione. Cur ergo blaterat Muratorius?

22 Præterea quid novi conſtituit Fidei Tribunal, quod antea non inveniretur ſtabilitum à Theologis? Prædictam doctrinam, ejuſque praxim eſſe erroneam, & ſcandaloſam docuerant ferme omnes, quorum plures ſupra citavimus. Neque ad id aliud neceſſarium eſt, quam ob oculos habere regulam, quam tradit Carena, (32) ibi: *Quod omnia opera, per quæ aliquis diſſidet à communi vita, & converſatione fidelium, aut ab Eccleſiæ probatis ritibus, & conſuetudinibus, aut à receptis Patrum doctrinis, & præceptis, quæ communes magis, quam privatos mores reſpiciunt, aut hæreſim inducunt, aut hæreſis ſuſpicionem.* Prædictos autem Confeſſarios à communi Doctorum ſententia deviaſſe, atque à recepta adminiſtrandi ſacramenti Pœnitentiæ conſuetudine abhorruiſſe, adeo perſpicuum eſt, ut qui dubitet, in ipſa meridiana luce cæcutire videatur. Videndus etiam Dandinus ſupra citatus. In Bordono (33) videre poterat is ſcriptor, quod: *Propoſitiones pravæ ad ſanctum Officium ſpectantes ſunt plures juxta quindecim gradus, & ſunt hæreticæ, erroneæ, ſapiens hæreſim, impia, male ſonans, piarum aurium offenſiva, ſcandaloſa &c.* Vel prædicta doctrina erat ſcandaloſa, & erronea, vel non? Seligat Muratorius. Si negativam eligit, Pontificiæ definitioni contradicit. Si huic adſtipulatur, ſemper fuit falſa, & ſcandaloſa ea doctrina: id

namque

(30) Carena p. 2. tit. 14. per totum. Paſſarinus late ad text. in cap. Inquiſitionis 18. de Hæret. in 6. cum aliis, quos referunt.

(31) Paſſarin. ub. ſup. Pignatel. in noviſſim. conſult. 113. & 114. Cunh de Confeſſ. ſolic. q. 5. num. 40. Freitas, Rojas, Delrio apud Delben. p. 2. dub. 155. ſect 54. Dian. p. 4. tract. 8. reſol. 84. Caren. tit. 8. n. 31. Pegn. p. 2. com. 82. Palao tr. 4. dub. 9. p. 6. n. 2. Tranſmier. de Polyg. lib. 3. q 2. n. 46. Sabel. lib. 5. cap. 5. n. 314. & alii.

(32) P. 2. tit. 5. §. 2. & ſeq.

(33) Apud Felic. Poteſt. de Denunt. Inquiſit. cap. 6. q. 2. n. 289.

namque evidenter demonſtrat à Pontifice Maximo facta damnatio, ut ex Viva, Caſnedi, & Cardenas ſupra firmavimus. Quo jure ergo audet improbare, & impetere Fidei rectiſſimum Tribunal, quod doctrinam ſcandaloſam, noxiam, & fidelium animabus damnum graviſſimum afferentem proſcriberet, atque prohiberet? Sanè neſcio qua febre delirans id audere poſſet.

23 Ut autem agnoſcatur quanta phrenitide læſus laboret Muratorius, recenſendum eſt, quod omnes Epiſcoporum querelæ ad ſanctam Sedem relatæ fuerint poſt Breve *Suprema*, in quo ſanctiſſimus D. N. prædictam praxim erroneam, ſcandaloſam, & ſacramento injurioſam declaraverat. Utique Muratorius ſcripſit poſt eamdem Decretalem, immo poſt Conſtitutionem *Ubi primum*, in qua Pontifex Maximus non ſolum damnavit prædictam praxim, ſed etiam declaravit prædicti criminis punitionem ſemper ad ſanctum Officium ſpectaſſe. Quinimmo etiam ſcripſit poſt tertiam pro toto orbe Conſtitutionem. Certum etiam eſt, ſecundum ſancti Officii edictum poſt dictam Decretalem *Suprema* prodiiſſe, in quo nulla pœnitentibus impoſita legitur denuntiandi obligatio, ſed generalis, & eodem modo concepta, ſicut in cæteris edictis quotannis publicari ſolitis frequenter legitur. Ergo ſuo jure uſus eſt Eminentiſſimus Inquiſitor Generalis, dum denuntiare juſſit doctrinam, praximque jam à ſancta Sede proſcriptam, atque damnatam. Ergo intempeſtivæ, injuſtæ, affectatæque fuerunt Epiſcoporum querelæ, & incredibiles inſtantiæ, ut edicta ſancti Officii ſupprimerentur. Ergo ſubdola, detractoria, extemporanea reputanda eſt Mutinenſis opella, ſeu potius ſatyra. Ergo inaniter blaterat, effutit, ac corrodit Muratorius.

24 Præterquam quod, etiam primum edictum (excepta denuntiandi obligatione pœnitentibus impoſita, tum ad terrorem tam pravi abuſus, tum quia nulli alii illam occultiſſimam praxim ſcire poterant, quam ipſi, cum quibus ea exercebatur) ſi rite perpendatur, nihil novum continet, niſi ſpecificare delictum illud, quod in genere comprehendebatur in ipſo edicto Romano: *Quod contra Decreta, & Conſtitutiones Apoſtolicas abuſi fuerint, aut abutantur ſacramento Pœnitentiæ, utentes confeſſione in finem inhoneſtum, colloquentes cum pœnitentibus de rebus non convenientibus fini, propter quem inſtitutum eſt.* Quod in dicta praxi contineretur abuſus ſacramenti, jam abunde probatum fuit. Adverſari fini ſacramenti, eſt indubium; nam illud inſtitutum fuit, ut pœnitentes abſolverentur à peccatis, & acciperent ſatisfactoriam occultam pœnitentiam; non verò ut pœnitentium complices in foro externo punirentur. Hincque reſultat inhoneſtus finis, per quem ſacramenti honeſtas deturpatur, ut ſunt complicum punitio, totius juris ſpreta forma, ejus infamia, graveque de-

 trimentum,

mentum, immo & ipſius pœnitentis infamia, cujus peccatum aut proxime, aut remote, aut directe, aut indirecte detegitur; uſus notitiæ ſacramentalis ad fines extrinſecos, ſigilli revelatio, injuſtitia erga ipſos pœnitentes exercita, cùm eis ob occultationem complicis abſolutio denegatur; peccatum, quod ipſe pœnitens committit infamando complicem. Quod autem eadem praxis ſit contra Decreta, & Conſtitutiones Apoſtolicas, etiam planum redditur. Nam in primis eſt contra Decretum Concilii Lateranenſis, de quo *in cap. Omnis utriuſque ſexus de Pœnit. & Remiſſ.* ubi ſigillum confeſſionis commendatur. Eſt contra Decretum Benedicti XII. de quo ſupra meminimus. Eſt contra Decreta Clementis VIII. & Innocentii XI. contra Decreta Congregationis in Belgio, Concilii Colonienſis, Moguntini, & aliorum, quorum ſupra mentionem fecimus. Ex quacumque ergo parte rem ſumamus, inconſulte nimis ſcripſit Muratorius, admodumque inadvertenter conqueſti ſunt Epiſcopi. Non eos redarguo, ſed conſiliarios eorum, qui ad tam novum, & nunquam viſum induxerunt attentatum, & Muratorium, qui ſic ſcribere conſtituit, antequam omnia perpenderet, prudenterque rimaretur, & ſaltem in Natali Alexandro (34) videret eam doctrinam eſſe à SS. PP. reprobatam, ut ſunt D. Thom. D. Auguſt. D. Bonaventur. D. Antonin. S. Raymund. & à variis Conciliis prohibitam, ac proinde proculdubio ad ſanctum Officium ejus doctrinæ aſſeclas, & defenſores punire, & coercere ſpectaſſe.

(34) In Theolog. Dogmatic. & Moral. lib. 1. de Sacram. Pœnit. regul. 23. & ſeq.

25 Poterat legiſſe Delbenium, (35) quem male applicatum (quod Pontifex Maximus notat in ſua Bulla *Suprema*) aliquoties refert, moraliter eſſe certam ſententiam, in quam conveniunt omnes fere Patres, & oppoſitam cenſendam eſſe temerariam, idque non ſolum eſſe intelligendum de Patribus antiquis, ſed etiam de Theologis Scholaſticis præſentis temporis ſervata proportione; *quia Eccleſia ſemper habet, & habebit ſuos Doctores, ſicut & Paſtores; cum ſit ſemper corpus myſticum, omnibus ſuis membris conſtans. Iſaiæ* 59. Spiritus meus, qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, & de ore ſeminis tui uſque in ſempiternum. *Et Pſalm.* 44. Pro Patribus nati ſunt tibi filii. *Et Luc.* 10. Qui vos ſpernit, me ſpernit, qui vos audit, me audit. *Ubi Chriſtus non loquitur ſolum de antiquis, ſed etiam de illorum poſteris uſque ad conſummationem mundi. Accedit, quod ſicut dixit Auctor operis imperfecti Homil.* 42. *in Matthæum: Qui hodie contemnunt ſuos Doctores, ſi olim cum antiquis vixiſſent, eoſdem pariter contempſiſſent.* Prædicta autem praxis, & doctrina ab omnibus unanimiter DD. exploditur, & ut temeraria, ſcandaloſaque reprobatur, ac proinde potuit ex ea Theologorum omnium unanimi cenſura eamdem praxim jure ſuo à Pontificibus con-

(35) Tom. 2. de loc. Theolog. dub. 238. num. 8.

ceſſo prohibere. Hoc munus explicandi, & definiendi per modum doctrinæ Theologis, aliiſque viris doctis datum eſt, ut optime aſſerit Jacobus Simanchas Epiſcopus Pacenſis (36) per hæc verba: *Quamvis quæſtiones in fide ambiguæ à Summo Pontifice, vel Generali Concilio definiendæ ſint, per modum tamen doctrinæ explicari, ac definiri ſolent à viris doctis, atque prudentibus, quæ propoſitio ſit hujus, vel illius qualitatis, quod munus proprie Theologorum eſt. Quod enim ad Catholicam fidem pertinet, ex Theologia diſcitur; ſed nonnunquam juris periti ex Pontificum, Conciliorum, & ſanctorum Patrum Decretis hæc facile dijudicare poterunt. Certe ſiquis legerit opus Alphonſi noſtri adverſus omnes hæreſes, eo vel ſolo ad propoſitiones hæreticas pernoſcendas ſatis, & ſuper erit inſtructus.* Si hoc unicuique Theologo, & Juriſperito convenit, quid dicendum ſupereſt de doctiſſimis Qualificatoribus ad eas propoſitiones notandas auctoritate Pontificia à ſupremo Tribunali ſelectis? Si autem iſti ex Patrum doctrinis, ex principiis Theologicis, & communi Theologorum ſenſu, & Pontificiis, Conciliaribuſque Decretis eam doctrinam prohibendam eſſe cenſuerunt, quis, niſi temerarius Muratorius, & illius erroris aſſeclæ, quos ipſe tuetur, ſancti Officii prohibitionem, ejuſque edicta reprobare auſus eſſet? Juſtiſſime id feciſſe clarum eſt, & incontroverſum; ſufficietque legere prædictum Alphonſum de Caſtro, (37) & citatum Epiſcopum Simanchas, (38) qui licet Epiſcopus, optimuſque Epiſcopus eſſet, poſtquam edocuerat gradus propoſitionum, & quomodo eæ agnoſcendæ, & notandæ eſſent, ſic ait: *Cum autem aliqui offenſi fuerint cum talibus propoſitionibus, illarum aſſertor ab Inquiſitoribus cogendus eſt, ut publice verum ſenſum earum exponat, ut ab eo datum ſcandalum ceſſet.* Non ſibi aſſumpſit illud munus Epiſcopus ille, aliàs ſuæ juriſdictionis præſtantiſſimus æmulator, ſed Fidei Tribunali reliquit. Hodie tamen ſecus ſe res habet, & pro eis ignarus oblatrat Muratorius. Ut taceat, audiat iterum eum Epiſcopum ſic dicentem: (39) *Poſſunt quoque Inquiſitores cognoſcere, ubi ſcandalum ortum ex aliqua quæſtione Catholicæ fidei. Nam etſi nemo ſit, qui accuſet; nihilominus tamen ex officio ſuo hi judices inquirere poſſunt ad publicam animarum utilitatem.* In re tritiſſima ſi plura congeram, inutilem plane operam collocabo.

(36) De Cathol. Inſtit. tit. 54. n. 20.

(37) De Juſt. hæretic. punit. lib. 1. cap. 3.

(38) Diſt. tit. 54. num. 91.

(39) Ubi ſupr. tit. 36. n. 10.

RADIUS

RADIUS ULTIMUS

Diſſipat, concrematque cætera, quæ Muratorius ſequentibus capitibus inconſulte ſcripſit, mendaciterque coacervavit.

1 MUratorio proculdubio convenit illud Terentii in Phormione adverſus quemdam maledicum detractorem: *Nihil eſt Antipho quin male narrando poſſit depravarier. Tu id, quod boni eſt, excerpis, dicis quod mali eſt.* Sic in propoſito res ſe habet. Segregat Muratorius ab edicti contextu illa verba *circumſtantiæ impropriæ*, ut in eis totam vim conviciandi reponat, & edictum arguat tamquam vitioſum *ex obſcuritate præcepti.* Dicebat Auguſtinus in *epiſt. ad Hip. Obloquium eſſet abſenti detrahere, & doloſe mordere.* Obloquitur igitur Muratorius, cum abſens Fidei Tribunal doloſe corrodit. Hieronymi in Oſeam ſententia erat, otioſis facile eſſe *de aliorum labore, & vigiliis diſputare.* Otioſus erat Mutinenſis Bibliothecarius, cum hoc detractionis officium coemptus ſuſcepit. Ut id aſſequatur, omnia edicti verba recondit, ac illam ſolam clauſulam in publicum prodit, ut liberius detrahat. Oh ingenuum ſcriptorem! Scimus, ſciuntque omnes, etiam ii, qui in Juriſprudentia reptare incipiunt, legem debere eſſe claram, *ne aliquid per obſcuritatem in captione contineat.* Sed etiam ſciunt, quod Muratorius ignorat, aut ignorare fingit, ut pro more ſuo convicietur, nempe, ſententiam Juriſconſulti Celſi *lib.* 9. Digeſtorum docentis: *Incivile eſſe, niſi tota lege perſpecta, una aliqua particula ejus propoſita, judicare, vel reſpondere.* Sic fraudulenter, inciviliterque agit convitiator iſte. Modeſtinus *lib.* 8. Reſponſorum docuit, quod: *Nulla juris ratio, aut æquitatis benegnitas patitur, ut quæ ſalubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipſorum commoditatem producamus ad ſeveritatem.* Muratorius vero in legem delinquens, quæ ſalubriter pro utilitate fidelium à Fidei Tribunali præcepta fuerat, ita agit, ut non ſolum duriori interpretatione, ſed imprudenti, aut impudenti tergiverſatione in ipſorum fidelium damnum malignanter convertat, ac injurioſe deturpet. Idem Celſus *lib.* 26. Digeſtorum docuit: *Scire leges non hoc eſſe verba earum tenere, ſed vim, ac poteſtatem.* Et *lib.* 29. Digeſtorum: *Benignius leges interpretandas eſſe, quo voluntas earum conſervetur.* Et poſtea *lib.* 33. *In ambigua voce legis eam*

eam potius accipiendam eſſe ſignificationem, quæ vitio caret: præſertim cum etiam voluntas legis ex hoc colligi poſſit. Ait Muratorius maledicere aſſuetus ſibi plaudens, ſuiſque arridens non edictorum mentem, ſed unam particulam ab aliis ſeparatam inſpexit, non benigne, & ut æquitas, & debita reverentia poſtulabant, interpretatus eſt, ſed perverſe, atque prout ejus jam deceptus animus popoſcit: non ſignificationem vitio carentem, quam accipere debuerat, & quam ex ipſa lege colligere ſine fraude poterat, intelligere voluit, ut bene ſcriberet, ſed omnino ab edictis alienam reſpuendam, profligandamque ſuſcepit. Et vel ipſe edicta vidit, vel non? Si vidit; quo jure ſic aperte mentitur? Si non vidit, qua ratione impugnat quod non vidit: *Animadverte nunc, quanta obſcuritate* mentis, quam malo animo, quo dolo ipſe *laboret*.

2 Sic ipſe ſcribit: *Quum legis* circumſtantias improprias *tibi finge quoddam mare, cujus profunditatem, ac terminos nunquam aſſequaris. Tot enim occurrere poſſunt in confeſſione circumſtantiæ ſermonis, & interrogationis, ut earum numerum inire nequeas.* Mare fingit, & quid ille inire potuiſſet, niſi fictum? Finxit utique, ſed turbido Aquilone turbatum, cujus falſas ſyrtes expertus eris, ut nunquam pericula evadere poſſis, nunquam veritatis portum aſſequaris, ni alium fidiorem adbibeas Palinurum. Ipſe jacet ſuiſmet exortis procellis miſerrime obrutus. Mare finxit ſalſamentarius ipſe, non tam ſale conditum, quam ſalſedine, ſalſugine, vel ſalſinagine plenum. Mare magnum, ubi reptilia, quorum non eſt numerus. Experire mecum, an vera loquar, & ſub oculos pone ſancti Officii edictum: ſic habet latine redditum: „ Notum facimus omnibus, qui præſens edi- „ ctum viderint, aut ejus ſcientiam habuerint, ad noſtram notitiam „ per perſonas doctas, & timoratas perveniſſe, quod aliqui Confeſ- „ ſarii imprudentes prætendunt in hoc Regno introducere doctrinas „ admodum præjudiciales, *& injurioſas ſacramento Pœnitentiæ*, in- „ ducendo pœnitentes, ut in actu confeſſionis ſacramentalis declarent „ nomina complicum ſuorum peccatorum, ac loca habitationis eo- „ rum; & ſi non faciunt, in illam temeritatem evadunt eis denegandi „ abſolutionem. Et licet prædicti Confeſſarii, ut in praxim reducant „ hanc erroneam, & ſcandaloſam doctrinam, utantur indiſcreto præ- „ textu boni ſpiritualis animarum, & convenientiæ ad finem vitandi „ graves ruinas ſpirituales, & temporales; prætendentes etiam, quod „ ſit doctrina ab aliquibus Doctoribus approbata, ſcribentibus poſſe „ Confeſſarios in aliquibus caſibus perſuadere pœnitentibus, ut com- „ plices detegant: attamen attendentes, quod pro munere noſtro de- „ bemus vitare, ne introducantur doctrinæ erroneæ, male ſonantes, „ & ſcandaloſæ, quibus panditur via ad faciendum fidelibus odioſum

„ ſacra-

„ ſacramentum Pœnitentiæ, qui ea ex cauſa ab ejus frequentia retrahuntur, & exponuntur periculo faciendi confeſſiones ſacrilegas, eo „ quod celent culpas, quarum complices habent, & identidem inde „ proveniunt aliqua gravia damna, ut nobis conſtat jam eveniſſe: „ in quibus terminis ſunt multo maiora, certioraque præjudicia, quæ „ reſultant ex introductione, & praxi prædictæ doctrinæ, quam affectatus zelus boni ſpiritualis animarum, & emendationis complicum, quo ejus introductionem excuſare nituntur: cum tamen ipſi „ Doctores, qui ſcripſerunt, ſequutique ſunt, ut probabilem doctrinam, poſſe aliquando Confeſſarios cogere pœnitentes ad complicum „ revelationem, caſus, circumſtantiaſque commemorant, in quibus „ admitti poſſit talis doctrina, fatenturque rariſſime concurrere poſſe „ eas circumſtantias, ut ea doctrina ad praxim reducatur: & adhuc „ in ipſis rariſſimis caſibus talibus diſtinctionibus utuntur, ut nullo „ modo eorum opinio fiat ſcandaloſa: è contra verò Confeſſarii, de „ quibus agimus, ob ſuam imprudentiam, quin dentur circumſtantiæ, & diſtinctiones à Doctoribus memoratæ, generaliter, & frequenter ad praxim reducunt prædictam doctrinam in caſibus, quibus nec debetur, nec poteſt applicari ſine abuſu ſacramenti, & abſque periculo reddendi odioſum ſacramentum Pœnitentiæ, & præbendi occaſionem multis ſacrilegiis, nulliſque confeſſionibus. Quapropter *auctoritate Apoſtolica* præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna maioris excommunicationis, *ipſo facto incurrenda*, cujus abſolutionem nobis reſervamus, omnibus Confeſſoribus regularibus, & ſæcularibus, quacumque dignitate, & præeminentia refulgeant, exemptis, & non exemptis, omnino caveant, „ ne inquirant in actu confeſſionis ſacramentalis pœnitentes de nominibus complicum, habitationum locis, *aliiſque circumſtantiis impropriis*, neque eos ad id cogant, aut perſuadeant. Et præcipimus ſub eadem excommunicationis pœna omnibus fidelibus Catholicis, quos cogant, perſuadeant, aut de prædictis circumſtantiis inquirant, vel aliter ſciant, quod docent, & defendunt licitam eſſe generaliter dictam doctrinam, & denuntient, aut denuntiare faciant &c. Quid captioſæ obſcuritatis habet hoc edictum, Muratori? Aut non legiſti, aut cæcis oculis legiſti. Perpende, prudens lector, malevolam tergiverſationem. Quis adeo hebes, adeo obtuſus erit, qui non agnoſcat *circumſtantias improprias*, de quibus edictum illud loquitur, non eas eſſe, quas Muratorius fingit, omnino à materia alienas; ſed quæ ad complicum cognitionem conducere poſſunt? Etiamſi id expreſſe non haberetur, & ex omni edicti contextu non pateret, recta interpretandi ratio, quod ſic ea verba explicarentur, poſcebat. Loquitur Muratorius contra edictum, ſed

edictum

edictum, mendacii, & ſiniſtri animi reum arguit Muratorium.

3 Nunc perge, lector, & iterum ante oculos habe Conſtitutionem *Ubi primum*, ut videas, aut edictum imputato vitio non laborare, aut idem ſupremo Legiſlatori imputandum eſſe, ſic ait ille: „ Et quia non modo cavendum eſt, ut, quæ ſunt à nobis in præinſertis literis decreta, ab omni impugnatione, contradictione, pravaque interpretatione ſalva ſint, & immunia; verum etiam ne quis „ in ſacramenti Pœnitentiæ adminitratione ab eorum omnimoda obſervantia unquam recedat; idcirco omnibus, & ſingulis Confeſſariis „ utriuſque Cleri, tam ſæcularis, quam regularis, quantumvis exempti, & quacumque ſpeciali, & expreſſa mentione aliàs fortaſſe nominandi, graviter, & diſtricte, divini interminatione judicii, atque in virtute ſanctæ obedientiæ, prohibemus, ne, conformiter „ ad prædictam reprobatam praxim, pœnitentes, qui peccatum, ſeu „ crimen aliquod, cujus ſocium, aut ſocios habuerint, ipſis in Tribunali Pœnitentiæ confiteantur, interrogare præſumant de nomine „ ſocii, ſeu complicis, loco habitationis, vel aliis hujuſmodi adjunctis, *ſive circumſtantiis* expreſſiorem, magiſque individuam ejuſdem complicis manifeſtationem concernentibus; eidem pœnitenti, „ ſi manifeſtare renuerit, ſacramentalem abſolutionem denegando: „ alioquin noverint ſeſe, ultra peccati lethalis incurſum, ſuſpenſioni „ ab officio audiendarum confeſſionum, aliiſque etiam gravioribus „ pœnis fore ſubjiciendos. Vidiſti jam, lector Conſtitutionis verba? Perpendiſti, quam conformiter ſe haberent & Luſitanum edictum, & Pontificia Conſtitutio; ita ut in ſenſu nihil differant, in verbis autem parum, aut nihil? Lauda igitur Fidei Tribunal, quod etiam ante Pontificias Conſtitutiones Sedis Apoſtolicæ ſenſui ſe conſonum exhibuiſſet, & exhorre Muratorii pervicaciam, qua edictum ſancti Officii ſic menti Apoſtolicæ conforme mordere, & remordere, rodere, & corrodere ad inſaniam uſque auſus eſt.

4 Mirare nunc, quot ineptias, mendacia quanta vel in hoc ſolum parraſo intermiſceat. Primo ſic habet: *Tot enim occurrere poſſunt in confeſſione circumſtantiæ ſermonis, & interrogationis, ut earum numerum inire nequeas.* Peſſimus Confeſſarius, impertinens, & faſtidioſus ille eſſet, ſi in ſermones, & interrogationes divagaret, ut earum numerus habere non poſſet. Confeſſarius prudens potius audire, quam loqui debet. Confeſſionis Tribunal non inſtitutum eſt ad confabulationes, ſed ad ſacramenti adminiſtrationem. Interrogationes fieri debent (ſi pœnitens non declaret) de numero, de habitu, de reincidentia, de circumſtantiis aggravantibus, aut mutantibus ſpeciem. Hæ autem non adeo innumeræ ſunt, ut *earum numerum inire nequeamus*, ut declamatorie ſcribit Muratorius. Eæ autem circum-

ſtantiæ non ſunt *impropriæ*, de quibus loquitur edictum, ſed neceſſariæ, & maxima prudentia, ac charitate faciendæ.

5 Secundo ait: *Aliquot certe eſſe poſſint, quæ indebitam, immò pravam curioſitatem ſapiant; ſed innumeræ etiam deprehendentur, quæ nullius momenti ſint, nihil pravi contineant; & nihilominus, quia ſuperfluæ, & minime neceſſariæ, neque utiles ad confeſſionem peccatorum, ſi rigide accipias, impropriæ videantur.* Interrogationes, quas edictum prohibet, non ad *pravam curioſitatem*, ut perſuadere cupit Muratorius, ſed ad erroneam, ſcandaloſamque praxim ſpectant. Aliæ verò neque *neceſſariæ*, neque *utiles*, non *rigide*, ſed proprie, *impropriæ* omnibus prudentibus videbuntur.

6 Tertio ait: *Attamen hæc omnia uno tantum generali vocabulo confundit edictum, atque inaudita ſeveritate denuntianda ſtatuit; neque diſtinguit quid culpabile ſit, quid culpa careat; utiturque verbis, quæ in ſenſu obvio mille tenebras pariunt.* Magnus Gregorius: *Qui candorem lucis ignorat, etiam obſcura pro lucidis approbat.* Muratorius, qui tenebras amat, etiam lucida quæ ſunt, tenebroſa reputat. Edictum ait: *Cum tamen ipſi Doctores, qui ſcripſerunt, poſſe aliquando Confeſſarios cogere pœnitentes*, & cætera, quæ in ſupra tranſcripto edicto videri poſſunt. Quomodo ergo audet Muratorius aſſerere edictum non diſtinguere *quid culpabile ſit, quid culpa careat*? Edictum habet ſe referendo ad damnatam praxim, & ad antecedentia verba: *Ne inquirant pœnitentes de nominibus complicum, habitationum locis, aliiſque circumſtantiis impropriis.* Quomodo ergo dici ſine injuria, ſine dolo, ſine mendacio poteſt, edictum *uno tantum generali vocabulo omnia confundere*? Edictum jubet denuntiare, anathemate inflicto, eos, *qui cogant, aut perſuadeant, aut de prædictis circumſtantiis inquirant.* Quomodo ergo *inaudita ſeveritate omnia denuntianda ſtatuit*? Quomodo non timuiſti dicere ea verba adeo clara *mille tenebras parere*? Tibi cæco, non aliis *tenebras parere* potuerunt. Non erubeſcis, Muratori, quod ita leviter, inconſulte, & deceptorie ſcripſiſſes?

7 Quarto ſic ait: *Num leves, frivolæque interrogationes, ob quas nulla (ſaltem gravis) culpa contrahitur, graviſſima excommunicationis maioris pœna plectendæ ſunt?* Num edictum has frivolas interrogationes prohibet, has ſibi aſſumit plectendas, has ſub maiori excommunicatione denuntiare jubet? Mira hominis protervia!

8 Quinto, ſic habet: *Immo, quum, uti ſupra vidimus, in nonnullis caſibus non ſolum liceat, ſed etiam opus ſit, aut præſtet in utilitatem nimirum pœnitentis reſcire qualitatem complicis.* Et tu non confundis, non decipis, Muratori? Idem num eſt qualitates complicis, ac ejus nomen, locumque habitationis, aut circumſtantias, quæ ad

ad ejus cognitionem in individuo perducant, inquirere? Circumſtantiæ, ex quibus deveniatur in individuam cognitionem perſonæ, nunquam inquirendæ ſunt: has prohibet inquirere ſancti Officii edictum, non alias neceſſarias. Inquirere oportet de circumſtantiis, per quas Confeſſarius cognoſcere poſſit ſpeciem peccati, an ſcilicet complex ſit conjugatus, adſtrictus voto, conſanguineus, affinis, cognatione aliqua conjunctus. De his in genere interrogare (ſi pœnitens non explicet) debet Confeſſarius, ſic tamen, ut non deveniatur in ſpecialem complicis cognitionem, uti jam ſupra explicavimus. De aliis in nullo caſu licet, ut ipſe Muratorius in principio faſſus eſt. Has interrogationes damnat expreſſe Pontifex Maximus, has, & non alias, damnavit edictum. Obloquitur ergo Muratorius.

9. Sexto ſic ſcribit: *Quas opiniones veras ipſe Summus Pontifex in ſua Decretali agnoſcit, ſed male applicatas à Confeſſariis, quorum praxim, & opinionem damnat: nullum tamen diſcrimen in edicto adſignatum videas inter eos caſus, & illos, quos prudentiſſime circumſcribit accurata deſignatione Pontifex Maximus.* Miror hominem Latino ſermone, altiloque loquentem, verba conſtitutionis elegantiora quidem, ſed clariora non intelligentem. Quibus in clauſulis accurate deſignavit Pontifex caſus, in quibus licuiſſe diceret interrogare de complicibus? Video qualificatos interrogandi actus *penitus* prohibuiſſe, atque damnaſſe: video etiam adhuc ſimplices interrogandi actus reprobaſſe, & earum punitionem Ordinariis commiſiſſe: quod vero explicaret, aut accurate deſignaret, quæ fuerint *opiniones veræ*, ſed *male applicatæ*, id non video. Hæ veræ opiniones, ut ſupra late expendimus, ſunt quæ docent licite aliquando poſſe pœnitentes detegere Confeſſariis complices, ſervato correctionis ordine; ad id verò cogendos eſſe à Confeſſariis, & adigendos ad licentiam circa uſum notitiæ ſacramentalis, etiam ſub denegatæ abſolutionis pœna, à nullo probato Auctore admittitur, hancque opinionem falſam eſſe demonſtrat Pontifex Maximus, dum abſolute, *penitusque* reprobat prædictam praxim, quam, & non aliam damnaverat ſancti Officii edictum. In illo habemus ea clariſſima verba: *Prætendentes etiam, quod ſit doctrina ab aliquibus Doctoribus approbata, ſcribentibus, poſſe Confeſſarios in aliquibus caſibus perſuadere pœnitentibus, ut complices detegant.* Et infra: *Cum tamen ipſi Doctores, qui ſcripſerunt, ſequutique ſunt ut probabilem doctrinam, poſſe aliquando Confeſſarios cogere pœnitentes ad complicum revelationem, caſus, circumſtantiaſque commemorant, in quibus admitti poſſit talis doctrina, fatenturque rariſſime concurrere poſſe eas circumſtantias, ut ea doctrina ad praxim reducatur: & adhuc in ipſis rariſſimis caſibus talibus diſtinctionibus utuntur, ut nullo modo eorum opinio fiat ſcandaloſa.*

loſa. E' contra verò Confeſſarii, de quibus agimus, ob ſuam imprudentiam, quin dentur circumſtantiæ, & diſtinctiones à Doctoribus memoratæ, generaliter, & frequenter ad praxim reducunt prædictam doctrinam in caſibus, quibus nec debetur, nec poteſt applicari ſine abuſu ſacramenti, & absque periculo reddendi odioſum ſacramentum Pœnitentiæ, & præbendi occaſionem multis ſacrilegiis, nulliſque confeſſionibus. Quid clarius exprimi poterat? Nonne edictum expreſſiſſime relinquit intactas eas doctrinas? Nonne opiniones ab opinionibus clariſſime ſecernit? Nonne diſerte, & accurate explicat, quæ prohibeat, quæ denuntiari jubeat? Ergo mendaciter, & inverecunde nimis ſcribit Muratorius, *nullum inter eos, & illos caſus diſcrimen in edicto adſignatum videri.*

10 Septimo ſic dicit: *Non ita ſane fideles inſtruendi ſunt, cum leges feruntur, quas ne ipſi quidem docti extricare queant, eoque minus idiotæ, & mulieres, quas tamen æque, ac reliquos obligatio denuntiandi, & anathematis pœna conſtringit.* Ipſe (ut de ſe ipſo concipit) doctiſſimus extricare nequivit, aut neſciit quod non modo docti, ſed etiam idiotæ primo proculdubio in proſpectu facillime attigiſſent. Verba Luſitana omnibus nota, clara, inque ſenſu obvio ſtatim ſine hæſitatione percipienda, etiam ab infimæ plebis mulierculis, ea reputat Muratorius, quæ *nec ipſi quidem docti extricare queant.* Si vero ſic habendum eſt edictum illud, etiam ſimiliter improbari poterunt Pontificiæ Conſtitutiones, quæ illos caſus, quos ipſe exceptos, ac declaratos exoptat, non commemorant, nec diſtinguunt. Idem vitium imputare poterit Synodis Leodicenſi, Claramontenſi, Colonienſi, Moguntinæ, & aliis, quæ generaliter prohibent, quin caſus excipiant, *à confitentibus inquirere nomina complicum, cum quibus peccaverunt pœnitentes, aut alias circumſtantias, per quas poſſint nomina eorum ſciri*, ſolumque permittunt *inquirere circumſtantias, quæ aggravant, ſeu mutant ſpeciem peccati*, nec fideles inſtruunt circa has circumſtantias. Eodem detractionis genere laceſſiri poterunt omnes fere legiſlatores, quorum leges, ob multorum imperitiam, tot interpretationibus Doctorum ſubjiciuntur. Non hoc vitium ipſarum eſt, ſed malignantium ingeniorum, qui ſuis tergiverſationibus ipſas leges obſcurant, & pervertunt. Sic accidit Muratorio. Dat intelligere fæminas non debuiſſe obligari ad denuntiandum, *neque anathematis pœna conſtringi.* Hanc immunitatem ipſe ſolus fæminis attribuere viſus eſt; ſiquidem ubi delicta denuntiari debent, ut hæreſis, ſolicitatio, & aliæ, etiam mulieres ad id tenentur; non tamen ita præciſe, ſed taliter, ut ſi earum honeſtas, aut ſtatus aliud poſtulet, non per ſe teneantur, ſed per interpoſitas perſonas, ut earum pudori conſulatur, ideoque edictum ſic declarat: *Ut denuntient,*

aut

aut denuntiari faciant. Si tamen mulieres, *quas æque, ac reliquos obligatio denuntiandi, & anathematis pœna conſtringit*, non recte comprehendi in edicto poterant, & ex hac generalitate damnandum eſt; damnabuntur etiam omnia alia edicta aliarum Inquiſitionum, quæ *mulieres æque, ac reliquos eadem obligatione, & pœna conſtringunt*. Condemnanda erit Conſtitutio *Ubi primum*, quæ in illis verbis: *Quicumque verò alium quemlibet aliquo ex ſupra dictis modis deliquiſſe cognoverint, eum, intra terminum dierum in edictis ſancti Officii ejuſmodi Inquiſitionis præfigi ſolitum, eidem ſancto Officio denuntiare teneantur: alioquin pœnas non denuntiantibus per eadem edicta infligi conſuetas incurrant*. Mulieres æque, ac reliquos eadem obligatione, ac anathemate conſtringit. Quam inepta hæc ſint, quis non agnoſcet?

11 Octavo ſic ait: *Et quale ſane ſpectaculum foret intueri circumcurſantes quotidie honeſtas matronas, virgines ad verecundiam educatas, aliaſque mulierculas ad Theologos, aut potius ad ipſum Inquiſitionis Tribunal, metu anathematis, & ſcrupulis agitatas, & anxie dubitantes, & inquirentes, an* improprium *quid, hoc eſt minime pertinens ad neceſſitatem, aut utilitatem confeſſionis, audiſſent?* Ipſe in orbe literario ludens, veluti in theatro, ſpectaculum comœdo repræſentat. Ridenda fictio! Lepida hyperbole cachinis excipienda! Ut matronæ, virgines ad verecundiam educatæ inſtruantur neceſſe eſt, quod circumcurſent quotidie Theologos? Non ſat erit, cum opportuna occaſio ſeſe offerat, adire Confeſſarium? An id verecundiæ ſuæ obſtat? Et hos ſcrupulos agitatos nimium dolet Muratorius; non verò dolet, quod impropriis, impertinentibus, inutilibus interrogationibus moleſtentur, à ſacramenti frequentia arceantur, milleque ſacrilegiis reddantur expoſitæ? Quid tamen fingit, aut componit? Num edictum jubet denuntiare Confeſſarios impertinenter de aliis rebus ad confeſſionem inutilibus interrogantes? Minime gentium. Jubet ſolummodo denuntiare Confeſſarios, de nominibus, aliiſque circumſtantiis ad eumdem finem inquirentes. Doloſe, & facete ſe habet Muratorius, qui omnia commiſcet, omnia confundit, dum lepidum ſpectaculum proponit intuendum.

12 Nono ſic depingit: *Certe ſi tot decipulis, & periculis expoſitum foret Confeſſariorum munus, nemo ex iis in poſterum ad audiendas fidelium confeſſiones accedere auderet. Idque jam accidit; nam ex quo prodiit Luſitanæ Inquiſitionis edictum tot tenebris ſcatens, ex iis multi, & præcipue piiſſimi viri, quieti, ac famæ ſuæ conſulentes, à ſacro ejuſmodi labore deſtiterunt.* Hanc næniam, hocque decipulum didicit ab ipſis, qui ſanctum Officium laceſſere conſtituerunt: *Quod levis mens concipit, levior protinus lingua*

gua prodit. Fecit edictum, quod imprudentes Confeſſarii adeo noxias interrogationes caverent. Non oneroſum, ſed ſuave fecit confeſſionis audiendæ munus; nam eos edocuit interrogaſſe non debuiſſe quod neceſſarium eſſe interrogare arbitrabantur. Nullus ab audiendis confeſſionibus propter edictum ſe retraxit. Id accidiſſe falſum eſt, & ab ipſis Confeſſariis adinventum; adeo, ut cuidam celeri curſori à Luſitania Romam revertenti ſuaderent, ut hanc falſiſſimam notitiam in Curia ſpargeret, idque notiſſime apud noſtros habetur. En bona fides, qua agere conſueſcunt. Siquos illud abſterruit edictum, illi fuere ſimulate pii, qui Tribunalis præcepto non acquieſcentes, praxi, & opinioni ſuæ firmiter adhærebant; timebant tamen denuntiationes faciendas, & pœnas ob crimen ſuum luendas. Si ipſi abſtinuerunt; non abſtinuerunt alii, ad quos concurrit multitudo maxima, eam fictam pietatem, crudelemque charitatem fugiens, & veram ambiens doctrinam, ac rectam ſacramenti adminiſtrationem.

13 Ex hoc deluditur, quod decimo, non arte parrhaſia effingit, ſed infecto illinit colore, nempe: *Quod plus eſt, ipſi quoque fideles, ubi tot ſalebræ in ſacramentali confeſſione occurrerent, à ſalutifero, ac neceſſario ſacramento mirum in modum abſterrerentur.* O' novum ſacramentalis confeſſionis defenſorem! O' charitate flagrantem fidelium zelotypum! Ejus oculis, neſcio qua lippitudine oppreſſis, turres in aere repræſentantur, ut res omnino aliæ appareant, quam perſpicaci intuitu conſpicere oporteret. Adeo contrarium experti ſuimus, ut non modo non abſterrerentur, ſed alacrius currerent ad medelam: quæ ſacrilegæ confeſſiones ex ea interrogationum cauſa factæ fuerant, ad alios Confeſſarios poſt evulgatum edictum allatæ ſunt. Timebant cuncti pœnitentiæ ſacramentum ob Confeſſariorum illorum imprudentiſſimam conſuetudinem, ſed nova edicti iride apparente receſſit timor. Muratorius cum edictum non videret, eum ſalebroſum reputavit: ſed cum Cicerone (1) de eo dicere poſſumus: *Hic ſi definire, ſi dividere potuiſſet, ſi loquendi vim, ſi denique conſuetudinem verborum teneret, nunquam in tantas ſalebras incidiſſet.* Neque mulierculæ in foris, & per plateas venditantes in eo edicto eas ſalebras agnoverunt; clariſſimum ſiquidem omnibus viſum fuit: ſolum erroris affeclæ præcipites, & prærupti, ac Muratorius eodem vitio laborans, invenerunt.

(1) Lib. 2. de Fin.

14 Tandem adducens in dictorum confirmationem verba Conſtitutionis *Suprema*, nempe *A pœnitentiæ ſacramento tantopere proficuo, & neceſſario fideles abalienaret.* In primis falſum teſtimonium in præfatam Conſtitutionem, introducto abuſui viam ſtruens, doloſe dicit; ait enim: *Inter cæteras cauſas, cur nunc Apoſtolica Sedes eorum praxim confixit, qui nullo juſto titulo in confeſſione nomen complicis*

plicis interrogarent. Ubinam in conſtitutione illa invenitur aut expreſſus, aut approbatus *juſtus titulus* ad complicum interrogationem? Praxis illa *penitus* damnatur, (ut ſæpe diximus, & recte legenti perſpicuum fit) & Muratorius ipſe ſui oblitus *cap.* 1. *n.* 8. *&* 10. fatetur nomen complicis non eſſe revelandum ad finem correctionis fraternæ. Pontifex Maximus reprobat abſolute uſum interrogandi, vel *correctionis fraternæ, vel aliorum bonorum ſpiritualium, aut temporalium prætextu* introductum. Si hic *juſtus titulus* non eſt, qualis eſt *juſtus titulus* in illa Conſtitutione expreſſus, ut Muratorius hujuſmodi *juſti tituli* deceptorie meminerit? Nullus profecto: ſed Muratorio placuit ſic mentiri, ut errori quodammodo adſtipulari videretur. Poſtea ſic concludit: *Quanto autem amplius durum, ac intolerandum onus ſacramentalis confeſſio videretur, atque ab ea averterentur fideles, quando ad Tribunal Inquiſitionis accedere opus foret ad denuntiandam non ſolum propriam ignominiam, ſed & circumſtantias improprias, quæ innumeræ eſſe poſſunt?* Durius ei videtur, & intolerabilius, quod denuntiationes fiant, quando imprudentes Confeſſarii in eas injuſtas, & reprobatas interrogationes contra juſtitiam, & reverentiam ſacramento debitam prorumpant, minus autem durum, & intolerabile reputat quod adigantur pœnitentes ad facienda in confeſſione peccata, & infamandos complices. Sic ſuadet comparativum *amplius durum ac intolerabile.* Optimum hominis judicium! Deinde effingit dupliciter. Siquidem cum denuntiantur Confeſſarii de complice interrogantes, neceſſarium non eſt propriam detegere turpitudinem, ut ſupponit, & nos alibi jam convicimus. Similiter hæ *circumſtantiæ impropriæ, quæ innumeræ eſſe poſſunt*, non jubentur denuntiari, ſed eæ, quæ tendunt ad cognitionem complicis, ut ex edicto, atque Pontificia Conſtitutione jam demonſtravimus. Et cur Muratorius non reprehendit Confeſſarios *has circumſtantias improprias* in confeſſionibus immiſcentes? Nonne hæ faciunt ſacramentum nimis tædioſum? Nonne hæ fideles à frequentia ſacramenti abſterrent? Id tamen non dolet Muratorius; ſuus enim ſcopus fuit in ſanctum Fidei Tribunal blaterare.

15 Tranſit deinde ad oſtendendum aliud vitium, *cui nulla excuſatio obtendenda eſt*, defectum ſcilicet poteſtatis. Proh amentiam intolerabilem! Quam authoritatem ſancta Sedes tribuit, quam Pontifex Maximus faſſus eſt, & de novo confirmavit, Muratorius negat! Temerarius homo! Sed quod ejus fundamentum? *Scilicet inter maiores cauſas, quæ Summo Pontifici reſervatæ ſunt, proculdubio eſt diſciplina de Sacramentis.* Nos remittit ad *cap. Maiores* 3. *de Baptiſmo.* Ad Barboſam *de Offic. & Poteſt. Epiſc. part.* 3. *alleg.* 1. (error fuit, voluit enim dicere *alleg.* 50.) & ad Fagnanum *c. Pernicioſam*

ſam 2. *de Offic. Ord.* In primis cauſas maiores ad ſanctam Sedem, vel ex natura ſua, vel ex ſpeciali reſervatione ad Summum Pontificem ſpectare non ſolum probat *d. cap. Maiores*, ſed etiam *cap. 1. de Juram. calumn. cap. 2. de Translat. Epiſcop.* & innumera alia jura, quæ paſſim habentur in DD. & quæ pro more adducit Gonzales ad prædictum textum. Deinde *cap. Maiores* agit de validitate ſacramenti infantibus collati, quæ quæſtio cum præſenti nullam habet affinitatem, nec tam ad diſciplinam, quam ad dogma pertinet. Identidem Barboſa has cauſas commemorat inquiens: *Porro cauſæ maiores cenſentur quæſtiones, quæ ſpectant ad articulos fidei intelligendos, ad canonicos libros diſcernendos, ad ſenſum ſacrarum literarum declarandum, approbandumque, ad interpretanda quæ dubia ſunt, vel obſcura in controverſiis fidei, in jure canonico, vel divino.* (Certe hæc intelligenda ſunt de definitione abſoluta, & infallibili; nam aliàs certum eſt, hæc omnia doctrinaliter declarari à Doctoribus, & ſuperioribus poſſe, ut jam prælibavimus:) *Item ad declarandum, quæ ad ſacramenta pertinent, videlicet ad materiam, formam, & Miniſtrum, & alia hujuſmodi.* Hæ proculdubio cauſæ maiores ſunt, quæ ad ſanctam Sedem privative ſpectant. Hæ proculdubio adnumerandæ ſunt *Sacramenti diſciplinæ*. Hæ ſemel à ſancta Sede decretæ nec mutari, nec innovari debent. Hæc omnia eodem modo expendit Fagnanus; nullus tamen eorum hanc noſtram tetigit in ſpecie quæſtionem: An decidere, utrum Confeſſarii debeant inquirere de complicum nominibus, adnumerandum eſt materiæ, aut formæ ſacramenti, aut ejuſdem Miniſtri?

16 Sed eſto: morem geramus Muratorio. Quid ipſe dicit? *In ea quidquam novare, addere aut detrahere nemini licet, niſi Romano Pontifici, aut Conciliis generalibus ab ipſo indictis, & cum eo conſentientibus.* Non diſputemus, an in materia, & forma ſacramentorum à Chriſto inſtituta poſſint Pontifices aliquid ſubſtantiale mutare, aut detrahere, aut innovare, ut inſinuare videtur Muratorius. Id Theologi dicent, & explicabunt. Quod ad intentum attinet, illud eſt, nempe inquirere, an Fidei Tribunal cum complicum interrogationes vetuerit, aliquid novaverit, addiderit, vel detraxerit? Quid ad quæſitum reſpondes, Muratori? Neceſſe eſt, ut obmuteſcas. Si novavit, vel detraxit: Ergo ad diſciplinam ſacramenti rite adminiſtrandi, antecedenter ad edictum, pertinebat inquirere nomina complicum, adigere pœnitentes ad eos detegendos, & infamandos, eiſque denegare abſolutionem. Quis hæc proferat temerarie nimis attentabit? Equidem ipſi imprudentes Confeſſarii innovabant, addebantque ſacramento Pœnitentiæ eam praxim diſciplinæ eccleſiaſticæ omnino contrariam; eam, inquam, praxim nunquam in Eccleſia admiſſam,

admiſſam, nunquam in more habitam, ac communi Doctorum placito jure merito exploſam, totque Synodorum Decretis, ac Pontificiis Conſtitutionibus prohibitam. Quid ergo pro munere ſuo ſtuduit Fidei Tribunal? Nihil aliud, quam Patrum, Doctorum, Conciliorum, ac Pontificum ſententiam cuſtodire, rectam ſacramenti Pœnitentiæ diſciplinam retinere, vera dogmata defendere, illæſaque ſervare, novæ, pernicioſæque praxis damnoſam introductionem prohibere, & tranſgreſſores, ne innovarent, ne adderent, ne rectæ adminiſtrationi quidquam detraherent conformiter ad diſciplinam ſacramenti in Eccleſia ſemper retentam, fulminatis cenſuris in officio continere. Id clare liquet ex verbis edicti: *Nos attendentes, quod pro munere noſtro debemus vitare, ne introducantur doctrinæ erroneæ, male ſonantes, & ſcandaloſæ &c.* Et poſtea: *Caveant, ne inquirant in actu confeſſionis ſacramentalis pœnitentes de nominibus complicum, habitationum locis, aliiſque circumſtantiis impropriis.* Id ipſum expreſſe reprobatur à tot DD. quos ſupra memoravimus, à tot Synodis, quas ſupra retulimus.

17 Nunc quæſo dicas, Muratori, dicas per Deum immortalem, an id ſit *innovare*, *addere*, *aut detrahere* diſciplinæ ſacramenti quidquam, *quod nemini licet*, *niſi Romano Pontifici*, *aut Conciliis generalibus*? Depone pauliſper eam provinciam, quam ab iſtis ſectariis invitatus aſſumpſiſti: depone præoccupatum animum, depone criminandi voluptatem, & fatearis neceſſe erit, te aut mentis non compotem, aut certe dormientem ſcripſiſſe. Si non deponas, quod protervi animi, & tenaciſſimæ indolis argumentum erit, ſi non humiliter concedas, agnoſcent profecto alii, te in præſenti materia eo argumento aut inepte, aut fallaciter uſum fuiſſe, neque nos hic fuiſſe in maiori cauſa Summo Pontifici, aut Conciliis generalibus reſervata, ſed in cauſa per tot Pontificia indulta expreſſiſſime conceſſa. Vis plane, pleneque convinci? Tuiſmet verbis id conſequar. Sic ais: *Ceſſat hic auctoritas ſingulorum Epiſcoporum, & Conciliorum particularium.* In quibus ceſſat? *In maioribus cauſis, quæ Summo Pontifici reſervantur, inter quas adnumeranda proculdubio eſt diſciplina de ſacramentis.* Recordare nunc quæ ſupra ſcripta relinquis circa præſentem materiam *cap. 6. Suum eſſe munus*, (loquitur de Epiſcopis) *& Summi Pontificis præſertim, non verò ſacræ Inquiſitionis novas, & menti Eccleſiæ contrarias doctrinas confingere, ſibique creditos greges monere, atque obligare &c.* Et paulo infra: *Ipſe propterea Paulus Titum Epiſcopum Cretenſem monebat, ut doceret, argueret, corrigeret quidquid in fide, & moribus emendationem poſceret; hoc enim præcipue ad Epiſcoporum munus ac miniſterium ſpectat.* Id ſcribis, ut probes Epiſcoporum, non ſancti Officii munus eſſe eas doctrinas

fidei moribuſve contrarias proſcribere, aut prohibere. Tunc erraſti; & nunc, tibi ipſi non conſtans, iterum erras. Vel enim ea proſcriptio *diſciplinam ſacramenti reſpicit*, & in hoc caſu, tuomet judicio, *ceſſat hic auctoritas ſingulorum Epiſcoporum.* Vel ſi non ceſſat in noſtro caſu, in eo non habet locum doctrina maiorum cauſarum, quam inſipienter attuliſti. Si autem Epiſcopi poterant auctoritate ordinaria, cur non poſſent Inquiſitores auctoritate Pontificia, qua utuntur, ad eaſdem cauſas ſemel, atque iterum indulta?

18 Non immoror in inveſtiganda ea abſoluta doctrina, qua inter *cauſas maiores ſanctæ Sedi reſervatas adnumerandam eſſe proculdubio diſciplinam de ſacramentis, ipſe ait.* Ex modo loquendi colligi potuiſſet, eum, quid nomine diſciplinæ intelligatur, ignoraſſe. Quæ cauſæ maiores dicantur, & ſanctæ Sedi reſervatæ, clauſit *Gloſ. in cap.* 1. *de Tranſlat. Epiſcopi* his verſibus:

Reſtituit Papa ſolus, deponit & ipſe,
Dividit, ac unit, eximit, atque probat,
Articulos ſolvit, Synodumque facit generalem.
Transfert & mutat; appellat nullus ab ipſo.

Vetare autem abuſus, ſcandala, doctrinas erroneas, aliaque ſimilia, inter cauſas maiores ſanctæ Sedi reſervatas nullibi legi, nec invenire quivi, niſi in Muratorio. Huc ſpectat quæſtio noſtra. Ad diſciplinam pertinent doctrinæ communiter retentæ, praxes, conſuetudines Eccleſiarum, quæ tamen variæ eſſe poſſunt juxta uniuſcujuſque Provinciæ mores receptos, dummodo ſacris canonibus, veroque dogmati non adverſentur. Innumera hujus rei exempla, ſi is animus, hic ſcopus eſſet, adducere potuiſſem. Etiam circa ipſam ſacramentorum adminiſtrationem, dummodo hæc ſubſtantialia materiæ, & formæ, & Miniſtri non tangat, diſciplina variationem accipere poteſt. Id abunde diſperſum habetur in Thomaſino *Vetus, & nova Eccleſiæ diſciplina.* In Morino ipſo, quem ſupra in aliquibus rejeci, ac in Francolino, quem ſupra laudavi, multiſque aliis. Hæc tamen à noſtro inſtituto aliena ſunt. Ad diſciplinam ſacramenti Pœnitentiæ quoad ejus rectam adminiſtrationem ſpectat, cohibere, ne admittantur abuſus contra communem Eccleſiæ praxim, & Theologorum inconcuſſam doctrinam, ut eadem ab antiquo ſervata diſciplina, & ab univerſali Eccleſia uſu probata inconvulſa retineatur. Id ad Prælatos, ad ſuperiores ſpectat, neque aliquo in canone Pontifici Maximo invenitur reſervatum, nec reſervari æquum foret; opportunius namque erit, ut quoties quid noxium introduci cœperit, illico profligetur; multoties enim ſerò medicina paratur. Id poſſe Epiſcopos in ſuis Diœceſibus

Digitized by Google

bus nullus dubitat. Id Fidei Tribunal poſſe ad id muneris inſtitutum, totque privilegiis munitum, inter omnes ſine hæſitatione habetur. Hincque liquet quam inſulſe, & extra chorum adduxerit: In aliquo ſcilicet Regno legationis Pontificiæ munere fungentem *non debere extendere manus ad ea, quæ in ſignum privilegii ſingularis ſunt Summo Pontifici reſervata ex text. in cap.* 4. *de Offic. Legat.* Atque: *Conceſſa ſoli ſanctæ Sedi à nemine ſine ejus conſultu, & venia uſurpanda eſſe, idque præſumentem honore eccleſiaſtico indignum eſſe judicandum ex text. in cap. Huic ſoli* 3. *diſt.* Circa canonum regulas nullus in jure mediocriter verſatus jejunat. Supererat, ut ipſe rem conficeret, oſtenderetque ſanctæ Sedi reſervatum eſſe illibatas retinere Doctorum receptas ſententias, receptos ab Eccleſia uſus conſervare, noxias introductas novitates impedire, exorta tollere ſcandala, diſſeminatos errores compeſcere, & canonum tranſgreſſores coërcere. Id tamen in atramentario relictum fuit; nullus enim canon, nullus Doctor Muratorio ſuffragatur. Immo quod ipſe aſſerit, in eum retorquetur: ſiquidem, etiam dato, quod ea cauſa inter maiores reputanda eſſet, ipſe aſſerit ex doctrina citati *cap. Huic ſoli* fieri non poſſe, ut quis *præſumat ſoli ſanctæ Sedi conceſſa uſurpare ſine ejus conſultu, & venia.* Cum autem, ut late probatum manet, hæ quæſtiones ex venia ſanctæ Sedis in tot Conſtitutionibus conceſſa ad ſanctum Officium pertineant, inde fit, ipſum Muratorium in vanum hucuſque laboraſſe, turrimque in aere conſtruxiſſe.

19 *Mirari ergo ſubit, cur tantos animos conceperit* ſcriptor iſte audaciſſimus, ut verba contumelioſa in Eminentiſſimum, Venerabilemque nimium Inquiſitorem Cardinalem immiſerit, dum omnis debitæ reverentiæ expers, in eum impavide ruere confidit, in hunc modum: *Mirari ergo ſubit, cur tantos animos conceperit Eminentiſſimus Cardinalis Inquiſitor, ut manum immiſerit in Pœnitentiæ ſacramentum, ac tantam novitatem invexerit, & quidem inconſulto penitus, & inſcio Pontifice Maximo. Quin hæc appellanda ſit uſurpatio Pontificiæ auctoritatis, quis dubitet?* Quibus verbis Muratorium repercutere, & (ut Gelliana dictione utamur) retaliare poſſimus? Nulla ſuppetunt, etſi graviſſima, tanto facinori reprehendendo ſatis apta. Ipſum dicamus, aut vi ſtygia ſoporatum, aut ambitu devictum, aut pallida bile oppreſſum. Eminentiſſimus, prudentiſſimus, manſuetiſſimus Generalis Inquiſitor S. R. E. Cardinalis, ſanctæ Sedis ampliſſimus Delegatus, Summi Pontificis in fidei negotium concernentibus Vicesgerens, Pontificiaque fretus conceſſa auctoritate, *Pontificiæ auctoritatis uſurpator!* Oh veſaniam furioſam! Oh conviciorum fœcundam linguam! Oh improperiis gaudentem animum! Cum talia in Eminentiſſimum Inquiſitorem projecta videris, quiſquis legas, non

prudentem ſcriptorem, ſed garrientem Silenum meditaberis. Quam manum immiſit in Pœnitentiæ ſacramentum? Quam novitatem invexit? Manum immiſit, manum innocentem, manum dextram Pontificis, cujus brachia Cardinales ſunt, cujus ipſe Delegatus eſt, ut idem ſacramentum (ut *muneris* eſt ſui) incolume ſervaret, incorruptum cuſtodiret, illæſum protegeret. Novitatem nullam invexit, ſed introductam à Novatoribus profligavit. Novam praxim ſacramento injurioſam, fidelibus noxiam, & ſacrilegiis aptam coercuit, ut vetuſtam ab omnibus probatam, & ab Eccleſia inconcuſſe cuſtoditam, in ſuo robore conſiſtentem tueretur. Quæ hîc novitas, & *tantas novitas*? Adeo dubitabit nemo nullam hic ſomniari poſſe Pontificiæ auctoritatis uſurpationem, quin temerarium, inſanumque fuiſſe Muratorium, dum hæc ſcriberet, ambiget nemo.

20 Putasne hiſce improperiis contentum aliis indulſiſſe? Falleris. Miraculum foret, quod maledicus tacuiſſet. Lege ſequentia: *Quam etiam plus dolendum eſt, tribuit ille ſibi poteſtatem condendi legem, quam neque ipſe Pontifex ſibi tribuiſſet: legem videlicet, quæ importabile jugum cervicibus fidelium imponit, eosque ab ipſo Pœnitentiæ ſacramento avertit.* Mens, animus, conſilium Eminentiſſimi Cardinalis fuit prohibere quidquid fideles à ſacramento Pœnitentiæ averteret, & tamen legem tulit huic bono omnino contrariam! Fatuitatem maximam præ ſe fert iſta Muratorii non diſſimulanda calumnia. Quæ lex iſta fuerit, quibus verbis concepta, repetere opus erit, ut videamus an *poteſtatem ſibi tribuerit, quam neque Summus Pontifex ſibi tribuiſſet.* Duas partes continet edictum ab Eminentiſſimo Generali Inquiſitore promulgatum, una reſpicit Confeſſarios, alia fideles. Quæ reſpicit Confeſſarios, ſic habet: *Omnibus Confeſſoribus regularibus, & ſæcularibus... omnino caveant, ne inquirant in actu confeſſionis ſacramentalis Pœnitentes de nominibus complicum, habitationum locis, aliisque circumſtantiis impropriis, neque eos ad id cogant, & perſuadeant.* Quid aliud Summus Pontifex decrevit? Idem per idem: *Omnibus, & ſingulis Confeſſariis.... ne... interrogare præſumant de nomine ſocii, ſeu complicis, loco habitationis, vel aliis hujuſmodi adjunctis, ſive circumſtantiis &c.* En habemus legem Tribunalis, & Pontificis Maximi quoad hanc partem in omnibus, & per omnia conformem. Quomodo ergo ſibi non tribuit Pontifex eam poteſtatem, quam ſibi tribuit Eminentiſſimus Cardinalis?

21 Altera pars, quæ reſpicit obligationem denuntiandi, ſic concipitur: *Omnibus fidelibus Catholicis, quos cogant, perſuadeant, aut de prædictis circumſtantiis inquirant, vel aliter ſciant, quod docent, & defendunt licitam eſſe generaliter dictam doctrinam, ut denuntient, aut denuntiare faciant &c.* Quid Pontifex Maximus? *Quicumque*

verò

verò alium quemlibet aliquo ex ſupradictis modis deliquiſſe cognoverint, cum intra terminum dierum in edictis ſancti Officii ejuſmodi Inquiſitionis præfigi ſolitum eidem ſancto Officio denuntiare teneantur. En non ſolum ſimilis lata lex, ſed etiam à ſancto Officio promulgata confirmatur. Blateravit ergo Muratorius. Illud ſolum diſcriminis intercedere viſum erit, quod in primo edicto etiam pœnitentes includi videantur, quos Pontifex Maximus juſtis ex cauſis ab illo onere excluſit. Hoc tamen onus in ſecundo edicto impoſitum pœnitentibus non habetur. Quin, ſi verum amamus, nec primum edictum pœnitentes ipſos exprimit, ſed generaliter concipit. Id tamen in generalibus legibus neque novum, neque inuſitatum eſt, præcipue in delictis, quæ fidem, aut religionem offendunt, ut videre eſt in ſolicitationis crimine, quod abſolute ab omnibus, qui ſciant, ac proinde ipſis ſolicitatis perſonis denuntiari jubetur, & tamen hoc onus non aſtringere eaſdem ſolicitatas perſonas, ſi gravem infamiam, aut damnum grave timeant, communis eſt ſententia. Nec tamen ideo illa generalis lex, quia hunc caſum non exemerit, injuſta dicenda erit. Similiter crimen hæreſis generaliter ab omnibus, qui ſciant, denuntiari jubetur; nullus certe criminis melius conſcius eſt, quam ipſe, cum quo complex de hæreſi tractatum habuit; nec tamen deeſt opinio, quod iſte ſic conſcius alium denuntiare non tenetur, ne ſe ipſum tradat: & tamen hæc reſtrictio in illa generali lege facta non reperitur; neque ideo ejus generalitas reprobatur. Quando, & in quibus caſibus lex illa obliget, vel ex intentione legiſlatoris obligare deſinat, id ex aliis principiis, quæ prudentes Confeſſarii, aut conſiliarii, nota habere debent, expetenda ſunt. Sic in caſu noſtro.

22. Ceſſaſſe convitiis Muratorium fortaſſe arbitraberis, ſed adhuc acuit linguam. De Socrate, ait Laertius, quod cum ei diceretur quemdam homunciolum eum maledictis afficere, reſpondiſſe: *Bene loqui non didicit.* Bene ſit Eminentiſſimo Cardinali, ut ita ſe gereret, ac ſemper ſic prudenter viveret, ut cum Platone dicere poſſit: *Sic vivo, ſic vixi, ut illi fides non habeatur.* Decrepitum vocat Muratorius Eminentiſſimum, Reverendiſſimumque ſenem, atque à ſuis Conſultoribus deceptum *Væ tibi tam nigræ dicebat cacabus ollæ.* Et ipſe Muratorius octogennarius non eſt? Nonne ipſe à ſuis inſtructoribus deceptus ſcripſit? Et quid ſcripſit? Uno ictu plures ſimul inceſſit. Audi ejus verba: *Decrepita ejus ætas, qua abuſi ſunt nonnulli, parum prudentem præferentes zelum, illum fortaſſis excuſet; ſed nequaquam Conſultores ipſos, quibus egregium facinus viſum fuit amplificare poſſe ſacri illius Tribunalis auctoritatem ultra limites à ſancta Sede præſcriptos, eodemque tempore tricas, & invidiam concitare in tot pios Regni illius, & Eccleſiæ Miniſtros.* Quantas contumelias

brevibus

breuibus periodis concluſit! Artem maledicendi optime novit iſte, benedicendi artem novit nunquam. Præceptum in Levitico (2) erat: *Honora perſonam ſenis, & time Dominum Deum tuum.* Deum non timet, qui venerabilem ſenem dehonorat. *In Eccleſ. 25.* ſic habetur: *Quam ſpecioſum canitiei judicium: quam ſpecioſa veteranis ſapientia, & glorioſus intellectus, & conſilium. Corona ſenum multa peritia, & gloria illorum timor Dei.* Contra Spiritus Sancti ſententiam, & contra ſe ipſum loquutus eſt annoſus, & circumventus Muratorius. Quid amplius deſideramus? Perpende, lector, quis, cui, quibusve detrahat? Quis? Muratorius Bibliothecæ Mutinenſis Præfectus, morum Luſitaniæ nihil conſcius, hominum, quos mordet pene ignarus, Pontificiorum ſpecialium indultorum omnino neſcius, totius ſtatus rei penitus inſcius, Muratorius, inquam, multa erronea ſcripſiſſe deprehenſus. Cui? Purpurato Principi, viro prudentiſſimo, ſeni venerabili, à primis annis in ſancti Officii negotiis verſatiſſimo, qui de ſe dicere poteſt quod apud Ennium, teſte Cicerone, (3) de ſe dixit Pythius ille Apollo: *Se eſſe eum, unde ſibi, ſi non populi, & Reges, at omnes ſui tamen cives conſilium expeterent.* Is ille eſt, quem primum conſiliarium in rebus arduis habuit Auguſtiſſimus noſter Monarcha, cujusque optimis conſiliis adhuc utitur, cujus clementiſſimam prudentiam, ac in omnes benevolum animum populi omnes in futuris ſæculis deſiderabunt. Is ille eſt, à quo cæteri omnes Inquiſitores diſcunt, & in rebus ſancti Officii, ut oraculum venerantur. Is ille eſt, qui adoleſcentiam, virilemque ætatem bonis artibus inſtruens factus eſt (ut cum Hieronymo (4) loquar) *ætate doctior, uſu certior, proceſſu temporis ſapientior.* Quibus? Viris doctiſſimis ætate provectis, experientia, & ſtudio inſtructis, laurea decoratis, Magiſterio inſignibus, Regiis Conſiliariis, electis ex millibus, doctrina præclaris, moribus optimis imbutis, Theologiæ, & Juris Canonici ſcientia pollentibus. Hi ſunt, quos Muratorius arguit decrepita Eminentiſſimi Inquiſitoris ætate abuſos: hi, qui limites à ſancta Sede præſcriptos prætergreſſi ſunt, hi qui imprudentem zelum prætereabant. An Muratorius prudentior cenſendus erit? Bene ſit Pontifici Maximo, qui in ſua Conſtitutione *Ubi primum* attinuiſſe ad ſanctum Officium agnovit quidquid ipſi judicaverant, & nunc Muratorius iſte etiam poſt eamdem Conſtitutionem audacius negat. Hi, *qui tricas, & invidiam concitare in tot pios Regni viros, & Eccleſiæ Miniſtros* in animo habuerunt. Et qui ſunt ii pii viri? Novit eos Muratorius? Suam indolem, ſuos mores perſpectos habet? Edictum ſancti Officii non alios, & hos minime indigitatos, quàm imprudentes aliquos arguit Confeſſarios. Num hi dicendi erunt pii Regni, & Eccleſiæ Miniſtri? Dicet Muratorius, qui fortaſſis Janſenium, quem alibi

(2) Cap. 19.

(3) 3. de Orat.

(4) In epiſt. ad Nepot.

alibi defendit, odoratur: non tamen tales dicent orthodoxi eos, qui eam pernicioſam praxim introduxerant, aut introducere exoptabant. Vel hi, quos pios vocat, hanc praxim in Pœnitentiæ ſacramentum invexerunt, vel non? Si hoc ſecundum: nullas tricas, nullam invidiam in eos concitarunt Conſultores illi, qui ſolum imprudentes Confeſſarios reprehendere conſtituerunt. Si verò primum: non pii, ſed impii dicendi ſunt tanti erroris ſectatores. Cum autem hi pii viri in ſe concitatam dolent invidiam, ipſi ſe miſerrime tradunt, & illius praxis ſectarii oſtenduntur. Conſultius ageret Muratorius, ſi pro ipſis non pugnaret; ea enim defenſio evidentior fit accuſatio: & quò plus imprudentem zelum vocat eorum, qui tanto malo occurrere ſatagebant, eò magis ſui, ſuorumque imprudentem, fictumque zelum apertiſſime demonſtrat.

23 Ut claudat ſui capitis noni convicia, ſic ait: *Obliti ii ſane fuerunt, quod Clemens V. Pontifex in Concilio Viennenſi, animadvertit, & ut patet ex cap. Multorum de Hæretic. in 6.* Et hic Pontificis verba refert, quibus jam ad ſimilem injuſtam accuſationem incondite uſus fuerat Algarbienſis Antiſtes, & concludit: *Hujuſmodi querelas temporibus noſtris merito renovandas, unusquiſque pius profecto dolebit.* Si juſte renovandæ forent, etiam à Pontifice Maximo Inquiſitionis exceſſus, ut Clemens fecerat, fuiſſet reprehendendus, non zelus laudandus, & approbandus: *Dolebit igitur unusquiſque pius*, querelas illas fuiſſe injuſtas, dolebit audaciſſimum detractorem, qui etiam cum præ oculis haberet Decretalem illam, in ea non vidit quæ ſequuntur in dicta Clementina *Multorum* (non verò *cap. Multorum de Hæret. in 6.* ut ſcribit in allegatione textuum non multum verſatus) §. 4. ubi ſummarium ſic habet: *Punit Epiſcopos, Inquiſitores, & eorum ſubſtitutos, qui faciendo, vel omittendo delinquunt in officio.* Ex quibus verbis agnoſcitur querelas tunc ad Pontificem delatas non ſolum Inquiſitores, ſed etiam Epiſcopos reſpexiſſe, æqualiterque reprehendendos fuiſſe qui *faciendo*, & qui *omittendo* delinquunt. Poſtea in corpore ſic ſtatuit idem Clemens: „ Verum quia nimis eſt grave ad exterminationem pravitatis prædictæ non agere, „ quod ipſius contagioſa enormitas agendum requirit.... Epiſcopo, „ & Inquiſitoribus, ac aliis ad dicti executionem officii ſubſtituendis „ ab eis, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione maledictionis æternæ præcipimus, ut ſic diſcrete, & prompte contra „ ſuſpectos, vel diffamatos de hujuſmodi pravitate procedant, quod „ malitioſe, aut fraudulenter tantam labem, ſeu quod ipſos in executione officii impediat.... Quod ſi odii, gratiæ, vel amoris, lucri, „ aut commodi temporalis obtentu, contra juſtitiam, & conſcientiam „ ſuam, omiſerint contra quemquam procedere, ubi fuerit procedendum

dendum

„ dendum ſuper hujuſmodi pravitate, aut obtentu eodem pravitatem „ ipſam, vel impedimentum officii ſui alicui imponendo, eum ſuper „ hoc præſumpſerint quoquo modo vexare, (præter alias pœnas pro „ qualitate culpæ imponendæ eiſdem) Epiſcopus, aut ſuperior ſuſ- „ penſionis ab officio per triennium; alii verò excommunicationis „ ſententias eo ipſo incurrant. Recordari etiam potuerat Muratorius cauſarum, quæ apud DD. recenſentur, & Summos Pontifices ad Inquiſitorum Officium inſtituendum impellere potuerunt, & has cauſas noſtris temporibus immerito renovatas doleret ipſe, ſi ejuſmodi doloris præcordia capacia haberet. Si tamen non dolet ipſe, pii omnes, & veraciter orthodoxi *profecto dolent*, ſemperque dolebunt.

24 Deinde pergit Muratorius, & veluti ſi ex Bibliothecæ Mutinenſis præfectura oraculi authoritatem ſortiretur, *in cap.* 10. ſic definiendum proponit: *Quid actum, quid agendum in hujuſmodi controverſia?* Quæ acta fuerint, Coruſcatio ſecunda abunde, veraciterque demonſtravit. Compendio referam. Introduci cœperat damnata praxis. Ne ſerperet, obſtarunt pro munere, vigilantiaque ſua Eminentiſſimi Cardinales. Edictis, Paſtoralibusque ſuis tantum malum compeſcere curaverunt. Doluerunt nimis pernicioſæ praxis introductores. Laudavit ſupremus Paſtor Cardinalium zelum; edidit Breve *Suprema*, in quo praxim jam ab Eminentiſſimis reprobatam infallibili Eccleſiæ judicio iterum reprobavit: commonuit Epiſcopos, ut omnibus juris remediis compeſcendo, & eradicando prædicto abuſui invigilarent. Ipſi poſt prædictam reprobationem quæſitis prætextibus in ſanctum Officium, ejusque edictum commoti inſurrexerunt. Breve *Suprema* nullatenus executioni mandarunt. Nulli ſtudio pepercerunt, ut edictum illud ſupprimeretur. Informationes veritate deſtitutas, quibus modis eis datum fuit, ſpargere non dubitarunt. Pontifex Maximus, re maturius examinata, de prædictæ praxis certitudine, quam negabant ipſi, definiit. Sancti Officii juriſdictionem agnovit, & illibatam confirmavit quoad ea, quæ prædictam erroneam praxim attinebant. Reliquit Epiſcopis ſimplicis interrogationis crimen nudum ab aliis circumſtantiis, quæ ſuſpicionem erroris, aut adhæſionis ad praxim ſecum afferrent, quod Fidei Tribunal nunquam Epiſcopis ademit, aut adimere cogitavit. Aut edicta, aut Paſtorales literas ſuis conſtitutionibus contrarias, in eo, in quo contrariæ eſſent, omnino caſſavit. Omnem ſiniſtram interpretationem, aut quæſtionem circa veritatem facti, quod damnabat, penitus prohibuit. Cujus quidem criminis reus eſt Muratorius, qui poſt prædictam Conſtitutionem facti veritatem tenaciſſime negare auſus eſt, & interpretationes prædictæ Conſtitutioni addere non exhorruit. Archiepiſcopus Eborenſis ſic prædictam Conſtitutionem interpretatus eſt, ut per Paſtorales literas populum,

Con-

Confeſſarioſque edoceret, Summum Pontificem ſolum damnaſſe frequentiam interrogandi, atque illæſam ſervare primam Paſtoralem ſuam, quæ tamen Pontificiæ Conſtitutioni proculdubio conſona non erat. Algarbienſis, & Conimbricenſis Epiſcopi, etiam prædictam Conſtitutionem evulgari fecerunt. Cæteri, an eam fuerint executi, neſcimus, qui hacce noſtra regione vivimus, novit Muratorius Mutinenſi aëre fruens. Lætati nimis ſunt ejus doctrinæ aſſertores, quia ſublata pœnitentium denuntiatione, non facile delinquentes ipſi inveniri poterant. An unanimi obſequio prædictæ pareant Conſtitutioni, libri, in qua ea doctrina ſimulata continetur, furtim ſparſi teſtabuntur, aliæque tergiverſationes, quibus Pontificia Decreta deluduntur, ſuo tempore manifeſtabunt. Hæc, quæ acta ſunt. Quid verò agendum? Nihil aliud, niſi Pontificiam mentem ſequi, venerari, ad unguem ſervare, non interpretationibus illudere, non tricis intricare, non næniis infringere, non vanis explicationibus deturpare.

25 *Ex his, quæ haſtenus diſſeruimus* (verba ſunt Muratorii in tranſverſum mutata) *conſtare jam poteſt, quam* injuſtis *titulis Luſitani Epiſcopi inſurrexerint adverſus edictum, à quo* neque *Epiſcopali*, nec etiam *Pontificiæ dignitati vulnus illatum fuerat, atque* adeo *in non leve diſcrimen* non *trahebatur populorum conſcientia, & quies*, ut potius eorum quieti, & conſcientiis conſuleretur; immo non *odium conflabatur in ipſum Pœnitentiæ ſacramentum*, ſed amor incendebatur, & frequentia facilior fiebat, quia certi fiebant fideles ſic ſacramentali ſigillo ſecurius conſultum iri, & Confeſſarios imprudentes ab erronea, & ſcandaloſa praxi abſterreri: *Querelas propterea ſuas* (licet nullo jure fundatas) *in ſinum communis Patris, Summi nempe Pontificis depoſuere.* Non tamen in hunc ſolum ſinum, ſed in eorum omnium, qui ſuæ intentioni adſtipulari potuiſſent. Sic bono animo, atque rectiſſima intentione feciſſe non addubito; melius tamen feciſſent, ſi omni ſcandalo ſemoto, inter ſe cum Eminentiſſimo Inquiſitore amicabiliter deliberarent: *In ſinum communis Patris depoſuere.* Sed quando? Quando jam emanaverat, publicumque factum fuerat Breve *Suprema*, in quo *Religionis rebus proſpiciebatur.* Tunc, quando ſcilicet ipſe Summus Pontifex introductam praxim damnaverat, & Eminentiſſimorum zelum ratum habuerat. Tunc, quando ſcilicet, ſancti Officii edictum jam pœnitentes in præcepto denuntiationis faciendæ non comprehendebat. Tunc quando Archiepiſcopus Eborenſis, eam praxim erroneam eſſe fatebatur: & Epiſcopus Algarbienſis clare confitebatur ſanctum Officium *virtute ſuæ juriſdictionis delegatæ* potuiſſe prohibere prædictam praxim. Tunc, quando ipſe Excellentiſſimus Eborenſis in ſuamet Paſtorali, verba edicti refert, ut re vera ſe habebant, in hunc modum: *Si ſciunt ali-*

quem Confeſſarium ſæcularem, aut regularem inquiſiviſſe in actu confeſſionis ſacramentalis Pœnitentiæ de nominibus complicum ſuorum peccatorum, & locum in quo habitent, & ex hac cauſa eis abſolutionem ſacramentalem denegaſſe. Ex quibus verbis ſic fideliter relatis ſat perſpicuè liquet, neque onus pœnitentibus impoſitum fuiſſe, immo de eis agere edictum, tamquam de tertiis perſonis, neque inveniri verba *circumſtantias improprias*, quæ Muratorius corroſit, & in quibus totam ſuam detrahendi machinam conſtruxit.

26 Hæc cum veriſſima ſint, & in ipſis Paſtoralibus expreſſa, *querelas ſuas in ſinum communis Patris depoſuere*, non ea *firma ſpe adducti, Decretum emanaturum, quo ſimul religionis rebus proſpiceretur, & oborta tollerentur diſſidia*, quæ nulla tunc dabantur, quando querelas interpoſuere, & quæ poſtea ipſi oboriri fecerunt; ſed ea vana ſpe abducti, Decretum emanaturum, quo nullum re vera fuiſſe introductum errorem, ut aſſerebant, & atteſtationibus certum facere intendebant, decerneretur; quo ſancti Officii edictum omnino viribus deſtitueretur, ejus juriſdictio evacuata remaneret, & infamatis Confeſſariis ſuis libera interrogandi facultas illæſa ſervaretur, ipſique non eam poſſent pati calumniam, ſuper gregem ſibi commiſſum non invigilaſſe. Omnia ex prædicta Paſtorali expreſſe conſtant: *Hujus edicti publicatio* (habet illa) *magnam nobis attulit novitatem, tum quia certi eramus in noſtra Diœceſi non practicari errorem, de quo in prædicto edicto agebatur* (*& idem de aliis Diœceſibus judicabamus*) *tum quia notabamus ejuſdem edicti incompetentiam* (ſi agnoſcit errorem, quomodo notabat incompetentiam?) *Et quamvis agnoſceremus injuriam juriſdictioni Ordinariæ factam, onus intolerabile pœnitentibus impoſitum eos cogendo, ut vel mediate, vel immediate in Menſa ſancti Officii proprium peccatum declararent ob malitiam vel ignorantiam Confeſſarii, caſu quo aliquis daretur, qui de nomine complicis interrogaret* (ſi ut vidimus, ſanctum Officium pœnitentes ad id non cogebat, quando Paſtoralis evulgata fuit, qua de cauſa hæc conficta ſunt? Num pœnitentes cogebantur, ut propriam turpitudinem declararent? Sed hæc libuit ſic falſo repreſentare, ut ſic fortius bellum in illud Tribunal cieretur) *ſugillatam famam Confeſſariorum, quos delegeramus literis, & virtutibus ornatos, & etiam noſtram, quia poſito prædicto errore de eo extirpando non cogitabamus &c.* Et poſtea: *Quapropter ad ſanctiſſimum Patrem recurrimus ei repræſentantes, in noſtra Diœceſi prædictum errorem non dari, juriſdictionem ordinariam offenſam inveniri, opinionem Confeſſariorum maculatam, atque oves intolerabi onere gravatas &c.*

27 Hæc & alia, quæ in Paſtorali habentur, & quæ publice facta ſunt, cur non refert Muratorius? Quibus larvis abſcondere poterit

non

non religioni, ſed juriſdictioni proſpicere; non diffidia tollere, ſed augere; non eradicando, ſed negando errori invigilare; non communi damno, ſed ſuæ, Confeſſariorumque famæ providere; non punire delinquentes, ſed liberare; non juriſdictionem Ordinariam, in nihilo læſam, defendere, ſed Delegatam conculcare, actum fuiſſe? Forſitan in hunc apicem omnia, quæ acta ſunt, non collinearent, mensque innocua, vanis tamen illuſionibus decepta, aut ſcrupulis indoctis agitata hæc omnia agenda eſſe perſuaderet. Nullus certe in vitium daret, quod ad ſanctam Sedem recurſus fieret, & ab Eccleſiæ Oraculo reſponſum expectaretur. Sed quis excuſare poterit, quod Fidei Tribunal incomptis verbis impeteretur; quod ejus edicta ab Ordinariis proſcriberentur; quod ſubditi à præcepto ſuperioris delegati eximerentur? Res nunquam viſa! Auſus omnino improbandus! Jam hic non veniebat in mentem levamen ovium inter duo contraria præcepta fluctuantium: ſi enim parebant delegato, Ordinarium contemnebant; ſi Ordinario, cenſuras à delegato impoſitas incurrebant? En quod fidelium conſcientiis diſcrimen parabatur, hoc tamen non attendebatur, dumodo Confeſſarii interrogantes immunes à ſancti Officii juriſdictione redderentur.

28 Ait ibidem Muratorius, *ejuſmodi controverſiam ad Romanam Congregationem ſancti Officii delatam fuiſſe, atque aut paucos, aut nullos ibi offendiſſe, qui pro Epiſcopis non ſteterint.* Me perſuaſum habeo, non omnimodæ veritati conſonum ſe exhibere: plus enim fidei adhibendum eſſe arbitror eidem Pontifici Maximo, quàm Muratorio: Pontifici inquam ad Eminentiſſimum Inquiſitorem ſcribenti, noluiſſe negotium illud committere prædictæ Congregationi, utpote qui ſciret eam *indulgentiorem eſſe, quàm Luſitanam.* Quod pro Epiſcopis tunc ſteterint, non mirandum, notæ quippe eis erant Epiſcoporum querelæ omni artificio compoſitæ, non verò aut ſancti Officii edicta, aut cauſæ, quæ Tribunal illud ad ſic agendum moverant, innotuerant; poſtea, viſis omnibus, in contrariam abiiſſe ſententiam, ipſæ Pontificiæ Conſtitutiones ſat oſtendunt. Unde leviter, (ne aliud dicam) ſcripſiſſe cenſendus eſt, dum ait: *Proinde Summus Pontifex adhibitis in Conſilium compluribus doctiſſimis Cardinalibus, & Theologis, poſtquam concordia omnium vota convenire in ſententiam Epiſcoporum ſenſit, decretalem alteram efformavit.* Equidem in ſententiam Epiſcoporum non conveniſſe ex eadem Conſtitutione, in qua prima Decretalis confirmatur, evidenter pateſcit: *In lachrymas conſolationis effuſos non paucos fuiſſe* ipſe *compertum habet*; nos, qui vidimus, id non teſtamur. Lætitia externa profuſos aliquos, non tamen ſpirituali, ſed mere carnali, id ſcimus, cauſas autem hujus lætitiæ non ignoramus.

29 Lectorum oculis deinde eamdem Conſtitutionem exhibet; melius tamen feciſſet ille ſi non exhiberet, teſtimoniumque apertiſſimum in ſe non produceret. Sic ait: *Hic igitur iterum configitur quæcumque perverſa Confeſſariorum curioſitas* (melius diceret, erronea opinio) *ac præcipue negantium abſolutionem renuentibus revelare complicem.* (An negatio abſolutionis ad *curioſitatem* referenda erit? Non eſt manifeſtiſſimus error cenſere indiſpoſitum, qui *complicem* non declaret?) *Eosque à ſacra Inquiſitione puniendos ſancta Sedes decernit: dummodo tamen hujuſmodi interrogandi, ac denegandi actus talibus circumſtantiis conjunctus ſit ac conveſtitus, quæ ſic agentem Confeſſarium de adhæſione ad prædictam reprobatam praxim, tanquam ad licitam, vel alio quovis modo de prava credulitate ſuſpectum reddant. Si ejuſmodi circumſtantiæ deſint, deferendus non erit ille ad Inquiſitionis Tribunal.* Ergo jure ſuo uſus fuit Eminentiſſimus Generalis Inquiſitor. Ergo jus non ſuum ſibi abrogavit Excellentiſſimus Eborenſis, ac ſine jure in Fidei Tribunal inſurrexit. Redeamus, ad edictum, redeamus ad Eborenſem Paſtoralem: *Aliqui Confeſſarii* (inquit edictum) *imprudentes prætendunt in hoc Regno introducere doctrinas admodum præjudiciales, & injurioſas ſacramento Pœnitentiæ, inducendo pœnitentes, ut in actu confeſſionis ſacramentalis declarent nomina complicum ſuorum peccatorum, ac loca habitationis eorum, et ſi non faciunt, in illam temeritatem evadunt eis denegandi abſolutionem.... Attendentes, quod pro munere noſtro debemus vitare, ne introducantur doctrinæ erroneæ, male ſonantes, & ſcandaloſæ, quibus panditur via ad faciendum fidelibus odioſum ſacramentum Pœnitentiæ.... Confeſſarii verò, de quibus agimus, ob ſuam imprudentiam, quin dentur circumſtantiæ, & diſtinctiones à Doctoribus memoratæ, generaliter, & frequenter ad praxim reducunt, prædictam doctrinam in caſibus, in quibus nec debetur, nec poteſt applicari ſine abuſu ſacramenti &c.* Quis adeo obtuſus erit, ut non videat edictum illud reſpexiſſe ſolum ad doctrinam erroneam, & ejus praxim generaliter admiſſam, & cum frequentia exercitam, ex qua ſuſpicionem adhæſionis, & erroris, circa prædictam praxim, nemo non videt, non ſolum, quia putabant eam eſſe licitam, ſed etiam quia neceſſariam eſſe ducebant, ut pœnitentes ad ſacramentalem abſolutionem cenſerentur diſpoſiti. Si frequentia in actibus prædictis, & in reprobata praxi retinenda non inducunt adhæſionem, neque ſuſpicionem de prava credulitate, neſcio ex quibus hæc ſuſpicio eruenda ſit. Cum ergo edictum ſancti Officii ad eamdem doctrinam reſpexerit, eodem modo, quo in prædicta Conſtitutione declaratur, evidenter deducitur ſuo jure uſum fuiſſe Fidei Tribunal, neque ad ſimplices interrogationes immiſiſſe manum.

30 Nunc

30 Nunc ad Paſtoralem Eborenſem. Sic refert edicti verba: *Ad notitiam illius Tribunalis deveniſſe per doctas, & timoratas perſonas, quod aliqui imprudentes Confeſſarii* (ſi tantum loquitur de aliquibus imprudentibus Confeſſariis, quomodo antea dixerat per illud edictum maculari *Confeſſarios à ſe delectos?*) *prætendunt introducere in hoc Regno doctrinas admodum præjudiciales, & injurioſas ſacramento Pœnitentiæ, pœnitentibus in actu confeſſionis ſacramentalis ſuadentes ut eis declarent nomina complicum ſuorum peccatorum, & loca ubi degunt, & id renuentibus denegantes abſolutionem, eam praxim generaliter obſervantes, ſibi aſſumpto eo prætextu, opinionum ſcilicet aliquot Doctorum, quibus rite intellectis, nullatenus prædictæ univerſali praxi favere poſſunt; quæ licet diſſimuletur apparentibus coloribus zeli bonorum ſpiritualium animarum, emendationis complicum, & aliis ejuſdem generis, revera tamen eſt erronea, falſa, & ſcandaloſa, fideles à ſacramenti frequentia removens, & aliis inconvenientibus, & damnis aditum aperiens, ut de facto accidiſſe jam conſtat: qua propter auctoritate Apoſtolica jubent in virtute ſanctæ obedientiæ, ſub pœna excommunicationis maioris, ipſo facto incurrenda, præcipiunt omnibus Confeſſariis regularibus, & ſæcularibus, quod abſtineant cogere, perſuadere, vel etiam à pœnitentibus inquirere in actu confeſſionis ſacramentalis de complicum nominibus, & locis ubi habitent, & aliis impropriis circumſtantiis &c.* En Excellentiſſimus Archiepiſcopus in ſuamet Paſtorali evidenter exprimit edictum ſancti Officii vetaſſe introductionem, & generalem, ac frequentem praxim, qua de agimus, atque doctrinam aſſerentem, eam praxim licitam eſſe, atque hæc denuntiare juſſiſſe. Quid adhuc deſideramus teſtes? Nonne ipſam praxim damnaverat Summus Pontifex eiſdem proculdubio cenſuris, quibus eam inceſſerat Fidei Tribunal? Num aliquid aliud ſibi ſumpſit denuntiandum, quam id ipſum, quod ſupremus Paſtor ſancto Officio denuntiari jubet, atque ejus juriſdictionis proprium fatetur? Num ſimplicia facta, & vel erroris, vel ſuſpicionis erroris immunia ſibi vel leviter reſervavit? Num præcepit, ne hæ interrogationes aliis circumſtantiis non conveſtitæ Ordinariis non denuntiarentur? Num verbum aliquod, quod Ordinarios vel leviſſime offenderet, ſuo edicto adjecit? Nonne omnes diſſertationes, quæ pro ſancto Officio prodiere, clariſſime explicarunt, & diſtinxerunt, inter interrogationes qualificatas, & ſimplices ita ut ſolis primis ſanctum Officium ſeſe immitteret? Ludat Muratorius, ludant verbis ipſi Antiſtites; tergiverſationibus Muratorius iſte indulgeat, hæc clariora ſunt, quam ut exornationibus, & depictis falſiſque pigmentis indigeant.

31 Hæc tamen, quæ ad ſanctum Officium ſpectaſſe declarat ſupremus

premus legiſlator, incompetenter factum Archiepiſcopus accuſat, in his verbis: *Tum quia notabamus iſtius facti incompetentiam.* Cujus facti? Ejus ſcilicet, quod ſcriptum reliquit, ut ex ſuomet ore judicetur. Et ne incomptis verbis parceret, ſic ait: *Huic noſtræ ſupplicationi reſpondit ſua ſanctitas, quod licet ipſe repræſentatis malis cauſam non dederit, cogitabat tamen de opportuno remedio adhibendo.* Cur Excellentiſſimus Antiſtes hoc *remedium non expectavit*? Sciunt omnes, ego ſileo: *Et eodem tempore*, (proſequitur) *notorium fuit ſuam ſanctitatem ad ſanctum Officium ſcripſiſſe, ut dictum remedium adhiberet.* (Si ei hoc tribuit miniſterium, quomodo ejus manus ligavit, ut diceretur commiſiſſe *attentatum*, ut inſipienter nimis dictum eſt?) *Verum adeo datum non eſt, ut conſtiterit, publice peti atteſtationes* (en falſiſſima calumnia in ſanctum Officium prajacta, de hoc enim ne quidem cogitavit) *& ſic aliqui teſtati ſunt, non ſolum falſo declarantes revera dari prædictum errorem* (contrarium judicavit ſupremus Pontifex, cui aſſertioni omnino contraria ſunt hæc verba) *ſed etiam aliquibus expreſſionibus utentens, quæ verbis contumelioſis famam Ordinariorum offendunt.* (Nonne hæc verba publice evulgata Eminentiſſimo Cardinali, & cæteris Inquiſitoribus ſunt calumnioſa?) *Attamen ob pacis amorem hunc novum exceſſum ſuſtinuimus.* Quomodo ſuſtinuerunt, ſi notiſſimum eſt, omnem lapidem in curia interim moveri? Num volebant rem pro libito machinari, & quod cæteri ſilerent? Quomodo ſuſtinuerunt, ſi vulgatiſſimum eſt, neque negari poteſt, etiam ſuas quæſiviſſe atteſtationes, in quibus optimorum virorum opinio lædebatur, dum ipſi eos odio virtutis commotos hæc falſa teſtatos fuiſſe aſſererent?) Quàm facile in aliis accuſamus, quæ in nobis ipſis non agnoſcimus!

32 Sed adhuc pergit Paſtoralis illa in hunc modum: *Sic nos conſervavimus, uſque ad Dominicam primam Quadrageſimæ præſentis anni, in qua, ſecundum conſuetudinem, evulgatur edictum generale caſuum ad ſanctum Officium ſpectantium, in quo addita ſunt ſequentia verba.* (Si ſciunt aliquem Confeſſarium regularem, vel ſæcularem in actu confeſſionis ſacramentalis interrogaverit pœnitentes de nominibus complicum ſui peccati, & loco ubi habitent; & ob id non declaratum eis denegaverit abſolutionem): *His verbis confirmatur, ut ex illis videre eſt, quod juſſum fuerat in edicto præfato, 6. Maii in ordine ut pœnitentes denuntiarent in Tribunali ſancti Officii Confeſſarium interrogantem de complice; & multo clarius juriſdictio Ordinaria præcipiendo denuntiare culpas, quæ ad dictum Tribunal non ſpectant.* Quiſquis rem iſtam perpenderit, ſtatim manifeſtiſſimam calumniam odorabitur. Diximus jam, & ex ejus epiſtola familiari conſtat, Pontificem Maximum ad Eminentiſſimam Inquiſitorem ſcripſiſſe,

ut

ut Doctorem particularem, ſibi videri onus denuntiandi pœnitentibus impoſitum, *troppo forte*, cogitaret ipſe quomodo id emendandum eſſet. Nihil aliud ſibi viſum eſt à juriſdictione ſancti Officii alienum. Eminentiſſimus Cardinalis ut voluntati Pontificis, etiam ut Doctoris particularis ſe accommodaret, ſic ſecundum compoſuit edictum, ut in eo pœnitentes nullatenus, ut antea videri poterat, comprehenderet, ſed alios qui ſcirent Confeſſarium quemque pœnitentes de complicum nominibus interrogare, & ob eam declarationem non factam eis denegare abſolutionem, ita ut pœnitentes ipſi habeantur in objecto, non in præcepto. Et tamen Excellentiſſimus Eborenſis ex ipſis perſpicuis verbis deducit ex ipſis confirmari præceptum pœnitentibus in alio edicto impoſitum: & qui illa verba adeo clara ad primum edictum referre non dubitavit, materiam præcepti referre noluit, ut Tribunal veluti juriſdictionis Ordinariæ uſurpatorem calumniaretur. Quis ergo ambigat Paſtoralem illam Pontificiæ Conſtitutioni fieri contrariam, dum negat eam ipſam juriſdictionem delegatam, quæ in prædicto caſu praxis erroneæ, vel erroris ſuſpectæ ipſa conſtitutio expreſſe confirmat.

33 Cum autem Muratorius totus in eo ſit, ut rectum agendi modum in Epiſcopis laudet, è contra verò ſanctum Officium exprobet, patiatur ut ex eadem Eborenſi Paſtorali eum reconveniamus: *Qua propter* (habet illa) *ad conſcientiæ noſtræ ſecuritatem, & ut omni tempore conſtet, quod juriſdictio Ordinaria defenditur, ad noſtrorum ſubditorum quietem, & tranquillitatem neceſſarium ducimus declarare, quod pendente recurſu ad ſuam ſanctitatem interpoſito nulla eſt obligatio denuntiandi ſancto Officio Confeſſarios, qui de complicibus interrogaverint, eo quod prædicta culpa ſit propria juriſdictionis Ordinariæ, & in ejus executionem, ac Brevis, quod ſanctitas ſua dignatus fuit ad Ordinarios hujus Regni expedire, quamvis certi ſimus noſtram Diœceſim ab hoc errore liberam inveniri, attamen ne in futurum ſerpat, ordinamus, & præcipimus ſubditis noſtris in virtute ſanctæ obedientiæ, quod ſi ſciverint eſſe Confeſſarium, qui* paſſim, & generaliter *inquirat nomina complicum, aut habitationis locum, eum veniat coram nobis denuntiare &c.* Quot vitiis prædicta Paſtoralis laboret, nunc mei inſtituti non eſt adnotare, qui inſtrui cupiat, legat diſſertationem *Reflexoens ſobre a Paſtoral de Evora*, & alias, ideo à Muratorio vocatas ſatyras, quia eam ex omnibus titulis tanto Principe, tamque eximio Antiſtite indignam aperuerunt. Ad intentum vero revincendi Muratorium, eum percontor. An ſanaverit conſcientiam ſuam ille Excellentiſſimus Antiſtes, cum potius juxta ſententiam Valle de Moura (5) communiter receptam: *Epiſcopi exercentes talem juriſdictionem peccant graviſſime tum ob uſurpatam juriſdictionem,*

(5) De incantat. opuſc. 1. ſect. 3. cap. 1. n. 40.

nem, tum quia non modicum detrimentum poterunt fidei negotio afferre? An ei interponenti prædictum ad ſanctam Sedem recurſum liceret id novare, quod in ſua Paſtorali habetur, quam tamen ægre tulit, maleque habuit ſanctiſſimus, ut ex Epiſtola ſcripta tunc temporis ad Eminentiſſimum Inquiſitorem expreſſe conſtat? An aliquo jure probetur poſſe Ordinarios ſancti Officii edicta revocare, & ſubditos ab obedientia ei debita abſolvere? An ei datum ſit definire eam culpam ad ſanctum Officium non pertinere, præcipue cum quæſtio illa ad Summum Pontificem, ut inquiunt, delata eſſet? An malitia, quæ datur in complicum interrogatione, conſiſtat ſolum in frequentia, ut toties explicant Eborenſes Paſtorales, an verò in actibus ipſis in ſe malis, totieſque prohibitis? An doli expers ſit ea clauſula nude concepta, *inquirant nomina complicum*, cum tamen in edicto inveniatur qualificata, & conjuncta cum denegatione abſolutionis, quæ malitiam malitiæ addere proculdubio viſa eſt? Hæc recogitet, his reſpondeat Juriſconſultus iſte Mutinenſis, credo enim multoties erraturum, ſi defendere cogitaverit. Ut minus erret, videat ipſe Bullas Innocentii VIII. an. 1485. Alexandri VI. an. 1494. Leonis X. an. 1518. Videat Bullam Clementis VII. an. 1524. ubi expreſſe habetur *irritum, & inane eſſe*, quidquid contra ſancti Officii Decreta attentatum fuerit, etiam per recurſum ad Sedem Apoſtolicam. Videat Bullam Clementis VIII. an. 1595. ubi habetur in dubiis emergentibus ſuper decretis, aut ſententiis ſancti Officii ad Inquiſitorem Generalem, & non ad alium recurrendum eſſe. Videat Dianam *tom. 5. in coordin. tract.* 10. *reſol. 16. n.* 1. docentem *ſtatuta, ſeu leges directe, vel indirecte officium Inquiſitionis impedientia eſſe ipſo jure nulla.* Videat *Cortiad. tom.* 1. *dec.* 30. aſſerentem decreta ſancti Officii *clauſis oculis* eſſe obſervanda. Videat *Suar. de Legib. lib.* 1. *cap.* 9. *Bonac. de Legib. p.* 7. *punct.* 1. *Buzemb. tract.* 2. *de Legib. cap.* 1. *n.* 3. qui docent *legem obligare, etiam ſi contra juſtitiam legis proponantur rationes probabiles.* Quotquot autem contra Inquiſitionis edictum proponuntur probabilitatis metas non prætergrediuntur; quinimo nec attingunt.

34 Interim, ab eo audire exoptarem, cur ſanctum Officium jure dicetur juriſdictionis Ordinariæ uſurpator, non vero Antiſtites juriſdictionis delegatæ uſurpatores? Ut hujus reconventionis vis agnoſcatur Conſtitutionem *Ubi primum*, edictum ſancti Officii, & Eborenſem Paſtoralem recenſere oportet. Certum eſt, Pontificem Maximum in prædicta Conſtitutione definiiſſe illud crimen interrogandi complices, cum aliquo errore, vel erroris ſuſpicione conjunctum ad ſancti Officii juriſdictionem ſpectaſſe; iis verò circumſtantiis non conveſtitum ad Ordinarios attinere. Certum eſt etiam in eadem

Conſtitutione

Conſtitutione haberi ea crimina ſic qualificata ſancto Officio denuntianda eſſe; Ordinariis verò, ſi aliqua ex prædictis circumſtantiis deſtituta ſint. His poſitis certis principiis, dicat Muratorius, cur de ſancto Officio dicendum ſit uſurpaſſe juriſdictionem Ordinariam; cum tamen omnia ejus verba doctrinam erroneam, praxim perverſam, & actus qualificatos expreſſiſſime reſpiciant: non vero aſſerendum ſit Paſtoralem Eborenſem privativæ juriſdictionis delegatæ fuiſſe uſurpativam; cum tamen, etiam ſuppoſito errore, abſolute, & indiſtincte in ea habeatur, *eam culpam propriam eſſe juriſdictionis Ordinariæ, atque non eſſe denuntiandam ſancto Officio*, & abſolute præcipiatur, quod *Ordinariis denuntientur Confeſſarii* paſſim, & generaliter *illud crimen committentes*? Cur condemnandum ſit edictum illud, nullatenus prohibens, quod culpa illa Ordinariis denuntietur, immo grate, & hilariter accipiens eam praxim ab Eminentiſſimo Patriarcha reprobari: non vero condemnanda ſit Paſtoralis Eborenſis, quin & Algarbienſis, præcipiens ne illud crimen ſancto Officio denuntiaretur? Cur de ſancto Officio, quod ad caſum qualificatum in ſuo edicto ſe reſtrinxerat dici poterit caſui non qualificato ſe immiſcuiſſe; de Eborenſi verò Antiſtite, non affirmabitur, caſus etiam qualificatos confudiſſe, dum omnes abſolute uno verbo ſine reſtrictione, aut explicatione aliqua ſibi denuntiandos eſſe conſtituerit? Cur ſancti Officii edictum Conſtitutioni cohærens, ipſi Conſtitutioni contrarium proclamandum erit; Paſtoralis vero Eborenſis, ipſi Conſtitutioni in tam multis contraria, ſuſtinenda, laudandaque erit? Rationem differentiæ audire cupio, conſonam tamen nunquam ſpero me conſequuturum.

35 Multa præterea congerit Muratorius, quædam futilia, alia artificioſa, mendoſa alia, quæ omnia refellenda veniunt. Ait 1. *Non deſunt ſane Confeſſarii ſimplicitate laborantes, qui melius conſcientiæ pœnitentis ſe proſpicere poſſe aliquando putent, ſi nomen complicis audiant.* Num meræ ſimplicitati tribui poteſt, poſt edicta, poſt conſtitutiones id proſcribentes? Eſto, quod adhuc ea ſimplicitate laborent; an in judicio excuſatio ignoratæ legis admittenda erit? Num in foro externo erit audienda ea ſimplicitas? Et quis erit, qui decernat, Confeſſarium ſic interrogantem, ex errore, aut ignorantia, non vero ex malitia deliquiſſe? Cui erit relinquendum illud intentionis examen? An ipſis de complice frequenter interrogatis? An populo rudi? An mulierculis ignorantibus? Sed Muratorius ſolum de excuſandis Confeſſariis, tegendoque delicto egiſſe viſus eſt.

36 Ait 2. *Fieri poteſt, ut nulla malitiæ ſuſpicio in ipſos cadat: quod non difficile proſpici poteſt. Quum exempli cauſa de furtis, de fraudibus, de periclitante alicujus bonore agitur: tum bonus Confeſſarius* (*impru-*

(imprudenter fortaſſe) exquirat complicis nomen, conſilium, ut ſibi videtur, opportunum daturus. Bonus Confeſſarius imprudenter inquirens! Bonus Confeſſarius, putans ſibi licere, quod illicitum eſſe docent Doctores! Sed tranſeat. Num ea praxis furta, fraudes, aut periclitantem honorem reſpiciebat? Nihilo ſecius. De his ſuæ eximiæ charitati nulla ſolicitudo erat. Totus zeli fervor in fragilitatis peccata cum complice commiſſa ferebatur. Ad hæc tetendiſſe edictum manifeſtum eſt. Cur ergo Muratorius hæc à quæſtione aliena in trutinam revocat? Ut omnia in obſcuro reponat. Num in recenſitis caſibus agitur de complicibus. Minime, ſed de ſociis, aut de tertiis perſonis. In his autem, ſi verum amamus, inexcuſabilior eſt ea ſimplicitas, aut error, aut curioſitas. Ad quid enim Confeſſario opportunum conſilium daturo, opus eſt ſcire ſocios furti, aut fraudum ſocios? Iſti tamen caſus, ut à Muratorio proponuntur, nullatenus ad ſancti Officii edictum referri poſſunt. Quod ſanctum Officium ſibi aſſumpſit damnandum, atque puniendum, ex edicti contextu evidenter pateſcit, nempe complices peccatorum inquirere, eos adigere ad id declarandum, eis perſuadere ad id teneri, extorquere licentias ad uſum notitiæ ſacramentalis, & denegare ex ea cauſa abſolutionem. Quis ſanus, quis prudens, quis rem ſerio perpendens, hic non ſimplicitatem, ſed malitiam non ſuſpicabitur? Quis adeo obtuſum geſtabit pectus, ut non agnoſcat id continere in materia adminiſtrandi ſacramenti apertiſſimum errorem, ac maximi nocumenti pernicioſiſſimas conſequentias? Aſt Muratorius deceptionibus ſtudens, ſophiſmatibus delectatus, cum hæc ignorare non debuiſſet, extra rem alio ſe vertere fraudulenter cogitavit.

37 Ait 3. *Hic tamen illius error ad cognitionem Inquiſitorum non pertinet. Idem infra aliis diſertis verbis inculcat Pontifex.* Quis unquam dixit hanc Confeſſarii ſimplicitatem ad cognitionem ſancti Officii attinuiſſe? Ex quibus verbis colligi poteſt ſanctum Officium hunc caſum, prout cavilloſe proponitur, ſibi quandoque reſervaſſe? Cur ludimus extra aleam? Sed fingamus tantiſper pœnitentem confeſſum fuiſſe ſe furatum, ſe fraudibus uſum fuiſſe, ſe proximum in honore læſiſſe. Si Confeſſarius perſuadeat pœnitenti ſe obligatum eſſe alios in crimine ſocios ſibi declarare, teneri præſtare licentiam, ut eos judicibus accuſet, aliterque indiſpoſitum eſſe, nec eum poſſe abſolvere, ſi id non faciat. Nonne doctrinam docet omnino falſam, omnino erroneam? Non eum inſtruit ad proximum ſine neceſſitate infamandum? Nonne ſacramento abutitur? Nonne oritur juſta ſuſpicio eum id licitum eſſe arbitrari? Deinde tranſcribit iterum, ut paginam libelluli corpulentiorem faciat, Conſtitutionis verba, in quibus Pontifex Maximus decernit, *interrogationis actum iis cirmſtantiis*

tiis deſtitutum, quæ de prava credulitate, vel de mala adhæſione ad praxim tanquam licitam Confeſſarium ſuſpectum reddant, ſancti Officii cognitioni ſubjectum non eſſe. Ita ſane, nec ambigit ullus. Sed iterum à Muratorio audire cupio. Quis judex erit, an intervenerint eæ circumſtantiæ, an detur ea ſuſpicio, an ea adhæſio intercedat? An ipſi Confeſſarii prædictæ praxi fortaſſe addicti? Quis denuntiabit Confeſſarium illum? Quibus mediis errori ſemel concepto occurſus fiet? Nonne eadem inter Ordinarios, & ſanctum Officium contentio parata redditur, adnitentibus ſemper iis, nullam ad praxim tamquam licitam adhæſionem intervenisse? Nonne ad ſanctum Officium ſpectat dignoſcere an factum, vel dictum ſapiat hæreſim? Id una voce docent ſcribentes in materia, quorum aliquos ſupra allegavimus? Supponamus ſancto Officio ex quatuor, vel quinque, vel pluribus denuntiationibus conſtare (non enim aliter in ſimilibus materiis procedere ſolet) Confeſſarium interrogare de complice, & denegare abſolutionem. Nonne poſita doctrinæ, & praxis abſolutiſſima damnatione, oritur juſta ſuſpicio adhæſionis ad praxim ex ejus frequentia? *Ex actu ſiquidem geminato videtur crimen ad conſuetudinem trahi*, adeoque ſufficit, quod quis duplici vice ſermonibus hæreticorum aſſiſtat, ut contra eum hæreſis ſuſpicio reſultet. *Dian. reſol. 93. tract.* 8. Immo evidenter cognoſcitur, non modo contra ſancti Officii edictum, ſed etiam contra Pontificias Conſtitutiones inobedientia, & pertinacia, ex qua maxima ſuſpicio reſultat, ſufficiens, ut ſanctum Officium procedere poſſit. *Caſtr. de Juſta hæret. punit. lib.* 1. *cap.* 9. præcipue cum rariſſimus, & Metaphyſicus ſit caſus, quem Doctores admittunt? Craſſiſſimi ingenii erit, qui hæc, aliaque ex moderatione ſilentio obvoluta, non agnoſcat, non attingat, non meditetur. Videatur Diſſertatio, ſeu Epiſtola, cui titulus: *Judicium prudens*, ubi omnia notantur, & præcaventur.

38 Ait 4. *Rectiſſime hæc; nam ea quæ errorem, aut ſuſpicionem erroris contra Dogmata fidei, aut opiniones ſcandaloſas, & pernicioſas à Sede Apoſtolica damnatas minime continent ab Inquiſitionis juriſdictione ſemota ſunt. Æquiſſimus verò Pontifex nihil voluit imminutum de Ordinaria juriſdictione Epiſcoporum, quam tamen læſam ab Inquiſitore Generali iidem, ut ſupra vidimus expoſtulabant.* Etiam, ut ſupra vidimus, injuſtiſſime conſtat expoſtulaſſe. Etiam Æquiſſimus Pontifex nihil de juriſdictione delegata imminutum voluit. Etiam idemmet Pontifex Maximus in eadem Conſtitutione definiit eam doctrinam, eam praxim interrogandi complices, adigendi pœnitentes, & denegandi abſolutionem eſſe erroneam, ſcandaloſam, pernicioſam &c. Etiam jam ſupra probatum reliquimus, ad ſancti Officii cognitionem ſpectare doctrinas erroneas, & ſcandaloſas, quæ

 revera

revera tales ſint, licet adhuc ultimo infallibi judicio à ſancta Sede proſcriptæ non inveniantur: neque circa id aliqua ſupereſt inter Doctores dubitandi ratio. Ridiculum ſane foret, ad novum quemcumque caſum, novumque errorem novam appetere Conſtitutionem, cum ſat ſuperque ſit eadem creationis Bulla, innumeræque aliæ quæ tum in Bullario magno, tum in Inquiſitionis Collectorio paſſim habentur, quæ ſupra relata ſunt. Ad refellendum verò Muratorium aptiſſima eſt Bulla Julii II. quæ habetur in Bullario Romano *fol. 16.* confirmata poſtea ab Adriano VI. an. 1523. per Bullam *Dudum* ex qua conſtat in civitate Cremonæ aliquas doctrinas introduci cœpiſſe, ex quibus abuſus ſacramentorum, perniciosa exempla, plurimorumque ſcandala oriebantur:& cum Generalis Inquiſitor ex officio prædictos abuſus coercere intenderet, ei ſe oppoſuerunt multi, non alio, quam eodem prætextu, quo nunc utitur Muratorius. Nihilominus tamen, eos ſic reprehendit: *Nonnulli autem quærentes plus ſapere, quam oportet, præmiſſa delicta ad ejuſdem Georgii Inquiſitionis officium non pertinere temere aſſerentes, præſumentes in populo errores, & ſcandala ſeminaverunt, & prædicti Georgii officium impedire conati fuerunt.* Et poſtea concludit ea omnia crimina ad ſanctum Officium pertinere.

39 Ait 5. *Itaque ſi quis cognoverit, quemquam è Confeſſariis deliquiſſe modis in Pontificio Brevi expreſſis, obligatur ad illud denuntiandum ſancto Officio intra terminum triginta dierum, tunc ſolum quando circumſtantiæ occurrunt, quæ indicent, aut juſtæ ſuſpicioni locum præbeant, Confeſſarium credere licitam hujuſmodi interrogationem, quæ intrinſece illicita ſit, niſi forte legitima aliqua cauſa interrogandi, de qua ſupra agimus, intercedat.* Quis erit iſte, qui cognoſcat, quod in confeſſione occulte inter Confeſſarium, & pœnitentem actum eſt? Quis erit, qui agnoſcat *Confeſſarium deliquiſſe modis in Pontificio Brevi expreſſis*? Quis erit iſte, qui diſcernere ſciat an occurrerent præfatæ circumſtantiæ? Quis erit iſte, qui judicet de credulitate Confeſſarii? Quis erit iſte, qui judicet, an illa interrogatio intrinſece illicita ſit, an verò ex legitimis cauſis facta? Miror homines doctos hæc, quæ primo in proſpectu advertenda offeruntur, nullatenus attigiſſe. Omnis res in obſcuro repoſita videtur, ut nullus ſit, qui denuntiet, nullus qui ea obligatione adſtrictus cenſeatur. Si Confeſſarii ipſi manu Dei potenti tacti, aut cenſurarum timore perterriti ſe à ſimili praxi exercenda non contineant, proculdubio ab aliis pœnis ſine timore aliquo liberabuntur; denuntiationes ſiquidem vel nullæ, vel inutiles fient. En quo collineavit totus Epiſcoporum labor, totus querelarum, & ſugeſtionum ſtrepitus. En quo collimant obliqui Muratorii compoſiti ſermones, quò etiam tendunt illa verba: *Niſi forte legitima aliqua cauſa interrogandi intercedat.* Ad interroganda

roganda complicum nomina, & alias circumſtantias, ex quibus in eorum individualem cognitionem deveniatur, nulla poteſt dari legitima cauſa, & multo minus ad adigendos ad id pœnitentes, & ad denegandam ex ea cauſa abſolutionem, neque Muratorius contrarium relinquit probatum, ut jactat; nos verò, quod dicimus jam firmatum reddidimus: ſufficit enim quod pœnitens habeat pro ſe opinionem probabilem ad id non teneri, ut à Confeſſario cogi non poſſit, & teneatur ſtare pœnitentis opinioni. (6)

40 Ait 6. *Ad hoc etiam, ut denuntiatio facienda ſit ſancto Officio, exigit Pontifex, ut Confeſſarius ſacramentalem abſolutionem pœnitenti denegarit.* En cui doctrinæ adhærent Confeſſarii quidam de complice doloſe interrogantes, ut ſi forte pœnitentes detegant, ea notitia uti poſſint, ſi verò renuant, non ad ulteriora progrediantur; vel alius, qui antequam Confeſſiones audiat, inquirit à pœnitente, utrum deferat culpas, & peccata cum complice commiſſa; ſi innocens pœnitens reſpondeat, deferre, ab eo petat, ut vel ante, vel poſt confeſſionem ei complicem manifeſtet. En quomodo illuduntur Pontificiæ Conſtitutiones. En quibus favet Muratorius. Pontificem Maximum in ſua Conſtitutione ſub eodem contextu comprehendiſſe utrumque caſum manifeſtum eſt. An verò neceſſarium ſit, quod uterque actus interrogandi, & denegandi abſolutionem ſimul concurrant, ut ſanctum Officium procedere poſſit, explicatione opus eſt, ad quam faciendam maiori auctoritate indigemus, quam Mutinenſis Bibliothecæ Præfecti, nulla interpretandarum legum facultate muniti. Ponamus Confeſſarium pœnitenti ſemel, atque iterum perſuadere, ſe, ut diſpoſitus habeatur, obligatum eſſe ad declarandos complices, atque ad præſtandam licentiam ad uſum notitiæ ſacramentalis, ut de emendatione, & correctione complicum agi poſſit, & pœnitentes huic falſæ doctrinæ à ſancta Sede clariſſime damnatæ acquieviſſe; ideoque à Confeſſario abſolutos fuiſſe. Nonne, licet non habeamus denegatam abſolutionem, perſpicuè habemus edoctam, deſſeminatamque erroneam, & pernicioſam doctrinam, injurioſam ſacramento, ad revelationem ſacroſancti ſigilli tendentem, famæ proximorum noxiam, & fideles à ſacramenti frequentia abalienantem? Nonne hæc omnia improbavit, proſcripſitque vigilantiſſimus Paſtor? Cur ergo Fidei Tribunal non poterit in hos Confeſſarios noxiam praxim, perverſamque doctrinam introducentes animadvertere? Non alia poterit aſſignari congrua ratio, niſi, quia ſic placet inſigni Muratorio, ejuſque piiſſimis Clientibus. Ipſe fatetur ſanctum Officium ſuam juriſdictionem exercere poſſe in omnes propoſitiones, doctrinas, & errores jam à ſancta Sede damnatas: doctrina illa, praxis illa jam à ſancta Sede damnata invenitur, & multo jam antea reprobata inveniebatur.

(6) Suar. Sayr, Nuno, Henriq. Conich, Sanch. Afor, Vaſq. clav. reg. Zerol, Filiuc. apud Bonac. de Pœnit, ſacr. d. 5. q. 7. p. 4. §. 2. n. 26.

niebatur. Quis igitur ligavit ſancti Officii manus? Intendit ligare celebris Muratorius.

41 Sed bonis avibus, & ſine veritatis præjudicio, demus, quod ipſe ait. Nonne ſanctum Officium in ſuo edicto ſub uno contextu comprehendit utrumque caſum? Id ex eo evidenter liquet; id negare non potuit Eborenſis ipſe in ſua Paſtorali. Non eſt ergo quod rectiſſimo Tribunali imputetur, aut Muratorius in ejus convertat ignominiam. Præterea, eamdem utriuſque caſus connexionem habemus circa juriſdictionem Epiſcopis declaratam: *Quodſi* (ait Pontifex) *Confeſſarii de complicis nomine perperam interrogantis, abſolutionemque, ni ſibi detegatur, denegantis actum contingat ejuſmodi eſſe, ut, quamvis imprudens, & malus, ſimplex tamen quidam, & nudus actus fuerit, id eſt, iis circumſtantiis deſtitutus, quæ de prava credulitate,... tunc... ad locorum Ordinarios in ſua cujusque Diœceſi omnino ſpectabit.* Forſaſſe Ordinariorum manus ligatæ dicentur, ne poſſint animadvertere in Confeſſarios perperam interrogantes, ni ſimul abſolutionem denegaſſe convincantur? Delirus eſſet, qui hæc ſomniaret. Sic in Muratorium retorquetur.

42 Ait 7. *Exceptionem alteram nunc accipe*: (Verumtamen, *ſubdit Pontifex*: Ab hujuſmodi onere juſtis de cauſis eximi volumus, & eximimus perſonam ipſam pœnitentem duntaxat in cauſa propria, id eſt, in caſu, quod ſuum peccatum confitens, à Confeſſario adigatur ad manifeſtandum ſibi nomen complicis in eodem peccato: tunc enim pœnitentem hujuſmodi ab obligatione eumdem Confeſſarium denuntiandi liberamus. Sed quando aliunde, quam ex propria, ut dictum eſt, confeſſione, noverit Confeſſarium aliquo ex ſuperius enumeratis, & ſancto Officio denuntiandis modis deliquiſſe: tunc eum & ipſe denuntiare ex iſta aliunde habita notitia teneatur:) *Dejectum ergo hic habes, ac protritum novum illud jugum, quod Luſitana Inquiſitio ob nimium zelum molita eſt imponere humeris pœnitentium, & de quo jam patet, quam merito piiſſimi Regnorum illorum Epiſcopi fuerint conqueſti.* Quibus rationibus, quibus ſententiis, quibus Doctorum communibus votis ſubnixum ſic edixerit Fidei Tribunal jam ſupra latiſſime expoſuimus, neque vidimus huc uſque ea diruta fundamenta. Ea amplecti *juſtis de cauſis* ſanctiſſimo non placuit. Quæ hæ cauſæ fuerint, non expendimus, quantumvis ſuſpicemur. Quæcumque tamen illæ fuerint, ex eo quod ea obligatio Pontifici non placuerit, neque nobis placuit, neque Tribunali ulterius arriſit; quippe quod etiam ante eam Conſtitutionem, illud onus remiſerat, quatenus aliis ſolum, qui aliunde ſcirent, impoſuerit. Unde non habemus protritum novum illud jugum, quod jam non erat in rerum natura. Habemus tamen blateronem ſic incompte inſanientem, ac teterrima

terrima verborum colluvione æſtuantem. Pontifex prudentiſſimus nec verbum protulit, ex quo ſanctum Officium proterere viſus ſit. Protenit tamen Muratorius. Habemus etiam quam immerito *Regnorum illorum Epiſcopi conqueſti fuerint*; ſiquidem vel ex ipſa Paſtorali Eborenſi aperte conſtat querelas interpoſitas fuiſſe, quando jam ſancti Officii edictum pœnitentes denuntiandi onere nullatenus adſtringebat, ut ex addito paragrafo, & ipſi Paſtorali inſerto clariſſime demonſtravimus.

43 Ait 8. *At quid nunc dicendum de Eminentiſſimi Inquiſitoris edicto? Audi quæ Pontifex infra in hanc rem adjicit.* (*Quæcumque*, is ait, aliter quam præſentibus Noſtris decrevimus, & conſtituimus, ſive in edictis præfati officii Inquiſitionis, ſive in quibuslibet Ordinariorum Mandatis, aut Paſtoralibus literis, vel Decretis antehac ſtatuta prodierint, nos, quoniam per Apoſtolicam hanc à nobis propoſitam agendi ſeu judicandi normam minus neceſſaria fore cenſemus, deſinere jam & ceſſare, ac veluti nunquam emanaſſent, omnem vim obligandi amittere, Motu proprio, & ex certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine declaramus, ſtatuimus, atque ſancimus:) *Non poterat ſummus Eccleſiæ univerſæ Paſtor clarioribus verbis deformitatem illam, violentumque illud remedium tollere, quæ præcipuum argumentum quærelis Luſitanorum Præſulum præbuerat.* Sopori ſuccumbebat Muratorius, cum manifeſtiſſimam reconventionem non inodoravit. Nos retorquemus: *Non poterat ſummus Eccleſiæ univerſæ Paſtor clarioribus verbis deformitatem illam*, & Epiſcoporum injuſtas Paſtorales tollere, quæ totius populi ſcandalo, ac ſancti Officii contemptui cauſam dederant. Summus Pontifex tantummodo vim obligandi ſuſtulit, edictis, aut Paſtoralibus, quæ aliter, quam in ſuis Conſtitutionibus decreverat, prodierint. Cur ergo Muratorius ſolum ea Pontificis verba in ſanctum Officium detorquet, non vero in Epiſcopos, quorum Paſtorales literas ſuæ conſtitutioni contrarias viribus omnino deſtituit? Quam ſubdole, quam inepte, quam inadvertenter hæc agat, æquum erit demonſtrare, atque ſemel, iterumque dicta iterum repetere, ut ſagittas in ſanctum Officium jaculatas, in Muratorium, atque in Paſtorales literas retortas immittamus.

44 Omnia ſingillatim recenſeamus, & comparemus. Sanctum Officium in ſuo edicto prædictam praxim, doctrinamque prohibuit: idem fecit in ſuis Conſtitutionibus Summus Pontifex. Sanctum Officium in ſuo edicto eam praxim, & doctrinam, ut erroneam, ſcandaloſam, famæ proximorum præjudicialem, ſacramento injurioſam, ad revelationem ſacramentalis ſigilli ex ſe aptam declaravit. Iiſdem notis, ac cenſuris eam damnavit Pontifex Maximus. Sanctum Officium in ſuo edicto

edicto improbavit vanos prætextus, & affectatum zelum corrigendorum, & emendadorum complicum. Idem in ſuis Conſtitutionibus ſanctiſſimus improbavit. Edictum ſancti Officii ſalvas, & intactas reliquit ſanas, & innocuas doctrinas, & ſolum proſcripſit, vel falſas, vel male applicatas. Hoc idem fuit ſupremi capitis judicium. Fidei Tribunal non ad alia ſe extendit quàm ad interrogationes complicum, & denegationes qualificatas, & cum errore connexas. Hanc juriſdictionem ei competere decrevit ſapientiſſimus Eccleſiæ Paſtor, & de novo quatenus opus eſſet confirmavit. Sanctum Officium in ſuo ſecundo edicto, quod quereiis cauſam dederat, & in quod Muratorius invehitur, nullam pœnitentibus impoſuit denuntiandi obligationem, immo ſolum tertias perſonas, quæ ſcirent pœnitentes interrogatos de complicibus fuiſſe, reſpexit. Similiter, & Summus Pontifex pœnitentes ab illo onere exemit. Sanctum Officium in ſuo edicto non ſimpliciter egit de nuda, & ſimplici complicum interrogatione, ſed inſimul de ſuaſione, de doctrina, de coactione, de abſolutionis negatione. Hæc etiam omnia Sanctiſſimus in ſuis Conſtitutionibus comprehendit. In quo ergo devium, in quo contrarium, in quo aliter conſtitutum, quàm in Pontificiis Conſtitutionibus, ut revocatum, ſuppreſſum, protritum, ac deforme, ab iſto Muratorio inſulſe corrodente aſſeratur.

45 Nunc ad Eborenſem Paſtoralem convertamur. In ea habetur nullum talem errorem in Luſitania gliſcere, in quo Muratorius adhuc inſiſtit. Summus verò Pontifex aſſerit ſe erroris prædicti certum eſſe. Paſtoralis Eborenſis aſſerit atteſtationes in contrarium productas falſas fuiſſe; cui Muratorius, quin eas videret, aut atteſtantes cognoſceret, libentiſſime adſtipulatur. Pontifex verò Maximus eis fidem adhibuit. Eborenſis Paſtoralis improbat ſancti Officii zelum, Pontifex verò Maximus eum laudat. Eborenſis Paſtoralis jubet, quod ſubditi ſui ſequantur opiniones Doctorum, quin explicet quæ veræ, quæ verò falſæ, aut male applicatæ habendæ ſint. Summus verò Pontifex eas opiniones reprobat, ut falſas, aut male applicatas. Paſtoralis Eborenſis abſolute, & indiſtincte eximit ſubditos à juriſdictione ſancti Officii circa prædictam praxim. At verò Pontifex Maximus circa praxim erroneam eos ſancto Officio, ejuſque edictis adſtrictos profitetur, & jubet ea crimina eidem Tribunali denuntiare. Paſtoralis Eborenſis generaliter, & indiſcriminatim præcipit, quod ſibi denuntientur prædicti Confeſſarii. Pontificia verò conſtitutio id reſtringit ſolum ad caſum, quo actus interrogandi ſimplex, & nudus fuerit. Paſtoralis Eborenſis ſolum prohibet, & ſibi denuntiari jubet frequentiam actuum, qui *paſſim* fiant, quaſi ſi *paſſim* non fiant puniendi non ſint. Conſtitutio verò Pontificia prædictos actus *penitus* reprobat,

reprobat,

Digitized by Google

reprobat, quin caſum aliquem aliquatenus excipiat; adeo, ut etiam ſimplices, & nudos actus ab Ordinariis puniendos eſſe decernat. Immo eadem Paſtoralis ſibi appropiat illorum actuum frequentiam, quæ quidem frequentia eo ipſo crimen illud ſancti Officii juriſdictioni ſubjicit, utpote ex qua reſultat adhæſionis, & erroris ſuſpicio: ſicut in ſimili licet ſimplex ſigilli revelatio ad Luſitanum Fidei Tribunal, ſecundum communiorem opinionem, non ſpectet; attamen ſi ea ſigilli revelatio frequenter fiat, jam ad ſanctum Officium, nullo refragante, ſpectat ejus cognitio propter erroris ſuſpicionem, quæ ex ipſa frequentia reſultat. (7) Ex quibus omnibus evidenter liquet, quam contrariæ Conſtitutionibus Pontificiis appareant prædictæ Paſtorales literæ. Et tamen Muratorius ſancti Officii edictum in omnibus Conſtitutioni Pontificiæ conſonum, in nihilo adverſum, per illa relata verba protritum, & caſſatum inclamat; Paſtorales vero literas ſic diſſonas, ſic contrarias, atque in ipſis verbis expreſſiſſime comprehenſas, nullatenus revocatas, nec ſua vi deſtitutas inveniri, arbitratus eſt. Proh Deus immortalis, quam inermis ſtipendiarius iſte miles in aciem proſilivit!

46 Ait 9. ſeu potius ſic delirat: *Piget nunc dicere, neque ſine dolore dicam: Alia fuit mens Eminentiſſimis Patriarchæ, & Inquiſitori Generali; neuter enim officio ſuo, & expectationi Apoſtolicæ Sedis reſpondit.* O' audaciam execrandam! O' maledicentiam audaciſſimam! Et non puduit hæc venefica eructare! Dolore dixit, dolore capitis intenſiſſimo, qui in phrenitidem declinavit. Eminentiſſimi Purpurati expectationi Sedis Apoſtolicæ non reſpondentes! Et quid commune habet Eminentiſſimus Patriarcha cum Fidei Tribunali, ut in eum atram bilem evomat Muratorius? Nonne ipſe primus fuit, qui errorem confixit, ac Confeſſariis ſibi ſubditis eam praxim prohibuit? Nonne ipſe fuit, qui primus, & ſolus inter cæteros Regni Ordinarios Bullam *Suprema* evulgare fecit? Nonne ipſe, ut cæteri, in ſua Diœceſi Ordinarius eſt? An ipſe in ſua doctiſſima, & orthodoxa Paſtorali aliquid intermiſcuit, quod vel leviſſima revocatione indigeret! Si in culpam ei vertitur, quod Bullam *Ubi primum* evulgare renuerit, cur cæteris in vitium non datur, quod Breve *Suprema*, nec in ſuis Diœceſibus evulgarent, neque executioni mandarent, neque ſaltem apparenti obſequio revererentur? Ah Muratori, Muratori, quæ te dementia cœpit? Quid miror? *Munera excæcant oculos*

 judi-

(7) Pignat. tom. 7. conſul. 54. n. 8. & 9. Monaceli tom. 3. in annot. ad form. 1. 3. p. n. 1. Delben. tom. 2. dub. 195. Carena. p. 2. tit. 18. §. 23. n. 93. Formoſin. p. 3. quæſt. S. Offic. q. 2. num. 10. Dian, tr. 8. reſol. 95. Molfeſ. in Summ. tom. 1. tract. 7. cap. 32. n. 68. Anſon. in compend. ad Dian. verbo Inquiſitor. juriſdict. n. 81. Alphonſ. de Leon de Offic. Confeſſor. tom. 1. reſol. 22. n. 12. caſu 3. Cardin. Albit. de inconſtant. in fid. cap. 35. n. 92. & plures alii.

(8) Ambr. in epiſt. 1. ad Corinth.

(9) Proverb. 17.

judicum, & vim auctoritatis inclinant. (8) Accepiſti ſtipendium maledicentiæ, *ut perverteres ſemitas judicii.* (9) Quid te impellere potuit, ut in tantum Præſulem præceps, effronsque, huic flagitioſo facinori te committeres? Quia pro parte contradictorum ſancti Officii non ſteterit? Quia affectatas cauſas non prætexuerit? Quia calculos conquerentibus non addiderit? Quia pro Religione ſacramenti fortiſſime dimicaverit? Quia erroneam praxim prohibuerit? Profecto nullus eum rei Eccleſiaſticæ ſapientia aut præcellit, aut coæquat: nullus Ordinariæ juriſdictionis acrior exiſtit æmulator, nullus in vera religione tuenda conſtantior: nullus in vero dogmate ſuſtinendo firmior; nullus in reverentia erga ſanctam Sedem ſubmiſſior. Sed veritatem agnovit, & ſanctum Officium neque in ungue ſuam juriſdictionem imminuere perſpectum habuit: cauſam communem religionis pluris fecit, utpote qui optime noverit, hæc cum Fidei Tribunali prætenſa diſſidia plurimum nocumenti orthodoxo dogmati ſemper attuliſſe. Eam Decretalem evulgare non renuit, ſed ſupervacaneum duxit. Nihil erat, quod de ſuis Paſtoralibus immutandum foret. Nihil, de quo noviter ſubditos ſuos inſtrueret. Nihil,quod intentioni ſuæ non faveret. Sed tu male inſtructus, Muratori, omnia in deteriorem partem accipere, ac pro more tuo corrodere in animo habuiſti. Sed quam mercedem accepiſti, in die judicii pro retributione accipies.

47 Rationem reddit, cur Purpurati Principes *Apoſtolicæ Sedi non reſponderent.* Quia, *nimirum ii continuo agnoverunt, nihil deeſſe, ut quiſquam intelligeret, improbatum, ſublatumque Romæ fuiſſe Inquiſitionis edictum.* Intelligeret ille errare ſolitus: intelligerent ſancti Officii æmuli contradictionis ſtimulo ad errandum parati. Sic cavilloſe ſparſerunt ipſi, & quod ſuæ perverſitatis figmentum erat, id aliis attribuere cogitarunt. Nullus noſtrum fuit, qui talia intelligeret; non enim obcæcatis mentibus, aut cæcis oculis Decretales illas legeramus. Eccur enim ſublatum arbitraremur edictum illud, quod nec in minimo iis Decretalibus contraibat? Eccur ſuſpicaremur ſublatum edictum illud, cum legeremus: *Quæcumque aliter præſentibus* literis Decretum, & conſtitutum fuerat, non improbata, ſed tamquam minus neceſſaria vim obligandi ammiſiſſe in iis, quæ iiſdem Decretalibus contraria fuiſſent? Eccur cenſeremus ſublatum edictum, & non cenſeremus ſublatas *Paſtorales Ordinariorum literas*, quæ in ipſa conſtitutione expreſſe recenſebantur? Multa cæcitate laborat, qui hæc non videat. Quam falſo verò id quiſque intelligeret, ſi Epiſtolas ad Eminentiſſimum Cardinalem præ oculis haberet. Scripta Kalendas Junii 1746. continebat: *Se plurimum cogitare, ut incolumes ſervaret claves Petri in ſacramento Pœnitentiæ graviter offenſas, & edicta ſancti Officii illæſa remanerent.* Quomodo edicta tolleret, qui ea illæſa ſervare repromiſerat?

48 Ait

48 Ait 10. *Eminentiſſimus vero à Cugna non ſolum à revocando edicto ſuo abſtinuit, atque à publici juris facienda Conſtitutione Pontificis; ſed etiam ſe læſum arbitratus indoluit, literaſque ſecretas dedit ad Summum Pontificem, quarum tamen nulla eſt habita ratio.* Cum Boëtio (10) de Muratorio dicere poſſumus: *Heu, heu! Quæ miſeros tramite devio abducit ignorantia?* Eccur Paſtoralem ſuam Conſtitutioni Pontificiæ non admodum conſonam non revocavit Eborenſis Antiſtes? Eam cauſam dicet, quia Conſtitutioni contrariam non reputavit. Sic credo. Sed eamdem excuſationem innocentius præſtabit Eminentiſſimus Inquiſitor. Quis potiori jure arbitratus ſit, parallela ſupra expoſita demonſtrabunt. Sed quantum biblas, & tinniendo in vaſe fracto cymbaliſſes, perpende Muratori. Dic amabo; ubinam audiſti, aut legiſti Fidei Tribunal Luſitanum evulgare Apoſtolicas literas conſueviſſe, aut debuiſſe? Id Ordinariorum, non ſancti Officii munus eſt. Neque ad ipſum directas evulgare, & publici juris facere quandoque in uſu habuiſſe legitur, & multo minus literas, quæ ad Ordinarios directæ conſpiciuntur. Præterea adeo furore arreptus corroſiſti, ut non perciperes ſic Eminentiſſimum Inquiſitorem Conſtitutioni Pontificiæ ſe conformaſſe, ut ſubſequentibus actibus fidei, evulgato, ut moris eſt, Inquiſitionis edicto, & poſtea in recurrente hebdomada prima quadrageſimæ, additum fuiſſet, quod illud ei crimen denuntiaretur *juxta formam, & modum in Pontificia Decretali conſtitutum.* Quid amplius deſiderabas? Animo igitur detrahendi ſic erraſti, ſic in more habes; non miramur. Quod verò attinet ad *literas ſecretas ad Pontificem datas*, mentitur Muratorius, quatenus aſſerit Eminentiſſimum Inquiſitorem indoluiſſe. Scripſit quidem Eminentiſſimus, ſed Epiſtolam gratulatoriam, non verò querulam. Brevibus periodis continebat ea Epiſtola ſe, ſuoſque Miniſtros gratulantes ſuæ ſanctitatis pedes deoſculari ob illius Bullæ maximum beneficium: ſuos tamen Miniſtros aliquam clauſulam invenire, quæ difficilem reddebat tam gravis criminis probationem. Ad hanc epiſtolam quid rependit Pontifex Maximus? An contemptui habuit, ut blaterat Muratorius? Minimè. Immo in forma Brevis reſpondit: *Eam conſtitutionem aliter efformari non potuiſſe; etenim ſi aliud factum eſſet, eveniret caſus talis, ut non modo Portugalliæ Regnum, ſed univerſam Eccleſiam maximo terrore concuteret.* Hinc colligere poterit lector, quanta Romæ in ſanctum Officium molirentur, & inter quot ſyrtes fidei, & ſacramenti negotium, atque Pontificis animus fluctuarent.

(10) Metr. 8. lib. 3.

49 Ait 11. *Hunc animum ſatis antea expreſſerat Purpuratus iſte: nam devoluta, & pendente adhuc ante Pontificium Tribunal controverſia hujuſmodi, quum recurrente hebdomada prima quadra-*

geſimæ vulgandum de more fuit edictum ſacræ Inquiſitionis, eidem novus iſte caſus cum denuntiationis præcepto eſt additus: quod ſane mirandi, & conquerendi cauſam dedit, utpote contra judiciorum regulas attentatum, & a reverentia erga viſibilem, & ſupremum Eccleſiæ judicem debita alienum. Neſcit ipſe, quid ſit *attentatum*: neſcit, quæ ſint *judiciorum regulæ*. Animum ſuum ſatis expreſſerat Purpuratus ille, non alium, quam religionem, & ſacramentum Pœnitentiæ pro munere ſuo tueri; non alium, quam ſe ſe gliſcenti errori, atque intolerabili abuſui omnibus viribus opponere: non alium quam delinquentes coercere, ne ex tolerantia audacior fieret tam noxius abuſus: non alium quam Sedi Apoſtolicæ debitam reverentiam profiteri, cum ad Summum Pontificem reſcriberet *eum ſe eſſe Dominum vineæ, & de ea diſponere poſſe, ut ſibi conſultius videretur.* Quod *penderet controverſia aliqua ante Pontificium Tribunal*, ſubdole, & inſipienter nimis dictum eſt; nam occultæ, & tunc temporis ignoratæ extrajudiciales querelæ, judicium aliquod nullatenus conſtituunt. Id inter juris Doctores, immo & judiciorum (ut aiunt) Rabuliſtas tritum, notumque eſt. Si autem Eminentiſſimus Generalis Inquiſitor dicendus eſt commiſiſſe attentatum ſua uſus inconcuſſa juriſdictione, atque eorum, quæ caute nimis agebantur in Curia, penè inſcius; liberalitur ab attentati vitio Excellentiſſimus Eborenſis, qui ad ſanctam Sedem recurſus, aut (ut proprius loquamur) extra judiciales remiſerat quærelas? Ipſe profecto juris ordinem prætermiſit: ſiquidem mota juriſdictionis controverſia inter Ordinarium, & Delegatum, iſte in prima inſtantia judicialiter de controverſia cognoſcit, quæſtionemque definit: (11) ut ſupra jam dixi. Si controverſia ante Pontificium Tribunal judicialiter pendebat, ipſe non poterat, ut tamen fecit, declarare cognitionem illius criminis ad eum, non verò ad ſanctum Officium attinere; neque præcipere, ut ſibi, non verò ſancto Officio tranſgreſſores denuntiarentur. Sed hæc non commemorat, hæc non advertit Muratorius, ut totus in Fidei Tribunal, cui ex multis debitor effectus eſt, converteretur.

50 Neſcivit profecto Muratorius eum occultum, & extrajudicialem recurſum attentati vitium producere non poſſe, ut edictum antea promulgatum ſuſpenderetur. (12) Immo, etiam dato, quod prædictus

(11) Innoc. in cap. Paſtoral. n. 7 ub Felin. n. 4. Cancer. p. 3. Variar. cap. 10. n. 188. Dian. reſol. moral p. 7. tr. 10. reſolut. 5. Merlin. controv. jur. tom. 2. cap. 64. n. 25. Fontanel. de pact. nuptial. tom. 1. Clauſul. 4. Gloſ. 13. p. 3. & alii plures apud Cortiad. tom. 1. dec. 34.

(12) Ex text. In cap. ad audientiam ub Franc. notab. 2. in præf. n. 36. Lancellot. de attent. in probat. n. 21. Rot. rec. p. 3. dec. 768. n. 8. & p. 5. tom. 1. dec 108. num. 11. & tom. 2. dec. 426. n. 5. & p. 12. dec. 103. n. 16. Cov. practic. cap. 24. n. 5. Abb. in cap. Conſtitutus de appell. à n. 15.

prædictus recurſus judicialiter, & eo intimato Eminentiſſimo Inquiſitori innoteſceret, neque ideo vitium attentati committeretur in ſecundo edicto, cujus promulgatio, actus erat continuativus, & conſecutivus primi, quod jam omnem ſuum vigorem, & executionem obtinuerat. (13) Præcipue cum edictum illud nullatenus Pontifex in Bulla *Suprema* reſcinderet; immo zelum laudaret, & omnes ferme clauſulas in edicto contentas ſuo Brevi inſerere dignaretur. Cum potius, ut diximus, in ſuis familiaribus Epiſtolis ea edicta illæſa ſervare repromitteret. Eò vel magis, quia ubi Eminentiſſimo Cardinali de opinione Pontificis conſtitit circa onus pœnitentibus impoſitum, etiam contra proprium, & optimorum Theologorum judicium, Pontificis ſententiæ ſtetit, & eoſdem pœnitentes in eodem ſecundo edicto nullatenus incluſit, ut jam oſtendimus. Videat Muratorius, *quem animum antea expreſſerat Purpuratus ille*; & erubeſcat, quod ita leviter, ſine factorum plena notitia ſcribere auſus eſſet. Circa attentati materiam multa alibi in editis Diſſertationibus (quas Muratorius ſatyras appellat, quia pro veritate, & ſacramenti religione pugnarunt) videri poterunt: quas ſi ipſe videret fortaſſe accuratius ſcriberet, & non tam declamatoris, quam Juriſconſulti partes adimpleret.

51 Ait 12. *Quid hic prudentiſſimus Pontifex? Ubi Eminentiſſimi Inquiſitoris averſam mentem intellexit, potuiſſet pro imperio agere, ſed amoris, & clementiæ vias pro more ſuo præferens, ad ipſum Eminentiſſimum non ſemel reſcripſit, hortando ut edictum revocaret, ex non uno vitio, ſed potiſſimum ex poteſtatis defectu undequaque ruinoſum: eamque in rem, uti etiam Doctor privatus, & præ cæteris Eccleſiaſticæ doctrinæ, & diſciplinæ peritiſſimus, grave, & indecorum ſibi minime duxit proferre Canonum, & Theologorum concordem ſententiam, in Inquiſitionis Tribunali ubique obſervatam. Sed hactenus auribus ſurdis ceciniſſe fertur.* Quot mendacia circa factum intermiſcuit! Illud Martialis in Neſtorem ei adaptari poteſt: *Auriculam Mario graviter miraris olere: Tu facis hoc: garris Neſtor in auriculam.* Inſidioſa profecto lingua, quæ, *garrulitate ardens, nunc his, nunc obſtrepit illis.* Quomodo auribus ſurdis ceciniſſe dicendus eſt, qui ad primam Epiſtolarem mentis Pontificiæ notitiam, ita edictum moderatus fuit, ut in eo nihil aliud, quam quod in Conſtitutione *Ubi primum* decretum fuit, ſcriptum reperiatur; & in ſequentibus obſervari formam à Summo Pontifice conſtitutam, expreſſiſſime præceperit? Quomodo *averſam mentem Eminentiſſimi Inquiſitoris* Pontifex prudentiſſimus intelligere poterat? Si ipſe Eminentiſſimus

(13) Ex doctr. Bich. dec. 418. n. 4. & dec. 582. n. 3. Bertarchin. vot. 88. n. 20. Rot. recent. p. 16. dec. 187. n. 5. & p. 17. dec. 222. Sabelli §. attentata n. 11. Barboſ. in authent. quæ ſupplicatio de precib. Imper. offer. Rebuf. ad leg. Gall. tract. de Supplic. in præfat. q. 7. n. 38. Lancell. de attent. cap. 19. à n. 16.

ſimus nihil ad ea uſque tempora ad eumdem Pontificem ſcripſerat; isque primus fuerit, qui ad eumdem Cardinalem ſcripſerit, conqueſtus ſe, quæ in Luſitania agebantur, non ab eo, ſed aliunde reſciviſſe? Quomodo ejus *averſam mentem intelligere* poterat, qui in eadem Epiſtola eidem Cardinali commiſerat negotium illud componere, & moderari? Quomodo *ejus mentem averſam intelligere* poterat, qui ab eodem Cardinali reſponſum acceperat, *eum ſe eſſe Dominum vineæ, & de ea poſſe diſponere prout ſibi placuiſſet*? Quomodo *ejus mentem averſam intelligere poterat*, cujus obedientiam expertus fuerat in moderatione edicti: quod ſic prudenter temperaverat, ut canonum, quorum ſupra meminimus, delegatis commendatam prudentiam ſervans non obliviſceretur? Si Mutinenſis iſte hæc prudenter recogitaret, non tam leviter falſis ſuggeſtionibus, eorum fortaſſe, qui criminis rei accuſari poſſent, aſſenſum præbuiſſet.

52 Quod Summus Pontifex ad Eminentiſſimum Cardinalem ſemel atque iterum reſcripſerit, verum eſt: id feciſſe *hortando ut edictum revocaret*, falſum eſt. Siquidem de edicto ſemel tantum in Epiſtola prima locutus eſt, non aliis hortationibus, quam dicendo, ſibi ut Doctori privato, viſum fuiſſe *troppo forte*, & ad id aliquas Doctorum auctoritates recenſuit, quarum nec nos obliti fueramus. Sed ipſe ſapientiſſimus Pontifex tunc ſcripſit juxta ſtatum rei, prout ab ipſis Epiſcopis repræſentatus fuerat: Tribunal verò, prout imminens urgebat periculum, aliter decreverat, neque ignorare poterat quanta cautela pœnitentium denuntiationes recipiendæ fuiſſent; quippe quod ſolicitatis mulieribus Confeſſarios denuntiantibus, nec verbum admittat, ex quo ejus conſenſus colligi poſſit, immo de hoc ſtatim in principio eas prudentiſſime commoneat. Non tamen idem ſanctiſſimus ſcripſit, aut hortatus eſt, ut edictum revocaret; ſed referens Antiſtitum querelas, id commonuit, ut ipſe Cardinalis videret, quomodo poſſet negotium illud temperare. Quod autem aſſereret, *edictum illud ex non uno vitio, ſed potiſſimum ex poteſtatis defectu undequaque ruinoſum*, falſiſſimum eſt. Idque apertiſſime convincitur. Quomodo enim poteſtatis defectum argueret, qui in Bulla *Suprema* agnoverat Eminentiſſimum Cardinalem *pro munere ſuo* adimplendo *juſta indignatione commotum*, illi perverſæ praxi eradicandæ adlaboraſſe? Quomodo *poteſtatis defectum* argueret, qui in præfata Epiſtola eidem Cardinali commiſerat rem illam pro ſuo prudenti arbitrio moderari? Quomodo *defectum poteſtatis argueret*, qui prædeceſſorum ſuorum indulta Luſitanæ Inquiſitioni conceſſa non potuit ignorare? Quomodo *poteſtatis defectum* argueret, qui in ſua Conſtitutione *Ubi primum* decrevit ejus criminis cognitionem ad ſanctum Officium *ex poteſtate ſibi tradita, & quatenus opus eſſet de novo conceſſa* attinere; juſſirque

que illud delictum eum errore connexum ſancto Officio denuntiandum eſſe? Quomodo *poteſtatis defectum* argueret, qui ad eumdem Cardinalem ſecundo familiariter reſcripſerat, Eborenſem Archiepiſcopum ad ſe ſcripſiſſe, remiſiſſeque Paſtoralem ſuam, quam evulgaverat: ſe de reſpondendo non cogitare, ægre ſiquidem tulerat, quod prædictus Antiſtes igni, quem ipſe extinguere propoſuerat, novam materiam miniſtraſſet. Ad ſuam notitiam deveniſſe Fidei Tribunal Nuntium magni meriti ad ſanctam Sedem deſtinaſſe; id ſibi ſupervacaneum videri, ſiquidem ipſe negotium illud ad ſancti Officii placitum deciſurus erat? Quomodo *poteſtatis defectum* argueret, qui in tertia Epiſtola ad eumdem Eminentiſſimum Cardinalem reſcripſerat, ſe in Arce Gandulfi tunc degere, ad fruendum aëris beneficio, ut poſtea viribus potioribus incumberet Canonizationibus, & Beatificationibus, quas die Beati Petri expedire conſtituerat; poſteaque totam ſolicitudinem ſe eſſe impenſurum, ad definiendum negotium, quod tam magnam curam ei attulerat, & univerſo orbi Chriſtiano ſcandalum generaverat. Incredibile eſſe, quot viis eum præoccupaſſe tentaverint, ipſum tamen clavibus Petri in ſacramento Pœnitentiæ offenſis, ſancti Officii ſplendori, ejusque edictis illæſis conſervandis proviſurum eſſe? En earum Epiſtolarum ſubſtantia. Quid inde? Ergò imprudentiſſime mentitus eſt Muratorius. An illatio recte ſe habeat, judicabit univerſus orbis.

53 Ait 13. *Immo ſama invaluit, nova arma Ulyſſipone parari; libellos etiam prodiiſſe ad fulciendam perperam impoſitam pœnitentibus de complice interrogatis denuntiationis obligationem; & eò uſque proceſſiſſe nonnullorum audaciam, ut jam e deformi iſto remedio fides Chriſti in Luſitania peritura dictitetur. Eruperunt etiam, qui declamarent, nihil dubitandum, quin ibi orta hæreſis altas radices jam egerit, cujus tamen ne unum quidem ſectatorem indicare poſſint, quum omnes errorem, & praxim à ſancta Sede damnatam execrentur.* Adhuc mendaciis gaudet, improperiisque delectatur declamator iſte. Nulla arma Ulyſſipone parabantur: ex quo enim Conſtitutio *Ubi primum* rem definierit, & ſuum cuique tribuerit, conticuere omnes, quibus nullus alius ſcopus fuerat, quam doctrinam erroneam, praximque introductam refellere, & Fidei Tribunal, violentiſſimo quodam offenſionum turbine quaſſatum, defendere. Definiit Pontifex de facto eum invaluiſſe errorem, id adſtruebant *libelli*, quos prodiiſſe conqueruntur. Definiit Pontifex ejus erroneæ doctrinæ cognitionem, & punitionem ad ſanctum Officium ſpectare: id contendebant illorum *libellorum* Scriptores. Definiit Pontifex ſimplicem interrogationis actum ad cognitionem Ordinariorum pertinere. Id neque quandoque contradixit Fidei Tribunal, nec *libelli* illi impugnaverant; immo

unanimi

unanimi conſenſu expreſſiſſime profitebantur. Sed inquiro. Excuſabilius erit, quod poſt pacem initam, poſt contentionem omnino ſedatam, novum bellum, novusque ſtipendiarius miles pararentur? Scriptor, inquam, ad quem controverſia illa nullatenus ſpectabat? Libelluli ſcilicet conſarcinator, qui ad ipſa nihil duxerit rependendum, niſi improperia, & declamationes, omni re juris in atramento relicta? Libellio quidam quaternionis, qui dum in eo in obſequia erga ſanctam Sedem diffunditur, adhuc tamen quæ ab eadem definita ſunt, aut ſub larva negat, aut violentiſſime detorquet? Is eſt tutor, aut patronus iſte ab iis hominibus in auxilium vocatus. Is qui poſt Pontificias Conſtitutiones in publicum prodire non expavit. Is qui adeo aperte ſimulata jactare non exhorruit.

54 Prodiere quidem Diſſertationes aliquæ, in quibus ea pœnitentibus impoſita denuntiandi obligatio excuſabatur. Sed ad rationum momenta, quibus ea optimorum Theologorum ſententia nitebatur, adhuc ſolutionem ſperamus, nec quandoque aſſequemur; nec Muratorius, ſcholaſticis quæſtionibus inſuetus, in eo labore ſuſcipiendo, ut refelleret, ſuam operam ſtuduit collocare. Quid tamen? Pontificis judicio, & ſententiæ reſtitit vel ullus? Minime. Nos enim Luſitani captivare ſcimus intellectum in obſequium fidei. In reverentia erga ſanctam Sedem, in ejus prærogativis tuendis, in Pontificia poteſtate propugnanda, nulli cedimus; excedimus omnes. Sic ejus præceptis ſtamus, ut obedientiam, & obſequium à nobis ediſcere poſſit Muratorius, ac mutuari. Quod cenſeremus, ſeu potius vereremur non ſatis occurſum iri gliſcenti errori, id non in contemptum Pontificiæ Conſtitutionis, quæ, quantum in ſe erat, omnia prudentiſſime decrevit, vertendum eſt; ſed experientiæ, & prævidentiæ tribuendum. Quanta vigilantia Janſenianæ doctrinæ, tot Decretis obſtiterunt Romani Pontifices? Num ſatis hæc fuerunt? Num quieverunt Janſeniſtæ? O' utinam! Quanta diligentia Moliniſtarum, Quietiſtarum, Illuminatorum, aliorumque ſectis eradicandis elaboratum eſt? Num deſierunt omnino hæ ſectæ? O' ſi! Ea eſt cujusque erroris natura, ut ſemel mentibus infixus non facile avelli poſſit: ea ſolet eſſe tenacium hominum conditio, ut ſemel aprehenſa doctrina, præcipue ſi ſub ſpecie boni repræſentetur, difficillime dimittatur. In quo ergo hic vertitur vituperabilis audacia, ſic à Muratorio confingenda? Adeo tamen eo uſque proceſſit detrahendi cupiditas, ut apertiſſime in mendacia proſiliret. Quis unquam aſſeruit ſine illo denuntiationis *remedio Chriſti fidem in Luſitania fuiſſe perituram*? Ad quid hæ tergiverſationes, Muratori? Ut orbis agnoſcat, quo detrahendi ingenio ſis imbutus. Dictorum ſenſum maxima cum malitia tranſvertis. Quod Diſſertationes in publicum editæ aſſerunt, id eſt, nempe, difficillimum eſſe

eſſe ſine his denuntiationibus detegere delinquentes, & probare delictum. Experire mecum. Fingamus Confeſſarios iſtos adhuc huic damnatæ praxi adhærere; neque multum à vero diſcrepat hæc fictio; nam ea interpretatio, quod Summus Pontifex ſolum damnaverit interrogationes, quæ *paſſim* fierent, & doctrinam *de lege ordinaria reputatam tanquam licitam*, in eumdem errorem impingit, & aditum referat, ut iidem Confeſſarii in multis caſibus id licitum eſſe ſibi perſuadeant. Sed fingamus aliquem eſſe, qui errorem, & praxim à ſancta Sede damnatam non execretur, & à ſimilibus interrogationibus faciendis non abſtineat. Dic amabo, quomodo hoc crimen occultiſſimum probari poterit? Quis denuntiabit? Quod inter Confeſſarium, & pœnitentem actum eſt, quis perſpectum habere poterit, ut vel ad Epiſcopos, vel ad Fidei Tribunal perpetratum delictum deferre poſſit? Quicumque aliter ſciat, quam ex confeſſione, fortaſſe reſpondebis; id enim ſanctiſſimus conſtituit. Benè. Sed is quicumque ex quo ſcit, vel ſcire poterit, quod in ſecretiſſimo Tribunali tractatum eſt? Mente revolve, & tandem tandem, velis nolis, ad pœnitentem recurrere neceſſe erit; ille enim quicumque ſolum à pœnitente eam poteſt adquirere ſcientiam. Iſte igitur hanc habens ſcientiam ex Pontificis præcepto denuntiare cogitur, & cum non deponat de facto proprio, neque de certa ſcientia, ſed ex auditu, ad ipſum pœnitentem, à quo ſcivit, aut audivit, referendus eſt; nec aliter fidem in judicio facere poterit. En ſi pœnitens non interrogetur, ſi non deponat, crimen, utpote non probatum, reddetur impunibile, & hac ſecuritate potitus Confeſſarius liberius errori ſuo adhærebit. O', quia poſita praxis damnatione nullus erit, qui errori inſiſtat: ſic exoptamus; ſic faxit Deus. Sed ſi inſtiterit? Remedium erit eum relinquere in manu conſilii ſui, donec manus excelſi hanc faciat perverſæ mentis mutationem. Quod autem addit, *ne unum quidem ſectatorem indicare poſſimus, omneſque eumdem errorem execrari*, libere dictum eſt; quod nos poſſemus ipſe neſcit, nec teſtari poteſt, quod omnes execrentur; neque enim eos agnovit in ſua Mutinenſi verſatus præfectura. Si qui ſunt, qui execrentur, videat Muratorius, ne de iis ſint, qui ore confitentur, factis autem negant; vel quorum corda longe à veritate ſunt. Nunc eum ſuiſmet verbis reconvenio: *En quid poſſit, & audeat corrupta à cæcis affectibus hominum mens.* Qui errorem inſectantur cæcis affectibus corrupti dicuntur! Ipſe verò qui errorem negat, qui errantes protegit, qui mercedi inſudat, cæcis affectibus non movetur? Certe *corruptus factus eſt in ſtudiis ſuis.*

55 Blaterat 14. *Denique ſat non fuit accuſatoribus tantam piis quibuſque Confeſſariis moleſtiam inferre, ſatyricis quoque, & contumelioſis ſcriptis, iiſque nemine reſiſtente prælo traditis, in Epiſcopos*

tanta veneratione dignos pugnarunt, eoſdem traducendo quaſi hæreticos, aut hæreticorum fautores. Num in hoc hominum genere ſpiritus Dei? Heu quantam malorum, & ſcandalorum ſegetem peperere edicta, ſine accurato veritatis examine, atque indiſcreto tantum zelo procuſa. In ſinum ſuum inſpuit, atque in ſe ipſum ſententiam dixit: *Non ſat fuit* detractori iſti *piis quibusque*, & orthodoxis ſcriptoribus pro veritate, & ſacramenti religione pugnantibus *tantam moleſtiam* tantamque inferre injuriam, *Satyricis quoque, & contumelioſis ſcriptis, iisque nemine reſiſtente prælo traditis* in Fidei Tribunal, in Eminentiſſimos Cardinales *tanta veneratione dignos pugnavit eoſdem traducendo*, quaſi juriſdictionis non modo Ordinariæ, ſed etiam Pontificiæ uſurpatores, & contemptores, falſarum atteſtationum extortores, levitatis reos, & odio virtutis commotos: *Num in hoc homine ſpiritus Dei? Heu quantam malorum, & ſcandalorum ſegetem* ſuus peperit libellus infamatorius *ſine accurato veritatis examine*, atque damnando tantum ambitu procuſum! *Heu quantam malorum, & ſcandalorum ſegetem Paſtorales literæ ſine accurato veritatis examine, atque indiſcreto tantum zelo procuſæ peperere!* Satyrica forſan fuerint ſcripta noſtra: aſt religionem tuebantur, pro ſacramento pugnabant. Sed quo nomine libellus iſte Muratorii appellandus erit? Quo titulo hæc opella nominanda! Quanto vero dolo conſcripta invenitur? Ubi invenitur *piis quibusque Confeſſariis illata moleſtia*? Imprudentes tantummodo, nullo ſpecialiter indicato, & malo zelo ductos improbant edicta, repellunt ſcripta. Et hæc ſatyra dicenda eſt, quæ nullum in individuo offendit, ſed errorem diſpellit? Num *pii Confeſſarii* dicentur, qui praxi illi adſtipulabantur? Profecto non pii, ſed impii, non ſanam doctrinam amplectentes, ſed noxia dogmata diſſeminantes dicendi ſunt. Hos reſpuimus, pios veneramur. Quo autem jure revera pii iſti Confeſſarii moleſtia affecti dici poſſunt, ſi in non pios tantum ſagittæ omnes immiſſæ ſunt? Cur conqueſti ſunt? *Mens ſibi bene conſcia conſervat patientiam.* Doluerunt? Ergo ibi malum, ubi dolor: *Innocens inter ipſa tromenta fruitur conſcientiæ bono: & inter malignitates, quum*
(14) *de pœna metuit, de innocencia gloriatur.* (14) *Integer vitæ ſcele-*
Hieronym. *riſque purus, non eget Mauri* (ſive Muratorii) *jaculis, nec arcu,*
ad Demetr. *nec venenatis gravida ſagittis.* (15) Epiſcopos quis *Hæreticos* di-
(15) xit, aut *Hæreticorum fautores*? Ut quid perditio hæc? Ut pluri-
Horat. lib. mum, eos aut erroneæ praxi, aut errantibus ſuis Paſtoralibus pa-
1. Oda 22. trocinari viſos eſſe, aſſeruerere. Quid mirum, quod ea enuntiarent, quæ ipſæ publicæ Paſtorales edicebant? Fieri non poterat, quod Paſtoralium vitia aperirentur, quin in earum Authores offenſio aliqua suborirетur. Silentium religionis negotium, & Fidei Tribunal ſine

jure

jure impetitum non patiebantur. Expectarent ii ſanctæ Sedis definitionem, in mora enim nullum periculum erat; poterat autem dari ſi adminiſtratio ſacramenti ad rectum ordinem non reduceretur. Antequam eæ Paſtorales prodiiſſent, nullus ſcripſerat, nullus loquebatur, niſi euge, euge Eminentiſſimis Cardinalibus, quia errori occurrerint, quia perturbatam tranquillitatem ſacramento reddiderint. Ergo Paſtorales ſolum, non verò pro veritate Diſſertationes ſcandalum populis attulere: hocce tamen maius attulit inconſideratus, & imperterritus Muratorius ſopitam controverſiam non veritus imprudentiſſime excitare.

56 Audi nunc, quod de hiſce ſcriptis, quæ ſatyrica vocat Muratorius, Romani Pontificis judicium fuerit. Id fama refert, multæque epiſtolæ teſtantur. Aſſiduis, importuniſque precibus pro parte Epiſcoporum, id adnitentibus eorum procuratoribus, urgebatur ille, ut eas Diſſertationes, utpote ipſis Antiſtibus injurioſas, proſcriberet, ac prohiberet: ad huncque finem omnes à Lisbona in Romam, atque in præſentiam ſupremi Paſtoris introductæ fuere. Sed quid ad hæc Romanus Pontifex? Quid ad multiplicatas, enixaſque poſtulationes? Digniſſimam tanti viri ſententiam. Si ipſe ea ſcripta proſcriberet, proculdubio videretur approbare errorem, quem damnaverat; qui autem conquererentur, ſibi imputarent, quia cauſam dedere. Quas igitur Summus Pontifex concertationes non damnavit; immo judicavit pro veritate ac religione pugnare: in has Muratorius auſus eſt *judicium inferre blaſfemiæ*! Plus tamen audaciæ, in eo qnod aſſerat, edicta *ſine accurato veritatis examine procuſa fuiſſe.* Scit ipſe quantum examen præcederet? Scit quæ ſecretæ inquiſitiones factæ fuerint? Scit quantæ, quorumque denuntiationes anteceſiſſent? Non potuiſſet, ut hæc in publicum eructaret, prius perpendere, informationes ſibi factas ſuſpectas eſſe poſſe? Sed quid miramur? Negat ipſe *accuratum veritatis examen*, quo ductus ſupremus Legislator definiit ſibi de errore, praxique illa certo conſtare. Vel Summus Pontifex accurate non examinavit, vel Fidei Tribunal accurate examinavit, nam idem examen, quod ſanctum Officium ad edicta compulit, Pontificem Maximum ad ſuam Conſtitutionem induxit.

57 Ridendum igitur eſt, quod ſcribit in hunc modum: *Interea quid de hujuſmodi controverſia ſentiendum ſit, nihil opus habet lector, ut à me edoceatur.* Quis eum conſtituit Magiſtrum? In controverſia non habet lector *opus* ut edoceatur; habuit tamen ipſe *opem*, ut lectorem dedoceret. Ex ſcriptis Diſſertationibus ſat ediſcere potuit lector, quid veraciter retineret; ex Muratorii opella mendacia plurima poterit ediſcere. Proſequitur: *Tantummodo cum Patribus Concilii Calcedonenſis Generalis dicam*: Petrus per os BENEDICTI

Digitized by Google

XIV. loquutus eſt: *Nihil ultra quærendum.* Serò ſententiæ Concilii recordatus eſt. Debuiſſet antea recordari, ut non ſcriberet. Si *nihil ultra quærendum*, cur ipſe ultra quæſivit, & citra Provinciam ſuam reſpondit? Cætera ſcripta ante Pontificiam Conſtitutionem prodiere, ac proinde non fuerant arguenda: at ſua ſcriptio poſt negotium clariſſime definitum elaborata eſt, ac proinde vituperanda. Cætera ſcripta ſic publicam lucem viderunt, ut nihil contineant circa verum dogma, quod Pontificis Conſtitutionibus non cohæreat: ſcriptio verò ſua ita lucem odivit, ita tenebras, & mendacium adamavit, ut multa contraria contineat BENEDICTO XIV. per os Petri loquenti. Multa jam recenſuimus Conſtitutionibus adverſantia, non eſt opus in trutinam revocare. Mirum tamen eſt, & riſu dignum, quod nunc commemoret Petrum per os BENEDICTI XIV. loquutum, circa obliterationem edicti, quæ tamen (ut ipſe dicit) facta non invenitur in Conſtitutionibus; immo quod in Pontificis Epiſtolis illæſum repromittitur non tamen eam Concilii certam doctrinam mente; retineret, ne negaret infallibilitatem Pontificis in rebus facti cum jure connexis, in Canonizationibus Sanctorum, & ſimilibus, quæ ſupra late reſpuimus; & in eam dementiam prolabatur, ut aſſerat ex Cathedra judicatum fuiſſe *Edictum illud, ut nullum, & obliteratum futuris temporibus reputandum ſit.* O' maximam judicii levitatem!

58 Sic pergit: *Etiam cum Sancto Auguſtino lib. 2. de Verbis Apoſtoli dicam: De hac cauſſa miſſæ ſunt ad Sedem Apoſtolicam Epiſcoporum querelæ; inde etiam reſcripta venerunt: Cauſſa finita eſt.* Si finita erat, cur excitavit, cur iterum movit, cur certamen iniit? Ut cauſam omnem jam finitam in obſcuro reponeret. Num ſolum remiſſæ ſunt *Epiſcoporum querelæ*? Nonne etiam edicta? Nonne etiam Paſtorales? Nonne etiam atteſtationes hinc inde productæ? Nonne etiam Cardinalium aſſertiones? Nonne omnia apud Romanam Sedem diſcuſſa fuerunt? Cur ergo ſolum interſerit Auguſtino *Epiſcoporum querelas*? Rudibus ſcribebat ille, qui hos ineptos cavillos attingere non potuiſſent: *Qui veritatem occultat, & qui prodit mendacium, uterque reus eſt: ille quia prodeſſe non vult: iſte quia*
(16) D. Auguſt. lib. de agon. Chriſt. *nocere deſiderat.* (16) Nocere cogitaverat, qui veritatem occulere ſic ſtudebat. Reus igitur ex ſententia Auguſtini erit habendus. Eodem vitio laborant ea verba: *Inde etiam reſcripta venerunt?* Quæ reſcripta? Introductam praxim *penitus* reprobantia. Reſcripta zelum Eminentiſſimorum Cardinalium extollentia. Reſcripta, quæ aſſerebant de eadem praxi certo conſtare. Reſcripta, quæ definiebant ad ſanctum Officium attinere cognitionem, & punitionem praxis reprobatæ. Reſcripta, quæ ſimplices interrogationes, & omni erroris ſuſpicione deſtitutas

deſtitutas ad juriſdictionem Ordinariorum tantummodo pertinere decreverant. Nihil aliud ſanctum Officium quandoque ambivit; nihil aliud edicta ſua ſonabant, aut ſapiebant; nihil aut verbo, aut facto Ordinariæ juriſdictioni oppoſuit: nihil aliud Diſſertationes Muratorio exoſæ exprimebant: omnes uno ore, uno judicio, una ſententia diſtinguebant inter interrogationes qualificatas, & cum errore connexas, aut his circumſtantiis deſtitutas; has locorum Ordinariis, illas Fidei Tribunali adſcribebant. Igitur neque edicta, neque Diſſertationes à Pontificiis Conſtitutionibus diſcrepabant. Ergo pro ſancto Officio ſententia lata fuit. Cæci ſolum non viderint. *Nihil amplius quærendum: Cauſſa finita eſt.* Superfluunt Muratorii doloſa ſophiſmata. *Quod juſtitia* (verba ſunt Muratorii in eum convertenda) *quod ſapientia Apoſtolicæ Sedis præſcripſit lex omnibus futura eſt, præſertim poſtquam Conſtitutionem pro Luſitania conditam, ubique locorum obſervandam idem Pontifex juſſit die v. Octobris anno Chriſti* 1746. Tandem aliquando veritatem ipſe dicturus erat. Videat tamen an corde, an vero ore tantum dixerit, namque ab ea citiſſime deflexit.

59 Id teſtatur, quod ſtatim proſequitur: *Et quandoquidem Romano examini ſuppoſitum fuit edictum Luſitaniæ Inquiſitionis, & de illo Romana Cathedra judicavit, nulla dubitatio ſupereſſe poteſt, quin uti nullum, & obliteratum futuris temporibus reputandum ſit.* Sic repono: *Quandoquidem Romano examini* ſuppoſitæ fuerunt Luſitanorum Epiſcoporum Paſtorales, *de illis Romana Cathedra judicavit, nulla dubitatio ſupereſſe poteſt, quin uti nullæ, & obliteratæ futuris temporibus reputandæ ſint.* Quandoquidem, ut jam dixi, & edicta, & Paſtorales *Romano examini* ſuppoſitæ fuerunt, & Romana Cathedra æquali judicio, & Paſtorales, & edicta, non omnino, & abſolute obliteravit, ſed in iis tantum in quibus aliter ſe haberent: *Quapropter* (inquit Pontifex) *quæcumque aliter, quam præſentibus noſtris decrevimus, & conſtituimus, ſive in edictis præfati officii Inquiſitionis, ſive in quibuslibet quorumvis Ordinariorum mandatis, aut Paſtoralibus literis, vel Decretis antehac ſtatuta prodierint, ea nos, quoniam poſt Apoſtolicam hanc à nobis propoſitam agendi, ſeu judicandi normam minus neceſſaria fore cenſemus, deſinere jam, & ceſſare, ac veluti nunquam emanaſſent, omnem obligandi vim amittere, Motu proprio, & ex certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine declaramus, ſtatuimus, atque ſancimus.* Hinc liquet non melioris conditionis reputandas eſſe Paſtorales, quam edicta, utpote ſub eodem contextu, ſub eadem obliteratione comprehenſas. Veſtigandum ſolum ſupereſt in quo contraria edicta, in quo contrariæ Paſtorales inveniantur, quod jam ſupra in fidiſſima ſtatera ponderа-

deravimus. Perperam ergo Muratorius in edicta convertitur, & Paſtorales cauteloſo ſilentio occludit. Non boni judicis partes explevit, ſic in unam propendens. Quid tamen aliud ſperari poterat de homine ad ſic ſcribendum jam corrupto? Sciat adeò inconſulte ſe geſſiſſe, ut ſcriptio ſua nec ipſis ſuis corruptoribus placuiſſet.

60 Declamatione quadam ſic concludit: *Siquis verò, (quod Deus avertat) pertinacem, ac ſuperbum gerens animum* (ſuum deſcribit) *aut libris, aut voce decretis Apoſtolicæ Sedis obſiſtere auderet, & contra quod viſibile Eccleſiæ univerſæ caput decrevit, vexare Chriſti fideles in Luſitania pergeret, is non tantum gravis criminis reum ſe proderet, ſed etiam ſuſpicioni aditum aperire, ſe perverſam aliquam, atque hæreticalem opinionem ſectari, atque fovere.* Suam cauſam agit. Id libello ſuo geſſiſſe quis addubitat? Ipſe ſupremus Pontifex voluit *omnes ſuper hoc exorituras, vel etiam jam exortas diſſentiones componere, & penitus amputare.* Aſt Muratorius ſedatam omnino diſſenſionem ſua hac opella exoriri fecit. Supremus Pontifex, ait, *juſta indignatione pro munere ſuo commotos fuiſſe dilectos filios noſtros S. R. E. Cardinales... atque utrumque ſolicite gliſcenti malo compeſcendo, atque etiam eradicando adlaboraſſe.* Aſt Muratorius ſcribit, eos ſine jure, ſine fundamento, ſine cauſa, levitate ductos, atque à depravatis hominibus deceptos in hac re gerenda imprudenti zelo, rigore nimio, & ſine veritatis accurato examine proceſſiſſe. Supremus Pontifex ſuas Conſtitutiones prohibet *perverſe interpretari, perverſeque interpretantes* ſancto Officio Inquiſitionis ſubjicit puniendos. Aſt Muratorius adeo perverſe interpretatur, ut jam ſæpe vidimus. Supremus Pontifex prohibet, *ne cauſæ, propter quas tum præinſerta, tum præſentes emanaverint, ſufficienter adducta, verificata, & juſtificata fuerint... aliquo defectu notentur vel impugnentur, aut in controverſiam vocentur.* Aſt Muratorius negat cauſam, cum gliſcentem errorem negat, atque atteſtationes productas ad probationem praxis, falſas adfirmat, & alias inſimulationes frequenter innectit. Quid igitur? *Is non tantum graviſſimi criminis reum ſe prodidit, ſed etiam ſuſpicioni* (aliunde etiam probatæ) *aditum aperuit, ſe perverſam aliquam atque hæreticalem opinionem ſectari, atque fovere.* Ipſe *Chriſti fideles in Luſitania vexare perrexit*, non ſolum quatenus orthodoxos ſcriptores contumeliis dilaceravit, neque modo quatenus veras cum falſis doctrinis fraudulenter intermiſcuit; ſed præſertim, quatenus eos à reverentia, & obedientia, quæ ſancto Officio debetur, quibus artibus potuit divellere molitus eſt, & malæ fidei in idem Fidei Tribunal concipiendæ latiſſimam viam ſtruxit.

61 Tandem, veluti ſi in templo Delphico Apollinis ſederet Sacerdos,

cerdos, aut Eurypilus ſcitatus oracula Phœbi conſtitutus eſſet, opellam ſuam concludit ac Eminentiſſimum Inquiſitorem de obedientia ſanctæ Sedi debita, ac Petri ſucceſſoribus in Eccleſiaſticis rebus præſtanda, de beneficiis, ac vinculis fidelitatis erga Pontificem, à quo Purpuram accepit, quibus obſtringitur, de ſua auctoritate, de ſuoque jure admonet. Scilicet Purpuratum Principem, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, in rebus regni gravioribus conſiliarium prudentiſſimum, in officio ſanctæ Inquiſitionis per totum ſuæ vitæ tempus verſatiſſimum, Muratorius edocet, idque muneris illum non dedecuiſſe arbitratus eſt. Oh improbandam omnibus titulis ſtultitiam! De quo tamen admonet? quid edocet? *Inquiſitionis juriſdictionem eſſe delegatam, à Romanis Pontificibus tributam, & ab ipſis revocari poſſe quandocumque velint.* Ad id ſciendum neceſſaria fuit hujus celebris Doctoris admonitio? Quod reptantes in juriſprudentia Didaſcali non ignorant, ignoravimus omnes, ignorarunt Inquiſitores, ignoravit ipſe Eminentiſſimus Cardinalis! O' ineptiſſimus ſcriptor! Ridiculum autem magis eſt, quod ad id probandum utatur verbis Pontificiæ Conſtitutionis, *quibus mandat Regnorum atque Ditionum Luſitaniæ Inquiſitoribus, ut poteſtate à nobis tradita, & quatenus opus ſit præſentium tenore de novo conceſſa pœnas in delinquentes decernant.* Verba iſta rectiſſimam agendi rationem, qua ſanctum Officium nitebatur, eique à ſancta Sede hanc poteſtatem fuiſſe traditam apertiſſimè probant. Sed Muratorius in orbe ludens literario, ipſis indigniſſime abutitur. Si autem, ut ait, *horreret quiſque profecto, ubi delegatum quemquam intueretur plus velle ſapere, plus velle poſſe, quam delegans*, quantum quiſque plus horreat, hominem circa rem delegatam plus velle ſapere, plus velle poſſe, quam ſaperent delegati ipſi poteſtate ſibi tradita utentes, quàm delegans ipſe, tribuens poteſtatem, & eam ſancto Officio traditam expreſſe pronuncians? Suis verbis reſpondemus. Si ſcriptoris hujus ingenio, & irrequieto animo *abuſus eſt aliquis ex hominibus veram ſcientiam, & prudentiam oblitis*, eum ad ſic ſcribendum impellens, ac retributione invitans, *res poſcit, ut is ad vocem Petri judicantis in rectam ſemitam ſe rurſus convertat. Res poſcit*, ut ipſe fateatur, ſe audacter nimis hunc laborem ſuſcepiſſe, atque ſe ab Antiſigilliſtis deceptum non renuat confiteri. *Res poſcit*, ut Confeſſarii imprudentes, qui falſo zelo tanto diſſidio dedere cauſam, *ad vocem Petri judicantis in rectam ſemitam ſe rurſus convertant*, nec in ſuo errore perſiſtant. Res poſcit, ut ipſum, qui nunc *Vocem Petri judicantis* in Pontifice Maximo recognoſcit, ut nos ſine fundamento redarguat, ex corde pœniteat, quod infallibilitatem Pontificis in ſimilibus rebus definiendis toties in ſuo *Lamindi* denegaverit.

26 Aliò

62 Aliò ſe vertit ſecunda declamationis pars, nempe ad reprehendendos Luſitanæ Inquiſitionis nimios, immoderatoſque rigores. Juſtitiam clementia, & miſericordia temperare, id laudabile nimis eſt. A' quo autem didicit Muratorius hoc temperamentum in Luſitana Inquiſitione non adhiberi? Ipſe profectò linit abſque temperatura ideo victus, & convictus cadit. Ædificare voluit, decipiens populum Dei, prædicans pacem, cum pacem non attulerit, ſed intulerit bellum. Vana protulit divinans mendacia, propterea caſſam ejus opellam experti ſumus, atque Dominum in eo locutum non fuiſſe. Voluit Propheta videri in patria aliena: aſt *Væ Prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum.* (17) Qualis iſte ſit jam alibi demonſtratum manet, ubi etiam oſtendimus quam benigne, quam prudenter, quam miſericorditer Fidei Tribunal cum delinquentibus ſe ſoleat habere. Nemini non indulget pœnitentiæ ſigna exhibenti. Contumaces quibus poteſt charitatis viſceribus patienter ſuſtinet, donec reſipiſcant: nulli diligentiæ parcit, omnes adhibet ſolicitudines, ut errantes convertat. Cum nihil prodeſſe experitur, ad pœnas progreditur; in quo tamen munere nihil excedit Canonicarum legum præſcripta, & potius ut imminuat, quam ut augeat, poteſtatis ſuæ limites tranſcendit. Sic in puniendis delinquentibus ſe gerit. Verum enim vero in profligandis erroribus, in proſcribendis falſis doctrinis, in comminandis pœnis, ut à delictis committendis fideles abſterreat, nullus rigor, nulla ſeveritas reprehendenda eſt. Id ipſa Mater Eccleſia obſervat, in cujus conſtitutionibus graviſſimæ pœnæ inflictæ conſpiciuntur, ut vitentur delicta: etenim, *oderunt peccare mali formidine pœnæ.* Hujus nimii rigoris, ac neceſſariæ ſeveritatis exempla paſſim in ſcripturis ſeſe offerunt. Crimina quæ religionem offendunt nullatenus ſunt diſſimulanda, ſed acriter repellenda. Si indulgentia quadam, falſaque prudentiæ moderatione patiamur creſcere, difficillime eradicabuntur. Ipſe Chriſtus Dominus mitis admodum, & humilis corde tunc ſolum indignatus legitur, cum flagello vendentes columbas è templo ejecerit. Zelatus fuit Eccleſiam graviter offenſam in eo quod venderentur columbæ. Columbas vendebant, qui falſo pietatis prætextu claves Petri, ejuſque Eccleſiam in ſacramento offendebant. Non manſuetudinem, ſed rigorem res iſta expoſcebat. Qui hunc rigorem reprehendit, is venditis columbis delectatur.

(17) Ezechiel cap. 23.

63 Zelum immodicum Luſitanæ Inquiſitionis ait *famam ſiniſtram deprædicare.* Si famam ſiniſtram dicit, cur ſiniſtræ famæ adhæret? Sed ipſe eam famam fingit, & ſiqua ſpargitur, conſiderare debuerat, ut prudenter ageret, à quibus hæc ſiniſtra fama ortum habuerit. Ipſe ſupra contendit rumorem erroris introducti nihili pendendum, quia prodierit à ſceleratis hominibus ob crimina ſua caſtigatis. Id aſſerit

lícta

de hominibus, quos minime novit: nunc verò ſiniſtræ famæ, quam falſo ſpargunt, ſparſeruntque ſemper hæretici, Judæi, aliique ob delicta ſua puniendi, vel fugitivi ne debitas darent pœnas, libentiſſime aſſentitur. Hi vaferrimo odio in ſanctum Officium debacchantes nulli falſæ calumniæ, nulli impoſturæ parcunt. His leviter credidit Muratorius. His credidit Albitius qui circa res Luſitanæ Inquiſitionis ab ipſis inſtructus leviſſime ſcripſit, nec magnæ auctoritatis liber ſuus habetur; immo in Inquiſitione Hiſpana proſcriptus invenitur. Suæ levitatis, aſperſæque falſæ calumniæ exemplum ſit, quod damnationem ducis *Soliz* Luſitanæ Inquiſitioni attribuat; cum tamen etiam pueri, & mulieres ſciant, eum ob ſacrilegium in ſacram Euchariſtiam commiſſum, ei imputatum, & ex indiciis probatum, in foro ſæculari judicatum fuiſſe, & ignis pœnæ addictum. In cujus quidem criminis cognitione, & punitione adeo ſe Fidei Tribunal non immiſcuit, ut potius ob defectum ſufficientis probationis nec carceribus mancipandum eſſe judicaverit. En quam maturo, ſegnique examine procedere ſoleat Tribunal illud, ut ad procedendum ſat eſſe non probaret, vehementia indicia, quæ ſecundum legum civilium præſcripta doctiſſimi judices in foro ſæculari ad condemnandum ſat eſſe judicarunt.

64 Verum quidem eſt, ad ſanctam Sedem (ſicut nunc) aliquando querelas interpoſitas fuiſſe; adeò, ut ex hac cauſa per aliquot annos Inquiſitionis Tribunal, ejusque juriſdictio ſuſpenſa remaneret. Neque ſol ipſe opaca nubila fugit. Quot calumnias, quot invidias ab hæreticis inventas Eccleſia omnibus temporibus paſſa eſt? Annales dicant. Nec tamen ideo ejus ſplendori aliquid detractum eſt, aut aliquando detrahi poterit. Sic Fidei Quæſitores Eccleſiæ, quam defendunt, conditionem ſecuti, calumnias multas, innumeras perſecutiones ſunt perpeſſi. Sed Fidei Tribunal ſolis inſtar inter exortas nebulas micantius ſplendeſcit. Conquerebantur judæi, & à potentibus aliquibus ſic fovebantur, ut in maximum diſcrimen ejus rectiſſimus procedendi modus in maximo diſcrimine verſaretur. Sed quid inde? Tandem reſolutis obſcuriſſimis exortis vaporibus, omnique diſſipata caligine, Tribunali decor ſuus priſtinus reſtitutus fuit, ejus procedendi modus regulis canonicis conformis inventus eſt, neque aliquid innovatum, aut reprehenſum fuit à ſancta Sede, ut Muratorius aſſerit. Id expreſſe ipſæ Bullæ Pontificiæ adteſtantur. Ex quo apparet, quam incomptè Muratorius iſte dicat *non pauca gravamina* horum Regnorum *Fidelibus illata fuiſſe*, quaſi judicio ſuo judæi, hæreticique, quos ſolos ſanctum Officium promeritis afficit pœnis, fideles dicendi ſint, aut quaſi obligatio eos denuntiandi ſit gravamen attendibile fidelibus impoſitum, quod aliàs ab ipſo jure naturali, & divino non deſcendat.

65 Optimè

65 Optimè ait, neque enim ſemper arcum tendit Apollo, *Zelum, qui ad exceſſus, & novitates nimis duras declinat, inter mala eſſe numerandum.* Ergo ex ſuamet ſententia, inter mala graviſſima, nimia introductæ praxis novitas recenſenda erat, ac proinde *ab Eccleſia benigniſſima Matre noſtra*, & à ſancto Officio, ejus vices agente, *minime ferenda.* Quia tamen minimè tulit, tot in regno pertulit contradictiones, tot in Curia contrariæ extructæ ſunt calumniæ, & tandem tot diris Muratorii confixionibus impetitur. Meritò ergo tot venenatæ ſagittæ in verticem ſagittantis contorquentur. Nimia novitas erat, quod Paſtorales contra ſancti Officii edicta evulgarentur, & Ordinaria juriſdictio aperto Marte contra Pontificiam in ſuo Delegato repræſentatam dimicaret: minimè igitur hæc inſueta, & temeraria novitas ferenda erat. Ad exceſſum progrediebatur juriſdictionis nullatenus perturbatæ imprudens Zelus; minimè ergo ferendus erat, quin à vera ſapientibus impugnaretur. Zelus erat imprudentiſſimus, & ad noxium errorem declinans, ſtudium illud emendadorum complicum, & vitandi peccata; nullatenus ergo ferendus erat. Exceſſus fuit, & quidem intolerandus, privati hominis, quod auderet Luſitanam Inquiſitionem tot encomiis dignam, tot titulis comendabilem, tot viris egregis illuſtrem errodere, reprehendere, laceſſere: nullatenus igitur ferendus erat, quin coram univerſo orbe notum fieret in quot inepta, & ſeveriſſimè caſtiganda lapſus eſſet. Si autem *Vix dubitat*, quin *præſenti turbationi brevi futurus ſit finis* inaniter, & audacter laboravit, ut ſedatas contentiones ſuis futilibus ſcriptionibus excitaret. Id etiam ſectarii ſui timuerunt valde, & doluerunt nimis, adeò, ut opellam ſuam antecedenter exoptatam publici juris facere detrectarent. Ipſe tamen, quod nullatenus ad eum ſpectabat, in id conſilii deceptus evaſit, ut poſt rem omnem in pace compoſitam adhuc *tumultuaretur, & venenoſis ſatyris, piæ gentis, ipſorumque ſacrorum in Luſitania* Inquiſitorum (*quorum dignitatem tanta cura Sedes Apoſtolica illæſam voluit*) ipſe *famam lacerare perrexerit.* Quid ergo? *Is tandem ſatis teſtatus eſt, ſe iniquis affectibus ad excitandam hanc tempeſtatem fuiſſe commotum, atque etiamſi merito debitis pœnis minime plectatur, in omnium tamen ſapientum, & proborum Chriſti fidelium execrationem incurriſſe.* Sciat tamen ſcriptionem ſuam in tota Luſitania, & Hiſpania infauſtiſſimis avibus ſuſceptam fuiſſe: ſolumque vel reprobatæ praxis ſectariis, vel aliquibus ſciolis, qui omnem ſapientiæ Encyclopædiam adeptos fuiſſe ſe putant, aut ut docti habeantur, effingunt, arriſiſſe. Docti verò & recti ſapientes contemptui habuere. Juſtiſſima profecto audaciæ tantæ retributio. Suo ſe jactet in orbe Muratorius: nam Luſitanum cœlum ſua ſydera norit, fatuiſque ignibus non decipitur. Acquieſcat

Muri-

Mutinenſis ſcriptor, nec ſubdolis argumentationibus rem planam confundere ſatagat. Si tamen ſuus irrequietus, & elatus animus id pati reluctetur, cum Tertulliano *Apolog. cap. 46.* concludo: *Oſtendimus totum ſtatum noſtrum, & quibus modis probare poſſimus, ita eſſe ſicut oſtendimus. Quis nos revincere audebit, non arte verborum, ſed eadem forma, qua probationem conſtituimus de veritate?*

FINIS.

PRO-

Digitized by Google

PROTESTATIO.

HOC opus minori, quàm trium menſium ſpatio, præpedientibusque ſemper moleſtiis, elaboratum, ut notum eſt, non addubito in multis errare potuiſſe. Celeritas, qua ſcribere ſoleo, & temporis egeſtas, qua ſcriptis meis ultimam manum apponere non conſuevi, facile in cauſa fuerint, ut aliqua neceſſaria præterirem, aliqua jam dicta repeterem, aliqua minus compta dicerem, aliqua vero non adeo clara methodo explicarem. Quod primo dicendi ardore ad calamum veniebat, vel offerebat memoria, id exarabam. Meus animus fuit neminem offendere, ſolumque Muratorio parcere non ſtudui: ferre enim pacifico, ac quieto animo non potui, neque æquum duxi, quod ipſe alienam omnino provinciam, ſine imperio aliquo è longinquo aggrederetur: atque non modo Scriptores Portugalliæ pro veritate pugnantes, ſed etiam venerabile Fidei Luſitanum Tribunal, audacter impeteret, incompte laceſſeret. Vim vi repellere opus fuit, & in quot ipſe erraverit demonſtrare. Orthodoxos, colendosque nimis Luſitanos Antiſtites nec leviſmo verbo tangere ex corde exoptaveram. Id conſequi impoſſibile factu eſt: neque enim Muratorium revincere quibam, quin aliquam eorum mentionem haberem, & omnia facta, à quibus jus pendet, fideliter referarem. Sic tamen rem me geſſiſſe credo, ut nulli eorum juſtæ querelæ, ſi negotium æqua librà pendatur, locum reliquerim. Si tamen ex calore primo aliquod durius verbum elapſum eſt, ex bono animo meo condonandum expoſco. In re dogmatica opiniones plus ſacramento, pietati, bonis moribus, & ſanctæ Matris Eccleſiæ, eorumque Summorum Præſulum auctoritati faventes ſemper ſequutus fui: nec quidquam dixi, quod ex Conciliis, ex Pontificum Decretis, ex probatis Auctoribus non probarem. Si tamen citra intentionem meam, aliquid Eccleſiæ ſenſui contrarium, aut minus conſonum ſcripſi, ipſius Eccleſiæ correctioni libentiſſime ſubjicio, & ante eam, quantum mei animi eſt, jam revoco, & pro non ſcripto haberi exopto; quippe qui nihil in corde (Deo gratias ago) firmius retineo, quàm orthodoxam fidem tueri, ac amabiliſſimæ Matris meæ ſanctæ Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ dogmata ſequi, religionem colere, ejusque præcepta, ad ultimum uſque animæ deliquium amplecti, proſequi, obſervare, revereri.

-MAG 2005006

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google